Digitized by Google

XIII
E
1

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIII
E
1
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI
Digitized by Google



Digitized by Google

ORNITHOLOGIAE MORALIS,

PER

DISCVRSVS PRÆDICABILES
ex omni genere Sacrarum Scientiarum,
Scripturarum, Hiſtoriarum, Eruditionum, Antiquitatum,
Proprietatum, Doctrinarum, Conceptuum, Curioſitatum, Legum,
Inſtitutionum, Sententiarum, Affectuum, Argumentorum,
Locorum & Materiarum.

*COPIOSE INVENTOS, SVBTILITER
ordinatos, facundè propoſitos & ſalubriter
auditos.*

FORMATÆ,
DISPOSITÆ,
EXORNATÆ ET SACRIS ORATORIBUS QUIDEM AD CHARITATIVUM
SUBSIDIUM, TOTI VERO CHRISTI FIDELIUM
ECCLESIÆ AD PUBLICAM VTILITATEM ATQUE
ÆDIFICATIONEM DONATÆ

PARS I.

PRO
DOMINICIS PER ANNUM.

AUCTORE
R. P. F. FORTVNATO HVEBER
Ordinis F. F. Minorum S. Franciſci Reformatorum,
Provinciæ Bavariæ Theologo, & Eccleſiæ Cathedralis
Friſingenſis Eccleſiaſte.

Cum facultate Superiorum, & Privilegio, &c.

MONACHIJ,
Typis, & impenſis JOANNIS JÆCKLINI, Typographi Electoralis
Bavariæ, ac Epiſcopalis Friſingenſis & Ratisbonenſis.

ANNO M. DC. LXXVIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

REVERENDISSIMO
AC
SERENISSIMO S. R. I. PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
ALBERTO SIGISMVNDO,
FRISINGENSIVM ET RATISBONENSIVM EPISCOPO, UTRIVSQUE BAVARIÆ ET PALATINATVS SVPERIORIS DVCI, LANDGRAVIO LEICHTENBERGICO, PRÆPOSITO CONSTANTIENSI ET VETERI-OETTINGANO, &c.

Domino ſuo Clementiſsimo & Gratioſiſſimo.

BOnis, *imò* optimis Avibus, *mea advolat ORNITHOLOGIA MORALIS, ad Epiſcopalem Friſingenſium Regiam; quæ ſicut inter Bavariæ Regum ac Principum Curias atque ſedes ſuſpicitur antiquiſsima, ita nunc VESTRÆ SERENITATIS, per Dei gratiam, viginti jamiam quinque annis honoratur ac celebratur digniſsima Sponſa.* Bonis, *inquam, imò* optimis Avibus, *advolat devictiſsimus ſubmiſsiſsimæ meæ obſervantiæ & gratitudinis Genius: qui, ut inclytum SERENITA-*

Digitized by Google

TIS VESTRÆ Nomen, *ac profuſæ beneficentiæ ſplendorem pernici volatu divulgaret, non Mercurij cuiuſdam paciferi duntaxat alas, ſed omnium pænè Volatilium aſſumpſit pennas: & ut proportionatâ recordatione Religionis ac Pietatis veſtræ famam dignè recoleret, omnium pænè* Cæli Volucrum *aperuit Roſtra, quaſi vellet unà cum Demoſthene in foro Athenienſi, aut cum Tullio in Vaticano, tot roſtra conſcendere, deque tot roſtris declamare, quot Præcones magnifica* SERENITATIS *VESTRÆ in noſtram Seraphicam Religionem merita ſibi vendicârunt.*

Sic *pennis, alis & roſtris inſtructa, mea aduolat ORNITHOLOGIA, venitque unâ auſpicatorum dierum horâ FRISINGAM: ubi ex Anagramatico Nominis Germaniſmo, à toto Venerabili, Eccleſiaſtico & Religioſo Clero, Divinarum Laudum præconium, alternis Choris & ſtatis horis, vel* canitur *ſatis* liberè; *hoc eſt,* Frey-ſing: *vel* canitur *valdè* manè; *hoc eſt,* Frye-ſing: *vel* canitur *admodùm* feruidè; *hoc eſt,* Feyr- *aut* Eyſr-ſing: *vel denique* canitur *multùm* maturè *ac conſideratè, hoc eſt,* Reyſ-ſing. *Has enim ſignificationes omnes, Nominis & Ciuitatis Friſingenſis, germanicus Anagramatiſmus manifeſtè importat. Vt mirum nemini videri debeat, ſi omnes* cæli volucres, *ad canendum tam lepidè inſtructæ, tam induſtriæ ad meditandum, & ad ſingendum tam mirè expeditæ, ſuòque ornithotrophio in libertatem emiſſæ, haud conveniant ad locum alium promptiore volatu, quàm FRISINGÆ; ubi inter liberos, fervidos, matutinos & maturos cantus atque Choros, hilares dies annive animoſi jugiter perennantur.*

Erat quondam immodica Rabbinorum præſumptio, qui tam inſipienter quàm inſolenter garrirent & arguerent; quòd, cùm omnia Opera Altiſſimi, quoad inventionem ſint nobiliſſima, quoad ſpeciem perfectiſſima, & quoad numerum abſolutiſſima, in hoc ſolo tamen Divina Sapientia defecerit: dum ſuis operibus tam magnificis & eximijs non contulit alas, nec roſtra in linguas acuit, quibus poſſent & ſine impedimento circumvolare, & cum emolumento promulgare atque conteſtari ſui Authoris præſtantiam, quoniam Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. *Non ſubſcribo huic dementi Rabbinorum temeritati: ſed dum* Moralem *meam* Ornithologiam *ſublimi VESTRÆ* SERENITATIS *Nomini conſecro, illud duntaxat tot Volucrum can-*

tile-

tilenis & vocibus teſtatum velim, hoc qualecunque Opus, cumulatis SERENITATIS VESTRÆ *ſtimulis provocatum, in lucem provolâſſe de prelo. Cùm enim hiſce Concionibus olim gratioſiſſimas aures præberet, & ordinarijs meis Auditorijs ſuos religioſiſſimos ſplendores, velut Mitratum Eccleſiæ Friſingenſis Caput adjiceret, ad magnam quidem totius Venerabilis Cleri & Chriſtiani populi ædificationem, tuendam verò Divini Verbi authoritatem; ijs profectò Suis Sereniſsimis audientijs huic Ornithologiæ alas & pennas addidit urgens præſentia Turni: pennas quidem, ut has mihi aptarem ad velociter ſcribendas iſtas Conciones; alas autem, quas ipſæ Conciones ſibi adſciſcerent ad perniciter volandum, & celebrandam* SERENITATIS VESTRÆ *Famam, ſibi Religione & Pietate partam.*

De ambitioſorum paucis, Hannone & Apſepha, volentibus celebrare nomen ſuum ſuper terram, referunt Hiſtoriæ; quòd plurimos Pſittacos apto loco educatos faſtidioſis exercitationibus illud præcisè docuerint pronuntiare, quod cujuſque Nominis claritatem arrogantiſsimè illuſtraret; nempe Magnus Deus Apſephas, Hannon potens Deus. *Cúmque Pſittacos ſic loqui inſtructos cæli libertate donâſſent, & hi quaquaverſum per Provincias ſubitò demigrâſſent, mirum eſt, quantis prodigijs hujuſmodi garriones ſuum Apſepham & Hannonem inter Deorum immortalium Canones referrent. Ego meis omnibus Avibus, magno hujus elementaris Cœli Ornithotrophio concluſis, illud inexhauſto conatu præcinens principaliter perſuaſi, quod tres nobiles Palæſtini, in ardentiſsimæ fornacis rore exultabundi, cum cæteris hortabantur:* Benedicite omnes Volucres cœli Dominum, *& eructate Conditoris veſtri ſapientiam, virtutem ac Majeſtatem.*

Deinde verò quàm vehementiſsimè conabar præcinere vocem laudis, quâ inter muſicos Avicularum choros Semper honos, Noménque tuum, SERENISSIME PRINCEPS, Pietáſque ſonarent. *Quid enimverò aliud poteram, dum conſideravi opera tua, Munificentiſsime Domine? dum Ampliſsimos tuos Epiſcopatus, ab antiquis oneribus frugaliter ſublevatos; dum erecta*

ædificia, præcelſo ſplendore magnifica; dum florentiſſima Viridaria, Hyblæis delicijs conſpicua; dum marmoream columnæ molem, in foro Friſingenſi Glorioſiſſimæ Deiparæ cultui conſecratam; dum inſuper erecta Altaria, fundatas Eccleſias, Religionis anathemata, Pietatis exercitia, liberalitatis argumenta, ſubditorum denique res auctas ac bene melioratas, venerabundus recolo ac gratulabundus expendo? Quid aliud poteram Religioſæ huiatis Conventûs noſtri Familiæ aſſertus Ego, & per aliquot annos Paternæ Tuæ Beneficentiæ copioſiſſimam affluentiam quotidie excipiens Friſingæ? ubi Eccleſia noſtra è cineribus reſuſcitata, & Conventus non ſolùm funditus reſtauratus, ſed etiam ad commodiores uſus redactus, TE, SERENISSIME PRINCEPS, *pro ſuo Munificentiſſimo Reparatore æternùm profitetur? Quid, inquam, aliud hiſce meis cæli Volucribus, tam articulatè loquentibus, & ad rememorandum tam ingenioſis tunc præcinere poteram, quando* de medio petrarum *Eccleſiaſticarum, hoc eſt, de tua Cathedra,* dabant voces; *quàm ut ab illis proclamarêris ubique,* ALBERTVS SIGISMVNDVS *cognomento* BENEFICVS?

Et his quidem cantilenis meritò juvat addere ponderoſam Sapientiſſimi Platonis Sententiam; juxta quam Optimus & graviſſimus quiſque ita omnem vitam ſuam inſtituit, ut felicem laudabilemque ſui memoriam ad poſteros tranſmittat. *Quot enimverò felices & laudabiles memorias ad poſteros tranſmiſit VESTRA SERENITAS? quot ſingularis Suæ Prudentiæ, generoſæ Magnificentiæ, & eximiæ Pietatis monumenta, ampliſſimis ſuis ac florentiſſimis Diœceſibus, totique Bavarico Solo erexit? Rexerat hactenus commiſſos ſibi Fidelium greges Paſtorali Vigilantiâ, dexteritate & laude: aluerat liberalibus diſciplinis deditos Juvenes, paternâ miſeratione & acclamatione: inſigniverat paſſim Altaria ornamentis Bavaro-Friſingenſibus, demonſtrantibus ſuum Authorem, perenni exemplo & ædificatione: congeſſerat pretioſos theſauros, principe largitione dignos, in præcipuas Patriæ Pere-*

re-

regrinationes, magnæ Cælorum Reginæ ſacras, ſplendido & artificioſo apparatu: redemerat ſuos Epiſcopatus ab alieno ære, noviſque proventibus auxerat, laborioſâ induſtriâ & melioratione: ampliaverat Epiſcopales Sedes & Ædes novis fabricis atque palatijs, magnificâ operoſitate ac opportunitate: inſtruxerat Cathedrales Eccleſias argenteis atque aureis ornamentis, profuſâ devotione: egerat pupillorum & pauperum Patrem Clementiſſimum, Epiſcopali Condecentiâ & pietate: coluerat Religionem & Eccleſiæ Ritus, accuratâ obſervatione & ſanctimoniæ fructu: erexerat Monaſteria cum plauſu; reſtauraverat templa cum gloria: civitatem Friſingenſem novis ædificijs, hortis, marmoribus, delicijs, politijs & ornamentis, ad talem tantúmque redegerat ſplendorem, ut quaſcunque priores ætates gratioſa ſua novitate ſplendidóque apparatu longè ſuperaret, ſeipſâ ſpecioſior facta tot luminum acceſſu: effecerat denique in ſumma, ut Eidem ſe ſuáque deberent quàm plurimi, Ipſius verò apud omnes perennaret Sereniſſimum Nomen in glorioſa recordatione; qua comperirent boni animi in veritate, Quòd Optimus quiſque & graviſſimus ita omnem vitam ſuam inſtituat, ut felicem laudabilemque ſui memoriam ad poſteros tranſmittat.

Quibus omnibus argumentis honorificè expenſis, dum hanc præſentem meam Ornithologiam, pari ſubmiſſione & gratitudine, hoc eſt, utraque pientiſſima, tutelari SERENITATIS VESTRÆ Nomini ſubſcribo; duplex videor eidem ſubinſtruere Aucupium, unum ad capiendum Animum, alterum ad trahendam Animam. Optimum *quidem SERENITATIS VESTRÆ* Animum *Nos captum venerabimur, ut Religioſæ noſtræ Franciſcanæ Familiæ, ceu hactenus, ſemper affulgeat Clemens ad affectum, gratioſus ad medelam, benevolus ad opem, beneficus ad opus, & inclinatus ad protectionem: ita enim in ſupplicißimo gradu flagitamus.* Animam *verò Deiformem cæleſti Aucupi Chriſto conſignamus, irretiendam connodatis ſanitate diebus ac annis, beandam felicis ac tranquilli Regiminis ſolatio, coronandam ſero & ſancto epilogo, ac olim inter* volucres cæli *Spiritus referendam. Sic, ſic evadet jucundum, acceptabile & deſiderabile Aucupium meum; ac præſertim*

VESTRÆ SERENITATI non diſplicebit auſpicatum omen, me bonis, *imò* optimis Avibus *adveniſſe. Friſingæ ex Conventu noſtro, ſub titulo Sancti Patris Franciſci Stigmatizati erecto.*

Die 31. Maij. Anno. 1678.

Reverendiſsimi ac Sereniſsimi
Principis, ac Domini noſtri
Clementiſsimi

Submiſſiſſimus Capellanus

Fr. Fortunatus Hueber,
Ord. Min. S. Franciſci Reformatorum Provinciæ Bavariæ Miniſter Provincialis.

PRÆ-

PRÆFATIO

AD

BENEVOLUM ET ORNITHOLOGUM LECTOREM.

DVm publicæ luci atque utilitati MORALEM meam ORNITHOLOGIAM expono, reſtauraſſe aliqualiter videor ſtudium Ariſtotelis, ſummi in omni naturali cognitione Philoſophi; qui teſtante *Plinio l. 8 c. 16.* ex diſpoſitione Alexandri Magni, cupiditate animalium naturas cognoſcendi maximoperè flagrantis, aliquot hominum millia in totius Aſiæ & Græciæ tractu comparere juſſa, ſolerter applicavit, ut aucupando, venando, piſcando, in vivarijs, piſcinis, paſcuis, armentis, alvearijs, aviarijs, ſylvarum receſſibus, montium jugis, retium areis, animantia omnia, quà volatilia, quà quadrupedia, quà ſerpentina & natantia, quà amphibia, ſui juris facerent: *ne quid uſquam gentium ignoraretur ab eo, qui percunctando quinquaginta fermè volumina illa præclara de animalibus condidit.*

Ornithologiam pro nunc ſolam, ſuis alatam pennis, criſtatam plumis, accipe, Benevole Lector; & eâ benè, optimè utere ad capiendas & convertendas Animas, pretioſo Chriſti Sanguine redemptas, tanquam *Volatilia pennata*, cælo nata. Sub tempore, ſi Superis placeat, etiam *Zoologia* de Quadrupedibus, & *Ichtiologia* de Piſcibus, pari methodo & typo publicandæ, tuum venandi vel piſcandi Apoſtolicum Zelum exſaturabunt. Nec, humaniſſimè velim, hæc mea religioſæ & monaſticæ Profeſſioni indecora, aut corripienda videatur tractatio; quando pleriſque ex Seraphico noſtro Ordine Sanctis Dei Amicis, cum Volatilibus cæli *jucunda decoráque* ſupremi Numinis *collaudatio* ad animi conſolationem, & perfectionem virtutum frequenter profecit. Reperitur in ſylvis, in condenſis arborum ramis, inter cæli Volucres, quod anguſta Scholarum Pulpita, ad inſtruendos in vitiorum vel virtutum genere mores, ſubinde omnino dolent eſſe alienum. Sed & Sacræ Scripturæ ſylvas aperiunt campóſque patentiſſimos, quibus paſſim Deus oblationes, mores, curas & parabolas Avium energicè expoſuit, ac myſteria magna concluſit, laborioſo Eccleſiaſti enucleatim diſquirenda. Imò jucundiſſimum pariter ac ſaluberrimum eſt, ex Chriſti mandato,

dato, *reſpicere Volatilia cæli*, atque ab accuratâ eorum obſervatione ad ineffabilium Divinorum Chariſmatum dona & cognitionem pientiſſimè evolare.

Curioſâ quidem & inſaturabili indagatione perſcrutaberis meas Aves, quas accommodatis conceptibus vigilanter prehendi: ſed verò invenies eas pariter in tali Ornithotrophio diſpoſitas, in quali facillimis nutriantur impenſis, teneantur illicimentis. Plato etenim in Theæteto concinnè ait, ſcientias eſſe Aves. *In quâlibet Animâ*, prout is philoſophatur, *Aviarium omnis generis Avium fabricemus. LOCO AVIUM INTELLIGAMUS SCIENTIAS. Et quisquis ſcientiam nactus hoc coërcuit ambitu, cùmque in Aviario incluſerit, poſſe quoties velit capere, & habere quælibet ad votum, & rurſum dimittere dicamus.* Sic & ego qualeſcunque meos conceptus non caveis ferrato cheleumate cancellatis velim teneri, ſed piâ & ſtudioſâ Animâ: quæ pro Platonico Aviario ſerviat ad concludendas omnis generis ſcientias, ad excitandos ſelectiſſimos affectus, ad congerenda ſaluberrima documenta, ceu *volatilia pennata*.

Nec ſolæ ſunt Aves, quas Aldrovandus, Iſidorus, Plinius, Olaus, Geſnerus, Berchorius, Nierenbergius, Solinus, aliiq; celebriores Ornithologi ſuis ſcriptis & obſervationibus ſubminiſtrârunt, aut ex Ariſtotele alienârunt: alioquin ſi ſolæ eſſent, aut in ſolis naturalibus circumſcriptæ permanerent, Chriſtianæ eruditioni & ſalutari Fidelium ædificationi haud quicquam conducerent. Omnes ſunt odorifero fragore redolentes cum *pennis* columbæ *deargentatis*, ut etiam alias Aviculas in ſui ſocietatem & imitationem trahant. Nempe hoc Animarum Aucupi plurimùm importare videtur, ut Aves illices exponat, in ſuis viſcatis perticis & retiatis areolis; quarum cantu invitatæ reliquæ tantò proclivius irruant in parata tendibula, futuræ Eccleſiaſtica præda *aucupantis*.

Hinc ſacer Orator innumeros excogitat modos, quibus Chriſtianam doctrinam ex Canonicis Scripturis, Patribus & Doctoribus, ſcientijs & artibus, ſuo Auditorio exponat ſuavem, delicatam, ſale & aromatibus conditam, fructuoſam, nutritivam, acceptabilem, pharmaceuticam: hinc tot metaphoræ, eloquentiæ tropi, materiarum inventiones, propoſitionum varietates, thematum amplificationes, favi verborum, affectuum impulſus, ſententiarum applicationes, dilemmatum cornua, problematum nervi, actionum vivacitates, ſuſpenſiones, exclamationes: quibus omnibus ſimul, vel diviſim adductis in ſuggeſtum, Auditoris Anima tandem ſuaviter illaqueata, & delicatè ineſcata, cum gemebundo Threniſta c. 3. v. 52. profiteatur, *ceperunt me quaſi Avem*, ut audirem vocem Domini, & dignos pœnitentiæ fructus agerem, totóque corde à peſſimis peccatorum vijs ad Ter Optimum Deum meum converſa ſuſpirarem. Prout in fronte vides, Animam ſub reti expreſſam, & à Chriſto Aucupe tam nobili prædæ inſidiante deprehenſam, figuratim deſignare.

Porro

Porro Aves cœli in concionem vocavi per ſingulos diſcurſus, ut homines vanitati ſimiles factos (Auditores meos indifferenter quoscunque auſcultaturos) *qui* in rebus tranſitorijs tanquam *in Avibus cæli ludunt*, vel à ludicris ad ſeria diverterem, vel à morum obſcuritate, vitiorúmque obſcœnitate extraherem, & ad pulcherrimarum virtutum ſtudia inclinarem; atque à *volatilibus* & fugitivis hujusce mundi vanitatibus, ineptijs, fallacijs, erroribus, ad perennatura cœleſtis Beatitudinis gaudia ardentiſſimè invitarem, Aligerorum Spirituum grarioſus Coryphæus. Præſtat nempe, à *Volucribus cæli* pennas, alas & plumas mutuare, ut à caducis ad perennia, à fucaris ad ſincera, à terrenis ad cœleſtia evolare lubeat immortali Animæ, alioquin ſub gravante humanæ corruptibilitatis mole fatiſcenti.

Si inventionem ſpectes, tametſi nemo facilè meliorum ac fœcundiorum Divini Verbi Oratorum ſe prodat, qui non ex Avium naturis, proprietatibus aut obſervationibus, ad genus morum, in unâ & alterâ accommodatione inferendum, ſibi pulchram terſámque coaptaverit viam, aut ſubinde (prout ampliſſima patet de rebus omnibus diſſerendi facultas) elegantioribus Altilium criſtis ſuos ingenioſos partus exornârit: meis tamen oculis hucusque obverſatus eſt nemo, qui per omnes totius Anni dies Feſtos & Dominicos, continuâ ſerie, aliam & aliam *Volatilium* ſpeciem ſuis Concionibus accommodaret, & exorta earum capita, humeros ac lumbos, ſingulariter plumarũ ornatu, ad ſpecioſum & imitatione ſuâ Indicum inſigniret apparatum.

Vnde ſi quid novi mea conferat Ornithologia, vacat periculo amabilior labor, ne cum alijs commirrarur & dicarur regerere jam viſa, non absque nauſeâ & faſtidio Lectorum, quos ejusmodi crambis repoſitio fatigat, ac ad nauſeandum emovet. Jucundum eſt humano ingenio, primam in aliquod argumentum collocare operam: cùm enim ejus finita ſit capaciras, facilè eveniet, ut exhauſtâ & conſumptâ per antecedentes Authores venâ metallicâ, tellus duntaxat pro optatâ materiâ eruatur, vel inutili refoſſione idem ſolum ſollicitetur: quod primo inventori non contigit; qui vel ob id etiam feliciore ſorte dignus videtur, ut *Seneca Ep. 79.* contendit, *quòd in labores aliorum non introierit.* Amabilior eſt Scriptori prima alicujus argumenti tractatio, & velut acceſſus ad terram virginem priùs intactam (ut Tertullianus appellavit) terrâm nullo antea vomere ſciſſam, aut aratro vel ligone ſubactam, ex qua Deus *primum Hominem* figulavit.

Quòd ſi verò præceſſerit, qui ſimile Moralis Ornithologiæ argumentum publicâ editione fuerit aggreſſus, exinde tamen non deijcitur generoſus animus, quominus ex ingenio ſuo aliquid eruat, & novam lucem vetuſtate vel indiſpoſitione obſcuratis rebus conſpergat. Perutile etiam eſſe poteſt, alios venire ad eandem mate-

riam elaborandam vel perficiendam; nec ita deſpicere ingenia poſtetorum, quaſi jam laſſa & effœta Natura nihil ultra parturiret laudabile, aut proficuum; quod Plinius Junior lib. 6. Ep. 2. vetabat arbitrari.

Methodum ſervavi talem, quæ orationem ſuam ita membris diſtinguat, certíſque ſuis ſpatijs definiat, ut converſiones habeat abſolutas, & verborum numeroſè cadentium concinnitate aures impleat audientium, animúmque artificioſâ ſententiarum circumſcriptione reficiat. Habes in omnibus fermè Concionibus æquali ordine diſtributam materiam: ſynopſin totius rei dicendæ, vel perſvadendæ ab initio; deinde exordium à quodam oſcine vel inoſcine cœli Muſico auſpicatum: tum progreſſum ad argumenti deductionem per puncta marginalia, ſuis numeris tam accuratè diſtincta ac ritè diſpoſita, ut localem dicentis memoriam ſine interturbatione aut difficultate dirigant; ita verò etiam ſuâ amplitudine copioſa, ut fermè quodlibet eorum ſufficere poſſit ad juſtam exhortationem, præſertim ſi Orator tardioris fuerit prolocutionis, aut expeditoris amplificationis.

Nec opus erit, ut qui imitari ſatagit, ſingula totius alicujus Concionis puncta profundat: nam quæ mihi ad dicendum materia pro juſto horæ ſpatio ſufficeret, tibi fortè ad duas vel ultra horas excurreret. Quare Lectori ſtudioſo relinquitur *prudens combinatio*, ex inſtructiſſimo Penu collineanda. Marginale compendium ſtomachum conciliabit faſtidienti multam lectionem, & ſolerter aſſiſtens latinitas: quæ, ſi arbitrij tui ſententiam feras, nec culinaria eſt, nec Plautiniana, ſed fluida & aperta. & qualem eruditus Lector poſſet ad jucunditatem affectare. Quales verò ſint conceptus, an ſubtiles, ingenioſi, ſublimes, triviales, lepidi, inſulſi vel ſale conditi, angulares, regulares, irregulares, obvij, manci, proportionati, accommodi, impertinentes, boni vel inſipidi, Benigno Lectoris committo judicio; illud duntaxat attexens, me viriliter ac indefeſsè cooperatum eſſe *Gratia Dei, qua data eſt mihi*, in ædificationem & ſalutem.

Authores, quêis hoc toto in Opere fui uſus, in elenchum adducere profectò non potui, nec proficuum judicavi: conſule marginem, quæ citationes allatas & ſibi aſſertas fideliter exponit. Primarius Author mihi Deus eſt Ter Opt. Maximus, & Vnigenitus Dei Filius, in affectuoſa Crucifixi ſpecie mihi objectus ad meditandum. Verbum Dei, in utroque Teſtamento Eccleſiæ Fidelium canonicè revelatum, omnem aliam ſuperat authoritatem, cui proinde quàm ſubmiſſiſſimè & veraciſſimè ſubſcribo. Pleroſq; autem SS. Patres, Doctores, Theologos, Hiſtoricos, Philoſophos, & ſi quos alios Tributarios occaſio applicuit, ad manum habens voluo, revolvo; ut velut Apis argumentoſa ex eorum floribus dulciſſimum mel, ac liquidiſſimam

mam ceram colligam, tuis oculis illuminandis, ac labijs mulciendis. Quare ne unquam mea fides tibi claudicare videatur, authoritate gravium Doctorum erectus ubique incedo. Nec tantæ ſubſcribo arrogantiæ, ut velim videri mihi ſoli propriâ fœcunditate ſufficere, nec aliorum indigere præparatorijs ſuppeditamentis ad farciendas ferculorum meorum confecturas; quin potiùs ultrò fatear, me titulo religioſæ ac mendicæ profeſſionis meæ, oſtiatim pulſare ad fores, etiam unius diei operariorum, ut emendicato probatæ monetæ obulo ad juſtum pretium redigam Opus, à bono genio delineatum.

Facit ad rem Gloſſa celebris ad *L. Gallus. ff. de libris & poſthumis. v. ſi filius.* Quantò *Iuniores*, tantò perſpicaciores: intelligendo per Juniores *Recentiores, qui tamen ſcripta Antiquorum revoluerint*; ut Iaſon limitat ad dictam *L. Gallus, initio. num. 51.* Et Navarrus Miſcella. 47. de orat. *Revoluiſſe porrò intelliguntur, non ut ea nudè tranſcriberent, ſed ut in ſuas commentationes, perſcrutationes, ac inventiones inædificarent.* Alioquin ut Seraphicus noſter Bonaventura in Prologo Sent. q. 4. optimè diſſerit, ille Scriptor non eſſet *Author*, ſed *Compilator*; & Vetuſtas, quâ niteretur, faſtidioſa eſſet ac fructûs expers. Ille quippe ſolus, juxta citatum Doctorem, meretur *Author* audire, qui ſcribit ſua & aliena; ſua, tanquam principalia; aliena, tanquam annexa ad confirmationem. *Iuniores* ergo, qui Veterum ſcripta revoluerunt & evoluerunt, non ſunt habendi deſpicatui, quia Iuniores. [*Modernos laudo Doctores*, ait Alcuinus parte 3. ſuæ Confeſſionis cap. 40. *& eorum ſcripta libenter lectito, qui dum Antiquorum dicta revolunt, ex multorum lectione, radicem veritatis rimando inveniunt. Quantò enim ſunt IVNIORES, tantò perſpicaciores, & eò magis florent ingenio, quò de pluribus fontibus hauſerunt.*]

Diu tergiverſabar, alatis hiſce meis Concionibus in publicum provolare: ſvadebant tamen amici, pluribus rationibus me inducendo, ut Iuris publici per typum facerem, quod aliquando de Suggeſtu præcipuo, in Cathedrali Eccleſiâ, delectabiliter, penetrabiliter & fructuosè exponebatur. Nempe facilè intervenire invidioſam optimis conatibus mortem, quæ ſecum particularia ſcripta inferat diſſipatione; nec permittat facilè poſthumo partu imprimi, quæ vivens Author non ipſemet ſuâ dexteritate typo expedierit. Majoris inſuper & longè amplioris eſſe meriti atq; emolumenti, poſteritati conſulere, atq; etiam vel poſt mortem Divini eloquij fluenta per Volatilem ſtylum, qui ſit *calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, liberaliter communicare. Inſuper contra Volatilium naturam currere, arctis caveis ſquallere incluſa: ea non admodum jucunda vel ſpecioſa videri, neque adeò ſonora, niſi in *magno* literarij mundi *Ornithotrophio* liberè emiſſa, in omniū arborū ramis aut pulpitorū lignis indifferenter poſſint conſidere. Aliqui vel ex tali capite ratam ju-

dicabant publicationem; quòd juxta ſeniorem Plinium, relatum à Juniore *l. 3. c. 5.* non ſit opus tam exile, quod non aliquâ parte poſſit prodeſſe: proinde apophtegma Varronis, ſcitè, æquè ac verè prolatum *l. 6. de ling. lat.* probari. *In bona ſegete neque nullum eſt ſpicum nequam, nec in malâ non aliquid bonum.* Nolo, objiciebam cuipiam ſvadenti amico, res meas volatiles & leves graviſſimo Eccleſiaſticorum virorum judicio aut diſquiſitioni concredere ad cenſuræ periculum: ſed ille mox joco modeſtiſſimo me repulit, utens D. Auguſtini conſilio: *ſi levis es, ad cœlum evola.* Et alio programmate: *Si volare potes, nemo te facilè deprehendet.*

Fuit non nemo, qui ex Philotheo Conſtantinopolitano *orat. de Triade Theologorum ferè in fine*, obſervaret, Librum eſſe conditorium ſeu ſepulchrum animæ Authoris demortui: ergo lepidè conſuluit, ut per editionem meæ *Moralis Ornithologiæ* locum animæ meæ diſponerem ad quietem: proinde hoc ſepulchrum futurum tantò benignius, quantò mollius vel ipſæ *cœli volucres* ſuas plumas eidem ſubſtraverint. Nec defuit, qui cum S. Gregorio Neocæſarienſi Iconomachorum cauſam agente, in *VII. Synodo actione 6.* vocaret Libros, *imagines ſcriptoris.* Heus tu! inquit, quàm bellè Authoris imago ex ſuâ Morali Ornithologiâ relucebit? Acceptavi ergo has & alias rationes, quibus perſvaſus decrevi labores & conatus meos, ut eſſent boni, publico typo omnibus communicandos.

Obſervabis fortaſſe, me per præſentes conciones in vitijs carpendis, removendis exceſſibus, defectibus reficiendis, exorbitantijs coæquandis, ſcandalis eliminandis, eſſe admodum parcum, ſobriũ, tenuem, periphericũ, imò (quod Superis placet) formidoloſum: hoc autem à ſacro Oratore longè deberet abeſſe, utpote cui Deus frontem, *ut adamantem & ſilicem*, dedit ad fortiter reſiſtendum iniquis, & pro Dei gloriâ pugnandum; linguam inſuper ut falcem & vomerem, qua Eccleſiaſtes ædificet & deſtruat, plantet & diſſipet. Sed ohi me! magno zelo opus eſt in Verbo Dei annuntiando; at verò æquè magna prudentia atque diſcretio adhibenda Prædicatori, ne conatibus ſuis potiùs officiat quàm proficiat. Viator pallium, navarchus vela, miles faciem advertit vento, quidni faciat Eccleſiaſtes ſuo Auditorio? Quale cùm mihi triplex auſcultârit, *Aulicum, Eccleſiaſticum & Civicum*, neutri non ſatisfacere oportebat, ita moderatè aſſumendo & agitando dicendi materias, ut pro cujusque qualitate & conditione, alternis diſtributionibus, documenta ſalutis, ſvaviter ſimul ac animosè inſtillarem.

Et ut accuratiùs me intelligas: præſtat ſubinde vitia parum nota ſilentio diſſimulare, quàm publicis buccinationibus ea in aciem provocare: ſubinde Auditorium Chriſtianâ converſatione probatum graves increpationes non promeretur; frequenter immorigera correptio cedit ad deſtructionem potiùs, quàm ad ædificationem; aliquoties moleſtum

leſtum foret, pias aut delicatas aures frequentioribus aut vehementioribus invectivis vellicare. Magnatum & Eccleſiaſticorum virorum maculas digito monſtrare, periculoſiſſimum eſt; illis enim potentia, his verò Sacri Canones patrocinantur. Publica ſcandala vel maximè quidem oppugnanda ſunt cordato Eccleſiaſti, ita tamen, ut in tollendis malis talibus circumſpectiſſimè ſe gerat, & potiùs ſolertem agat Chirurgum, qui exulceratis plagis plus olei quàm vini infundit. Vbi ſacer Orator non ſolùm non poteſt prudenter ſperare fructum, ſed inſuper etiam timere debet animorum averſionem, Auditorum indignationem, judiciorum abſynthium, affectuum amaritudinem, & propriæ æſtimationis contemptum, conſultiſſimè utetur Sanctorum panegyris, virtutum laudibus, & melleâ honeſtiſſimorum morum perſvaſione. Vitia ſunt interpolatim perſtringenda, non productioribus criſibus excorianda, ne alioquin acrimonia in Auditorem & jam reum ſæviat dolore intolerabili.

Quadrat inſuper præſtantiſſima hujus argumenti proſecutio à Theophilo Raynaudo Soc. IESV, incomparabili Authore, allata *in proloquio ad ſobriam frequentationem mulierum per ſacros homines, ſub tomo de Miſcellis Sacris*: ubi inter alia notabiliſſimè obſervat ſequentia. [Nimirum muli ſcabioſi ad leviculam à ſtrigili ſuccuſſionem cohorreſcunt; & illiſis calcibus, aut etiam dentibus, quàm aſperum ſibi accidat defricari, teſtatum faciunt.] De ſeipſo itidem Alvarus Pelagius Ordinis Minorum, in curandis hominum morbis creber ac perſtudioſus, ingenuè profeſſus eſt, carò ſtetiſſe amorem veritatis, & quòd renuiſſet eam detinere in injuſtitia, ut ſanè non detinuit; prout conſtat ex ejus opere de Planctu Eccleſiæ. Ejus de ſe hæc eſt oratio. l. 2. c. 2. [Ad literam hodie verbum Ieremiæ c. 6. completur. *Ecce Verbum Domini factum eſt eis in opprobrium, & non ſuſcipiunt illud*: quia correctionem & increpationem quantumvis generaliter prædicatam, reputant vituperationem, & pro ſe dictam unuſquiſque (maximè Prælatorum) accipit. Vnde non invenitur, qui præ timore pronuntiare audeat veritatem. Quod ſi dixerit, perſecutiones & tribulationes, ne dum ab alijs, ſed etiam præcipuè à ſuis Fratribus ſuſtinebit; ſicut ego in meipſo frequenter fui expertus.] Sileni Alcibiadis Paroemiaſtis in Adagijs excuſatio ad indignam parecbaſin, huc juſtiùs valebit. [Neminem his offendi oportet, cùm nullius deſignetur nomen. Si quis hujuſmodi non eſt, nihil ad ſe pertinere cogitet: ſin agnoſcit ſuum malum, admonitum ſe putet. Ille ſibi gratuletur, hic mihi gratias agat.] Et ſanè in omni propoſito, in omni gradu & ſexu, & boni & mali reperiuntur; malorúmque condemnatio, laus bonorum eſt; ut ſapienter ait S. Hieronymus Ep. 2. ad hoc ipſum inſtitutum. Hucuſque Raynaudus. Nec addo plura, diſcernat quivis circumſpectus & zeloſus Eccleſiaſtes, an pro ſui Auditorij conditione opus ſit gladio Pauli, floribus Chry-

 ſoſto-

ædificia, præcelſo ſplendore magnifica; dum florentiſsima Viridaria, Hyblæis delicijs conſpicua; dum marmoream columnæ molem, in foro Friſingenſi Glorioſiſsimæ Deiparæ cultui conſecratam; dum inſuper erecta Altaria, fundatas Eccleſias, Religionis anathemata, Pietatis exercitia, liberalitatis argumenta, ſubditorum denique res auctas ac bene melioratas, venerabundus recolo ac gratulabundus expendo? Quid aliud poteram Religioſæ huiatis Conventûs noſtri Familiæ aſſertus Ego, & per aliquot annos Paternæ Tuæ Beneficentiæ copioſiſsimam affluentiam quotidie excipiens Friſingæ? ubi Eccleſia noſtra è cineribus reſuſcitata, & Conventus non ſolùm funditus reſtauratus, ſed etiam ad commodiores uſus redactus, TE, SERENISSIME PRINCEPS, *pro ſuo Munificentiſſimo Reparatore æternùm profitetur? Quid, inquam, aliud hiſce meis cæli Volucribus, tam articulatè loquentibus, & ad rememorandum tam ingenioſis tunc præcinere poteram, quando* de medio petrarum *Eccleſiaſticarum, hoc eſt, de tua Cathedra,* dabant voces; *quàm ut ab illis proclamarêris ubique,* ALBERTVS SIGISMVNDVS *cognomento* BENEFICVS?

Et his quidem cantilenis meritò juvat addere ponderoſam Sapientiſſimi Platonis Sententiam; juxta quam Optimus & graviſſimus quiſque ita omnem vitam ſuam inſtituit, ut felicem laudabilemque ſui memoriam ad poſteros tranſmittat. *Quot enimverò felices & laudabiles memorias ad poſteros tranſmiſit VESTRA SERENITAS? quot ſingularis Suæ Prudentiæ, generoſæ Magnificentiæ, & eximiæ Pietatis monumenta, ampliſſimis ſuis ac florentiſſimis Diœceſibus, totique Bavarico Solo erexit? Rexerat hactenus commiſſos ſibi Fidelium greges Paſtorali Vigilantiâ, dexteritate & laude: aluerat liberalibus diſciplinis deditos Juvenes, paternâ miſeratione & acclamatione: inſigniverat paſſim Altaria ornamentis Bavaro-Friſingenſibus, demonſtrantibus ſuum Authorem, perenni exemplo & ædificatione: congeſſerat pretioſos theſauros, principe largitione dignos, in præcipuas Patriæ Pe-*

regrinationes, magnæ Cælorum Reginæ ſacras, ſplendido & artificioſo apparatu: redemerat ſuos Epiſcopatus ab alieno ære, noviſque proventibus auxerat, laborioſâ induſtriâ & melioratione: ampliaverat Epiſcopales Sedes & Ædes novis fabricis atque palatijs, magnificâ operoſitate ac opportunitate: inſtruxerat Cathedrales Eccleſias argenteis atque aureis ornamentis, profuſâ devotione: egerat pupillorum & pauperum Patrem Clementiſſimum, Epiſcopali Condecentiâ & pietate: coluerat Religionem & Eccleſiæ Ritus, accuratâ obſervatione & ſanctimoniæ fructu: erexerat Monaſteria cum plauſu; reſtauraverat templa cum gloria: civitatem Friſingenſem novis ædificijs, hortis, marmoribus, delicijs, politijs & ornamentis, ad talem tantúmque redegerat ſplendorem, ut quaſcunque priores ætates gratioſa ſua novitate ſplendidóque apparatu longè ſuperaret, ſeipſâ ſpecioſior facta tot luminum acceſſu: effecerat denique in ſumma, ut Eidem ſe ſuáque deberent quamplurimi, Ipſius verò apud omnes perennaret Sereniſſimum Nomen in glorioſa recordatione; qua comperirent boni animi in veritate, Quòd Optimus quiſque & graviſſimus ita omnem vitam ſuam inſtituat, ut felicem laudabilemque ſui memoriam ad poſteros tranſmittat.

Quibus omnibus argumentis honorificè expenſis, dum hanc præſentem meam Ornithologiam, pari ſubmiſſione & gratitudine, hoc eſt, utraque pientiſſima, tutelari SERENITATIS VESTRÆ Nomini ſubſcribo; duplex videor eidem ſubinſtruere Aucupium, unum ad capiendum Animum, alterum ad trahendam Animam. Optimum *quidem SERENITATIS VESTRÆ* Animum *Nos captum venerabimur, ut Religioſæ noſtræ Franciſcanæ Familiæ, ceu hactenus, ſemper affulgeat Clemens ad affectum, gratioſus ad medelam, benevolus ad opem, beneficus ad opus, & inclinatus ad protectionem: ita enim in ſupplicissimo gradu flagitamus.* Animam *verò Deiformem cæleſti Aucupi Chriſto conſignamus, irretiendam connodatis ſanitate diebus ac annis, beandam felicis ac tranquilli Regiminis ſolatio, coronandam ſero & ſancto epilogo, ac olim inter* volucres cæli *Spiritus referendam. Sic, ſic evadet jucundum, acceptabile & deſiderabile Aucupium meum; ac præſertim*

EPISTOLA DEDICATORIA.

VESTRÆ SERENITATI non diſplicebit auſpicatum omen, me bonis, *imò* optimis Avibus *adveniſſe. Friſingæ ex Conventu noſtro, ſub titulo Sancti Patris Franciſci Stigmatizati erecto.*

Die 31. Maij. Anno. 1678.

Reverendiſsimi ac Sereniſsimi
Principis, ac Domini noſtri
Clementiſsimi

Submiſsiſsimus Capellanus

Fr. Fortunatus Hueber,
Ord. Min. S. Franciſci Reformatorum Provinciæ Bavariæ Miniſter Provincialis.

PRÆ-

PRÆFATIO

AD

BENEVOLUM ET ORNITHOLOGUM LECTOREM.

DVm publicæ luci atque utilitati MORALEM meam ORNITHOLOGIAM expono, reſtauràſſe aliqualiter videor ſtudium Ariſtotelis, ſummi in omni naturali cognitione Philoſophi; qui teſtante *Plinio l. 8 c. 16.* ex diſpoſitione Alexandri Magni, cupiditate animalium naturas cognoſcendi maximoperè flagrantis, aliquot hominum millia in totius Aſiæ & Græciæ tractu comparere juſſa, ſolerter applicavit, ut aucupando, venando, piſcando, in vivarijs, piſcinis, paſcuis, armentis, alvearijs, aviarijs, ſylvarum receſſibus, montium jugis, retium areis, animantia omnia, quà volatilia, quà quadrupedia, quà ſerpentina & natantia, quà amphibia, ſui juris facerent: *ne quid uſquam gentium ignoraretur ab eo, qui percunctando quinquaginta fermè volumina illa præclara de animalibus condidit.*

Ornithologiam pro nunc ſolam, ſuis alatam pennis, criſtatam plumis, accipe, Benevole Lector; & eâ benè, optimè utere ad capiendas & convertendas Animas, pretioſo Chriſti Sanguine redemptas, tanquam *Volatilia pennata*, cælo nata. Sub tempore, ſi Superis placeat, etiam *Zoologia* de Quadrupedibus, & *Ichtiologia* de Piſcibus, pari methodo & typo publicandæ, tuum venandi vel piſcandi Apoſtolicum Zelum exſaturabunt. Nec, humaniſſimè velim, hæc mea religioſæ & monaſticæ Profeſſioni indecora, aut corripienda videatur tractatio; quando plerisque ex Seraphico noſtro Ordine Sanctis Dei Amicis, cum Volatilibus cæli *jucunda decoráque* ſupremi Numinis *collaudatio* ad animi conſolationem, & perfectionem virtutum frequenter profecit. Reperitur in ſylvis, in condenſis arborum ramis, inter cæli Volucres, quod anguſta Scholarum Pulpita, ad inſtruendos in vitiorum vel virtutum genere mores, ſubinde omnino dolent eſſe alienum. Sed & Sacræ Scripturæ ſylvas aperiunt campóſque patentiſſimos, quibus paſſim Deus oblationes, mores, curas & parabolas Avium energicè expoſuit, ac myſteria magna concluſit, laborioſo Eccleſiaſti enucleatim diſquirenda. Imò jucundiſſimum pariter ac ſaluberrimum eſt, ex Chriſti man-

Digitized by Google

dato, *reſpicere Volatilia cœli*, atque ab accuratâ eorum obſervatione ad ineffabilium Divinorum Chariſmatum dona & cognitionem pientiſſimè evolare.

Curioſâ quidem & inſaturabili indagatione perſcrutaberis meas Aves, quas accommodatis conceptibus vigilanter prehendi: ſed verò invenies eas pariter in tali Ornithotrophio diſpoſitas, in quali facillimis nutriantur impenſis, teneantur illicimentis. Plato etenim in Theæreto concinnè ait, ſcientias eſſe Aves. *In quâlibet Animâ*, prout is philoſophatur, *Aviarium omnis generis Avium fabricemus. LOCO AVIUM* • *INTELLIGAMUS SCIENTIAS. Et quisquis ſcientiam nactus hoc coërcuit ambitu, cùmque in Aviario incluſerit, poſſe quoties velit capere, & habere quælibet ad votum, & rurſum dimittere dicamus.* Sic & ego qualeſcunque meos conceptus non caveis ferrato cheleumate cancellatis velim teneri, ſed piâ & ſtudioſâ Animâ: quæ pro Platonico Aviario ſerviat ad concludendas omnis generis ſcientias, ad excitandos ſelectiſſimos affectus, ad congerenda ſaluberrima documenta, ceu *volatilia pennata*.

Nec ſolæ ſunt Aves, quas Aldrovandus, Iſidorus, Plinius, Olaus, Geſnerus, Berchorius, Nierenbergius, Solinus, aliiq; celebriores Ornithologi ſuis ſcriptis & obſervationibus ſubminiſtrârunt, aut ex Ariſtotele alienârunt: alioquin ſi ſolæ eſſent, aut in ſolis naturalibus circumſcriptæ permanerent, Chriſtianæ eruditioni & ſalutari Fidelium ædificationi haud quicquam conducerent. Omnes ſunt odorifero fragore redolentes cum *pennis* columbæ *deargentatis*, ut etiam alias Aviculas in ſui ſocietatem & imitationem trahant. Nempe hoc Animarum Aucupi plurimùm importare videtur, ut Aves illices exponat, in ſuis viſcatis perticis & retiatis areolis; quarum cantu invitatæ reliquæ tantò proclivius irruant in parata tendibula, futuræ Eccleſiaſtica præda *aucupantis*.

Hinc ſacer Orator innumeros excogitat modos, quibus Chriſtianam doctrinam ex Canonicis Scripturis, Patribus & Doctoribus, ſcientijs & artibus, ſuo Auditorio exponat ſuavem, delicatam, ſale & aromatibus condîtam, fructuoſam, nutritivam, acceptabilem, pharmaceuticam: hinc tot metaphoræ, eloquentiæ tropi, materiarum inventiones, propoſitionum varietates, thematum amplificationes, favi verborum, affectuum impulſus, ſententiarum applicationes, dilemmatum cornua, problematum nervi, actionum vivacitates, ſuſpenſiones, exclamationes: quibus omnibus ſimul, vel diviſim adductis in ſuggeſtum, Auditoris Anima tandem ſuaviter illaqueata, & delicatè ineſcata, cum gemebundo Threniſta c. 3. v. 52. profiteatur, *ceperunt me quaſi Avem*, ut audirem vocem Domini, & dignos pœnitentiæ fructus agerem, totóque corde à peſſimis peccatorum vijs ad Ter Optimum Deum meum converſa ſuſpirarem. Prout in fronte vides, Animam ſub reti expreſſam, & à Chriſto Aucupe tam nobili prædæ inſidiante deprehenſam, figuratim deſignare.

Porro

Porro Aves cœli in concionem vocavi per ſingulos diſcurſus, ut homines vanitati ſimiles factos (Auditores meos indifferenter quoscunque auſcultaturos) *qui* in rebus tranſitorijs tanquam *in Avibus cœli ludunt*, vel à ludicris ad ſeria diverterem, vel à morum obſcuritate, vitiorúmque obſcœnitate extraherem, & ad pulcherrimarum virtutum ſtudia inclinarem; atque à *volatilibus* & fugitivis hujuſce mundi vanitatibus, ineptijs, fallacijs, erroribus, ad perennatura cœleſtis Beatitudinis gaudia ardentiſſimè invitarem, Aligerorum Spirituum gratioſus Coryphæus. Præſtat nempe, à *Volucribus cœli* pennas, alas & plumas mutuare, ut à caducis ad perennia, à fucatis ad ſincera, à terrenis ad cœleſtia evolare lubeat immortali Animæ, alioquin ſub gravante humanæ corruptibilitatis mole fatiſcenti.

Si inventionem ſpectes, tametſi nemo facilè meliorum ac fœcundiorum Divini Verbi Oratorum ſe prodat, qui non ex Avium naturis, proprietatibus aut obſervationibus, ad genus morum, in unâ & alterâ accommodatione inferendum, ſibi pulchram terſámque coaptaverit viam, aut ſubinde (prout ampliſſima patet de rebus omnibus diſſerendi facultas) elegantioribus Altilium criſtis ſuos ingenioſos partus exornârit: meis tamen oculis hucusque obverſatus eſt nemo, qui per omnes totius Anni dies Feſtos & Dominicos, continuâ ſerie, aliam & aliam *Volatilium* ſpeciem ſuis Concionibus accommodaret, & exorta earum capita, humeros ac lumbos, ſingulariter plumarũ ornatu, ad ſpecioſum & imitatione ſuâ Indicum inſigniret apparatum.

Vnde ſi quid novi mea conferat Ornithologia, vacat periculo amabilior labor, ne cum alijs committatur & dicatur regerere jam viſa, non abſque nauſeâ & faſtidio Lectorum, quos ejusmodi crambis repoſitio fatigat, ac ad nauſeandum emovet. Jucundum eſt humano ingenio, primam in aliquod argumentum collocare operam: cùm enim ejus finita ſit capacitas, facilè eveniet, ut exhauſtâ & conſumptâ per antecedentes Authores venâ metallicâ, tellus duntaxat pro optatâ materiâ eruatur, vel inutili refoſſione idem ſolum ſollicitetur: quod primo inventori non contigit; qui vel ob id etiam felicίore ſorte dignus videtur, ut *Seneca Ep. 79.* contendit, *quòd in labores aliorum non introierit.* Amabilior eſt Scriptori prima alicujus argumenti tractatio, & velut acceſſus ad terram virginem priùs intactam (ut Tertullianus appellavit) terrâm nullo antea vomere ſciſſam, aut aratro vel ligone ſubactam, ex qua Deus *primum Hominem* figulavit.

Quòd ſi verò præceſſerit, qui ſimile Moralis Ornithologiæ argumentum publicâ editione fuerit aggreſſus, exinde tamen non deijcitur generoſus animus, quominus ex ingenio ſuo aliquid eruat, & novam lucem vetuſtate vel indiſpoſitione obſcuratis rebus conſpergat. Perutile etiam eſſe poteſt, alios venire ad eandem mate-

riam elaborandam vel perficiendam; nec ita deſpicere ingenia poſterorum, quaſi jam laſſa & effœta Natura nihil ultra parturiret laudabile, aut proficuum; quod Plinius Junior lib. 6. Ep. 2. vetabat arbitrari.

Methodum ſervavi talem, quæ orationem ſuam ita membris diſtinguat, certíſque ſuis ſpatijs definiat, ut converſiones habeat abſolutas, & verborum numeroſè cadentium concinnitate aures impleat audientium, animúmque artificioſâ ſententiarum circumſcriptione reficiat. Habes in omnibus fermè Concionibus æquali ordine diſtributam materiam: ſynopſin totius rei dicendæ, vel perſvadendæ ab initio; deinde exordium à quodam oſcine vel inoſcine cœli Muſico auſpicatum: tum progreſſum ad argumenti deductionem per puncta marginalia, ſuis numeris tam accuratè diſtincta ac ritè diſpoſita, ut localem dicentis memoriam ſine interturbatione aut difficultate dirigant; ita verò etiam ſuâ amplitudine copioſa, ut ferme quodlibet eorum ſufficere poſſit ad juſtam exhortationem, præſertim ſi Orator tardioris fuerit prolocutionis, aut expeditoris amplificationis.

Nec opus erit, ut qui imitari ſatagit, ſingula totius alicujus Concionis puncta profundat: nam quæ mihi ad dicendum materia pro juſto horæ ſpatio ſufficeret, tibi fortè ad duas vel ultra horas excurreret. Quare Lectori ſtudioſo relinquitur *prudens combinatio*, ex inſtructiſſimo Penu collineanda. Marginale compendium ſtomachum conciliabit faſtidienti multam lectionem, & ſolerter aſſiſtens latinitas: quæ, ſi arbitrij tui ſententiam feras, nec culinaria eſt, nec Plautiniana, ſed fluida & aperta. & qualem eruditus Lector poſſet ad jucunditatem affectare. Quales verò ſint conceptus, an ſubtiles, ingenioſi, ſublimes, triviales, lepidi, inſulſi vel ſale conditi, angulares, regulares, irregulares, obvij, manci, proportionati, accommodi, impertinentes, boni vel inſipidi, Benigno Lectoris committo judicio; illud duntaxat attexens, me viriliter ac indefeſsè cooperatum eſſe *Gratia Dei, quæ data eſt mihi*, in ædificationem & ſalutem.

Authores, queîs hoc toto in Opere fui uſus, in elenchum adducere profectò non potui, nec proficuum judicavi: conſule marginem, quæ citationes allatas & ſibi aſſertas fideliter exponit. Primarius Author mihi Deus eſt Ter Opt. Maximus, & Vnigenitus Dei Filius, in affectuoſa Crucifixi ſpecie mihi objectus ad meditandum. Verbum Dei, in utroque Teſtamento Eccleſiæ Fidelium canonicè revelatum, omnem aliam ſuperat authoritatem, cui proinde quàm ſubmiſſiſſimè & veraciſſimè ſubſcribo. Pleroſq; autem SS. Patres, Doctores, Theologos, Hiſtoricos, Philoſophos, & ſi quos alios Tributarios occaſio applicuit, ad manum habens voluo, revolvo; ut velut Apis argumentoſa ex eorum floribus dulciſſimum mel, ac liquidiſſimam

mam ceram colligam, tuis oculis illuminandis, ac labijs mulciendis. Quare ne unquam mea fides tibi claudicare videatur, authoritate gravium Doctorum erectus ubique incedo. Nec tantæ ſubſcribo arrogantiæ, ut velim videri mihi ſoli propriâ fœcunditate ſufficere, nec aliorum indigere præparatorijs ſuppeditamentis ad farciendas ferculorum meorum confecturas; quin potiùs ultrò fatear, me titulo religioſæ ac mendicæ profeſſionis meæ, oſtiatim pulſare ad fores, etiam unius diei operariorum, ut emendicato probatæ moneræ obulo ad juſtum pretium redigam Opus, à bono genio delineatum.

Facit ad rem Gloſſa celebris ad *L. Gallus. ff. de libris & poſthumis. v. ſi filius.* Quantò *Iuniores*, tantò perſpicaciores: intelligendo per Iuniores *Recentiores, qui tamen ſcripta Antiquorum revoluerint*; ut Iaſon limitat ad dictam *L. Gallus, initio. num. 51.* Et Navarrus Miſcella. 47. de orat. *Revoluiſſe porro intelliguntur, non ut ea nudè tranſcriberent, ſed ut in ſuas commentationes, perſcrutationes, ac inventiones inædificarent.* Alioquin ut Seraphicus noſter Bonaventura in Prologo Sent. q. 4. optimè differit, ille Scriptor non eſſet *Author,* ſed *Compilator*; & Vetuſtas, quâ niteretur, faſtidioſa eſſet ac fructûs expers. Ille quippe ſolus, juxta citatum Doctorem, mereretur *Author* audire, qui ſcribit ſua & aliena; ſua, tanquam principalia; aliena, tanquam annexa ad confirmationem. *Iuniores* ergo, qui Veterum ſcripta revoluerunt & evoluerunt, non ſunt habendi deſpicatui, quia Iuniores. [*Modernos laudo Doctores*, ait Alcuinus parte 3. ſuæ Confeſſionis cap 40. *& eorum ſcripta libenter lectito, qui dum Antiquorum dicta revolunt, ex multorum lectione, radicem veritatis rimando inveniunt. Quantò enim ſunt IVNIORES, tantò perſpicaciores, & eò magis florent ingenio, quò de pluribus fontibus hauſerunt.*]

Diu tergiverſabar, alatis hiſce meis Concionibus in publicum provolare: ſvadebant tamen amici, pluribus rationibus me inducendo, ut Iuris publici per typum facerem, quod aliquando de Suggeſtu præcipuo, in Cathedrali Eccleſiâ, delectabiliter, penetrabiliter & fructuosè exponebatur. Nempe facilè intervenire invidioſam optimis conatibus mortem, quæ ſecum particularia ſcripta inferat diſſipatione; nec permittat facilè poſthumo partu imprimi, quæ vivens Author non ipſemet ſuâ dexteritate typo expedierit. Majoris inſuper & longè amplioris eſſe meriti atq; emolumenti, poſteritati conſulere, atq; etiam vel poſt mortem Divini eloquij fluenta per Volatilem ſtylum, qui ſit *calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, liberaliter communicare. Inſuper contra Volatilium naturam currere, arctis caveis ſquallere incluſa: ea non admodum jucunda vel ſpecioſa videri, neque adeò ſonora, niſi in *magno* literarij mundi *Ornithotrophio* liberè emiſſa, in omniũ arborũ ramis aut pulpitorũ lignis indifferenter poſſint conſidere. Aliqui vel ex tali capite raram ju-

dicabant publicationem; quòd juxta ſeniorem Plinium, relatum à Juniore *l.3.c.5.* non ſit opus tam exile, quod non aliquâ parte poſſit prodeſſe: proinde apophtegma Varronis, ſcitè, æquè ac verè prolatum *l.6.de ling. lat.* probari. *In bona ſegete neque nullum eſt ſpicum nequam, nec in malâ non aliquid bonum.* Nolo, obijciebam cuipiam ſvadenti amico, res meas volatiles & leves graviſſimo Eccleſiaſticorum virorum judicio aut diſquiſitioni concredere ad cenſuræ periculum: ſed ille mox joco modeſtiſſimo me repulit, utens D. Auguſtini conſilio: *ſi levis es, ad cælum evola.* Et alio programmate: *Si volare potes, nemo te facilè deprehendet.*

Fuit non nemo, qui ex Philotheo Conſtantinopolitano *orat. de Triade Theologorum ferè in fine,* obſervaret, Librum eſſe conditorium ſeu ſepulchrum animæ Authoris demortui: ergo lepidè conſuluit, ut per editionem meæ *Moralis Ornithologiæ* locum animæ meæ diſponerem ad quietem: proinde hoc ſepulchrum futurum tantò benignius, quantò mollius vel ipſæ *cæli volucres* ſuas plumas eidem ſubſtraverint. Nec defuit, qui cum S. Gregorio Neocæſarienſi Iconomachorum cauſam agente, in *VII. Synodo actione 6.* vocaret Libros, *imagines ſcriptoris.* Heus tu! inquit, quàm bellè Authoris imago ex ſuâ Morali Ornithologiâ relucebit? Acceptavi ergo has & alias rationes, quibus perſvaſus decrevi labores & conatus meos, ut eſſent boni, publico typo omnibus communicandos.

Obſervabis fortaſſe, me per præſentes conciones in vitijs carpendis, removendis exceſſibus, defectibus reficiendis, exorbitantijs coæquandis, ſcandalis eliminandis, eſſe admodum parcum, ſobriũ, tenuem, periphericũ, imò (quod Superis placet) formidoloſum: hoc autem à ſacro Oratore longè deberet abeſſe, utpote cui Deus frontem, *ut adamantem & ſilicem,* dedit ad fortiter reſiſtendum iniquis, & pro Dei gloriâ pugnandum; linguam inſuper ut falcem & vomerem, qua Eccleſiaſtes ædificet & deſtruat, plantet & diſſipet. Sed ohi me! magno zelo opus eſt in Verbo Dei annuntiando; at verò æquè magna prudentia atque diſcretio adhibenda Prædicatori, ne conatibus ſuis potiùs officiat quàm proficiat. Viator pallium, navarchus vela, miles faciem advertit vento, quidni faciat Eccleſiaſtes ſuo Auditorio? Quale cùm mihi triplex auſcultârit, *Aulicum, Eccleſiaſticum & Civicum,* neutri non ſatisfacere oportebat, ita moderatè aſſumendo & agitando dicendi materias, ut pro cujusque qualitate & conditione, alternis diſtributionibus, documenta ſalutis, ſvaviter ſimul ac animosè inſtillarem.

Et ut accuratiùs me intelligas: præſtat ſubinde vitia parum nota ſilentio diſſimulare, quàm publicis buccinationibus ea in aciem provocare: ſubinde Auditorium Chriſtianâ converſatione probatum graves increpationes non promeretur; frequenter immorigera correptio cedit ad deſtructionem potiùs, quàm ad ædificationem; aliquoties molestum:

leſtum foret, pias aut delicatas aures frequentioribus aut vehementioribus invectivis vellicare. Magnatum & Eccleſiaſticorum virorum maculas digito monſtrare, perículoſiſſimum eſt; illis enim potentia, his verò Sacri Canones patrocinantur. Publica ſcandala vel maximè quidem oppugnanda ſunt cordato Eccleſiaſti, ita tamen, ut in tollendis malis talibus circumſpectiſſimè ſe gerat, & potiùs ſolertem agat Chirurgum, qui exulceratis plagis plus olei quàm vini infundit. Vbi ſacer Orator non ſolùm non poteſt prudenter ſperare fructum, ſed inſuper etiam timere debet animorum averſionem, Auditorum indignationem, judiciorum abſynthium, affectuum amaritudinem, & propriæ æſtimationis contemptum, conſultiſſimè utetur Sanctorum panegyris, virtutum laudibus, & melleâ honeſtiſſimorum morum perſvaſione. Vitia ſunt interpolatim perſtringenda, non productioribus criſibus excorianda, ne alioquin acrimonia in Auditorem & jam reum ſæviat dolore intolerabili.

Quadrat inſuper præſtantiſſima hujus argumenti proſecutio à Theophilo Raynaudo Soc. IESV, incomparabili Authore, allata *in proloquio ad ſobriam frequentationem mulierum per ſacros homines, ſub tomo de Miſcellis Sacris*: ubi inter alia notabiliſſimè obſervat ſequentia. [Nimirum muli ſcabioſi ad leviculam à ſtrigili ſuccuſſionem cohorreſcunt; & illiſis calcibus, aut etiam dentibus, quàm aſperum ſibi accidat defricari, teſtatum faciunt.] De ſeipſo itidem Alvarus Pelagius Ordinis Minorum, in curandis hominum morbis creber ac perſtudioſus, ingenuè profeſſus eſt, carò ſtetiſſe amorem veritatis, & quòd renuiſſet eam detinere in injuſtitia, ut ſanè non detinuit; prout conſtat ex ejus opere de Planctu Eccleſiæ. Ejus de ſe hæc eſt oratio. l. 2. c. 2. [Ad literam hodie verbum Ieremiæ c. 6. completur. *Ecce Verbum Domini factum eſt eis in opprobrium, & non ſuſcipiunt illud*: quia correctionem & increpationem quantumvis generaliter prædicatam, reputant vituperationem, & pro ſe dictam unusquisque (maximè Prælatorum) accipit. Vnde non invenitur, qui præ timore pronuntiare audeat veritatem. Quod ſi dixerit, perſecutiones & tribulationes, ne dum ab alijs, ſed etiam præcipuè à ſuis Fratribus ſuſtinebit; ſicut ego in meipſo frequenter fui expertus.] Sileni Alcibiadis Parœmiaſtis in Adagijs excuſatio ad indignam parecbaſin, huc juſtiùs valebit. [Neminem his offendi oportet, cùm nullius deſignetur nomen. Si quis hujusmodi non eſt, nihil ad ſe pertinere cogitet: ſin agnoſcit ſuum malum, admonitum ſeputet. Ille ſibi gratuletur, hic mihi gratias agat.] Et ſanè in omni propoſito, in omni gradu & ſexu, & boni & mali reperiuntur; malorúmque condemnatio, laus bonorum eſt; ut ſapienter ait S. Hieronymus Ep. 3. ad hoc ipſum inſtitutum. Hucusque Raynaudus. Nec addo plura, diſcernat quivis circumſpectus & zeloſus Eccleſiaſtes, an pro ſui Auditorij conditione opus ſit gladio Pauli, floribus Chry-

ſoſtomi, favis Bernardi? Verbo, an venire debeat *in Virga, an in ſpiritu lenitatis*?

Deniquenon deerunt, qui non tam ex operis gravitate quàm curioſitate vel jucunditate explorabunt, legent, perlegent & dijudicabunt meos *alatos & volatiles Conceptus*. Sed hoc ipſum quærò, & opto: nam eſcæ & viſci ſunt poſiti, ut more Volucrum curioſulæ capiantur Animæ; &, quæ priùs erant ſive mundi, ſive carnis, vel etiam diaboli *primò occupantis*, ſic ſanctâ curioſitate faſcinatæ evadant *Iuris Divini*, ponendæ olim inter immortales *Cæli Volucres*, hoc eſt, æternos cœleſtis gloriæ hæredes, & Angelicæ lætitiæ choraulas. Ideóque in operis hujus calcographicâ fronte *Volucres Cæli* Sphæræ cœleſtis circulis concluſimus, ut tali proludio Animas cœlo natas, alatas & prædeſtinatas ſymbolizaremus hoc Ornithotrophio *globi cæleſtis*; cui utique captæ Beatorum, & ex mundi periculis redemptæ Animæ inſerendæ ſublimantur. Ad quem ſcopum tota hujus mei ſpiritualis Aucupij collimat intentio; quam Ter Optimus, & Ter Maximus Deus ſuis gratijs & efficacibus auxilijs ſecundet.

Alia eximia motiva Benevolo Lectori ſuppeditabit prima Prolegomenalis Concio, & lectu jucunda, & apprehenſione digna. Si quid in toto opuſculo bonum, rectum, pulchrum, perfectum aut elaboratum, id unicè debetur ſuo Authori DEO, à quo omne donum optimum: ſi verò quid obliquum, curuum, obſcurum, imperfectum, abſurdum *aut Volatile*, meæ prorſus infirmitatis eſt partus. Tu verò tam amicabili ac benigno judicio omnia diſquire ac judica, quale tibimetipſi in ſimili negotio ab alijs impertiendum exoptares. Saluberrimam ex hâc meâ Ornithologiâ hauſerit doctrinam, adeóque *omne tulit punctum*, quisquis *liberè* ad cœlum didicerit *evolare*. Hoc opus, hic labor! Vale, Deúmque pro me exora.

PRI-

PRIVILEGIVM CÆSAREUM

Circa Editiones Librorum à Fratribus Minoribus de Regulari ac Strictiori Obſervantia S. P. Franciſci nuncupatis, collatum,& in ſuo valore continuatum ac confirmatum.

FERDINANDVS SECVNDVS.

AGnoſcimus,& notum facimus tenore præſentium univerſis: expoſuere Nobis Patres Minores Regularis & Strictioris Obſervantiæ S. Franciſci, magnas ſe difficultates, quæ publico cum Religionis Catholicæ incommodo ac nocumento conjunctæ ſunt, in Germania experiri, quòd libri, eorúmve translationes & compendia, & imagines æri inciſa, quos & quas Reipublicæ Chriſtianæ bono, ac pietati fovendæ augendæq; in publicum edere ſoleant, à quibusvis paſſim Typographis & Sculptoribus excudantur & recudantur, non mendis tantùm refecti, ſed vel mutili, vel truncati, vel etiam perversè corrupti; humiliter atque enixè nos rogando, ut Privilegio noſtro Cæſareo ipſe adversùs ejusmodi Typographorum & Sculptorum licentiam ac fraudem munire, idq; pro authoritate noſtra ſtatuere dignaremur, ne cui in Imperio Typographorum libros à Patribus Minoribus Regularis, & Strictioris Obſervantiæ S. Franciſci editos, ſicut etiam ab alijs hominibus in diverſas linguas translatos, vel in compendium redactos, & Icones eorundem inventione æri inſculptas excudere, aut recudere, ſe inſcijs atque non probantibus liceat. Nos itaque benignè conſiderantes quàm utilem ac ſalutarem dicti Patres in animabus ritè curandis, pietate ac religione Catholica aſſerenda ac propaganda operam navent, quantúmque referat, ut Catholicorum libri ac ſcripta & imagines à Catholicis & probatis Typographis cum Theologorum cenſurâ edantur; ipſorum Patrum precibus eò libentiùs locum dedimus, quòd omnium ipſi optimè libros ſuos, ne Religioni vel Authoribus injuria vel fraus fiat, cenſere ac recenſere noverint. Ideóque omnibus & ſingulis Typographis & Bibliopolis, Chalcographis, Sculptoribus, ac alijs quæcunque librariam negotiationem exercentibus, ſeriò vetamus atque inhibemus, ne quis vel libros, quos dicti Patres Minores aut ſcripſerint ipſi, vel ab ipſis ſcriptos alij homines in diverſas linguas tranſtulerint, vel in compendium redegerint, vel æri etiam inſculptas imagines ab ipſis Patribus hactenus editas, vel impoſterum edendas, intra Sacri Romani Imperij regnorúmque & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines, ſimili, vel alio caracteris genere aut forma, ſive in toto ſive in parte incudere, ſculpere vel aliò recudendas aut ſculpendas mittere, aut alibi etiam impreſſas vel ſculptas adducere, vendere aut diſtrahere clàm ſeu palàm, citra judicium ac teſtimonium ſupradictorum Patrum (quod nobis, quum noſtrum impetrare Privilegium volent, oſtendere teneantur) audeat, vel præſumat. Si quis verò ſecus faciendo Privilegium hoc noſtrum Cæſareum negligere, vel transgredi auſus fuerit, eum non ſolùm prænarratis libris & Iconibus, perperam quippe recuſis & adductis, quos prænominati Patres eorúmque Mandatarij ubicunque deprehenſos, vel propriâ authoritate, vel Magiſtratûs illius loci ope & auxilio, ſibi vindicare poterunt, de facto privandum; ſed & pœnâ viginti marcarum auri puri puti, Fiſco noſtro Cæſareo fraudis vindici, & ſæpe dictis Patribus eorundémve Mandatariorum uſibus ex æquo pendenda, decernimus irremiſſibiliter puniendum. Hac tamen conditione diſertim adjectâ, ut omnium & ſingulorum operum, ſeu librorum, quaterna ut minùs exempla ad Cancellariam noſtram Imperialem Aulicam quamprimùm per eoſdem Patres, vel Typographum Privilegij hujus beneficio uti volentem transmittantur.

Mandamus ergò omnibus & ſingulis noſtris, & Sacri Rom. Imperij, Regnorúmque ac Ditionum noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cujuscunque Status, Ordinis, Conditionis aut Dignitatis exiſtant, tam Eccleſiaſticis quàm Sæcularibus, præſertim verò ijs, qui in Magiſtratu conſtituti vel proprio, vel ſuperiorum nomine & loco jus dicunt, juſtitiaq; adminiſtrationem exercent,

ne

Digitized by Google

ne quemquam hoc Privilegium noſtrum Cæſareum temerè & impunè transgredi aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, ſi quos fortè compererint, præſcriptâ pœnâ puniri, aliiſque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam evitare voluerint. Harum teſtimonio literarum, &c. Quæ dabantur in noſtra & Sacri Imperij Civitate Ratisbona, ante diem nonas Decembris, Anno Domini ſupra mille ſexcentos ſexto & trigeſimo, Regnorum noſtrorum Romani duo de viceſimo, Hungariæ undeviceſimo, Bohemici verò viceſimo.

Concordat hæc copia cum Regiſtratura Imperiali Aulica, id quod atteſtor, Viennæ. 18. Novembris 1677.

(L.S.)

LUDOV. NOSTORFF Cancellariæ Imperialis Aulicæ Latinæ Regiſtrator.

Facultas Typographo facta.

Virtute Privilegij Sacræ Cæſareæ Majeſtatis ſuper impreſſione & diſtractione librorum per Fratres Minores Regularis ac Strictioris Obſervantiæ conceſſi, facultatem facio *Domino Ioanni Iäcklin, Typographo Monacenſi Electorali, & Epiſcopali Friſingenſi ac Ratiſbonenſi*, ut imprimat, ſuiſque ſumptibus & emolumentis diſtrahat ORNITHOLOGIAM MORALEM, duabus partibus comprehenſam, & à me infraſcripto compoſitam, cum plenario uſu præfati Privilegij Cæſarei, idque pro prima illius editione. Actum Monachij in Conventu noſtro S. Antonij de Padua nuncupato, die 20. Maij, Anno 1678.

(L.S.)

Fr. FORTUNATUS HUEBER, Miniſter Provincialis Ord. Min. S. Franciſci Reformatorum Provinciæ Bavariæ S. Antonij Paduani.

FR. Franciſcus Maria de Nicolis à Cremona, Totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P. N. S. Franciſci Ex-Miniſter Generalis, & ad præſens in hac Ciſmontana Familia tam Obſervantium, quàm Reformatorum Commiſſarius Generalis, & Servus. Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri Fortunato Hueber, Theologo, Concionatori Generali, & Diffinitori Provinciæ noſtræ Reformatæ Bavariæ, ſalutem in Domino ſempiternam.

Vt opus à te compoſitum, cujus Titulus eſt, Ornithologia Moralis, Typis mandare poſſis, his noſtris patentibus litteris facultatem tibi concedimus, quatenus ſervatis ſervandis, idem opus publicæ utilitati prælo dare valeas, poſtquam à duobus Theologis noſtræ Religionis reviſum, & approbatum fuerit. Vale, & prò nobis orare memento. Datis in Regali Conventu noſtro Sanctæ Mariæ Novæ Civitatis Neapolis, die 31. Menſis Martij 1677.

(L.S.)

Fr. FRANCISCUS MARIA Comm. Generalis

De mandato ſuæ Reverendiſſimæ Paternitatis.

Fr. ARCHANGELUS ROMANUS Secretarius Generalis, ac Pater Ordinis.

Fr. Gre-

FR. Gregorius de Foreſtis, Bononienſis, Reformatæ Provinciæ Bononiæ Theologus Concionator Generalis, nec non Ex-Provincialis, & ad præſens in Alma Reformata Provincia Bavariæ Commiſſarius Viſitator Generalis, & Servus. Dilecto nobis plurimùm in Chriſto Patri Fortunato Hueber, Theologo, Concionatori Generali, & Diffinitori Provinciæ noſtræ Reformatæ Bavariæ ſalutem in Domino ſempiternam.

Vt opus à te compoſitum, cujus titulus eſt, Ornithologia Moralis, typis mandare poſſis, his noſtris patentibus litteris facultatem tibi concedimus, quatenus ſervatis ſervandis idem opus publicæ utilitati prælo dare valeas, poſtquam à Theologis noſtræ Religionis, tibi benè viſis, reviſum & approbatum fuerit. Vale, & pro nobis orare memento. Datis in noſtro Reformato Conventu Friſingano die 18. Maij, 1677.

(L.S.)

Fr. Gregorius Foreſtus Bonon. Comm. Viſit. Generalis.
De mandato Suæ Paternitatis Adm. R.
Fr. Casimirus de Monteſuſchijs, Faventinus, Secretarius.

Approbatio Ordinarij.

ORnithologia hæc Moralis compoſita ab Admodùm R. P. F. Fortunato Hueber, Ordinis Minorum Provinciæ Reformatæ Bavaricæ Provinciali Miniſtro, ſicut maximum eruditionis tam Sacræ, quàm profanæ theſaurum in ſe continet, ita ſub ſymbolicis avium figuris arcaniſſima Sacræ Fidei noſtræ myſteria ingenioſè non minùs quàm clarè elucidat, & in Chriſtiano populo inter ſummos æquè ac infimos, dum avium naturalia bona, ac defectus eis curioſè inſinuat, optimos, & verè Chriſtiano homine dignos mores efformat. Digniſſima proin, quæ non modò ad Sacrorum Oratorum commodum, & utilitatem legentium quorumvis, cùm nulli non hominum ſtatui ejus lectio quàm maximè proficua eſſe queat, verùm etiam ipſius Authoris, qui non ita pridem Sacram Cathedralis noſtræ Eccleſiæ Cathedram, quà zeli planè Apoſtolici, quà etiam eruditionis & eloquentiæ laude quàm plurimùm illuſtravit, gloriæ incrementum in lucem prodeat. Friſingæ 25. Maij. 1678.

(L.S.)

Franciscus Jacobus Zadler, SS. Theologiæ & Jurium Doctor, Cathedralis Eccleſiæ Friſingenſis Canonicus, & in Spiritualibus Vicarius Generalis.

Cenſura & Approbatio.

ATtentè & cum guſtu perlegi Admodum R. P. Fortunati Hueber, Ordinis & Provinciæ noſtræ Miniſtri Provincialis, Theologi & Concionatoris, Opus inſigne, cui Titulus *Ornithologia Moralis* per diſcurſus prædicabiles formatâ pro Dominicis & Feſtivis diebus per annum: in qua non tantùm nil fidei Orthodoxæ aut morum probitati contrarium reperi, ſed potiùs floridam eruditionem, atque uberrimos fructus è Sacris Paginis, nec non Sanctorum Patrum aliorúmque probatiſſimorum Authorum tam ſacrorum, quàm profanorum monumentis eximio cum delectu ſucciſos diſquiſivi. Et quia hoc bipartitum Opus raros, terſos, ſubtiles, operoſos, & energicos conceptus; ſingulari ac facillimâ methodo, eleganter & facundè ubique delibat, ac legentium animos ſtudioſâ voluptate mirè dilatat: hinc præſens Ornithologicum opus, ad genus moris tam arguté, jucundè, & fructuoſè deductum,

ductum, toti Chriſti Fidelium Eccleſiæ, præſertim verò univerſis Verbi Dei Prædicatoribus, animarúmque Curatoribus utiliſſimum, & Seraphicæ noſtræ Religioni honorificum, ac proinde publicâ luce digniſſimum judico. Friſingæ 27. Maij, Anno 1678.

(L. S.)

F. Timotheus Vieröcc, Franciſcanus, Provinciæ Bavariæ Diffinitor, & Theologiæ Moralis Lector.

Cenſura & Approbatio.

OPus Ornithologiæ Moralis *ab Adm. R. P. Fortunato Hueber, Ord. Minor. S. Franciſci Reform. Theologo ac Concionatore, & pro nunc Provincia Bavaria Miniſtro Provinciali Digniſſimo, elucubratum, atque in duas partes diſtributum, accuratè diſquirendo perlegi: quod non tantùm nihil Catholicæ Fidei, aut bonis moribus contrarium parturit; ſed mirâ inſuper eruditione, rariſque conceptibus, atque omni ſcientiarum & obſervationum genere clariſſimum promicat. Et quia Author illud Salvatoris monitum,* Reſpicite Volatilia cœli, *Matth. 6. non ſolùm religioſâ Profeſſione exemplariter ſectatur; ſed etiam quoſcunque alios ad ejus imitationem ſuaviter inducit, ex patheticâ Avium conſideratione Fidelium mentes, ad vitiorum fugam amorémque virtutum, methodicè, nervosè, atque efficaciter diſponendo ac pertrahendo: hinc ut bono publico in utilitatem cedat atque ædificationem, numeris fuit abſolutiſſimum, ac typis digniſſimum cenſeo. Monachij die 2. Iunij, Anno M. DC. LXXVIII.*

(L. S.)

F. Anacletus Reiffenstuel, præfati Ordinis SS. Theologiæ Lector, & Provinciæ Bavariæ Diffinitor.

Approbatio Theologica.

ORnithologia Moralis, ab *Admodum R. P. Fortunato Hueber*, Ord. Min. S. Franciſci Reform. Provinciæ Bavariæ Miniſtro Provinciali, Theologo, & Eccleſiæ Cathedralis Friſingenſis Eccleſiaſte, eleganti, ac erudito ſtylo compoſita: in utrâque ſui parte *Canones fidei Catholicæ*, & *regulas morum Chriſtianorum* inoffenſo pede decurrit, merita & virtutes Sanctorum facundiſſimè elucidat: pravos, & palliatos virtutum mores in omni genere Statuum ſtrenuè corripit & emendat; &, dum pari gravitate, ac amœnitate *in avibus cæli ludit*, raris ſuis inventionibus, ingenioſis argumentis, copioſis eruditionibus, curioſis ſubtilitatibus, facundiſſimis diſcurſibus, & rationum, ſententiarum, ſvaſionum, & verborum pondere, animum legentis pariter erudit, delectat, & movet. Digniſſima proinde eſt, ut ad fidelium ædificationem publici juris fiat. Ingolſtadij die 24. Maij, Anno 1678.

(L. S.)

F. Barnabas Kirchhueber, ejusdem Ordinis SS. Theologiæ Lector.

Omni-

Ornitholopſis Myſtica,

Seu

Aucupium Spirituale ad frontis Iconem alludens.

QVid ſacer ô Auceps animarum, CHRISTE, *Volucres*
   Perdius & pernox illaqueare ſtudes?
Impiger alatam viridi ſub pegmate prædam
   Expectas, *cupidâ* rete tenente *manu*.
Crebrò per occultas circumſpicis undique rimas,
   Involet in caſſem ſin' avis una tuum.
O! quanta eſt *Avium*, JESU, tibi cura *tuarum*,
   Ne *levibus* pennis *avia* fortè petant.
Omnia pertentas, pedicis, viſcóque, globóque;
   Fit tua diverſis captio ſacra modis.
Sternitur una globo, deluditur altera viſco,
   Cum pedicis reliquas rete vel eſca tenet.
Aſt, pie Venator, quid ſic tua retia tendis?
   Quid tot decipulas illecebráſque paras?
Ad te ſponte volant: *Trahit huc ſua quamque voluntas*,
   Irruit in caſſes quælibet ipſa tuos.
Philomela. En Philomela ſuo ſe nomine prodit amantem,
   Nempe vocatur *amans* dictio græca φιλός.
Hæc avis ô quantas variat per rura querelas!
   Luget Amatorem. ſic viduata DEUM.
Haud adeò tremulis ululabat queſtubus olim,
   Quando Threicium lanquida flevit Ithym.
Dulce tamen militat, quamvis ſingultibus inſtet,
   Dum ſvave - *o melos* ſic *Philo* - clamat: *amat*.
Advolat & ſimili Frigilla celerrima luctu,
Frigilla. *Frigilla* ex hyemis *Frigore* fata trahens.
Hæc cicit: ô Auceps dilecte, recuſo manere
   Frigilla; inflamma Cor citò, CHRISTE, meum:
Frigora nunc *caleant*, aliud mihi *Fing*gite nomen.
   Sit *Frigilla* procul, jam *Calidilla* vocor.
Haud ſecùs affectat *Caſſita* Philothea *Caſſem*,
   Quæ Crucis in viſco penſilis eſſe cupit.
Alauda. O! quot amoroſos exercet *Alaudula* cantus:
   Me, canit; en Cirim, Myſtice Niſe, rape!
Deteſtor Cyprios poſthac Minois amores,
   Sanctiùs ardebo, caſtior adſit amro!
Nitatut *Niſus* Pater improbus undique roſtro
   Me natam ob ſectas dilacerare comas.

Ad te, Christe, volo, Niſúmque inducere nitar,
Vt tibi, præda duplex Nata Paterque cadant.
Ardea. Taliter & fieri deſiderat *Ardea* præda,
Atque *Ardere* tuo poſcit amore Deus.
Cuculus. At tu quid *Cucule* hìc, plumato indute Cucullo?
Nunquid & eſſe Deo præda petita cupis?
Ergò quid occultus ructas tot ab arbore Cu.Cu,
Te fortaſſe Deo poſſe latere putas?
Lynceus eſt oculis A V-ſpex, ac leniter audit,
Dum ſub fronde lates, ſic cuculando pates.
Hinc Cucule advolita, cæcásque relinque latebras,
Aucupis ætherij rete ſalubre pete.
Columba. Longè alio cuculat deſerta *Columbula* tuc-tu:
Ah! cape me Iesu; me, gemit illa, cape!
O! Pedicæ, à pedibus fixi Crucis arbore Chriſti
Tutior his Cuculo capta latebo Plagis!
Ciconia. Non minùs & longo de turre *Ciconia* roſtro
Gloterat, ac ſtreperâ talia voce crepat:
O! pete me jaculis, Auceps cœleſtis, amoris,
Pſal. 118. Atque tuo carnes fige timore meas.
Conijce millenas in cor mihi, Christe, ſagittas:
Svaviter ille cadit, quem tua tela necant.
Ah! Pharetrate Puer jaculare, quid usque moraris?
In me collima; ſum ſcopus ecce tuus!
Corvus. At nec *Apollineus* procraſtinat ampliùs *Ales*,
Haud etenim *cras, cras*, nunc crocitare ſolet.
Jam crocat hic: Hodiè ſcelerata cadavera linguam,
Sit tua, Christe, caro dulcior Eſca mihi.
Sic & ineſcari pia cætera turba Volucrum
Optat, & in caſſem conglomerata ruit.
Grues. Hìc *Palamedis aves*, ceu littera græca, volantes
Ordine furcato retia ſacra petunt.
Turdus. Accelerant alio terrarum è climate *Turdi*,
Lagopus. Atque iterùm ex alio rara *Lagopus* adeſt.
Perdix. Sed neque jam *Perdix* gratum vult *perdere* tempus:
O Amor, ah! Iesu, cacabat illa, meus!
Ah! quando, ô quando! *Perdix* ego Perdita tandem
Aucupis ætherij ſemper amore fruar!
Perdiderim licèt ob varios te, Christe, reatus,
Da tamen, ut rurſus te reperire queam.
Hirundo. Sed tu quid domibus modò *Daulias Ales* inhæres?
Quid celsâ luteum ſub trabe figis opus?
Proripe te laribus, Philomelam imitare ſororem,
Præpes ad Aucupium ſpirituale vola.

Deſi-

Digitized by Google

Deſine mactatum Genitrix fera plangere Natum,
Non manet occultum ſub Trabe, tale ſcelus,
Sed potiùs Trabe te dignam laqueóque fatere,
Atque palàm poſitas ſponte ſubito plagas.
Eſto libens captiva Dei per viſcus amoris;
Nam tunc liberior, ſi capiaris, eris.
Coturnix. Ecce tibi exemplo pia ſit *Matertera Phœbi*,
Quæ repetit queſtus nocte diéque ſuos.
Vtpote quæ quondam velut Orthygometra per auras
Turmatim Hebræis eſca petita fuit.
Hinc tot perpetuò ſingultibus optat abire,
Antiquas iterùm trans mare rapta vias.
Trans mare nimirùm ſcit, quid ſit amare MARIAM;
Tum verò ex illa, quid ſit amare DEUM.
Alcyone. *Alcyonem* fingunt adeò deflêſſe maritum,
Quem merſum lacerâ comperit eſſe rati.
Vt dum præ nimia functo pietate pararet
Oſcula ferre viro, verſio mira foret.
Scilicet attactu labij Ceiyca figuram
Conjugis Alcyones exhibuiſſe ferunt.
O! Metamorphoſis, cunctis optanda profectò
Conjugibus; verùm priſca Poëſis abi.
Jam vidua Alcyone meliori nube marito,
Te cupit in Sponſam IESUS habere ſuam.
Ecce plicare ſuis teretibus optat amoris,
Vt vobis unum Cor ſit, & una fides.
Iam fige Alcyone Ceiyci huic oſcula mille,
Svaviter os ori jungito, labra labris.
Sic vir in uxorem vertetur, & uxor in illum,
Alcyone in IESUM. IESUS in Alcyonem.
Nunc ſupereſt alias etiam ſpectare Volucres,
Gaudet enim in ſacras quæque volare plagas.
Galgulus & *Cornix*, ac garrula *Pica*, *Palumbes*,
Cum *Merulis* etiam ſvavis Acanthis adeſt.
Butio ſeu Buteo. Inſuper adveniunt *Ficedula*, *Butio*, *Chloris*,
Struthio de ſylvis, ac galeatus *Epops*.
Non minùs & *Trochilus*, *Curruca*, *Rubecula*, *Parus*,
Affectant pedicas, CHRISTE, ſubire tuas.
Denique cum reliquis ululanti *Noctua* voce
Te Cephalum, IESU, cæca videre cupit.
Aquila. At verò Imperij ac Magni *Iovis* armiger Ales
Inſtar militiæ claudit agema Ducis.
Ergo trahe, ô Auceps: jam Myſtica quæque Volucris
Incidit in caſſes; ah! trahe, CHRISTE, trahe!

ELENCHVS
SYMBOLORVM ET CONCIONUM
Pro parte prima Ornithologiæ Moralis.

In Dominica Prologaliter celebratâ.

Ornithoboſcium Magnum.
Die groſſe Voglwayd.
I.

PRologali argumento demonſtratur, quantum in genere Moris & Virtutis emolumentum ex naturali Volatilium conſideratione humana Pietas, ac Chriſtianæ Perfectionis ſublimitas poſſint comparare. fol. 1.

Dominica I. Adventûs.

Noctua, Bubo, Nycticorax.
Auff / Eyl / Nachtrap.
II.

Adventus tremendi Judicis quoad tempus laboriosè inveſtigatur, & quoad concomitantes ſolennitates emphaticè promulgatur. fol. 10.

Dominica II. Adventûs.

Conſtans Botaurus.
Der ſtandhafftige Moſochs / oder Rohrtriger.
III.

Inter humanos caſus nihil fortius, quàm ſtare æquanimem; nihil imbecillius; quàm Vertumnum agere, ſibi ſemper diſſimilem. fol. 18.

Dominica. III. Adventûs.

Inſolens Galbalus.
Der ſtoltze Aemerling.
IV.

Quantum interſit, ſeipſum cognoſcere, & dimiſſis aliorum diſquiſitionibus ſuam propriam tenuitatem conſiderare? fol. 25.

Dominica IV. Adventûs.

Circumgyrans Milvius.
Der ringmachende Weyhe vor Weyhnachten.
V.

Verbi Incarnati ſublimia myſteria per varios circulos & gyros, affectuosè, ſubtiliter & utiliter demonſtrantur. fol. 33.

Dominica infra Octavam Nativitatis.

Caliginoſa Veſpertilio.
Die ſtrahlſchühe Fledermauß.
VI.

Quot, quantisquè modis, perſequendo juſtos, depravando Scripturas, fovendo hæreſes, Eccleſiam perturbando, CHRISTO contradicatur. fol. 40.

Dominica infra Octavam Epiphaniæ.

Pia Ciconia & Niſus.
Der fromme Storch vnd Spärber.
VII.

Triplicem Liberi erga Patentes obligationem obſervent, Obedientiæ, Reverentiæ, & Pietatis; & omnino ſatisfaciant ſuæ obligationi. fol. 48.

Domi-

Dominica II. poſt Epiphaniam.
Ligata Acanthis.
Das angehalffterte Zeiſelein.
VIII.
Jugis Conjugij tribuli, ſpinæ, dumi, cruces, martyria, & afflictiones innumeræ, compaſſivè & tragicè exponuntur. fol. 57.

Dominica III. poſt Epiphaniam.
Frigida Alcedo.
Der gefroſtige Eyßvogel.
IX.
Mala conſcientia Infernus quidam eſt, ubi remordens lancinatio, lætus fletus & ridens ſtridor, peccatorem proportionaliter affligunt ſemper. fol. 65.

Dominica IV. poſt Epiphaniam.
Procans Palumbus.
Die werbende Ringeltaub.
X.
Sponſalium contrahendorum ratio obſervanda Nupturis, ex combinatione Avium, cum condimento lepôris, & ſale veritatis exhibetur hilariter, & ſalubriter declaratur. fol. 73.

Dominica V. poſt Epiphaniam.
Stolidus Vanellus.
Der vnwitzige Geywitz.
XI.
Expenduntur cauſæ & motiva, cur Deus permittat perverſos prodire, & vivere cum bonis feliciter in hoc mundo; & tantam veræ Religionis ſtragem ab hæreticis florentiſſimæ Germaniæ inferri. fol. 82.

Dominica VI. poſt Epiphaniam.
Fatidicus Corvus.
Der übeldeutende Rapp.
XII.
Nihil cæcæ Gentilium Fortunæ, nil temero Caſui, nil ineluctabilis Fati neceſſitudini tribuendum; ſed præcisè Divinæ Providentiæ omnia ordinatè, & ſuaviter diſponenti, veniunt admetienda. fol. 90.

Dominica Septuageſima.
Otioſus Pſittacus.
Der dienſtloſe Paperle.
XIII.
Variæ otioſitates adducuntur in ſcænam; rejectis ſaginatâ, comptâ, garrulâ, mendicâ, defenditur ſolitaria & religioſa, commendatur ſancta & operoſa. fol. 98.

Dominica Sexageſima.
Mordaces Muſcæ.
Die ſtechende Mucken.
XIV.
Muſcæ contentioſæ, maledicæ & impuræ, triplex humanæ vitæ bonum extrinſecum infeſtantes, flabello repelluntur. fol. 107.

Dominica Quinquageſimæ.
Vir Bellator & Saltator, Gallus Gallinaceus.
Der Goggelhan ein küner Mann;
So trefflich fechten / vnd tantzen kan.
XV.
Pro diei opportunitate adducuntur Gallinacei in Palæſtram, & Choréum; tum ut pugnando, tum ut ſaltando Auditorium in bonis moribus inſtruant; præſertim verò glorioſum certamen, & honeſtam choream ſubire. fol. 115.

Dominica I. Quadrageſimæ.

Gallus ſuper Pinnaculum poſitus.

Der Haußhaun auff dem Spitz deß Thurns.

XVI.

Cùm Tribunalia ut plurimùm muneribus corrumpantur, Gallus ſupra templi pinnaculum poſitus, id unicè Judicibus intonare videtur, & canere: Capiant Ne Xenia. fol. 123.

Dominica II. Quadrageſimæ.

Pretioſa Galli Alectoria.

Der koſtbare vnd krafftreiche Hannenſtein / oder Lockſtein.

XVII.

Tribunalium transfiguratio, ac Juſtitiæ obumbratio, per Alectorias ſub linguis Judicum poſitas, adſtruuntur à ſollicitantibus Judicij corruptelam; quæ in Tabernaculo Dei habitare non permittitur. fol. 132.

Dominica III. Quadrageſimæ.

Gallus Aſſatus in Bilance appoſitus.

Der gebrattne vnd auff der Waagſchüſſel auffgeſetzte Haußhann.

XVIII.

Affectus & Reſpectus partiales Perſonarum, cùm omnia ſuo pede metiantur, etiam Judicij æquitatem ſibi aſſimilant; & pari indulgentiâ amicorum errores per convexum, adverſariorum verò culpas per concavum intuentur tubum. fol. 140.

Dominica IV. Quadrageſimæ.

Gallus obliquè aſpiciens.

Der ſchilgende Goggelhann.

XIX.

Obliquus Judicis aſpectus concepti odij & livoris eſt nuntius, palámque ſe profitetur inimicum; & proceſſum ad depravandam ſententiam, everſo Juris ordine, iniquiſſimè diſponit. fol. 148.

Dominica Paſſionis.

Gallinaceus Formidoloſus.

Der Gefahrſchühe Goggelhann.

XX.

Excuſſo humano metu pro Juſtitiæ veritate viriliter & potenter agant, nec timeant alium probi Judices, quàm ſolum Deum cœli & terræ. fol. 156.

Dominica Palmarum.

Gallinaceus Triumphans.

Der ſighaffte Haußhann.

XXI.

Ad imitationem Salvatoris Triumphantis Judicibus plùs cordi eſſe debent rei defenſio, quàm accuſatio: plùs abſolutio, quàm condemnatio: plùs Miſericordiæ exhibitio, quàm Juſtitiæ executio: plùs clementia in diſſimulando, quàm ſeveritas in inquirendo. fol. 164.

Feria V. Cœnæ Domini.

Gallus Gallinaceus De Pilatus.

Der gerupffte Haußhann.

XXII.

Coram Tiberio Cæſare, cæteriſque conſcriptis Romani Senatûs Patribus, gravi oratione perſtringitur Proceſſus, Judicium, & Sententia iniquiſſima à Pontio Pilato Palæſtinæ Præfecto lata, & executioni mandata contra Jesum Christum, magnum Prophetam in Iſraël. fol. 172.

Feria VI. Paraſceves.

Gallinaceus Cantans.

Das bewögliche Hannengeſchrey.

XXIII.

Lamentabilis Petri negantis caſus, mira reſpicientis Jesu potentia, validus Galli excubantis clamor, & amaræ Petri pœnitentis lachrymæ, luctuoſo ſimul ac doloroſo exhibentur ſpectaculo. fol. 183.

Pro

Pro Solennitate Paſchatis.

Gallina ova excubans.

Die ſögende Pruedthenn.

XXIV.

Beatorum Reſurrectio, corporis animæque gloria, gaudium ac reliquæ dotes, ex Ovi Paſchalis anatomia jucundè & affectuosè exhibentur. fol. 197.

Feria II. Paſchatis.

Admiranda Halcyonis Ova.

Wundergroſſe Ayr deß Meerhünleins.

XXV.

Pro opportunitate duorum ambulantium in Emmaus, pro & contra diſputatur. Problema, utrum ad virtutem & ſcientiam meliùs ſint diſpoſiti Nani quàm Gigantes, magni quàm parvi? fol. 206. *Dominica in Albis.*

Vultur Vetuſtus.

Der vhralte Geyer.

XXVI.

Jucundâ & ſalutari controverſiâ exhibetur, qui de Novitate tam ſanctè commendatâ, & quid de Vetuſtate tam probè obſervatâ, præſter imitari, aut retinere? fol. 215.

Dominica II. poſt Paſcha.

Aucupium Vniverſale.

Der allgemeine Vogelfang.

XXVII.

Quòd DEUS cuivis mortalium ſufficientia gratiæ auxilia præparaverit, quibus liberè uti, & efficaciter cooperari poſſit ad ſalutem, Theologicis & Humanis exhibetur motivis. fol. 223. *Dominica III. poſt Paſcha.*

Turdus Delicioſus.

Der frewdige Müſtler oder Krammetvogel.

XXVIII.

Gaudiorum illecebras parat Mundus, quas ubi Filij hujus ſæculi hauſerint, malum inde ſibi viſcoſum procreant, quo capiantur, decipiantur & pereant. fol. 231.

Dominica IV. poſt Paſcha.

Grues Migrantes.

Die wanderfertige Kranich.

XXIX.

Peregrinatio eſt vita noſtra, ab exilio ad Patriam migrandum eſt; ſed qua viâ, quo ordine, quo duce, ad quem terminum, qua colluctatione? Omnium optimè Gruum Politica nos informat. fol. 240.

Dominica V. poſt Paſcha.

Merula Canora.

Die liebliche Singambſel.

XXX.

Vt Oratio noſtra ad DEUM fuſa obtineat id, quod intendit; Canora Merula tot documentis nos edocet, quot præſtat argumentis obſervanda. fol. 249.

In Aſcenſione Domini.

Via Aquilæ in Cœlo.

Der hochfliegende Adler im Himmel.

XXXI.

Qui Chriſtum aſcendentem in cœlos ſequi, & imitari vult altè volando, relictis alijs quibuscunque plumis, aſſumat pennas ut aquilæ, volet & non deficiat. fol. 257.

Dominica VI. poſt Paſcha.

Pica Loquax.

Die ſchwätzeriſche Atzel.

XXXII.

Prudenter ac modeſtè refrænanda loquacitas; ne raucâ Picarum garrulitate notati, graviter impingamus contra Fidelitatem Deo, nobis, & Proximo debitam. fol. 266.

In Solennitate Pentecoſtes.

Candida Columba.

Die ſchneeweiſſe Tauben.

XXXIII.

Tantùm dignificata eſt Candidæ Columbæ ſpecies, ut ex ejus apparitione non ſolùm Divina Spiritûs Sancti præſentia, ſed etiam munificentiſſima liberalitas in ſeptem Donis ſuaviter cluceſcat. fol. 275. *Feria II. Pentecoſtes.*

Vnicus Phœnix.

Der aintzige Sonnenvogel.

XXXIV.

Ex admirabili Phœnicis obitu, & reſuſcitativo ejus vivicomburio, lux quædam myſtica ſe diffundit, quâ gratiæ ſanctificantis operationes in nobis præclarè exhibeantur. fol. 284.

Dominica I. poſt Pentecoſten, quæ eſt Sanctiſſimæ Trinitatis.

Trifiſtularis Semenda.

Der Indianiſche Dreyzüngling.

XXXV.

Vario laudis, honoris, & gloriæ apparatu SSS. Trinitas in Divinis Perſonis vel ſpecialiter, vel æqualiter, proponitur glorificanda ac celebranda. fol. 294.

Dominica infra Octavam Sacratiſſimi Corporis Chriſti, quæ eſt II. poſt Pentecoſten.

Pelicanus Amoroſus.

Der liebreiche Leffler.

XXXVI.

Amor Chriſti erga Eccleſiæ Filios, in amaritudine Paſſionis dulcis, & in Euchariſtiæ dulcedine cruentus, vitam præſtat & gaudium ſalutis. fol. 303.

Dominica III. poſt Pentecoſten.

Perdix Perdita.

Das verlohrne Rebhünlein.

XXXVII.

Quantò vertumnoſior eſt diabolus ad perdendos Electos, tantò Chriſtus officioſior ad quærendos, & revocandos; cujus proin vocationi facilè obſequuntur, & ad viam Juſtitiæ redeunt tandem finaliter in ea perſeveraturi. fol. 312.

Dominica IV. poſt Pentecoſten.

Sapidus Ruſticulæ Fimus.

Die eingemachte wolgeſchmackte Schnepffenfette.

XXXVIII.

Variâ diſquiſitione captum Nihil conditur, & pro ſelectiſſimo ferculo invitatis convivis, bonis & malis, ad ſaginandæ animæ delicias liberaliter diſpenſatur. fol. 320.

Dominica V. poſt Pentecoſten.

Gryphs Arripiens.

Der angriffige Greyff.

XXXIX.

Ne fiant homines lupi, nec fratres fratribus Gryphes, ſummè abſtinendum eſt à puncturis, calumnijs, improperijs & cavillationibus. fol. 330.

Dominica VI. poſt Pentecoſten.

Aves Guloſæ.

Die gefräſſige Ludervögel.

XL.

Pro ſtatuendâ diſciplinâ menſali Avium quarundam guloſitas inſervit; ex quarum objectâ voracitate curculiones addiſcant ſeſe ſobriè ac morigerè exhibere in ſumendis alimentis. fol. 338. *Dominica VII. poſt Pentecoſten.*

Aves Fallaces.

Die falſche Ertz-Vögel. XLI.

XLI.

Firma tutela ſalutis eſt, ſcire fallaces Mundi, Carnis, Sathanæ aliorúmque falſorum Prophetarum impoſturas, quas attentis eorum augurijs, contemptiſque dolis fugere ac declinare, ſummè ſvadetur, fol. 347. *Dominica VIII. poſt Pentecoſten.*

Cygnus in morte canens.

Der ſterbendſingende Schwan.

XLII.

Judicij particularis ab unoquoque hominum poſt mortem coram tremendo Judice Chriſto ſubeundi ratio, veritas, rigor & proceſſus, nervosâ & gravi oratione diſquiruntur. fol. 356.

Dominica IX. poſt Pentecoſten.

Circus Prædabundus.

Der rauberiſche Hennldieb / oder Wildfang.

XLIII.

Duo potentiſſimi Hoſtes, ſcilicet Homo & Mors, inſtructiſſimis exercitibus ſuis conſiſtunt in acie; at verò poſterior priorem in ſuo præſidio dolosè obſidet, contumaciter circumdat, truculenter coangustat, validè proſternit, lethaliter expugnat, atque luctuosè triumphat. fol. 365.

Dominica X. poſt Pentecoſten.

Phaſianus Stolidus.

Der dolle Faſan.

XLIV.

Sententia S. Chryſoſtomi, *Non poteſt eſſe ſuperbus, qui ſtutus non ſit, ſtultitiâ verò plenus eſt ſuperbus*, gravi inductione diſquiritur; ac tandem efficaci Epilogo ad æqualitatis ſtateram ſuperbi trahuntur in morte. fol. 374. *Dominica XI. poſt Pentecoſten.*

Anſer Clangens.

Die ſchnadernde Ganß.

XLV.

Vt rectè loquatur Sacer Orator, ſolvatur vinculum linguæ ejus, & condiatur aquâ libertatis, ſale diſcretionis, ac melle facundiæ: ne alioquin dum alijs ineptè prædicaverit, ob multos errores intercurrentes in ſuo officio reprobandus evadat. fol. 383.

Dominica XII. poſt Pentecoſten.

Celeres Mergi.

Die geſchwinde Duck-Endten.

XLVI.

Familiari luſu oſtenditur, qualem ſibi proximum adſciſcere debeant Divites, Nobiles, Fortunati, Juſti, Juvenes, Docti, ut ad ſalutis metam per Charitatem celeres attingant. fol. 393.

Dominica XIII. poſt Pentecoſten.

Charadrius per medium tranſiens.

Der gerad durchgehende Trül.

XLVII.

Sicut locus medius meritò præfertur extremis, ita in omni humana actione ſecundùm rectæ rationis regulam laudabiliter elicibili aut operabili tantùm officit ferrea extremitas, quantùm proficit aurea mediocritas. fol. 401. *Dominica XIV. poſt Pentecoſten.*

Capitularis Avium Diæta.

Aller Lufftvögel Reichstag.

XLVIII.

Pro digno Volatilium cœli reſpectu, Capitularis eorum Diæta Religioſo more inſtituitur, in qua temporis præteriti, præſentis, & futuri alata ratio ſanctè & circumſpectè pertractatur. fol. 410.

Dominica XV. poſt Pentecoſten.

Picus Martius.

Der ſcharpffbewaffnete Baumhäckel.

XLIX.

Mors præmatura Picus eſt, qui *duro fera robora roſtro figit, & iratus longis dat vulnera ramis*; dum repetitis ictibus varijs, cum inevitabilibus, tum caſualibus & aſcititijs, ſuccreſcentes Juventutis Arbuſculas immaturè ſuccidit, enecat, proſternit, extinguit. fol. 419.

d 2 *Domi-*

Dominica XVI. poſt Pentecoſten.

Baſiliſcus Funereus.

Der vergifftende Baſiliſck.

L.

Quàm funeſtum ac peſtiferum malum ſit Invidia, quæ more Negationis omnia bona poſt ſe deſtruat, virtuti ac fortunæ inſidietur, ac juſtiſſimâ reflexione ſuum Authorem perimat, ſelectis argumentis atque exemplis docetur usque ad averſionem, & exerationem tantæ peſtis. fol. 428.

Dominica XVII. poſt Pentecoſten.

Sturnus Gregarius.

Der ſchaarliebende Staar.

LI.

Sicut ſine dilectione Dei ac Proximi nulla virtus eſt meritoria vitæ æternæ, ita omnis virtutum apparatus à Charitate accipit Theologicum valorem coram Deo ad finem ſupernaturalem Beatitudinis promerendæ. fol. 437. *Dominica XVIII. poſt Pentecoſten.*

Cornix Improba.

Die boßhafftige Krähe.

LII.

Improbitas blaſphemiæ tanta eſt, ut & difficilem obtineat veniam, & Judæorum Chriſtum crucifigentium excedat malitiam, & ab omni lege ſeveriſſimam provocet vindictam, & ipſum diabolum ſuſtineat Divinæ iræ executorem, f. 447. *Dominica XIX. poſt Pentecoſten.*

Rubicilla Officioſa.

Das geſchäfftige Thumbpfäfflein.

LIII.

Exquiſitâ inductione Fructuum & emolumentorum Sacrificij Miſſæ officioſè invitantur Sacerdotes, ut, quantùm ſine rationabili impedimento poſſunt, quotidie celebrent; Fideles verò Laici dignâ reverentiâ, & devotione Sacro quotidie aſſiſtant. fol. 456.

Dominica XX. poſt Pentecoſten.

Larus Eſuriens.

Der hungerige Hollbrodt.

LIV.

Parturiens Larus mortis ſpecimen ac periodum exhibet, quo moribundus inſtruatur & domui ſuæ tempeſtivè diſponere, & ſalutaribus præſidijs ad periculoſiſſimam luctam ſeſe providè communire. fol. 466. *Dominica XXI. poſt Pentecoſten.*

Trochilus Regius.

Das Königliche Zaunſchlipfferlein.

LV.

Chriſti Regis gloria, veſtis, corona, ſceptrum, thronus, menſa, divitiæ, fabricæ, apparatus, remunerario omnes Fideles ad ſerviendum Deo incomparabiliter meliùs & ſecuriùs invitant, quàm ulla larvata terreſtris Aulæ lenocinatio aut impoſtura. fol. 475.

Dominica XXII. poſt Pentecoſten.

Hirundo Garrula.

Die vilſchwätzige Schwalb.

LVI.

Sicut moderata Taciturnitas pernices præbet virtuti alas, ut ad lauros, ad cœleſtis præmij palmas, ad humanam divinámque evolet felicitatem: ita immoderata Loquacitas pernicioſas addit pennas vitio, ut infauſtè & inconſtanter procedat in omnibus vijs ſuis. fol. 484.

Dominica XXIII. poſt Pentecoſten.

Tinnunculus Socialis.

Der zugeſellige Wannweher.

LVII.

Bona fama, cùm & pretio ſit incomparabilis, & ſocialitate delectabilis, cautè & providè per eximios virtutum actus eſt tuenda, ne prodigaliter proſtituta, vires deperdat eundo. fol. 493.

Dominica XXIV. poſt Pentecoſten.

Aquila Alba.

Der weiſſe Adler.

LVIII.

Mirabili ſimul ac pretioſâ gemmarum venatione ab Aquilis exhibetur, quâ devotione, Religione & ſanctitate Corpus Chriſti in Sacroſanctâ Euchariſtiâ à Fidelibus ſive Sacerdotibus, ſive Laicis ut communicandum. fol. 502. IN

IN

DOMINICA
Prologaliter celebratâ.

ORNITHOBOSCIVM MAGNUM.

Die Groſſe Vogelwaid.

LEMMA.

----- *Quot habet Volucres agitabilis Aër?* Bapt. Pius.

THEMA.

Interroga Volatilia cæli; & indicabunt tibi. Iob. 12. v. 7.

SYNOPSIS CONCIONIS I.

Prologali argumento demonſtratur, quantum in genere Moris & Virtutis emolumentum ex naturali Volatilium conſideratione Humana Pietas, ac Chriſtianæ Perfectionis ſublimitas poſſint comparare.

1. triumphus & apparatus ſolemniſsimus volatilium.

NObile Aucupium, ingens præda, feſtivus triumphus & incomparabilis ſplendor, quem Primas Regni Japoniæ Quabacondonus Regiæ Moacenſi Vrbi ſpectandum inſtruxit. Is, ut non tantùm aliquo ſpectaculo oblectaret, ſed etiam, ut comitatui ſuo oſtenderet, quantâ animi alacritate expeditionem Chinenſem aggrederetur; tum etiam, ut celeberrimæ cujuſdam venationis, olim à Magno Præfecto Domino Joritono, totius Japoniæ Imperatore factæ, famam obſcuraret; conſtituit omninò auguſtum ex varijs avium ſpeciebus aucupium adornare. Quâ de causâ multis aulicis ſtipatus abijt in Regnum Ojarenſe; ubi inſtitutum aucupium tam felices ſortiebatur

ſucceſſus, ut capta ſint plus quàm triginta millia omnis generis avium; quas inter complures falcones, quibus aliæ capiuntur. Finito hoc aucupio, Quabacondonus magno apparatu reverſus eſt Meacum. Præibant, qui millia illa aviculàrum arundinibus inauratis præferrent: hos ſequebantur plurimi Equites, ſplendidè pro ſuâ nobilitate conveſtiti, portantes magnum numerum falconum, aliaſq; raras & ſelectas volucres: dein ducebantur fræno plurimi equi ad luxum decori: tum ſubintrabant binæ lecticæ ornatu prænobili, ac ponè eas Quabacondonus in lecticâ, ſingulari artificio ac ſumptu concinnatâ, deportabatur. Magnificum agmen claudebant Principes ac Magnates, & famulantium equitum turmæ ſplendidiſſimæ. Atque hi omnes regali majeſtate, triumphantium in morem, urbem Meacum ſunt ingreſſi, de plauſibili aucupio gloriantes. Ego non minore apparatu inſtructus, ad Ornithoboſcium magnum vos humaniſſimè invito, ornatiſſimi Auditores, ut cum ingenti conſolatione atque emolumento conſideretis pompam, quam integer Volucrum diverſicolorum grex, remigibus alis allabens, inſolito lepôre & jucunditate adornabit. Enimverò hîc inter dumeta ſedet loquenti proxima ſuavis Luſcinia: hîc Alauda, non tam pennis, quàm voce ad cælum enititur: hîc Trochilus quam corpore parvus, tam elegantiâ magnus, pleno vocis gutture cognatum carmen perſonat; conclamant ſolidâ claráq; voce Fringillæ, Paruſq; curioſus accinit: hîc Ciconia recurvo collo proturbat ſonos. & *quot habet Volucres agitabilis Aër*, earum innumera turba chorum aereum implet. Ex his aliæ rapto vivere aſſuetæ, ſolitariæ ſunt, nec quidquam commune præter conjugalem ſocietatem retinent: aliæ econtra gregales ſocialem vitam degunt; & harum nonnullæ illeges, Democratiam quandam imitantur; nonnullæ verò ducem ſecutæ, Monarchicum æmulantur Imperium. Aliæ iterum ſedes mutant, & imminente brumâ exteras inviſunt regiones; cùm aliæ ejuſdem ſemper loci Incolæ patrium ſolum ament. Taceo cæteras Alitum differentias; manſueſcunt hæ, & dociles hominum amicitiam prenſant; indomitæ illæ ac inhumanæ ſolitudines ambiunt & ſylvas: iſtæ taciturnæ, illæ garrulæ, & harum aliquæ *Inoſcines* ſeu cantûs expertes, aliæ *oſcines* ac muſicæ vocantur. Quæ omnes ſuâ magnitudine, pulchritudine, ſitu, utilitate, miniſterio, proprietate, perſeverantiâ, vel in admirationem & laudem ſui Factoris rapiunt ſpectatores, vel eos eleganti colorum, vocum, ac naturæ varietate mirabiliter oblectant, afficiunt, movent, docent & informant. Ingens emolumentum, quod in genere naturæ, moris ac virtutis ex naturalibus Volatilium proprietatibus humana pietas ſibi poſſit comparare: ita ut rectè abſconditorum myſteriorum ſcrutator Jobus quemlibet Dei magnalia ignorantem remittat ad hoſce pædagogos, *Interroga volatilia cæli; & indicabunt tibi.* Ergo volucres cæli ſint noſtri impoſterum prædicatores, & ſi quid in genere moris obſervandum, vivæ vocis oracula. Adeſto Adami poſteritas, ſancta Fidelium mentium converſatio: adeſte probi cum improbis, *& reſpicite Volatilia Cæli.* Ipſa enim, Deo adſpirante, per ardentiſſimas conciones, per ingenioſas inventiones, per penetrantes latentis ſpiritûs voces, per ſancti Evangelij & divinarum Scripturarum medullas, per ſanctorum Patrum ſententias, per opportunas & importunas cantilenas, indicabunt vobis ſalutarem ſcientiam, *faciendi bonum, & declinandi à malo.*

Maffeus de rebus Indic. l. 12. p. 127.

2\. Ornithoboſcium magnum aperitur ad noſtram inſtructionem.

Proinde, Superis auſpicantibus, Ornithoboſcium magnum ingredior, varijs Volatilium ſpeciebus jucundiſſimum. Optima quæque ex varijs terrarum Provincijs ſeligo & notiſſima; gallinas ex Rhodo; ex Campaniâ columbas, ex Inſulâ Samos pavones, anates ex Glegorno, coturnices ex Aſtipalæa, merulas ex Ægypto, luſcinias ex Antiſſa ex Angliæ Tameſiâ cygnos, &c, *quot habet volucres agitabilis aër*, earum ſpecies ex celeberrimis orbis plagis collectas, quas Geſnerus & Al-

Aldrovandus aliíqueOrnithologi numero circiter centum quinquaginta comprehenderunt principales, cujusque verò ſpeciei ſubalternam & individualem multitudinem ingentem. Refert Thomas le Blanc in Analyſi Pſalmorum, ſe apud quendam legiſſe, qui in Canadenſi tractu itinerans obſervârat, conſurgere ſcilicet ibi Inſulam, quæ Avium Inſula vocetur, propter tantam earum multitudinem, ut dicat, plures ibi reperiri volucres, quàm herbas pratorum, licèt optima ibi ſint paſcua; totam enim terræ ſuperficiem ijs tegi, & alias ſuper alias in aëre volitare. Jam ex his volucribus cœli, aliæ ſunt rapaces, aliæ oſcines aut inoſcines, nonnullæ carnivoræ, quædam noctivagæ, diurnæ, clamoſæ, mutæ, amphibiæ, manſvelæ, ſylveſtres, inſectæ, alipetæ, humivolæ, aquivolæ, omnes in magno Ornithoboſcio liberæ. Rapiebantur paſſim ſancti Patres in DEI laudes & præconia, quando ſuos animos cœli Aviatio applicaverant. Attonitus hæserat S. Cyrillus Hieroſolymitanus, dum Philoſophorum perſtinxit ſuperbiam, volentium, immenſam Conditoris potentiam intellectûs ſui anguſtijs concludere. *Quis poterit*, inquit, *perſpicere aëreorum volatilium naturam? quomodo hæc quidem linguam habeant canoram; iſta autem variâ pennarum ornentur picturâ, illa verò ſuper omnia in medium aërem elata, ſtare & nihil moveri videantur; ut accipiter, diſtentis alis, ſtat immobilis ſpectans ad Auſtrum. Quis hominum poterit viſu conſequi Aquilam exaltatam? quòd ſi avem non potes conſpicere, quomodo factorum omnium vis conſiderare?* Simili quadam devotione erigitur in admirationem & laudem Numinis S. Gregorius Theologus. *Omnia*, clamat, *Deum laudant, & inenarrabilibus, ac mutis etiam, ut ita dicam, vocibus, Deum glorificant. Namque pro his omnibus gratiæ à me aguntur Deo, atque hoc pacto mea laus, qua Deum ego laudo propter illa, ipſorum quoque laus efficitur, dum ab illis ego laudandi occaſionem accipio.*

3\. Vbi hoc magnum cœli Ornithoboſcium, devota Deo pectora, in laudem provocat Conditoris, non poſſum ego ardentem continere animum, quin ſuos reflectat ſpiritus, & profundiori conſilio hos divinæ omnipotentiæ Muſicos proſequatur. Cum D. Bernardo, ex cujus ore & calamo mellita fluebant ſapientiæ eloquia, animosè exhortor: *Experto crede, aliquid amplius invenies in ſylvis, quàm in libris.* In libris invenies verba duntaxat muta, elingues litteras, exangues vocales, folia mortua, columnas intercisas; in ſylvis audies vivaciſſimas Dei laudes, & invenies optimos facultatum omnium magiſtros, morúmq. præceptores: volucres cœli *docebunt te, quod à magiſtris audire non poſſis.* Liberales diſquire diſciplinas & artes; & quidquid in illis difficultatis humanos ſenſus fatigare poſſet, *interroga volatilia cœli*, totum id clariſſimâ docendi periodo *indicabunt tibi*. Orthographia inprimis, Lucano teſte, à variegato gruum volatu inter Græcos Troiani belli Philoſophos, ſumpſit exordium; nam dum obſervarent grues in ſuo volatu nunc figuram γ, nunc λ, nunc ω, nunc alia hujusmodi efformare hierogliphica, exinde ſibi certos & conſtantes ſcribendi deſignârunt characteres. Imò nec poſſent tam commodè artes liberales, & res quæcunque notabiles ſervari libris, delineari chartis, niſi *volatilia pennata* calamos velociter ſcribentibus præpararent. Grammaticæ ſubinde picæ, ſubinde Pſittaci ſunt experti. Erat cuidam Legato Pſittacus, qui Lauretanus B. Virginis Lytanias perfectè recitaret: erat alius Cardinali Aſcanio, qui noverat Apoſtolicum Symbolum recitare: erat alius cuidam Bavariæ Duci, qui pari imitatione didicerat totam Antiphonam *Salve Regina*, ptout mendicos pueros in plateâ pro ſtipe recitare perceperat. Et quis non vidit picas, corvos, ſturnos, graculos tam facetè inſtructos, ut novetint quædam verba diſtinctè & articulatè pronuntiare? quin & ſæpius didicerint tripudia inſtituere, ad fiſtulam ſaltare, choreas ducere? Si Democrito fides eſt, Philomelæ Muſicam & Poëſin debemus, cum eliſione obſervationis Pythagoricæ: hæc enim ſuos inſtituit pullos, eóſque accentuum obſerva-

Blanc. tom. 3. pſal. 49. h. 11.

S. Cyrillus Catecheſ. 9.

S. Gregor. Theolog.

Aves nos docent varias artes liberales.

S. Bernardus ep. 106.

Lucanus l. 5. de bello Phars.

ſervationes docet,ut uno pronuntient ſpiritu,jam producant,jam corripiant, inflectant,minuant; mox per ſemitonios murent, diſtinguant, dividántque in breviſſimos & exiles garrirus; acutum reddant tremulam vocem, in variósque transforment modos. Quidſi memorem Cencontlatollum, Luſcinia muta erit: nam hic ab Indis ad blanditias auditûs, ad oſtentum & miraculum naturæ ſervatur: vincit omnes aves ſvavitate; & arbitrio gutturis nullius non imitatur, nullius non ſuperat harmoniam. Nec Geometriæ rudes ſunt Hirundines: ſciunt figuram circularem eſſe ſuis caſtrulis capaciorem,cautiorémque; ſæpe etiam per ſegmenta ſcindunt diametrum. Hexagonos ſuos Apes fabricant per obruſos angulos:Grues ſe diſponunt per acutos,ſive curvilineos, ſive rectilineos, ſive per angulos mixtos. Perſpectivæ & Sciographiæ notitiâ inviſum miluum gallina videt, & ſoboli providet, ex umbrâ hoſtem conjectata. Ad mechanicas facultates digredior: ubi iterum Architecturæ inventrices feruntur Hirundines; ligna inprimis craſſa & ſolida fundamenti loco jaciunt; ſuperſtruunt molliores virgulas & paleas: quando cœnum,quo calcis & cæmenti loco utuntur, non inveniunt, ad rivum advolant,ubi ſe mergitant,donec totæ madeant: mox in pulvere ſe involutant, donec efficiant limum ex pulvere,humoribus macerato,unde ædificent nidos,intercludant rimas, murorum fiſſuras oblinant:orbiculari formâ habitacula conſtruunt;nôrunt enim aptiorem quadratâ eſſe ad pullos tuendos, & fovendos: prout graviter obſervat S. Auguſtinus. *Avis vocibus læta, in adibus divitũ, commixto limo ſtipulâ,unguibus obuncis, ſine lineâ, ſine menſurâ, ſine operario, adjuvante Domino,ore magiſtro nidificat.* Pari ratione Ars nautica ab Avibus derivatur: nam id.quod navi præſtant remi in aquâ, ſolent avi præſtare alæ & pennæ in aëre: quod præſerim in miluo obſervant, flexu caudæ velut temone volatum dirigente. NequeArs pictoria tam ſublimi elevatione ſuos noviſſet interdiſtinguere colores,niſi illos in Phaſianis,Pavonibus, Corvis Indicis,& hujusmodi vivaciſſimarum plumarum Alitibus conſpexiſſet. *Experto crede, aliquid amplius invenies in ſylvis, quàm in libris.*

Nierembergius hiſt.nat. l.10. c. 77.

S. Auguſt. tract de non cogitando in craſtinum.

4\. Sed & ſublimiores ſcientias ſi ignores,*volatilia cæli indicabunt tibi.* Et quis non advertit,volueres eſſe bonos Phyſicos? In Lybiâ cùm corvi ſitientes aquam inferiorē vident,ut eam roſtro attingere poſſint, calculos ore & unguibus apporrantes inferunt;deſidentibus in fundum petrulis, humor ex ſubſidentium corporum occupatione allevatus, ſuperiorem replet vacuitatem: & ita ſolerti machinatione aquâ hauriunt, ſitim pellunt, reficiuntur. Mirare hîc Phyſicæ peritiam,unum & eundem locum duo corpora non capere: mirare Magicen naturæ, levia ferri ſurſum,quando gravia mittuntur deorſum. Quid de Aſtrologiâ dicam, quando exactè prænuntiare nôrunt varias aſtrorum influentias,ventorum impetus,pluviarum irrigationes, ſerenitatis prodromos, tempeſtatum mutationes? Hoc ſanè argumento Deus ipſe per Jeremiam acriter perſtringit populum Idololatreuticum:*Miluus*,inquit,*in cælo cognovit tempus ſuum,turtur, & hirundo,& ciconia cuſtodierunt tempus adventûs ſui: populus autem meus non cognovit adventum Domini.* In Norvegia, ubi per tres fermè menſes ſol remotior breve, imò ne vix aliquod crepuſculum facit, incolæ Cornicum duntaxat obſervant clamores: his enim auditis, ſolem in oppoſito horizonte occidere nôrunt; adeóque quieti concedunt. Ecquis non aliquando audivit, Gallum gallinaceum ſuo clamore vigilias noctis diſtinguere, occaſum ſtellarum nuntiare,& ortum ſolis prævenire? Vetuerat Pythagoras ſuæ ſectæ ſequacibus, ne quis unquam gallum perimeret:nam id animal vel maximè philoſophicum,aſtronomicũ & aſtrologicũ eſſe cenſuit;&longè familiarius ſoli, quàm aquilas; quarum potiſſima laus eſt, quòd jam exortum fixè inſpiciant; ubi galli cum vident, etiam quando ſub noſtro hemiſphærio latet; eique ipſos paſſus adnumerant, & quantùm abſit, hominibus indicant;

Aves etiam ſublimes ſcientias callent.

Ierem. 8. v. 7.

Majolus to. 1. can. 99. col.6.

Laërtius in Pythagora.

& ad

& ad primùm auroræ conſpectum cantantes geſtiunt, excitatores ſomniculoſorum à naturâ conſtituti, & magiſtri, qui nos fugitivi admoneant temporis, & ad menſuram horarum ſpatia deſignent. E contrario Sybaritæ, quorum totus populus de ſcholâ Epicuri erat, eoſdem à ſuâ civitate relegârunt, ceu inimicos hominũ quieti, & dormientium otio infeſtos: qui jam prius, quàm dies benè naſcatur, ad laborandum evocent; & tempus in partes dividendo, id faciant ſolito longius videri. Relinquo, quantùm ponant volucres in alimentis, & pharmacis: debemus Ibidi clyſtêris uſum; Aquilæ ætiten petram, quæ puerperis pro Lucinâ eſt: ſingulas, ſi velis, Medicæ facultatis partes, *volatilia cæli indicabunt tibi. Pharmaceuticen* Palumbes, Iraculi & Merulæ practicant, dum lauri deguſtatis folijs; ſicut columbæ & turtures helxine, ſuperfluos humores expurgant; hirundines, dum oculorum cæcitatem chelidoniâ avertunt; ſic & aliæ aves ſuis morbis medelas requirunt, utpote accipiter hieracium, ciconia origanum, circus cichorium, miluus rhamnum, upupa adiantem, pavo radicem lini, ardea cancrum, anſer ſideriten, grues juncum paluſtrem, corvus occiſum chamæleontem. *Diatam* univerſim obſervant, & quoties ſatisfactum eſt fami, cibo temperant. *Chirurgiten* ciconiæ exercent, quæ vulneri per pugnam accepto cunilam apponunt. *Experto crede, aliquid amplius invenies in ſylvis, quã in libris.*

Aldrovandi proleg. in Ornithol.

5. Quid moror? virtutum omnium theatrum Natura in volatilibus pandit. Enimverò callent omnes moralis Philoſophiæ partes, Politicam apes, Æconomicen picæ & cuculi; militarem grues. Tres Reipublicæ civilis formas in iiſdem invenies: in apibus Monarchiam, quæ eſt regimen unius capitis: in gruibus Ariſtocratiam; nam patent præſtantioribus & ſenioribus: in ſturnis Democratiam, quibus popularis eſt civilitas & communio curæ. Ne quid deſideretur, cygnus Monaſticen colit, præſertim ſi cucullato nomen tribuas. Nec deficit quidquam, quod Morali Philoſophiæ, tanquam Pandoræ, volatilia non dederint in pignus virtutis. Moralis Philoſophiæ liber, natura eſt; quæ de omnibus virtutibus per animalium, præſertim volatilium, proprietates diſputat. Nec tantùm mores docet, ſed monet: ſcilicet monet exemplo. Prudentiæ effigiem in Gruibus lege; quibus Ariſtoteles atteſtatur, *quòd multa prudenter agant.* Temperantiæ formam cape ab Aquilâ Joviali, abſtinente carnibus. Fortitudinem in Trochilo admireris, qui pernici volatu etiam ab aquilâ renuit ſuperari. Eſſentiam Juſtitiæ avis Diceros exhibet, defodiens excrementa ſua lethalia, ne quem lædant. Nulla cæteroquin major Juſtitia, quàm in cõmuni omnium volatilium innocentia. Alias virtutes his quatuor Cardinalibus appendices concipite; de quibus, Lyrano noſtro hortante, *Volatilia interrogate, & virtutes conſiderate; & eorum reſponſio, eſt conſiderantium imitatio.* Indicabunt Alaudæ Religionis actus, Divinæ Laudis præſtantiſſimos. *Imitare frater*, ait S. Ambroſius, *minutiſſimas aves, mane & veſpere Creatori gratias referendo; & ſi es devotior, imitare Luſciniam; cui quoniam ad dicendas laudes dies ſola non ſufficit, nocturna ſpatia pervigili cantilenâ decurrit. Indicabunt* Merops, Aſtur, Ciconia pietatem erga ſeniculos parentes, quos officioſis ſuis obſequijs afficiunt, agnoſcentes beneficia, quibus eos parentes ab ovo cumulârunt. Omnem admirationem ſuperat, quod Camerarius de ciconijs ſcribit. Cùm enim anno 1580. Francofurti exortum incendium quaſdam ædes depaſceret, in quarum ſummitate nidus ciconiarum jamjam à flammis corriperetur; ecce! quid non ciconiarum pietas ergà ſervandos pullos invenerit? Aquas parentes oppletis roſtris ac faucibus primò affundunt perperam; tum nidum diripiunt; poſtea alis ventum concitant ad ſuffocandas flammas; tandem expanſis alis ſimul ſuper nidum concidunt; ſicque unà cum pullis igni devoranti pietatis victima ſacrantur. *Indicabunt*, Tinunculus

In virtutibus moralibus nos inſtruunt volucres.

Nierenbergius cit. l. 2.

Lyranus ſuper Iob cit.

S. Ambroſ. in ſermon. quadr. ad pop.

Camerarius hiſt. ſtb. cent. 3.

conjugalem amorem; Oſſifraga miſericordiam, deſtitutos aquilæ filios ſuſtentans; Caſſiæ aves amicitiam, quæ nunquam conſpiciuntur ab incolis, niſi cùm opus eſt eos adversùs locuſtas juvare; columbæ continentiam, conſorti fideliſſimæ. Et quis ira cupidinis retibus eſt illaqueatus, quem non inſigne adulterij odium in porphyrione revocet ad pudicitiam? *Indicabunt* Apes fidelitatem in regem; nam aberrantem quærunt, geſtant imbellem, deſerunt nunquam; ſed & earum Rex clementiam colit innocente aculeo. *Indicabunt* applicare activa paſſivis, & remedia pœnitentiæ peccatoribus: quod graviter apprehendit Tertullianus, dicens. *Hirundo ſi excæcaverit pullos, novit illos rurſus oculare de ſua chelidoniâ; peccator reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino exomologeſin ſciens, illam præteribit?* *Indicabunt* ingenioſam & ſtrenuam in rebus agendis conſtantiam, in adverſis tolerantiam, in difficilibus magnanimitatem: ſic enim Cozcacoauthlus (avis Indica) eâdem perſtans ſede, immobilis, inconcuſſus, ventis adverſantibus vehementiſſimâ reſiſtit vi; neſcitur, an laſſetur; cùm non quieſcat, qui vix intermittit. *Indicabunt* affabilitatem ſturni, picæ, pſittaci, graculi, corvi Indici, & quotquot imitando articulatas voces humanæ ſocietati pariunt oblectationem.

Tertull. lib. de pænit.

Niremb. cit.

6. Longè plura, longè majora per ſubſequentes ſermones exponam aviarij mei virtutum ænigmata; ad capiendum facilia; in inventione ingenioſa; pro auditorio jucunda; pro admiratione curioſa; pro ædificatione affectuoſa; ratione, experientiâ, authoritate certa; Sacræ Scripturæ nervo firma, ſancta, divina. Nec deſiderari poteſt, quæ maxima omnium eſt, etiam virtutum Theologicarum in Volatilibus pædagogia. *Indicabunt* Fidem magnam erga Deum, & quaſi operibus veſtitam, laborioſéque juxta D. Jacobi calamum exornatam: enim verò, ut Divus Auguſtinus argumentatur, *pluit, tonat, fulminat, & pulli tuti ac unicè ſecuri ſunt: mater procedit diluculo, fidens Deo; volat hilaris per aëra; eſcam quærit & invenit, ubi non ponit; quia totum illi Deus apponit.* *Indicabunt* Spei emolumenta admiranda, quâ indeſinenter nituntur, & ſeſe Divinæ Providentiæ committunt: *Suo namque paſtori*, ut cum Divo Ambroſio loquar, *avis innoxia, quia ſermone non poteſt, ſuavitate blanditur: habent enim & aves paſtorem; ſicut ait Dominus. Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſeminant, neque metunt, & Pater veſter, qui in cælis eſt, paſcit illa.* *Indicabunt* inſuper Charitatis eximia documenta, quando ipſa Divina Charitas ſub Volatilis ſimilitudine ſeſe roties humanis pectoribus cognoſcendam inſinuavit: quid enim Pelicanus ſolitudinis ad conſervandos pullos ex lancinato pectore ſanguinem proliciens, quid Gallina pullos ſuos ſub alis congregans ſignificarunt aliud, quàm maximam illam charitatem, qua Chriſtus animam ſuam poſuit pro amicis ſuis? ut non immeritò à Prophetarum Patientiſſimo arguatur, dilectionis ſuæ modum, ordinem aut methodum neſciviſſe. *Semitam ignoravit Avis*, quem textum D. Gregorius unicè de Chriſto exponens ait. *Avis rectè appellatus eſt Dominus, qui pernici volatu cœlo delapſus, viſitavit nos oriens ex alto dilectionis ſuæ incendio, & corpus carneum ad æthera levavit.* Et quid de charitate erga proximum memorabo, ubi tot occurrunt dicendi argumenta, quot miracula? immenſus forem, ſi omnia charitatis officia à volatilibus in obſequium ſanctis viris exhibita in theatrum adducerem. Nemo omnium accepit majora, quàm Seraphicus meus Pater Franciſcus, qui ſæpiſſimè inter volatilium cautilenas, obſequia & ſocietates in Divinum exarſit amorem. Falconem is habuit, qui mediæ noctis vigiliâ ad cellæ feneſtram advolans, clamore ſuo ſervum Dei ad divinas excitabat laudes; quòd ſi verò Franciſcus ex pœnitentiæ rigore, aut corporis afflictione infirmus decumberet, alatus excubitor quieſcenti infirmo pepercit, & circa primũ rubigantis ſolis diluculũ ſeriùs excitavit. De

Virtutes etiam Theologicas videntur exercere.

D. Auguſt.

S. Ambroſ. ſupra citatus.

Iob. 28. v. 7.

Gregorius hom. 29. de aſcenſ. Dom.

S. Bonaventura in ejus vita.

Surius 17. Novemb.

De S. Hugone, qui ex Ordine Carthuſianorum ad Mitram Licolnienſem aſſumptus erat, ſcribit Surius; ei fuiſſe cygnum, qui nullius magis quàm de Epiſcopi præſentiâ gaudebat, & de abſentiâ lugebat; reverſuri verò adventum biduo vel triduo priùs ſuaviſſimo cantu prænuntiabat. S. Medardum à pluviarum moleſtijs, extenſis aquilæ ſupervolantis alis protectum; S. Stanislai Mart. corpus aquilas, & S. Vincentij corvum à devoratione ferarum defendiſſe; ſæpiùs corvos viris ſanctis attuliſſe pro alimonia panes, ſubinde etiam pro eſurientium neceſſitate duplicâſſe annonam, paſſim referunt Authores. Petro Caniſio, ſanctimoniâ & eruditione admirabili Societatis Jesu viro, cupienti, cùm langueret proſtratâ appetitione, eſum aviculæ, cùm quæſita non reperiretur, ultrò venit ad manus per feneſtram ingreſſa,

Nierenbergius ... c. 21.

Illa ter, illa quater, per inane cubile pererrans,
Ambijt humanas cœna futura manus.

Videtis, quid moris, quid virtutis in omni genere perfectionis ad noſtram eruditionem volatilia cæli paſſim indicent. Jam ubi tot ſunt homini ad cælum viæ, ad perfectionem motiva, ad rectè operandum lumina *nemo eſt*, uti cum D. Baſilio crediderim, *qui natura ſenſu prudentiâve ita deſtituatur, ut non mediocri pudore eum exiſtimet dignum, quiſquis, quod ad virtutem attinet, finit ſe alitibus illis deprehendi inferiorem.*

S. Baſil hom. 8. in Hexaem.

7. Avium utilitates variæ.

Sed nec iſta ſufficient ad dignam Aviarij mei commendationem, niſi prolixiùs ſermonem traherem, & plauſibili conatu plumata Auditorum meorum corda inſtruerem, quid utilitatis, quid jucunditatis nobilis Gens Volatilium conferat homini, à primo Protoplaſte ad tantum dominij gradum ſuper omnia animantia elevato? Igitur ab honeſtis ad utilia, & delectabilia tranſvolemus. Alunt nos carnibus, pullis & ovis; & cibo quidem ſapido, ſalubri, grato, delicioſo, pro temporũ & appetitionum varietate ſubminiſtrato. Nec bis tantùm intra quadraginta annos ſicut Iſraëlitis, coturnicum copia innumerabilis impluit; quando hæ & plures aliæ aves ex remotiſſimis terris, divinâ dirigente Providentiâ, ultrò ad nos advolant; ita ut ſingulis penè menſibus faſtidium pellatur, & appetitus alijs atque alijs volatilium cupedijs concitetur, nunc coturnicum, nunc fringillarum, nunc paricum & alaudarum, nunc ficedularum, nunc merularum & turdorum, nunc perdicum & attaginum: ne dicam de volucribus, quæ vel in ædibus toto anno cicures ſervantur, ut gallinæ, anſeres, columbæ, anates; vel in montibus & ſylvis ſtabili aucupio attrahuntur, ut urogalli, montanigalli, perdices, phaſides, & hujuſmodi nobilium deliciæ; quæ in nonnullis regionibus tam copioſè habentur, ut penè in nauſeam vertantur. Quibuſdam etiam locis propter victûs humani penuriam, Deo providente, aviculæ ſylveſtres adeò ſunt ſtolidæ, ut ob prolem tuendam nulli ſe periculo exponant, ſed ultrò manibus capi & tolli ſe permittant. In rem præſentem curioſa ſimul & officioſa ex varijs Anthoribus adducit exempla Mathias Faber in ſuo Auctuario, quem vide. Nec minor eſt ratio veſtium, ac fovendorum corporum gratia, ab aviculis accepta; quæ quanta ſit, militum caſſides, principum capitegia, nobilium puellarum flabella & tiaræ, commoe ſtertentium remedium *indicabunt tibi*. Enim verò cernimus paſſim militum galeros ſtruthionum plumis ſuperbos; principum autem ſelectis ardearum pennulis, aliarumvè peregrinarum avium decore præſtantibus, capitegia exornata quid non laboris & negotij ſtruthionum aliarumq; volucrum plumis ſibi faceſſunt matronæ nobiles, quæ plumatis capite & manibus non rarò ſibimetipſis levitate ferri, & volare videntur? Indos, Braſilos & ſimiles Barbarorum nationes, ex variarum avium pennis varij coloris ſpecioſiſſimis ſubligacula & coronas ſibi contexere, ijſq; velut veſtitu honoratiſſimo gaudere, ex varijs Hiſtoricorum relationibus compertum eſt. De quodam Germaniæ Prin-

Exod. 16. & Num. 11.

Auctuarium Fabri Dom. 14 poſt Pent. thom. 1.4,1.

Principe narrant, quòd geſtârit pelliceum, integrè ex carduelium capitellis ſuffultum. Pelles,& plumas cygnorum,non pauci ſtomacho adhibent ad fovendum calorem. Denique ubi fragili naturæ, in frigidis præſertim regionibus,requietionis beneficium ponas; ubi dulcem capias ſomnum,& defatigata laboribus membra reficias; ubi ſolertes negotioſi diei curas remittas,& exhauſtos honeſto ſtudio ſpiritus reaſſumas; ubi oneroſam laboranti ſtomacho crapulam extrahas, aut aliàs pertinaces deficientis naturæ affectus colligas,cæteraſq; malignantis morbi inſidias mitiges, *volatilia cæli indicabunt tibi*, quando plumis, ſibi copiosè ex cute ereptis, tibi lectum ſternunt ad quietem, te cooperiunt ad ſanitatem. Ecquis facilè lectum ſuum plumaceum commutaret cum ſtramineo? Nec deſunt aliæ utilitates, quas ex volatilium concurſu humana percipit Reſpublica,in tam amplo moleſtiarum & inſidiarum theatro. Ne nimia muſcarum multiplicatio hominibus pecoribuſque infeſta ſit, hirundines, veſpertiliones, currucæ,& hujuſmodi aviculæ,ſuis quotidianis venationibus eam auferunt: ne vermiculi hortorum, ſegetum ac pomorum delitias depaſcant; paſſeres & cornices ijs inſidiantur: ne ſerpentes, bufones & ranæ mortalibus ſua venena diffundant; ciconiæ, ibides & pavones pabulatum exeunt: ne brutorum cadavera auram fætore inficiant; corvi, picæ & hujuſmodi reliquias abſumunt: ne mures agreſtes plantarum, ſegetumq; radices abrodant; perpetuas milui metuunt inimicitias: ne etiam minores aviculæ multiplicentur nimiùm; aquilæ, & accipitres earum abbreviant dies. Serpentum in Ægypto ingens eſt copia, & tanta in Theſſalia, ut niſi ab ibidibus & ciconijs (quæ illic plurimæ, & ob beneficium ſacræ ſunt) perimerentur, indigenas migrare oporteret. *Plin. lib. 10. cap. 23.* Aliæ inſuper aves pro nobis vigilant: minimos quoſque ſtrepitus adverſantium obſervant,& clamoribus produnt anſeres, qui hac ratione Capitolium Romanum à Gallorum irruptione præſervârunt, magno dormientium canum præjudicio: galli gallinacei diuturnæ noctis vigilias,ac ſpatia paganis annuntiant: aliæ complures de imminentibus pluvijs,& tempeſtatibus nos monent: quando tua domus ruinæ vult appropinquare, *indicabunt tibi* hirundines, dum fugiunt: quando contagioſa lues civitatis tuæ auram vult corrumpere,*indicabunt tibi* paſſeres & vultures, cùm à regione migrant. Tanta comparari poteſt volatilium in humanis utilitas.

8. **Iucunditas multiplex ex avibus hauſta.**

Sed nec minorem conſiderate oblectationem, quotquot triſti melancholiæ ſpiritu aut ſeria gerendorum negotiorum ſollicitudine vobiſmetipſis graves evaditis. Quid enim jucundius naturali avicularum cantu, vario & mirifico, quem partim gratis in ſylvâ, partim in caveis incluſæ, pro pabulo ſibi exhibito perficiunt? ubi vocum tot centenas ſpecies, ſingulæ diverſas habent, ut ex voce ſolâ quamprimum agnoſcantur. D.Ambroſius his avium cantilenis recreatus, ad rem jucundiſſimè loquitur. *S. Ambroſ. lib. 5. hex. c. 14.* *Aliæ vocibus tantùm ſtrepunt, aliæ canoro delectant ſuaviq; modulamine: quædam ex natura, aliæ ex inſtitutione diverſarum vocum obloquuntur diſcrimine, ut hominem putes locutum,cùm ſit locuta avis. Quàm dulcis merularum, quàm expreſſa vox pſittaci eſt.* Quid non corvi, ſturni, graculi, picæ & ſimiles, ineptiarum effari didicerunt? quas nugas, riſus,cachinnos, ludos edere,maximo ſpectantium oblectamento? ſed & pennas ſuas ad chordas citharæ, muſicorúmque inſtrumentorum pulſandas dant in plectra, ut homines lætificent. Pennarum quoque varietate & pulchritudine multis conſtant pecunijs, & ex peregrinis afferuntur regionibus ad jucunditatis ſpectaculum: hinc aulas Principum accedite, ut onocrotalos, pavos, gallos indicos, aquilas nigras & albas, ſtruthiones, picas Braſilicas ferrato ingentiq; roſtro armatas,grues, anates Turcicas, & hujuſmodi volatilium raritates videatis; quorum aſpectu ſeſe principes, ſuóſque oblectant, nec non divitias majeſtatémque ſuam oſten-

oſtentant. Nihil hìc de varijs obſequijs, ad quæ aviculæ vel edoctæ, vel ipſæmet cicures factæ, aſſveverunt; nihil de aucupio avium prædatium ultra ad recreationem ſuperaddam: quando per tot artes, per tot ſcientias, per tot miracula lætiſſima excurrit curioſitas: quando nihil eſſe poteſt jucundius, quàm ſine æſtu, ſine ſudore, ſine morâ, ſine patientiâ, ſine ſumptu, ex apertò noſtro Aviario aucupari tot volatilia, unàque cum ijs venari Deum,

Et ire per omnes
Terrásque, tractúsque maris, cælúmque profundum.

Quando Ariſtoteli nulla fuit naturæ, aut artis jucundior cognitio, quàm iſta volatiliũ diſquiſitio: quando Ælianus pluris fecit hanc notitiam, quàm aulam, quàm divitias, quàm popularem plauſum, & authoritatem. Renuntiavit is, quod maximum eſt, avaritiæ; & ſpes omnes, quas tanti facimus, pro iſta voluptate commutavit, ſuóſque tandem Commentarios concluſit hoc conſilio. *Mihi anſerum & gruum migrationes noviſſe, & draconum naturas & reliqua hoc volumine comprehendere, volupe eſt; copioſis & locupletibus hominum annumerari, & ex illorum ordine cenſeri, non lubet.* Non tam miror, delectaſſe Ælianum præ omnibus divitijs iſtam ſpeculationem alatæ & animatæ ſubſtantię, quàm Ariſtotelem præ omnibus ſpeculationibus ſuis; & utrumque præ omnibus doctrinis. Ille liberior non ſolùm jucundiorem putavit, ſed etiam glorioſiorem: ne credas ſuperbire, dum ait. *Quòd ſi de numero hominum natura ſtudioſorum, inter quos & Poëta ſunt eruditi & Philoſophi ingenioſi, & alij ſcriptores rerum experientiâ clari, etiam ipſe eſſe cupio & centtor, multò ſanè honeſtiore loco & dignitate majori, quàm pro illorum conſilio, futurum me confido.* Ità cum Ariſtotele, & Æliano, ſentiunt excellentiſſimi quique Ornithologi; & in unum conveniunt, quotquot pro delitijs, & magnâ humanæ ſtudioſitatis parte judicant, *omnia volatilia cæli cognoviſſe.*

Ælianus in fine.

Quamobrem omni ex parte honeſtum, utile ac delectabile ſtudium, cùm præbeat magnum hoc patulæ auræ Ornithoboſcium, & in omni virtutum genere inſtruat ſacrata jucundiſſimæ Ornithologiæ cognitio; ad omnes Dominicas & Feſtivas conciones, quotquot per annum S. Romana Eccleſia celebrat, vos ſolemniſſimè pariter & amiciſſimè invito, Auditores unde unde ornatiſſimi. Concedite hoc otium curioſitati ſanctæ, ut cum ingenti ſalutis emolumento, ordinariâ audiendi patientiâ, avido auſcultandi concurſu, tranquillâ penetrandi facultate, fidem faciam Aviario meo, veritate & juſtitia illuſtrato: quidquid in natura mirabile, in DEI operibus ſpecioſum, clarum in inventionibus, in genere cœleſtis meriti glorioſum, in ſalutis æternæ methodo regium, in vitijs abominabile, in virtutibus honeſtum atque decorum, tandem in divinæ voluntatis obſequio exoptabile eſſe poteſt; illud totum per laborioſos quidem, ſed exquiſitos & gratos diſcurſus, in ſingulis concionibus efficaciſſimè, penetrantiſſimè, & affectuoſiſſimè *volatilia cæli indicabunt.* Amen.

PRIMA ADVENTUS.

NOCTUA, BUBO, NYCTICORAX.

Auff / Eyl / Nachtrap.

LEMMA.

Obſcurâ nocte per umbram. Virgil. 2. Æneid.

THEMA.

Tunc videbunt Filium Hominis venientem in nube, cum poteſtate magna & majeſtate. Lucæ 21. v. 27.

SYNOPSIS CONCIONIS II.

Adventus tremendi Judicis quoad tempus laborioſè inveſtigatur, & quoad concomitantes ſolemnitates emphaticè promulgatur.

9. Noctuæ & Bubones portendunt luctum, & diem judicij.

FUneſta res, quæ elapsâ nocte mihi dormienti, non inani prodigio, contigit. Difficulter expono, quod contremiſcentes toti' corporis artus ſuis profundè concluſit medullis; quia tamen ſcire vultis tragicen, aperiam ſaltem tremulè, ſi non poſſum vigoroſè. Dormiebam ſopore gravi; & ecce! vox importuna meis intonuit auribus, quæ penetrante impetu me excitabat à ſomno dulci; Auff/ auff! Hui/ hui? Vix reſpirare licebat primitùs, tam vehemens terror cor anxium impetuoſo ſanguine obruerat. Neſcio, quid in mentem de incendio, de inſidijs prædonum, de militum irruptionibus, aut ſimilis mali præſentiâ, imaginatio ingeſſerit? E ſtrato igitur proſilio, & arreptâ audaciâ cellæ meæ feneſtram aperio, viſurus, ſi quid periculi præſto ſit. Et ecce! novus tremor? exanguis impallui; nam advolat ſubitò terribilis beſtia: ego portenti inſcius, ocyùs ſalutiferæ crucis teſſerâ, frontem & pectus obſigno: neque enim aliud poterat conſilium accidere, quàm ut contra angelos, & *poteſtates tenebrarum harum*, me clypeo ſalutis communirem. Poſtquàm autem redeunte animo, quantùm *obſcurâ nocte per umbram* licuit, conſideravi in volucre grande caput; orbiculatam frontem, plumis velut auribus, aut cornibus inſignitam; oculos protuberantes, qui igneo ſplendore, ingenti magnitudine, & truci obtutu terrorem inſpicientibus ingererent; roſtrum aduncum; collum pro ſua magnitudine breve; ungues aquilinas; crura truncata; colorem ferrugineum, & maculoſum. Excuſſi proinde nonnihil pavorem, quem ſive *Noctua*, ſive *Bubo*, ſive *Nycticorax*, dormienti & evigilanti incuſſerant, & jam ex provocatorio clamore, Auff / auff/ Hui/ hui/ Eyl/ eyl/ Trap/ trap/ pauliſper adverti portenti occaſionem, Evangelicæ Lectionis effectum: nempe, dicebam mecum,

Triſtia portendit venturi nuntia luctûs Ovidius.
Ignavus Bubo. Dirum mortalibus omen!

Cúmque inter fatalia præſagia ad

omnes

Digitized by Google

omnes evadendi januas captam pro me fiduciam diverterem, D. Hieronymus, quod hactenus *obſcurâ nocte per umbram* geſtum eſt, ſua luce & claritate donavit, dum animi ſui ſenſa aperuit; & veridico figmento larvam abſtraxit, ita inquiens: *Sive edam, ſive bibam, ſive dormiam, ſive vigilem; ſemper ſonat in auribus meis vox illa terribilis*, Auff/ auff/ Hui / hui / Eyl / eyl: *Surgite mortui, venite ad judicium.* Vos Auditores, qui pari clamore, pari impetu olim citabimini ad *Filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna & majeſtate*, attento, & benigno excipieris animo, ſi laborioſè inveſtigem tempus, ſcrutando Scripturas, quandonam venturus ſit tremendus Judex; & emphaticè promulgem, quêis ſolemnitatibus totus proceſſus tam rigoroſi tribunalis ſit formandus, & abſolvendus.

Hieronymus in Matth.

10. Noctuæ aucupium eſt Symbolum extremi judicij.

Obſervate, quid lucivagæ aviculæ circa noctuas & bubones inſtituant? Ludibrium, curioſitatem, an contemptum dicam? neſcio. Quando noctua ſponte ex ſuis prodit cavernis ſub luce diurna, vel ab Aucupe dici exponitur; mirum eſt, ubi primùm conſpexerint, quàm advolent circa illam aviculæ, provocent, clament, ludant, irrideant, irritent, circumdent, impugnent, deplument, conficiántque. Illa ubi tandem ſuâ tenebroſâ gravitate impar eſt ad reſiſtendum, tergo incumbit, roſtro & unguibus pugnat; & avicularum cachinnos in cruentam convertit metamorphoſin. *Sic erit in conſummatione ſæculi.* Optima aucupandi facultas! Quando tenebroſum & luctuoſum illud momentum advenerit, erit maxima mortalium convolatio; prodibunt omnes de nidulis ſuis, ubi per mille quieverunt annos: tunc filij tenebrarum eijcientur foras, & unguibus Tartari erunt in devoratione: filij autem lucis gaudebunt, & ridebunt, quia contempſerunt præſens ſæculum nequam, & fortes ſeſe geſſerunt in bello. Luctuoſa cataſtrophe, quibus gaudium in luctum, & riſus convertentur in ſingultus! De tempore quæris, quando id ſit futurum? Neſcio tempus; quia *de die illâ & horâ nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater.* Plurimi arripuerunt calamos, ut portentosè ſcriberent; aperuerunt os ſuum, ut vatidicè loquerentur; ſcrutati ſunt Prophetas, ut certo certiùs prædicerent fatalem illam horam, quæ ventura eſt *ſicut fur in nocte*, ſicut noctua in tenebris: at verò plura nec dixerunt, nec ſcripſerunt, quàm quantùm licuit *obſcurâ nocte per umbram*: quia hoc in momento obſcuri ſunt Prophetæ & Doctores, obſcuri ſcribentium calami, obſcuri ſomniantium ſpiritus; cùm nemo de illo ſciat, *niſi ſolus Pater.*

Matth. 24. v. 36.

11. Mundus ſtabit diutiùs, quàm ſex mille annis.

Horum omnium claſſes breviter, ſed attentè pertranſeamus. Sunt qui dicant, mundum per ſex mille annos in hac rerum ſerie perſtiturum. Ratio eſt, quia ſex diebus operatus eſt Dominus; creavit mundum, diſtinxit, ornavit; ſeptimâ autem die ab omni opere quievit: cùm ergò ante Dominum dies una ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies heſterna, quæ præterijt; ſicut poſt ſex dies quievit, ita poſt ſex mille annos quieſcet ab hâc rerum operoſâ mole. Præſtantiſſimus Cornelius à Lapide pro hujus opinionis probabilitate adducit oraculum Eliæ, quod Hebræi in ſuis Codicibus aſſervant, ſequentis tenoris. *Sex millia mundus, & poſtea deſtructio. Duo millia inane; duo millia Lex; duo millia Chriſtus. Et ſi quid ex his deerit, propter peccata noſtra deerit, quæ magna ſunt & innumera. Sequetur inde Sabbatum æternum, cùm Deus omnia erit in omnibus.* Atqui ſecundùm Philoſophorum calculationē ætas mundi numeratur nunc 5640. circiter annorum (ſcribo autem hæc anno 1674.) ergo mundus determinatè adhuc ſtabit 360. circiter annos. Sed hæc tranſeant *obſcurâ nocte per umbram*: fundamentum enim ex communi Eccleſiæ ſenſu corruit. Enimverò Eccleſia Romana juxta Septua-

Cornelius à Lapide ſuper citat. Matth. & ſuper 3. c. Habac. v. 2.

ginta Interpretum calculationem, in Martyrologio Nativitatem Chriſti annuntiat *Anno à creatione Mundi, quando in principio creavit Deus cœlum & terram, quinquies milleſimo, centeſimo, nonageſimo nono.* Quibus ſi accedant anni 1674. quos à Nativitate Chriſti numeramus, jam mundus ſtetiſſet à principio uſque nunc annis 6873. ergo nihil efficit Heliana demonſtratio.

Martyrolog. Rom.

12. Multi ſunt, qui Prophetiæ Habacuc certam attribuunt interpretationem, & mundum dicunt tam diu manſurum poſt Chriſti adventum, quàm diu fuit ante ejus adventũ: nam ita ex prophetico Spiritu precabatur Habacuc. *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud; in medio annorum notum facies*; adeóque juxta hanc calculationem, mundus adhuc ſubſiſteret 4125. annis: cui etiam ſubſcripſiſſe aiunt Sybillam Cumæam, & plures alios cum illa; prout refert quodam loco S. Vincentius Ferrerius. Id equidem poteſt contingere; ſed credo, hoc ipſum vaticinium fuiſſe *obſcurâ nocte per umbram* latum: neque poteſt ex hoc loco convinci, prout fuſiùs explicat Cornelius; hoc quippe loco Habacuc orat Deum, ut populum ſibi peculiarem è medijs calamitatibus Chaldæorum eripiat; & quem tantis hactenus beneficijs affecerit, cuíque tanquam abſolutiſſimo manuum ſuarum operi & ſuum nomen inſcripſerit, notámque & ſtigma circumciſionis inuſſerit, Chaldæorum ſævitiâ interire, aut cum Chaldæis pariter in Babylone à Medis & Perſis exſcindi, delerique penitus non patiatur: qui ſenſus longè veroſimiliùs intentioni Prophetæ congruere videtur. Cardinalis Cuſanus aliam affert opinionem, quòd Eccleſia militans poſt Chriſtum natum tot ſit duratura Jubilæis, quot annis Chriſtus vixerat; atqui Chriſtus vixit annis fermè triginta quatuor; ergo triginta quatuor Jubilæis poſt Chriſtum natum ſtabit mundus: ſit Jubilæum tempus quinquaginta annorum; jam ſi multiplices quinquagenarium numerum per triginta quatuor, habebis concluſionem, quòd mundus poſt Chriſtum natum ſit duraturus mille ſeptingentis annis. Sed hæc ipſa ſententia, cùm authoritate SS. Scripturæ careat, videtur cum cæteris *obſcurâ nocte per umbram* transvolare. Severiori cenſurâ dignus apparet Chriſtianus Druthmarus, qui octingentis annis poſt Chriſtum vixit, & commentarios ſuper Matthæum ſcripſit. Is talem facit computum: nempe 25. Martij mundus fuit in ſua perfectione completus, Chriſtus conceptus & crucifixus; ergo eodem die 25. Martij mundus peribit, & à Chriſto judicabitur. Hoc tandem verum fore credidero, ſi Druthmaro Pater cœleſtis diem vel horam communicaverit: de quo non conſtat.

Christus non venit in medio ætatis mundi.

Habacuc 3. v. 2.

S. Vincent. Ferr. ad Bonifacium.

Variæ circa finem mundi ſententiæ.

Card. Cuſanus tract. de fine mundi.

Chriſt. Druthmar ſuper Matth.

13. Non nemo elapſis abhinc ſexaginta annis libellum edidit, Harpocratis aut ſilentij titulo inſignitum: in quo demonſtravit, mundum à ſui origine *6666.* annis permanſurum; cùm ergo iſte numerus anno poſt Chriſtum natum *1666.* compleatur, hinc anno *1666.* mundi finis certiſſimò aderit. Ita planè; nam illo anno circa Babyloniam quidam *Levi Nathan* ſurrexit, ad quem Hebræi ex Aſia & Europâ tanquam ad ſuum Meſſiam jamjam confluxerant: erat ingens eorum plauſus, apparatus ubique magnus in occurſum præſentis Meſſiæ; ſed pauperculus Levi Nathan ab Archiſtratego Turcico diſcerptim necatus, fabulam fecit Catholicis, qui varia de Antichriſto ominabantur. Erravit Harpocrates; nam à currente convincitur anno: tolerabilis tamen error eſt, quem futura Antichriſti nota fecit notabilem. Quæ nota? Illa profectò, quam Antichriſtus non tantùm propriâ præ ſe feret fronte, ſed & ſuis aſſeclis expreſsè in frontem imprimet. Clariſſimus hujus rei textus eſt in Apocalypſi. *Et faciet omnes habere characterem in dexterâ manu ſuâ, aut in frontibus ſuis, & ne quis poſſit emere vel vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus. Hic ſapientia eſt, qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ: nume-*

Antichriſti ſignum in fronte, quale futurum.

Apoc. 13. v. 16.

rus

rus enim hominis eſt ; & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex. Juxta Expoſitores ſignum illud erit nomen quoddam, Antichriſto proprium; aut ipſius demonſtrativum ; quod per modum Chronoſtici exprimat numerum 666. Nemo interim ſcit, an illud ſignum in Græcâ, Hebraicâ vel Latinâ; aut cujusque individui vernaculâ linguâ ſit exprimendum. Doctiſſimus Vega arbitratur, fore tria ſigna ; quorum unum Antichriſti imaginem, alterum nomen, tertium præfatum numerum exhibeat aſpicientibus ; fore inſuper fatalibus ac crudeliſſimis perſecutionibus conficiendum, quisquis non uno ſaltem horum ſignorum diſsjunctivè Antichriſtum profeſſus ſit Dominum ſuum devotiſſimus vaſallus : eo fermè modo, quo Diocletianus, Nero, Julianus; cæterique truculenti Tyranni ; ſub capitali ſententia prohibuerant, ne quis cum Chriſtianis quidpiam negotiaretur, niſi priùs teſſeram thuris, à ſeſe Dijs cremari, in proteſtationem attulerit. S. Hyppolitus ad explicandum ænigma à ſæculo abſconditum ; ſic inquit : ſicut Decio, Trajano, aliisque ſævientibus Tyrannis Chriſti Fideles compellebantur hiſce formulis renuntiare Deo, & idololatriæ accedere : *nego Chriſtum : adoro Jovem, Minervam, Martem, &c.* ſic illud ſignum infigendum fronti Apoſtatarum fore; *nego* : ac ſi procaci fronte hac ſola voce profeſſionis ſuæ ſyncopen intuentibus objicerent ; *nego creatorem cœli & terræ ; nego baptiſmum ; nego adorationem Deo à me præſtari ſolitam ; tibi adhæreo ; in te credo ; te adoro, &c.* Clariſſimus Ribera pro teſſera Antichriſtianis draconis toreuma inurit, eo modo, quo Cæſareani bicipitis aquilæ ſigno gloriantur : ſed hoc vel exinde credibile vix eſt, quòd Antichriſtus, & Sathan ejus, ex turgentiſſima ſuperbia reijcient abjectam venenati Draconis notam. Nec deſunt ex graviſſimis Authoribus, qui numerum Antichriſti velint in regnum Machometis detorquere ; quaſi nempe circa annum 1666. eſſet futurum terribile toti mundo ? Tranſijt hic annus ſine univerſali Turcici Regni incremento : & inſuper, dum Monarchia Turcica poſt mille annos expiratura crederetur; jam ultrò quadraginta quinque anni à ſui origine effluxerant. Ecce! quàm omnia iſta de fine mundi *obſcurâ nocte per umbram* ſint propoſita. Veriſimillimum eſt, illud ſignum ſignificaturum *ὁ Chriſtus* ; quòd & Chronoſticon contineat 666. annorum, & ſimul ambitioni Antichriſti frontem exprimat ; omnésque pro Antichriſtianis cognoſcantur, quotquot hoc ſignum in fronte geſturi ſint.

Vega ſuprà citatum locum.

S. Hyppolitus lib. de conſumm. ſæculi.

Ribera ibidem.

Ita eſt ; obſcuriſſima ſunt hæc ænigmata ; ſoli cœleſti Patri reſervata ; quando & Daniel in ſua Prophetia confitetur, interpretationem horum myſteriorum ſibi eſſe obſignatam. *Et ego audivi, & non intellexi ; & dixi : Domine mi, quid erit poſt hæc ? Et ait : vade Daniel, quia clauſi ſunt ſignatique ſermones usque ad præfinitum tempus.* S. Epiſcopi Malachiæ Prophetia vulgaris eſt, qui in ordine S. Benedicti tempore Divi Bernardi pientiſſimam vitam duxit : Is à ſuo tempore usque ad mundi finem futuros ſacræ Romanæ Eccleſiæ Pontifices ſub gentilitijs ſuis ſignis obſcurè appoſitis prænuntiavit ; absque duraturi regiminis determinatione ; ultra viginti adhuc exituri ſecundùm ipſum ſunt Romani Pontifices, quibus tandem coronidem imponet Petrus II. de quo ſic auguratur : *In perſecutione extrema Sanctæ Romana Eccleſia ſedebit Petrus Romanus, qui paſcet oves in multis tribulationibus : quibus tranſactis Civitas ſepticollis diruetur, & Iudex tremendus judicabit populum ſuum.* An verò hujusmodi prædictiones ſequentes eo modo ſint ſuis notis & ſignis conſenſutæ, ſicut priores ; idipſum *obſcurâ nocte ſub umbra* expectamus, & Divinæ diſpoſitioni commendamus. Moderna tempora tot bellis turbulenta, tot ſignis prodigioſa, tot plagis crudelia, tot perfidijs infenſa ; tot rapinis & cædibus exotica, tot tandem malis in omni fermè ſtatu impia, Antichriſti videntur eſſe præambula, poſt unum fortè aut alterum 14.

14. Pontifices Romani, quot futuri adhuc ?

Daniel. 12. v. 8. 9.

Cornel. à Lapid. ſuper cap. 17. Apocal.

rum ſæculum ſubſecuturi; ſi non abbrevientur dies propter ſalutem juſtorum & Electorum.

15. *Quantum tempus intercedet inter mortem Antichriſti, & finem mundi.*

Non hîc inquiram anxius de decem cornibus (id eſt, regibus) in unum caput, Antichriſtum coituris; non de prædicatione, aut reſiſtentia Enoch & Eliæ; non de incomparabili exercitu Antichriſti, totum mundum ſubacturo; non de horrendis lanienis, ubique terrarum inſtituendis circa mactandos in fide Chriſti perſeveraturos; non de alijs enormiſſimis perſecutionibus, preſſuris gentium, elementorum malignitatibus, populorum deſolationibus, ac ingentibus hujuſmodi malis circa ultima tempora concurſuris. Illud duntaxat adhuc faceſſit negotium; quando Antichriſtus unà cum ſuo exercitu prope Jeroſolymam igne cœleſti usque ad exterminium delebitur; an tunc immediatè venturus ſit tremendus totius univerſi Judex; an verò temporis aliquod ſpatium mediaturum inter Antichriſti necem, & judicium extremum? Sed verò iterum *obſcurâ nocte per umbram* formanda ſententia. Virgineus Propheta Daniel hic novum ponit ænigma, difficili calculatione ſolvendum. Enimverò poſtquam is edoctus fuit futura tempora, & circumſtantias Antichriſti; præſertim quando prohibitum & ſublatum DEI ſacrificium ſit reſtituendum; addit notanter: *Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque.* Sancti Patres, & Interpretes circa hos dies varias promunt expoſitiones, ſed quæ cum prioribus textibus non clarè conciliantur. Priùs revelabat Angelus Danieli, quòd deſolatio, & regnum Antichriſti, ſe extenderent ad 1290. dies; & jam in poſito textu adhuc addit 45. dies, *usque ad dies mille trecentos triginta quinque*: quippe poſt Antichriſti exterminium dabitur electis tempus reconcliationis; ita ut, ſi ex humana fragilitate priùs adhæſerint Antichriſto, tunc reſipiſcant, pœniteant, convertantur, & ad Chriſti venturi tribunal benè diſponantur. Ubi iterum obſcu- *Daniel 12. v. 12.*

riſſimè conſtat, an mundus poſt Antichriſti obitum quadraginta quinque dies, vel tot annos, extiturus ſit? S. Hieronymus arbitratur; quòd licèt in terminis Prophetiæ ponantur duntaxat quadraginta quinque dies, poſſe tamen, & probabiliter futuros eſſe plures; cùm etiam Ezechiel poſt interfectos Gog & Magog, qui eum & pro Antichriſto pugnaturi ſunt, ſeptem annos ponat medios. *Ezechiel. 39.* Sibylla quædam vaticinatur, quòd poſt Antichriſtum regnatura ſit vidua, quæ omne metalli genus unà cum armis in mare projiciet, ut mundum in pacifica tranquillitate usque ad extremum judicium conſervet: ad quod regimen utique quadraginta quinque dies non ſufficerent. Itaque veriſimillimum eſt, per illos quadraginta quinque dies totidem intelligi annos: enim verò ſi DEUS ante diluvium tempore Noë pro ſpatio pœnitentiæ centum ſuſtinuit annos, & à morte Filij ſui usque ad Jeroſolymitanum excidium quadraginta; utique etiam in fine mundi plures pœnitentiæ agendæ determinabit annos lapſis poſt tam enormem tentationem. Rem miram produnt Lactantius, Anſelmus, Macarius, & alij apud Cornelium à Lapide; videlicet Antichriſtum, poſtquam 1290. diebus ſuū regnū protraxerit, finitis Bacchanalibus, ipſo Cinerum ſacrorum die, unà cū exercitu ſuo omnino eſſe conficiendum: reliquos proinde 45. dies usque ad Paſcha Electis ad pœnitentiam ſalutarem concedi; ipſo autem Paſchatis die, eo ordine, ac methodo venturum Chriſtum, ac pro Judicio ſeſſurum, quo poſt paſſionem ſuam in Paſchate à mortuis reſurrexit. Et licet Cornelius probabiliter arbitretur, poſt internecionem Antichriſti facili argumento poſſe remonſtrari, mundum adhuc quadraginta quinque annis, vel certè quadraginta quinq; diebus ſuperſtiturum; quia verò ſolus Pater in cœlis hujus horæ ſcientiam ſibi reſervavit, hæc, & omnia ſoli ejus voluntati ſint commendata. Ab arbore autem fici, dicit Chriſtus, *diſcite* *Matth. 24. v. 32.*

Sibylla Com. lib. 3. orac. (margin, beside "Sibylla quædam vaticinatur")

Cornelius in c. 19. Apocal. in fine. (margin, beside "videlicet Antichriſtum")

paran-

parabolam, cùm videritis hæc ſigna *omnia, ſcitote, quia prope eſt in januis.* Vigilantes inſuper omni tempore nos jubet

1 Theſſal. 5. v. 2.

eſſe Paulus in Epiſtola ad Theſſalonicenſes: *veniet enim dies Domini, ſicut fur in nocte*, adeóque ſicut Bubo *obſcura nocte per umbram*, qui fatalem ſuum clamorem intonet Auff / auff / Eyl/eyl/ Hui/ hui/ *Surgite mortui, venite ad judicium.*

16\. Signa præcedentia adventum extremi Judicis. *Matth. 24. Apocal. 8.*

Et quid *tunc* erit? præcedent ſigna terribilia in omnibus penè totius Univerſi partibus: *tunc* ſol & luna, *tunc* ſtellæ obſcurabuntur ſecundùm tertiam partem, & ſuum retrahent ſplendorem ante faciem venturi Judicis: *tunc* aëreæ inflammationes, fulgura & ignitæ faces, formæ & figuræ prodigioſæ, varias orbis partes comburent, in ultionem ignis libidinoſi: *tunc* cometes ingens, in multas diſſiliens faculas ſeu exhalationes, flumina & fontes amaricabit, inſtar abſynthij, in ſceleratæ voluptatis deteſtationem: *tunc* aër peſtilentiâ inficietur, in blaſphemiarum & perjuriorum ultionem; & plaga grandinis ſanguine rubeſcentis, vindicabit ſanguinem Sanctorum, qui effuſus eſt: *tunc* Solis vis tanto æſtu affliget homines, ut quaſi aſſentur, in ultionem malarum cupiditatum: *tunc* in aquâ erit confuſio fluctuum & maris, indéque horribilis ſonitus; & ingens ignis maſſa mittetur ex alto in mare, & comburet tertiam partem navium & piſcium: *tunc* mare & flumina convertentur in ſpeciem atri ſanguinis, in ultionem effuſi ſanguinis innocentum: *tunc* ſiccabitur fluvius Euphrates, ut iter aperiat regibus conventuris ad pugnandum contra Eccleſiam pro Antichriſto: *tunc* in terris erunt preſſuræ gentium, bella, ſeditiones, fames, peſtilentiæ, terræ motus, civitatum & montium ruinæ, Inſularum diſparitiones, grandines, tonitrua, fulmina, articulatæ in aëre voces: *tunc* in hominibus Antichriſto adhæſuris ſæviet circa libidinis vaſa potiſſimùm plaga ſæva, & ulcus peſſimum: *tunc* locuſtæ peregrinæ & ſæviſſimæ, duce dæmone, cruciabunt impios: *tunc* ſolventur dæmones ad bella ubique concitanda, quibus orbis ſit fermè atterendus, & tertia pars hominum interitura: *tunc* cœli magno impetu tranſibunt, elementa verò calore ſolventur; terra autem, & quæ in ipsâ ſunt opera, exurentur: *tunc* præmittentur Angeli cum tubâ, ut mortuos excitent, & convocent ad judicium: *tunc* verificabitur illud paradoxum; *veniet tempus, quo damnati nollent egredi ex inferno, & beati nollent manere in cælo*: *tunc* mirâ DEI virtute, ac Angelorum miniſterio, in unum confluent cineres uniuscujusque hominis, & reſtituent corpus ejus in integrum, in ſtatu perfectæ ætatis, ſine ullo defectu integritatis naturæ humanæ: *tunc* congregabuntur omnes ad locum judicij, in valle Joſaphat, prope Jeroſolymam, infra montem Oliveti: *tunc* apud impios erit fletus & ſtridor dentium, & clamabunt montibus, *cadite ſuper nos*: *tunc fulgebunt juſti, & tanquam ſcintilla in arundineto diſcurrent; judicabunt nationes, & dominabuntur populis; & Dominus illorum regnabit in perpetuum*: *tunc* apparebit glorioſum Crucis ſignum in aëre, quod ſit terror impijs, conſolatio juſtis.

Lucæ 21. Apocal. 16. Apocal. 8. Apocal. 16. Apocal. 16. & cap. 21. Apocal. 9. 2. Petri 3. 1 Corinth. 15. & 1. Theſſ. 3. 1. Corinth. 15. Joël. 3. Oſea. 10. Sap. 3. v. 7.

17\. Judicis adventus in nube, igne & turbine.

Et *TUNC* tandem *videbunt Filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna & majeſtate.* Obſtupeſcit hîc animus; rigeſcit medulla in oſſibus, pavet horripilium; vox faucibus hæret, & ingenti concutitur pavore anima: quid enim loquar amplius, ubi loquendi facultas horrore dirigitur. Si de adventu ſecundo Filij hominis curam agitis; paratæ ſunt nubes, ſuper quas adveniat; nō erunt nubes roridæ & gratioſæ, ſuper quas ſæpius ſalutem, pluviam, refrigerium, in Transfiguratione, in apparitionibus amicis contulit; non erunt nubeculæ Eliæ, irrigationem frugalem afferentes; non erunt nubes, in protectione deducentes per diem; ſed erunt nubes horriſonæ, flammiferæ, procelloſæ, ſpirantes ignem & fulmina; *& in circuitu ejus tempeſtas valida.* Quidquid irarum, quidquid minarum hæ nubes afferent, *tunc videbunt.* Paratus

Pſal. 49. v. 3.

tus turbo, parata quadriga, paratus ignis: ignis, ut conſumat; quadriga,

Iſa. 66. v. 16.

ut acceleret, turbo, ut diſperdat. *Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadriga ejus.* Ubi confligunt acies; ubi currules machinæ fulminant; ubi bombardæ exploſæ intonant; ubi tympanis, tubis & clamoribus omnia concrepant; ubi in indeclinabilem cœdem phalanges corruunt; ubi Bellona exæſtuans fatali ingenio excidia concipit; quid non turbulentiæ, periculi, cladis? at verò rem longè funeſtiorem, perniciem longè ampliorem, ſtragem longè diriorem *tunc videbunt.* Nec poterit in hac turbulentiſſima rerum ſerie, aut caligine, quidpiam ab oculis venturi Judicis abſcondi: quippe *omnia nuda & aperta*

Hebræ. 4. v. 13.

erunt oculis ejus. Non puduit Olympiodorum ſcribere, Tyanæum Apollonium vi ac facultate ſenſuum, cùm

Oculorum acies.

Romæ ageret, tanquam de illuſtri ſpeculâ, quæ in Ægypto fierent, proſpectâſſe. Nempe parùm magnificè mentitos putavit Varronem & Plinium, qui Lynceum ferunt tantâ oculorum acie præſtitiſſe, ut exeuntem ex portu Chartaginis claſſem Punicam de Lilybæo Siciliæ promontorio numeraret.

Bonifacius in hiſt. lud. l. 1. c. 33.

Tametſi illud præterea nonnulli adjecerunt, acerrimo Lynceos obtutu parietem quoque interpoſitum fuiſſe penetratum. Et adhuc parùm iſtud: dixit enim Orpheus in Argonauticis.

Trans æthera, trans mare Lynceus,
Et ſubter Plutum, terraq; barathra profunda,
Solus in humanis viſu penetravit acuto.

Si etiam his ineptijs quidpiam veritatis patrocinaretur, adhuc oculi Domini multò plùs lucidiores ſole, opaca cuncta obſervabunt, & quasvis minutias penetrabunt. *Sicut Nycticorax in*

Pſal. 101. v. 7.

domicilio tenebroſo penetrabit omnia, exactiſſimè cognoſcet omnia: quando palpebræ ejus interrogabunt filios hominum; quando occulta quæque revelabuntur; quando Jeroſolymam lucernis ſcrutabitur; quando coram ipſo, ab oriente usque in occidentem, pandetur omne malum; *tunc videbunt.*

Quàm manifeſtè autem perſpiciet omnia, tam manifeſtè cognoſcetur ab omnibus; & quidem jam non ampliùs præcinctus ad mamillas zonâ aureâ, ut exhibeat Longanimitatem in expectando, Facilitatem in condonando, tanquam duas dulcedines ab ejus pectore usque ad hunc mundi terminum in viatorum ſolatia ſtillantes; 18.

Iudicis tremendi variæ conditiones, quibus cognoſcetur.

ſed cognoſcetur in increpatione durâ, in voce aquarum multarum, cui nemo poterit reſpondere unum pro mille. Cognoſcetur Divinitas, quæ priùs ſub ſervili hominis conditione delituit; cognoſcetur & Humanitas, quæ nunc ſub Divinitatis ſplendore ſupra Iridem in circuitu gloriæ eniteſcit: cognoſcetur in auctoritate, & Juriſdictione; à qua ſe nemo poterit ſubtrahere, excipere nemo, nemo omniū ad ſuperius tribunal appellare; tunc vel maximè, quando data eſt illi omnis poteſtas in cœlo & in terra: cognoſcetur in lana alba, in candidis capillis tanquam canus, & antiquus dierum, favorum tenax, & jam nulli ampliùs, ut antè, gratiam facturus, ſed omnia in ſtaterâ & æquitate judicaturus, *Spirituum ponderator Dominus*:

Proverb. 16. v. 2.

cognoſcetur in inflexibili procedendi methodo & brevitate, dum jam nec ferenda ſententia ampliùs poteſt curvari iniquorum munerum corruptelis; nec dilationis, aut interlocutionis terminus, patrocinantium loquacitate evinci. *Tunc videbunt* vendentes & ementes in templo, cum non jam flagellam facere de funiculis, ſed ſcorpiones infligere usque ad internecionem: *tunc videbunt* Herodes, & Synagoga pro tribunali ſedentem, quem perſecuti ſunt in cunis vagientem: *tunc videbunt* unicâ ſententiâ proſternentem reprobos, qui unico verbo in horto Gethſemani dejecit conterritos: *tunc videbunt* dominari orbi, tenere ſceptrum, æquare coronas, præmiare bonos, punire malos; quem clamârunt omnes olim ſcelerati, *nolumus hunc regnare ſuper nos.* Quàm

Lucæ 19. v. 14.

imprudenter ipſum non eſſe Deum rejecerint Gentiles; quàm impudenter non eſſe Meſſiam, confecerint

Hebræi;

Hebræi; quàm ſceleratè dilacerârint ejus veſtem Hæretici; quàm impiè illum debito cultu & obſervantiâ non honorificaverint mali Chriſtiani; *tunc videbunt.*

19. Judicis extremi gloria, rhomphæa, manus, tribunal. Et ut tandem ad ſcopum propoſiti thematis ingens, immenſum, & horribile inclinem vatidicæ orationis meæ pondus; afficit me equidem venturi manus Judicis, quam prævideo ſub duplici virtute extenſam: manus Domini gravis, manus fortis. Fortis, ut ſervet, quos tradidit ei Pater, Jo. 10. v. 28. *nec rapiet eòs quiſquàm de manu ſuâ:* & hæc Pſ. 105. v. 26. conſolatur, ac erigit. Gravis; *ut proſterneret eòs,* qui prævaricati ſunt pactum ejus: & hæc affligit, ac deprimit. Inſuper rapior ad dexteram; ubi deſiderarem conſiſtere: rapior ad ſiniſtrâ; ubi exhorreſco permanere. Prodit ex ore judicantis aut rhomphæa, aut lilium judicandis: Romphæa ex utraque parte acutâ condemnandis, ut æternâ damnatione percutiantur: lilium florens & candidum ſalvandis, ut æternâ retributione mulceantur. Prætereà tribunal ipſum Judicis leonibus utrinque videtur eſſe ſtipatum, ſicut thronus Salomonis, apparentibus coram eo difficilis, terribiliſque. Non meis hìc verbis loquar, ſed complicabo manus, ſuſpirabo verbis D. Rupertus l. 3. in c. 31. Reg. Ruperti Abbatis. *Vtrobique fortis, atque formidabilis erit judicij veritas: etenim à ſiniſtrâ omnis iniquus condemnabitur, & à dextrâ juſtus vix ſalvabitur.* Nemo dubitet, nemo diffidat; quin hæc omnia futura ſint *cum poteſtate magna, & majeſtate:* enimverò ſi *tunc* juſti fulgebunt ſicut ſol in conſpectu DEI; ſi *tunc* in perpetuas æternitates radiabunt ſicut ſtellæ, qui ad juſtitiam erudiunt multos: ſi *tunc* florebunt ſicut lilium Virgines; & ſi *tunc* clareſcent Martyres ſicut ſcintillæ in arundineto diſcurrentes; quid de gloria & majeſtate ſupremi Luminis, Candoris, & Numinis *tunc videbunt* prodeuntes ex terræ viſceribus inferorum Vmbrę, mortalium larvæ, redivivorum immortales perſonæ? Divi Hieronymi; S. Hieronymus ſuper Matth. qui primus noſtri nocturni terroris modum intercepit, unicam audiamus de majeſtate, & gloria Judicis venturi ſententiam. *In die judicij*, ait, *Sol & Luna obſcurabuntur, non diminutione luminis; ſed comparatione veri Luminis? alioquin legimus; ſolem habiturum ſeptuplum luminis, ſed comparatione veræ lucis omnia tenebroſa erunt*, & quaſi *obſcurâ nocte ſub umbrâ* caliginoſa.

Quiſquis ergo es, qui inter cineres aut favillas terribile illud momentum prçſtolaris, rediturus ad vitâ: quiſquis inter flores & fœnum exhorreſcis tremendum Judicem, tranſiturus in cineres; quamprimum in auribus tuis intonuerit vox illa terribilis; *Surgite mortui, venite ad judicium.* Hui/ hui/ Auff/ auff/ Eyl/ eyl/ dic cum Stephano Eremitâ, per plurimos annos rigoroſiſſimè vivente; dic cum Regio Pſalmiſta, amariſſimè pœnitente: *Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine; quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Amen. Pſal. 142. v. 2.

SECVNDA ADVENTVS.

CONSTANSBOTAVRVS,

Der ſtandthafftige Moſochs / oder Rohrzeiger.

LEMMA.

Ne cede. Bruder weich nit.

THEMA.

Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam. Matth. 11. v. 7.

SYNOPSIS CONCIONIS III.

Inter humanos caſus nihil fortius, quàm ſtare æquanimem; nihil imbecillius, quàm Vertumnum agere, ſibi ſemper diſſimilem.

20. Botauri inter arundines mira constantia.

VBi hodie D. Joannes, magnum illud humani nominis miraculū, in deſerti receſſibus, in umbris ſylvarum, ad Jordanis fluenta, in locis paludinoſis, à Scribarum & Phariſæorum exploratoribus inquiritur; venio & ego aucupatum, meáque retia pando, non ſuper firmos floridæ terræ agros, ſed ſuper junctorum agmina, & quidem ſuper arundines vento agitatas: in his & paſſeres qnidam, & ſturni nidificant, leve, pavidum, & mutabile volatilium genus; quod hodie parùm curo: cùm mihi in vacuo & nutabili arundineto res ſeria agatur inter ſtellares Ardeas, quas alij Botauros vocant, & ſubter arundines capiunt, ranis ac piſcibus inſidiantes. Hi tempore veris, quando proli dant operam, horridè ſtrepunt voce contentiſſimâ, inſtar tauri, aut cujuſdam cornu inflantis, adeò ut ad dimidium milliare germanicum exaudiantur; nempe roſtrum aquis, aut limo paluſtri immittunt, duóſque canales per medios pulmones abeuntes, quos illis natura loco Laryngis ſuppoſuerat, fortiter inflant; & inde *Botauri* audiunt, quia ſcilicet *boatum tauri* imitantur. Illud præ reliquis vel maximè Botaurum commendat, auro pretioſiorem: cubat in locis humentibus; in arundinetis habitat; inter ſcirpos nidificat; & tamen quid fortius, quid conſtantius Botauro? Dum piſcatur, adeò ſtat quietus & immobilis, ut mortuum diceres: ne ſua longitudine prodatur, collum contrahit: dum laqueatur à venatoribus, non ſe movet loco; conſiſtit fortis; pro regula ſervat heroinam teſſeram, *Ne cede malis*: tum tandem, ſi auceps accedit, ut captum ex laqueo eximat, ſubitò percutit, & roſtro incautum graviter vulnerat. Immotus, immobilis perſtat inter fluctuantes arundines; nec cedit malis, niſi violenter abreptus. Jam *quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?* Retrahite gradum, boni viri; haud equidem opus eſt, ut exeatis in deſerti ſolitudines, ad videndas arun-

C. Bohemus l. 9. mirab. c. 14. & alij Ornithologi.

dines

dines vento agitatas; ubi Botauri ſuis portentoſis clamoribus ventorum impetus, & tempeſtatum irruptiones nuntiant: in privatis ædibus, in publicis plateis, in obſeratis religioſorum clauſtris, in ſecretis Magiſtratuum dicaſterijs, in amicabilibus ſociorum conventibus, in apertis Regum & Principum aulis, ubique terrarum arundineta videre eſt, ad omnem Euri ſibilum conniventia: junci, ſcirpi & arundines ubique creſcunt, ubique abundant. Longè à veſtro aliena forent ſenſu, quæ loquor, niſi imperfecti operis Author ſuo teſtimonio occurreret, dicendo: *Omnis homo carnalis, vacuus in fide, levis in ſenſu, mollis in paſſionibus, arundo eſt.* Non ego vobis hodie has exhibeo arundines, agitatas vento; ſed inter arundines Botaurum, fortitudinis & æquanimitatis ſymbolum; ut exinde diſcatis, inter humanos caſus nihil eſſe fortius, quàm ſtare æquanimem; nihil imbecillius, quàm Vertumnum agere, ſibi ſemper diſſimilem. State fortes in auſcultando, & æquo animo ferte, ſi tanquam ſcintilla in arundineto diſcurram; ex qua ingens in cordibus veſtris oriatur incendium.

Author imperfecti operis.

21. Non erro, non facio injuriam, ſi Vertumnos illos arundinibus comparem, qui Polypi mentem fovent variabilem; ut Euripus in omnem partem fluctuant; ut mulier omni nutu moventur; ut Chamæleon in omnes colores deflectunt; ut Protheus omnes formas ſuſcipiunt: qui veſpertilione mutabiliores, cothurno verſatiliores, duabus ſellis ſedent; & quod dicunt ſtantes, ſedentes negant. D. audite Gregorium, qui omnium præclariſſimè ad præſens Evangelium ſic loquitur. *Quid per arundinem, niſi carnalis animus deſignatur? Qui mox, ut favore vel detractione tangitur, ſtatim in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura favoris flaverit, hilareſcit, & extollitur, totúmque ſe quaſi ad gratiam inflectit. Sed ſi inde ventus detractionis eruperit, unde laudis aura veniebat, mox eum quaſi in partem alteram ad vim furoris inclinat. Sed arundo vento agitata Ioannes non erat; quia hunc nec blandum gratia, nec cujuslibet detractionis ira aſperum faciebat: nec proſpera hunc erigere, nec adverſa noverant inclinare. Arundo ergo vento agitata Ioannes non erat, quem à ſtatûs ſui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat.* Præſentiſſima in omni hominum conditione experientia; ex quibus pauci cum Botauro in humanis caſibus, & rerum emergentium periculis, firmi conſiſtunt loco; & non niſi graviter violati ſeſe defendunt, iterúmque quieſcunt fortes. Ignorant certamen, quod Cypreſſus cum arundine ſubijt in Æſopi fabulis: ubi nutans, & vento agitata arundo, gradu jactabundo prodibat, & mirum de lubrico ſuo robore ac medulla exangui gloriabatur. Ego, aiebat, maximè edocta omni vento circumferri, undequaque *ſcio & humiliari, & abundare, & penuriam pati*: ſcio ingentibus pluvijs ac tempeſtatibus premi; &, ubi opus ſit, ad terram usque & aquas honorificè ſupprimi: tandem elapſo ſiniſtræ fortunæ caſu reflecto me & erigo, plumis ſuperba priſtinis; ſicque adeò conſtanti inæqualitate *moveor, non dimoveor*. Cypreſſus econtra maturâ gravitate ſtabat; haud caput movebat, nec porrigebat brachia; tempeſtatum & turbinum ſuſtinebat impetum, humiliari neſcia; ſemper erecta, ſibíque ſimilis, agebat fortiter, ſubinferendo, *frangi ſe poſſe, flecti non poſſe.* Quaſi nempe Cypreſſus à naturâ didiciſſet ſapientiæ ſummam, quam adeò fortiſſimus Seneca prædicavit in ſuis de moderamine animi commentarijs. *Maximum hoc eſt officium ſapientiæ, & indicium, ut ipſe ubique par ſibi, idémque ſit: nec dico, ſapientem ſemper uno iturum gradu, ſed unâ viâ.* Et ſi non conſtet illa regula, juxta quam dirigas animum in tot rerum oppoſitarum eventibus: *quid eſt Sapientia?* ſciſcitatur ulteriùs Seneca. *Semper idem velle, atque idem nolle*, hoc eſt, æquanimem eſſe. Ignorant homines, quid velint, niſi velint, quod ſciunt: in tantum ſibi ſunt diſſimiles, & phanatico circumaguntur errore: *ita plerùmque agitur vita per luſum,*

Inconſtantia humana pulchrè deſcribitur.

S. Gregorius hom. 6. in Evangel.

Cypreſſi & Arundinis pugna.

Phil. 4. v. 12.

Seneca l. 20.

luſum, ut mens vertigine laboret; nunc principum inani diffluat favore, nunc hominum terticulamentis concidat; nunc præ mærore langueat, nunc præ livore excandeſcat; nunc ambitionibus agitetur, nunc ſuſpicionibus affligatur; nunc muſicorum ſymphonijs ac conviviorum luxu dilatetur, nunc ſollicitudinibus & ſiniſtris caſibus conſtringatur; nunc inani gloriâ ac honorum Favonijs laxetur, nunc iterum confuſionibus & miris mortalium ærumnis conficiatur; *ita plerisque agitur vita per luſum.*

22. Inconſtantiæ effigies in humana facie reſidet. *Merc. Triſmeg. ſer. 4.*

Sublimem apprehendite conceptum, ex Mercurij Triſmegiſti cerebro depromptum. Audacter is aſſeverabat, cœlum ab Immortalitate fuiſſe conſitum, terram autem ab Inconſtantiâ erectam: cùm ergo inconſtantiæ ſemen adeò fuerit ubique diſperſum; hinc mirum non eſt, vertumnales ubique inter arundines ſuccreviſſe animos. Advertit præterea Triſmegiſtus, humanam Inconſtantiam cœlis perpetuò excluſam, & ſuper terram velut proprium carcerem eſſe condemnatam; ibi flagraſſe deſiderio, ut ejus prototypon artificioſo penicillo, vivíſque coloribus ſubijceretur: hinc præſtantiſſimos eſſe conductos pictores; tentâſſe omnes opus, neminem autem genuina lineamenta obſervâſſe, multò minus prototypi effigiem perfeciſſe: quippe quòd pingenda *in eodem ſtatu permaneret nunquam*; & nunc ſpectabilis, modò exigua, nunc gracilis, modò macilenta, nunc candida, modò fuſca, nunc procera, modò truncata, cæterùm ſibi nunquam ſimilis, nunquam in qualitate conſtans appareret: tandem rerum omnium ætas, velut expertiſſima Magiſtra, opus aggreſſa eſt, omnibus difficillimum; arripuit penicillum; coloramenta diſtinxit; & quia caſualiter invenit præparatam tabulam, ſuo voto conformem, ocyùs exacuit artem, atque ad amuſſim Inconſtantiæ effigiem in humano vultu vivaciſſimè expreſſit. Ad aſſentiendum Triſmegiſti figmento, non eſt longâ ratioaum diſſertatione opus: ad ſpecula recurrite, aut proximum quisque ſuum conſpicite, obſervate acuratiùs, an non Inconſtantiæ imago reluceat ex aſpectu Hominis, *qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet*; *Iob. 14. v. 2.* Flos, cujus vita à ſolis ortu usque ad occaſum progreditur, niſi circa meridiem grandine concuſſa decidat: umbra, quæ nullius unquam apprehendentis manibus concluditur, ſed labili fugâ protinus evaneſcit: arundo, quæ in palude ad omnem auræ ſibilum contremiſcit; & ſi quid aliud Inconſtantiæ ſymbolum adduci poteſt, firmiora apparent, quàm facies humana ſuſtinere poſſit: talem quippe larvam promeretur infernalium tormentorum prodromus. Nolebat humana mens, eo loco, quo divinitùs erat condita, firmiter ſubſiſtere: hinc Deo permittente in pœnam ceſſit, ut cæteroquin in ſuis deſiderijs ac conceptibus inquietiſſima fluctuaret, velut navicula à tempeſtuoſis procellis ſine fine agitata. Ad rem ingenioſè dixit Philippus, plentiſſimus Scriptor circa D. Hieronymi tempora concurrens: *Animus Hominis, qui ſtare noluit, cùm potuit, jam non poteſt ſtare, cùm velit; & ſemper deſiderijs variatur, ut quietus actionem deſideret, occupatus quietem.* *Philippus ſuper Iob citatur.* Exinde tot ſuccreſcunt Endymiones, qui præſumunt Lunæ globum ambabus complecti manibus; quorum cogitationes in varijs circumvagantur labyrinthis, & inſtar Mercurij undequaque diffluunt; mutationes appetunt, novationum ſine interruptione memores; præteritorum exoſi, futurorum cupidi, ſingularum horarum exaudiunt clangorem; illâ ſolâ exceptâ, quâ ad quietudinem commonentur.

23. Humana facies inconſtantiam mentis prodit ubique.

Neſcio, quàm multas natura formas in humanam congeſſerit faciem, quot ſpiracula velut alter Protoplaſtes inſpiraverit, ut conſtanti inconſtantiâ totius mundi prototypon eſſet. Sit Hominis aſpectus ornata civitas, cujus frons in forum explicetur, candido marmore conſpicuum: ſit munitiſſimum caſtellum, ubi modeſtia & inge-

ingenuitas excubias agunt: ſit cœli Zodiacus, ubi recta ratio internarum proprietatum ſigna percurrit: ſit excultum Floridarium, in cujus genis, tanquam in areis, roſæ cum lilijs vernales agunt choreas: ſit fons jugiter manans, unde amicabilis humanitas oritur, & jucundæ converſationis lepóres proſiliunt: ſit apertum theſaurarium, ubi auroræ partus, labrorum coralli, & amoris rubini ſuccreſcunt: ſit magnus mundus, cujus oculi Sol & Luna lucem diſtinguant à tenebris, rerúmque dignoſcant colores: ſit vivum Dei Sanctuarium, in quo Altiſſimus ſuam recondidit imaginem: ſit Iris multicolor, cui concinnati capilli delectabilem ſplendorem concilian. Quidquid tandem formæ humana facies præſefe-rat, omnem cultum, laudem, atque admirationem exuperat Conditoris. Vnum & reliquum eſt, quod in opere tam eleganti quotidiana experientia incompetenter notat. Putatis fortè, Auditores, me ad quoddam reſpicere horologium, humanę fronti inſertum, quo ſingulis horis & momentis internæ prodantur paſſiones; & nunc iræ vel tranquillitati, nunc gaudio vel mærori, nunc timori vel audaciæ, nunc deſiderio vel quieti, nunc amori vel odio, ſua determinentur puncta, ad occultas palliatæ mentis machinationes manifeſtandas? Sive horologium tale reſpiciam, ſive quidquam aliud, illud certè quotidiana notavit experientia, in opere tam gratioſo, & omnibus numeris abſoluto: nempe *quaſi* flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & *nunquam in eodem ſtatu permanet*, ſed movetur ut arundo vento agitata in palude, ut vertumnalis gallus inturris cacumine, ut verſatilis index in ædium vertice, ut imbres decidui in Aprilis ſyſtemate. Ecce! quàm laboret humana mens in operoſâ conſtruendâ mole? Hoc momento machinatur ex vetuſtis ruderibus turrim Babylonicam producere: tranſivi paulò pòſt; & unico verbo diſplicente, totum opus concidit. Hoc momento magnos transfert Olympos, ac metallifera montium viſcera evertit: tranſivi, dum montes parturiunt; ſed quid? *niſi ridiculus mus*. More Palatino ingentes olei cados ebibit; Tenarim imitatur abſorbendo omnia; fulgetra ſanctitatis ſpirat circa caput; omnium peripſema ſuccumbit calcantium pedibus; vivificat mortuos, mortificat vivos. Sed verò *nunquam in eodem ſtatu permanet*: quippe & gutta omnis ſupereſt; & clauſit os ſuum Tenatis; & ſanctitas obſcuratur; & humilitas ſuperbit; & vivunt mortificati; & moriuntur vivificati. Tanta ineſt humanę menti inconſtantia, externo aſpectu manifeſtata: Aliâ Botauri teſſera: *ne cede*.

24. Aulæ graphica delineatio.

Sed verò duco vos in ſolitudinem, Auditores, in eremos incultiſſimas, ad confluenta cornigeri Nili, ad latebras Crocodilorum, ad paludes Mæoticas, ad dumeta Thraciæ feritatis. Eremum fortè expectatis Joannis Eremicolæ, aut Thebaidis religioſa deſerta, aut obſcura ferarum delubra? Ad locum vos duco horroris, & vaſtæ ſolitudinis; ubi arundines vento agitatæ excreſcunt innumeræ; ſed verò pauciſsimi nidificant Botauri. Ignoſcite; ad Regum & Principum aulas vos duco: ibi obſervanda occurrunt arundinea, & juncoſa commercia: ibi mira devorantium, deglutientium, exhaurientium, deplorantium, deridentium ſocietas: ibi Protheorum inexplorata fœdera, inventiones admirabiles, & Crocodilorum veriſſimæ feritates: ibi Favoritarum ludibria admiranda, faſcinationes abominandæ: ibi doloſa Fortunæ comœdia, ſors hominum afflictim diſcriminata: ibi ſolitudo tutiſsima inter ampliſsimos Majeſtatis regiæ comitatus. Ecce! quot lateant hiſce in aularum arundinetis, non boantes aut mugientes Botauri, ſed ſibilantes ſerpentes, aut minùs experti buccinatores; qui obſervatis Principum affectionibus, explicatâ amicitiæ fronte, repreſſis invidiæ, odij ac inimicitiæ ſtimulis, urgente vindictæ impetu, turgente proprij commodi zelo, neglectis Reipublicæ emolumentis, deſpectis Divini

honoris proventibus, animosè clamant, protervè hortautur invicem, dum inter arundines agitis,

Cantemus pueri, ſcindite fiſtulas.

In hoc verò buccinantium ludibrio nemo magis in circo ducitur, quàm optimi Principes; nemo circumvenitur magis, quàm pietatis æmulatores. Nôrunt illi ad placitum canere, & Principi movere blandiendo nervos: nôrunt vertumnali ingenio ad omnē ventum movere caput, mutare vultum, alienare affectum. Contingit fortè, ut Princeps præcipiti vel maturâ averſione ſuorum Miniſtrorum quempiam afficiat, dedignetur alloquio, proſequatur odio, increpatione abijciat, officijs amoveat, aulâ exterminet: hìc omnium cantilenæ contra unum obganniunt; ab uno deflectunt omnes vultum, affectum, auxilium, proloquium. Ubi etiam nunc eſtis Botauri, ut mugiatis pro conſolatione, aut juſtâ defenſione afflicti fortiter?

Martialis.

Ecce! ſilent omnes. Cephale dic aliquid.

At verò contingit, ut Princeps majori quodam affectu, aut conſvetudine illuceſcat cuipiam; faveat illi præter morem aut meritum; foveat contra inſultantium technas; augeat gratijs, fortunis, authoritate, privilegijs: viden! exquiſitos buccinatorum modos, arundinum motus! Omnes accinunt, ſi non animo, ſaltem externo affatu, *Placebo Domino in regione viventium*, inter Principis Favoritas; ſive dignus ſit, ſeu indignus; ſive bonus, ſeu iniquus; ſive communium Jurium cultor, ſeu diſſipator; ſive Patriæ amator, ſeu proditor. Nullus hìc Botaurus; qui fortiter agat contra veri & æqui everſores, contra publicæ tranquillitatis turbatores, contra privati commodi promotores; nemo jam reboando intonat, *ne cede*, ſed ſibi quiſque conſulendo imperat, *recede*.

Pſal. 114. v. 9.

Amicitiæ inconſtantia.

Intelligitis, quid loquar, unde ad amicitiæ leges diverto hujus paragraphi temonem: quæ nullibi, ſicut in Principum aulis, tam lubrica ſuſtinet momenta, tam infirmas erigit machinas, tam frequentes ſuſpicatur fallacias, tam manifeſtas experitur inſidias, tam cruentas ſuſtinet ſtrages, tam enormes ingemiſcit Cataſtrophes; nuſpiam ſecura, periculoſa ſemper & ubique. Nemo credat, quiſquis inter Aulicorum turbines & mortalium verſipelles animos militat, conſtantibus ſeſe amicitiæ legibus fruiturum, ubi juxta pientiſſimi Petri Cellenſis cenſuram, *neſcit vera amicitia naturam, qui in amore imitatur arundinem, vento agitatam. Sine profunda radice amicitia accidens eſt, non ſubſtantia.* Quiſquis es qui in magnis Principum aulis, vel procantium lenocinijs, vel promittentium blandimentis, vel colludentium fraudibus, vel arridentium inſidijs, vel etiam ſinceré ambulantium ſocietatibus confidis; tuo time capiti, periculis cave, ruinæ conſule: nam *ecce!* quod Iſaias Iſraëlitas de inconſtantia Ægyptiacæ fidei, ac Seňacheribici fœderis monuit, *confidis ſuper baculum arundineum confractum illum, ſuper Ægyptum.*

Petrus Cellenſis lib. 5. epiſt. 11.

Iſa. 36. v. 6.

25. Sed revertamur ex hiſce Aularum deſolatis vaſtitatibus; Eccleſiæ Romanæ, Sanctæ & Catholicæ concluſum ingrediamur hortum, cœleſtes Divini veris delitias ſuſpecturi. O! quantus hìc florum apparatus? animas ſanctas conſiderate: quantus in purpurâ & candore, in aureis, ferrugineiſque coloribus ſelectus? Martyres, & Virgines, cæteróſque cum Doctoribus Confeſſores ſubintelligite. Quot hìc Cedrorum apices, quot Cypreſſorum columnæ, in nullam ſeſe partem flectentium? ſuſpicite Prælatos, & magnos Eccleſiæ Pontifices. Quot hìc violarum humi ſerpentium redolentia agmina? conjugatorum credite paria. Quot arborum poma aurea parturientium viridaria; conſita Religioſorum Ordinum aſceteria conſiderate. Hortus profectò Eccleſiæ fertilis, delitioſus, & ad omnem orbis partem ſpatioſus. Sed hem! quid adverto? an non videtis paſſim etiam hìc ſuccreviſſe arundines illas, de quibus ſupra imperfecti operis Author: *Omnis homo carnalis, fatuus in fide, levis in ſenſu, mollis in paſſionibus, arundo eſt?*

Eccleſiæ Romanæ variæ defectiones ob inconſtantiam Fidelium.

Author imperfecti operis.

eſt? Quid enim, ſi nunc gliſcerent perſecutiones, quas olim ſuſtinuit Eccleſia? ſi Catholici ſub pœna confiſcationis bonorum, ſub capitis diminutione, ſub graviſſimis carcerum, cataſtarum, ſuppliciorum pœnis, interdicerentur urbe & orbe? quot tunc putatis, fore flectendos ad omnem impellentis timoris Aparctiam; inclinaturos perfidum veræ Religioni caput, *ſicut moveri ſolet arundo in aquâ*?

3. Reg. 14. v. 15.

quotus, quantúsque foret, qui omnes concurſantes perſecutionum impetus forti, æquo, & ſibi ſemper ſimillimo ſuſtineret animo? Prodirent tunc Atheorum catervæ, qui nunc in Principum aulis, in Magiſtratuum Dicaſterijs, in Mercatorum Emporijs, ſimulatâ fide, Catholicam auram trahunt.

Catholicorum defectiones non difficiles.

Non difficulter vera Religio degeneraret in pravam & hæreticam, ſi de conſervandis vitæ, famæ & fortunæ bonis, ſi de contrahendis ſplendidorum natalium ſponſalibus, ſi de aucupandis dignitatibus & miniſteriorum ſublimitatibus, ſi de Regum ac Principum gratijs conciliandis, negotium faceſſeret. Ut ampliſſimæ & potentiſſimæ Germaniæ noſtræ afflictiſſimũ ſtatum lachrymantibus oculis contuear, quot præſtantiſſimæ Provinciæ, quot urbes nobiliſſimæ, quot Sereniſſimæ Principum Familiæ, quot Diœceſium antiquiſſimarum Epiſcopia, quot Religioſorum Cætuum fundatiſſima Aſceteria, quot tandem mortalium millia, ad placidos Lutheri, cæterorúmque Pſeudoprophetarum Favonios, profundiſſimè moverunt caput, *ſicut moveri ſolet arundo in aquâ*? Tranſite per Angliæ, olim Angelici Regni, Inſulas, ut ingemiſcatis ſuper abominationem, quam induxit Henricus octavus Rex, Romanæ Eccleſiæ perduellis: ibi videbitis nunc juncos & arundines creſcere, ubi olim ad Tyranni minas turpiſſimè defecerunt Religioſi utriuſque ſexûs plurimi, ac perſonæ divino cultui conſecratæ. Tranſite per Sveciæ, per Daniæ, ac per omnes reliquos ſive Turcici Imperij tractus, ſive Moſcoviæ ac Tartariæ territoria, ſive deficientium nationum regiones: ubique *orietur vobis viror calami & junci*, in teſtimonium illis, qui flexerunt genua ſua ante Baal, declinaverunt, & ſimul inutiles facti ſunt.

Iſa. 35. v. 7.

At verò Botaurum in arundineto conſpicite Joannem; non flectebatur hominum favore; non curvabatur Principum gratijs; non erigebat ſupercilia Regum promiſſis; non minis, non terroribus ſupprimebatur: ſtabat æquiſſimo animo propter veritatem, quam profitebatur; ſtabat extento collo, quod porrigebat enſi; & ut D. Gregorij Magni ad rem teſtimonio utar; *Arundo vento agitata non erat Joannes, quem à ſtatûs rectitudine nulla rerum varietas inflectebat.*

D. Gregorius hom. 6. in Matth.

26\. Profectò haud ſcio, an quidpiam regius Pſaltes præceperit vel ad propoſitũ convenientius, vel ad emendationem dignius, vel apparentius ad commendationem? Pſalmo 67. verſu 32. ſic jubet: *Increpa Feras arundinis; congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati ſunt argento.*

Feræ arundinis quæ, & quomodo increpandæ.

Pſal. 67. v. 31.

Variæ & difficiles occurrunt circa præſentem textum SS. Patrum expoſitiones; inter quos primatum teneat D. Auguſtinus, qui per Feras arundinis, hæreticos intelligit, Scripturarum ſenſum pro ſuo errore pervertentes; eoſdem hæreticos vocans tauros, propter ſuperbiam duræ & indomitæ cervicis: per vaccas autem populorum, intelligit ſeductibiles & vacillantes animas; quia facilè hos tauros ſequuntur.

D. Auguſtin. ſuper Pſal.

Non enim populos univerſos ſeducunt, in quibus ſunt graves & ſtabiles; quomodo ſcriptum Pſalmo 34. *In populo gravi laudabo te*: ſed in his populis, quos invenerint vaccas.

Pſal. 34. v. 18.

Ex his enim ſunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ flectuntur varijs deſiderijs erroris, ſemper diſcentes, & ad veritatis ſcientiam nunquam pervenientes. Quod autem ait Apoſtolus, *oportet & hæreſes eſſe; ut probati manifeſti fiant in vobis*: illud etiam hîc ſequitur: *ut excludant eos, qui probati ſunt argento*: id eſt, qui probati ſunt eloquio Domini. Eloquia quippe

1\. Corinth. 11. v. 19.

pe Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ. Nam *excludantur* dictum eſt, ac *appareant, eminent*: quod ait ille, *manifeſti fiant*. Vnde & in arte argentaria excluſores vocantur, qui de confuſione maſſæ noverunt formam vaſis exprimere. Multi enim ſenſus Scripturarum ſanctarum latent, & paucis intelligentibus noti ſunt: nec aſſeruntur commodiùs, & acceptabiliùs, niſi cùm reſpondendi hæreticis cura compellit. Nec ſolùm hæreticos, ſed & quosvis Eccleſiæ hoſtes, occultos aut publicos, *increpa* inter *feras arundinis*. Hi nempe partim eruditione, partim vi adigendi ſunt ad officium: hinc Pſaltes Regius ait, *increpa feras*; & mox, *diſſipa gentes*. Fridericus tertius Imperator, ut oſtenderet, cæſarea ſe majeſtate ac poteſtate id ſanciturum, quod leges præciperent, ſchema ſibi delegit; brachium ſcilicet armatum cum diſtricto gladio ſuper codicem apertum, hac adjectâ epigraphe: *Hic regit, ille tuetur*. Hoc eſt: Scientia dirigit, ferrum tuetur. Deus per Apoſtolos ſuos illuminat homines, rebelles ipſe punit. Sacri Scripturæ Codices viam oſtendunt: brachium Dei intercurſantes hoſtes diſſipat. Octavius Farneſius Dux Parmæ & Placentiæ, ut induſtriam ac fortitudinem ſuam in hoſtes teſtaretur, ſibi in ſymbolum elegit clavam, glomum fili, & tres piceos orbes: hoc eſt, illa, quibus Theſeus peremit in Creta Minotaurum; idque adjecit inſcriptionis: *His artibus*. Quos Chriſtus benignitate ſuâ allicere non poteſt, ſeveritate contundit. Hæc circa expoſitionem Pſalmi moralem. A Minotauris, à congregatione Taurorum, à feris arundinis, ad Botauros me reflecto.

Thomas le Blanck ſuper Pſal. 67. v. 31.

27. *Conſtantia in rebus agendis commendatio.* *Increpa feras arundinis.* Quotquot in arundinetis hujus mundi diſcurritis, mortales mutabiles, & omni Euro inconſtantiores; rebus in ferijs, maturè deliberatis, difficulter peragendis, fortiter Botauros imitemini; conſtantes eſtote, & æquo animo ſuſtinete indeclinabiles humanæ ſortis contingentias. Non ideò inter ingenuos vivimus, ut in agendis Summæ noſtræ controverſijs inſtar arundinum circumferamur *ab omni vento iniquitatis*; ſed ut mens noſtra per omnia ſibi ſimilis, inter mundi hujus varietates ibi conſtans & firma ſubſiſtat, ubi recta ratio, ubi fides Divina ab humana, ubi vitæ cœleſtis ſperanda retributio, fundamentum ponunt immutabili pietati. Quantos videre eſt, & admirari, qui inter omnes variæ fortunæ caſus ſteterunt inconcuſſi, ac æquanimes! Non tam æquales ſibi ſunt lux & tenebræ in æquinoctio, quàm ordinatæ ipſorum functiones, & mores ſibi per omnia ſimiles in caſibus quibusvis. Spectaculum ſanè orbi admirabile, conſtantem animo à grandine & fulmine feriri, nec tamen concidere animo; non violentis ſiniſtræ tempeſtatis irruptionibus cedere, non immitioris fortunæ jacturas plorare, non vacillantis famæ diſpendia curare, non animæ aut corporis pericula declinare, non in turbulentiſſimo mari, & rebus perpetuò fluctantibus, imaginatiæ ſibi ſtabilitatis deſiderio illudere; ſed cum Philippo Macedone nimiam blandientis Favonij ſerenitatem, cum medicis eutaziam; cum nautis malaciam ſuſpectam reddere; cæterùm verò ſtare immobilem ut columna in foro, ut Cypreſſus in agro, ut punctum in circulo, ut centrum in mundo. Exclamo cum D. Cypriano: *Quanta ſublimitas inter ruinas generis humani ſtare erectum!*

S. Cyprian. orat. de Mart.

Nôſtis, quid de ſeipſo teſtetur Deus in Exodi commentarijs: *Ego ſum, qui ſum*. Nôſtis, quid ad ipſum loquatur Pſaltes Regius: *Tu autem idem ipſe es*. Nôſtis, quid in ſua Catholica Epiſtola D. Jacobus de illo ſentiat: *Apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Deus nempe ſibi ſemper ſimilis, invariabilis, immutabilis, inflexibilis, & per omnia æqualis; cui vel maximè in operando ſeſe conformare debet humana æquanimitas, quæ nullâ ratione ejusdem voluntati poteſt obluctari. Quidquid fit, cum Chriſtianiſſimo Seneca loquor. [Hanc rerum conditionem mutare

28. *Æquanimitas noſtra Deo conformanda.*

Exod. 3. v. 14. Pſ. 101. v. 28. Iacob. 1. v. 17.

non

Seneca epiſt. 107. „non poſſumus. Id poſſumus; magnum habere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortia patiamur, & naturæ conſentiamus. Natura autem, hoc quod vides regnum, mutationibus temperat. Nubilo ſerena ſuccedunt. Turbantur maria, cùm quieverunt. Flant invicem venti. Noctem dies ſequitur. Pars cœli conſurgit, pars mergitur. Contrarijs rerum æternitas conſtat. Ad hanc legem animus noſter aptandus eſt. Hanc ſequatur, huic pareat; & quæcunque fiunt, debuiſſe fieri putet, nec velit objurgare naturam. Optimum eſt pati quod emendare non poſſis, & DEUM, quo Authore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur. Quare impigri, atque alacres excipiamus imperia; nec deſeramus hunc operis pulcherrimi curſum, cui, quidquid patimur, intextum eſt. Hic eſt magnus animus, qui ſe DEO tradidit; at contra ille puſillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè exiſtimat, & emendare mavult DEUM, quàm ſe.]

Tandem ad illum me verto, qui Botauro conſtantior, noſtram acerbè luit inconſtantiam; cui propterea *dederunt arundinem in dextera ejus.* Verè hæc arundo in dexterâ ejus longè firmiùs conſiſtit ac efficaciùs, quàm baculus in manu Moyſis, quàm virga in manu Aaron, quàm ſecuris in manu Eliſei, quàm gladius in manu Gedeonis; quam mandibula in manu Samſonis, quàm lancea in manu Saulis: quia in manu ejus poteſtas & imperium. Tu, ô JESU, arundine percuſſe ſuper caput, & propter arundinis ludibrium Rex ſceptriger ſalutate: ita conſtanter puſillos & infirmos noſtros animos manutene, ut propter amorem tuum nullis cedamus malis, ſed in nominis tui confeſſione conſtantes perſeveremus. Amen. 29. Arundo in manu Chriſti noſtræ inconſtantiæ ſupplicium. *Matth. 27. v. 29.*

DOMINICA III. ADVENTVS.

INSOLENS GALBALUS.

Der ſtoltze Aemerling.

LEMMA.

Nobilis in portis & hortis.

THEMA.

Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes, & Levitas ad eum, ut interrogarent eum, tu quis es? Ioan. I. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS IV.

Quantùm interſit, ſeipſum cognoſcere, & dimiſſis aliorum diſquiſitionibus ſuam propriam tenuitatem conſiderare?

30. Cognitio ſui ipſius optima Philoſophia. GRæcis Philoſophis nihil in dicendo familiarius, nil in obſervando pulchrius, & nihil in demonſtrando erat certius, quàm præſtantiſſima illa ac ſecuriſſima moralis Philoſophiæ gnoma, γνῶθι σεαυτὸν, *noſce teipſum.* Hanc aureo characterum ornatu ſupra præliminarem Templi Delphici portam intrantibus exhibuerant ſuſpiciendam, ut priùs in ſecretiſſimam ſui

D ipſius

ipſius cognitionẽ inducerentur, quàm cum Apollinis Idolo religionis negotium tractarent. Pulcherrima ſanè & utiliſſima lectio; cui non tam docti, quàm indocti deberent ſubſcribere, & opportunam adhibere operam, ut vivaci ac perpetuâ recordatione fructificarent: nam ut clariſſimè Hugo de S. Victore notat, *Melior eſt ſcientia, ſi teipſum cognoſcas, quàm ſi te neglecto curſum ſiderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, cœleſtium terreſtriúmque omnium cognitionem habeas: multi enim multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt; cùm tamen ſumma Philoſophia ſit, ſui cognitio.* Quinimo Satyricus Poëta hanc è cœlis Philoſophiam eſſe delapſam cecinerit.

Hugo de S. Vict. lib. de clauſtro animæ.

Iuvenalis Satyr. 11.

E cœlo deſcendit γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum & memori tractandum pectore, rebus
In ſummis minimiſque.

Plato in Pſeudolo.

Sed verò, quæ indoles mortalium? ubi ex Platonis judicio inter decem vix unus emergit, qui intimam ſui cognitionem penetret: dixiſſem ego, vix unus ex millibus. Quis enim omnium non potiùs ex alijs, quàm ex ſeipſo ſciſcitatur, *Tu quis es?* Sic namque cœlos Aſtrologi, naturam Philoſophi, leges Juriſconſulti, ſymptomata Medici, Status Politici, merces negotiatores, & quivis alij in foro ſuo res occurrentes ad inquiſitionem trahunt, ſollicitando, *tu quis es?* ubi nemo ſui ipſius curam, aut examen gerit. Eſto tam audax, & præſume ex altero interrogare, *tu quis es?* quid intus ſub pectore recondis? Pro reſponſo excipies oraculum ex Tripode Apollinis; nempe quòd Philautia, quòd ambitioſa regnandi cupido, quòd latens ſuperbia, quòd obliviosa tui ipſius temeritas, tandem quòd omniũ optimè id in tuo pectore reconditũ inveniatur, quod Galbalus ſuccinit. Et quid putatis, ſuccinere Galbalũ? quænam affectuoſa ipſius cantilena? Pauci ſunt, qui imitari ſtudeant gemitibus columbas, vigilijs anſeres, pſalmodiâ alaudas & Philomelas, agone cygnos, regimine trochilos, amore ſturnos, pugnacitate ardeas, œconomiâ ciconias; ut cætera taceam: cantilena Galbali eſt lippis, & tonſoribus nota, & in ſua apprehenſione cuilibet fermè familiaris. Quid ergo? Flavo ſuo ornatu turgens Galbalus, dum hyemis rigores ſæviunt, furacem cum voracibus paſſeribus ſocietatem contrahit, & urgente neceſſitate totum ſeſe aſtuto eorum genio accommodat, avolando cum illis, redeundo, clamando, furando, divertendo, rixando, explorando. Cadunt denſiores nives, & apricas pabulandi areas contegunt; ecce, quid relictis paſſeribus fœdifragus incipiat Galbalus? Amicos ſibi facit de mamonâ iniquitatis: ad ſummum evolat horrei ſupercilium; rusticum affectuoſè implorat, rogat, invitat, ſollicitat, fortiter inclamat, voces *amici* vel *cognati* intonat, Vötter/ Vötter; tunc neminem non in ſuam admittit cognationem. Dilabentibus poſtmodum hyemis impedimentis, & redeuntibus floridi veris, aut maturantis æſtatis delitijs, exquirat pauperculus ruſticus de ſuo cognato, *tu quis es?* utique meus adhuc amicus, imò cognatus? Non capit Galbalus: *nobilis in portis & hortis* ego ſum: Edl/ edl/ edl bin ich. Tu mihi vileſcis modò; tuâ nequaquam mihi opus eſt amicitiâ; tu ſudori, tu labori, tu aratro impalleſcas; ego pro congenitâ meâ nobilitate, & ingenuitate delitijs affluam, *nobilis in portis & hortis.* Edl/edl/edl bin ich. Tantùm ſcilicet de ſe præſumit, ac gloriatur faſtuoſus Galbalus! Encomium, quod neq; aquila ſibi inter reges, neq; ſtruthio inter elephantos, neque inter ſpecula Pavo tribueret, jam ſibi ſufficiens Galbalus ſine pudore arrogat, inter flores & ſegetes teſtimonium accinendo, quòd ſit *nobilis in portis & hortis*: Edl/edl/edl bin ich. O quàm longè aliter de ſemetipſo ſenſit, judicavit, enuntiavit Angelicæ perfectionis Eremicola Joannes! qui, dum tam inſtanter, quis eſſet, requireretur, neque Chriſtus ego ſum, ait, ad redemptionem Iſraël miſſus; neque Elias ego ſum, divini cultûs zeloſiſſimus vin-

Ethica Avium

Galbali natura & mores.

vindex; neque unus ex Prophetis, mundo vaticinantibus verum; neque *nobilis in portis & hortis* magnorum Principum, populis ac regnis imperitantium; ſed tenuis, obſcura, gemebunda, abſona *vox clamantis in deſerto*, prope fluenta Jordanis, inter ſylvarum receſſus, ac delubra ferarum. Ergo Galbali cantilena nobiliſſimam hodie dicendi materiam ſubminiſtrabit, qua omnibus innoteſcat ſine fuco, ſine differentia, quantùm interſit ſeipſum cognoſcere, & dimiſſis aliorum diſquiſitionibus ſuam propriam tenuitatem conſiderare. Cognoſcite, Auditores, ex cantilenâ Galbalum, & auſcultate voci clamantis; clamantis, ut totus audiat mundus, & viam Domino præparet in deſerto conſcientiarum.

31\. Ridetur ineptа ſui ipſius æſtimatio.

Ea eſt hominis Indoles, ut quisque ſe magno metiatur pede, ac ſublimi oculo ſuos contempletur aſteiſmos, tametſi arte, ſcientia, pulchritudine, nobilitate aut virtute, in Eclipticâ circumvagetur lineâ. Non raro abjectæ ſortis homines magnificis de ſe agitatis judicijs plùs inſoleſcunt, quã ſpectatiſſimæ quæq; ac præſtantiſſimæ perſonæ: Galbali cantilena continuo pruritu aures eorum vellicat, & quisq; ſibi perſvadet, ſe conjugem laudatiſſimæ illius fæminæ coii, cujus in Proverbijs ſolemne celebratur præconium, quòd

Prov. c. 31. v. 23.

ſit *nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum ſenatoribus terræ.* Hi ponderoſo ſpiritu turgentes, obambulant interiora animi ſui triclinia; mirè ſibi complacent; rebus ineptè geſtis applaudunt; opera ſua herculeis imponunt humeris, dicentes unà cum Regia

Daniel. 4. v. 27.

Majeſtate Nabuchodonoſoris: *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Erat hæc ingentis ſuperbiæ nota, ob quam præfatus Rex à ſacro Pſalte appellatur

Pſ. 79. v. 14.

ſingularis ferus; quippe qui vineam DEI Sabaoth, hoc eſt, electi populi Synagogam crudeliter depaſtus fuerit. Erat autem ſingularis ferus, *quia*

S. Auguſtin.

ſuperbus, Auguſtino teſte; nam humiles & recti corde confitentur cum Joanne, quòd non ſint nobiles; *ſolus autem ſuperbus dicit, ego ſum, ego ſum,* Ech/ ech/ ech bin ich / *& nemo alius.* Vbi oculos velim paulisper avertatis à Galbalo, & ad Larum, aliud volucrum genus, convertatis; de quo proverbium agitur: *Larus parturit*: Der Meb hat Junge.

Geſtum in Laro.

Quid enim? quamdiu Larus nidificat, parturit, excludit ova, incubat; alterâ conſorte remanente domi, maſculus officioſiſſimè circumvolat, inquietiſſimè providet, impetuoſiſſimè clamat. Quid tandem parturient? quid magni proveniet? Si Superis placet, unus vel alter graciliſſimus prodit ex ovo Lariculus: hinc verũ eſt familiare Germanis dictum: Vil Geſchrey/vnd wenig Woll. Quod Larus in natura, hoc plurimi cum Evangelo Tarentino apud Lucianum in moribus conſueverunt. Is in publicum prodibat theatrum, purpureo thalari ſplendidus; manu ferebat lyram, gemmis & auro diſtinctam; obibat theatrum graviter; celeberrimum ſeſe jactitabat lyricinem; expectant omnes attoniti, quid demum admirandæ harmoniæ inſonaret? Applicat Evangelus digitos, ruſticam melodiam ludit; & quia nimis incultè manum impingit fidibus, mox tribus earum ruptis, communi ludibrio exponitur, & loris à Choraule theatro ejicitur.

Lucianus in Dialogo adverſus indoctum.

Succedit Eumelus vilem, & rubiginoſam exhibens lyram, vix decem teruncijs venalem; jubetur pſallere; renuit primò, iterúmque renuit, ſuam imperitiam objiciens invitantibus; tandem acquieſcit, fides informat, pulſat, & tantâ arte, ſubtilitate, ſymphonia ac exultatione pulſat, ut communem omnium plauſum nobiliſſimi lyricinis obtinuerit. Videtis, quàm Laro, quàm Evangelo ſint ſimiles, qui immodicâ æſtimatione ſibimetipſis blandiuntur. Noluit ſe D. Paulus eorum cœtui implicare, quin potiùs ſuam tenuitatem æquo palmo expandere: *non audemus inſerere*, ait, *aut comparare nos quibusdam, qui ſeipſos commendant, ſed ipſi in nobis nosmetipſos metientes, & comparantes nosmetipſos nobis.*

2\. Corinth. 10. v. 12.

32\. Et quid illud tantillum eſt, quo

Bruta noſtram confundunt præſumptionem.

manum in cœlum erigas, ac digito Lunæ concavum attingas? *Noſce teipſum*, & ſecretiùs ſcrutare; ut aliud de tuis penetralibus feras judicium: invenies, in illis etiam te deficere, in quibus abundare tibi videbaris, ut Ægyptij alveos Nili. Nulla tibi ratio favet, cur in donis ſupernaturalibus alijs eminere velis; ubi omnia inexhauſtæ Dei liberalitati debes, quidquid es, quidquid poſſides. Avertat is à te manum ſuam; & in antiquum miſeriæ ſtatum reverteris. Quin etiam in externis, & naturalibus donis; quantumcunque illis excellas, ubique tibi confuſio timenda, quando bruta animantia tecum de victoriâ certant.

S. Iſidorus in oratione de humilitate.

Prodeat S. Iſidorus, & ex Teriotrophæo ſuo varias brutorum ſpecies ante oculos tuos producat: audi loquentem. *Magna corporis mole præditus es; qua eſt hæc, ſi cum Elephantis mole comparetur? Fortis es, ac intrepidus; at Leo longè te ſuperat, de quo ſcriptum eſt: Leo fortiſſimus animalium, ad nullius pavebit occurſum. Cantu, ac vocis modulamine inſignis es; at Cygnus, Luſcinia, & plurima alia vocales aves majus miraculum in ſuo cantu excitant. Pulcher es: & Pavo inſigni pulchritudine præſtat, & aves aliæ multa, & ſcorta etiam pulchritudine glorantur. Arte aliquâ præſtas: quid in hâc re apibus eſt ſapientius? quarum opera quis pictor, vel geometra poſſit imitari? Tenui ac ſubtili veſte uteris? hîc te ſuperant aranea. Celeritate pedum vales: rurſus primatum tenent lepus, caprea, cervus, &c. Acuto viſu præditus es; non ut dama, non ut aquila. Acutè audis; at acutiùs aſinus. Acuto es odoratu; canis te ſuperat, &c.* In tantum, vivarium & aviarium ſuum S. Iſidorus aperuit, ad confuſionem hominum, quibus occulta præſumptio frontem explicat. Neſcio, an de Seraphico Franciſco, vel rectiùs de ardentiſſimo Auguſtino, ſequentem Cornelius à Lapide induxerit Proſopopæiam, tantò breviorem, quantùm noſtro propoſito aptiorem.

Cornelius à Lapide in Exodum.

Quis es tu Domine, quis ego? noverim te, noverim me. Tu es abyſſus ſapientiæ, bonitatis, potentiæ, virtutis, omniſque boni & totius Entis. Ego abyſſus ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis, vitiorum & nihili: abyſſus ergo miſeriæ meæ invocat abyſſum miſericordiæ tuæ, in voce cataractarum tuarum. Suo more huic conſiderationi pientiſſimè conſuluit religioſiſſimus Thomas Kempenſis. *Si vis utiliter aliquid ſcire, & diſcere, ama neſciri, & pro nihilo reputari: Hæc eſt altiſſima & utiliſſima ſcientia, ſui ipſius vera cognitio & deſpectio.*

Thomas Kemp. de Imitat. lib. 1. c. 2.

Mirabile proin; quanta omnibus 33.
inſit cupido ſciendi! Omnium liberalium Artium, ac ſublimium ſcientiarum Scholas, atque Vniverſitates inclytas frequentamus; penetramus cœlorum altitudines, ſtellarum magnitudines, & planetarum ſpiras; peragamur remotiſſimas terras, & millia maris pericula ſuperamus; alienas inquirimus linguas, mores, politias; curioſi de omnibus. *Tu quis es?* Et hæc omnia tandem, ſe neglecto, quid important emolumenti? quid juvat Archimedem, cœli terræque circulos, ac parallelos mathematicis diviſionibus in arenâ delineâſſe; nec ſui tamen meminiſſe, quòd ſit cinis & pulvis. *Laudabilior eſt animus, cui nota eſt infirmitas humana, quàm qui eâ non reſpectâ vias ſiderum ſcrutatur.* Quin etiam ſapientis Senecæ judicio *fatuum eſt, ſtudere diviſionibus terrarum, & ſe neſcire metiri.* Audite confitentem reum; Salomonem, inquam, ſapientiæ humanæ miraculum: is exactè noverat virtutes herbarum, radicum, fruticum, arborum, diſputans à cedro Libani usque ad hyſopum parietis; noverat naturas animantium, ac vim inſitam viventibus; noverat morborum ſpecies, & medicaminum inventiones; quidquid totius Vniverſi ratio continuit, id totum noverat, perſpicuâ intellectûs acie: & tamen tam amplâ rerum cognitione non quietatur; ignorantiam adhuc confitetur ſuam: quamnam illam? *viam autem Domini ignoravi.* Quotquot cum Salomone inveſtigandis rerum proprietatibus, ſe neglectis, difficile impendunt otium; quotquot cum Socrate pulicis ſaltum in tenerâ cerâ obſervant, & ex ſaltu deprehendunt

Deſiderium ſciendi omnia alia extra ſe, periculoſum.

S. Auguſtinus lib. 4. de Trinitate.

Seneca lib. de liberalibus ſtudijs.

Sapient. 5. v. 7.

puli-

pulicem 3045. vicibus altiùs ac longiùs exſilire, quàm ſit magnus: quotquot cum curioſo quodam Philoſopho ingenioſarum apum architecturas in vitreis etiam alveariis triginta integris annis obſervant; ac tandem, dum apes vitra ceris obducentes occulto labori inſiſtunt, re infectâ eluſi diſcedunt: quotquot formicarum civitates, cæmeteria, granaria accuratiùs explorant; aut eum alio quopiam Philoſopho, dum aſtrorum obtutui ſeſe affigunt, in foveam concidunt; hi omnes dum ſeſe, tempus, cœlum negligunt; dicant, & profiteantur: *Laſſati ſumus in viâ perditionis; & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus.*

Sap. iii.

34. Exercitia ſpiritualia quàm utilia & conſulta? Quàm periculoſum eſt, omnia velle ſcire præter ſe; in omni palæſtrâ digladiari, in omni ephippio equitare; omnia ſcrutari, inveſtigare, penetrare; ubi ſui ipſius nec minima quidem conſideratio in ſtaterâ ponitur. Memorabile reſponſum ex Canticis ponderate, Auditores picntiſſimi. Ardebat amore Sponſa erga Dilectum, à quo nolebat diutiùs eſſe ſeparata; ſciſcitabatur ab illo, ubi paſceret, & circa meridiem cubiculum poneret; ut adeò non ſit opus, multùm vagari poſt greges Sodalium; ſed facile, ipſum Dilectum invenire: hoc eſt, ubi in ardentiſſima meridie gloriæ cœleſtis ſuos Electos divinis delitiis recrearet. Reſpondet Sponſus; amori quandam immiſcens amarulentiam: *Si ignoras te, ò pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos.* Sacri Interpretes varias & ſubtiliſſimas ſuper textum marginant gloſſas; omnibus tamen vehementior videtur eſſe reſponſio, quàm ut tam amicabili interrogationi conveniret. Non deſunt tamen Authores, arbitrantes, tali acrimoniâ dignam fuiſſe Sponſam: quippe quæ curioſè volebat ſcire, quales oviculas ad gloriam prædeſtinaverit Sponſus; ubi, & quomodo eas paſceret; quas laureolas illis præpararet; quanto eas in ſinum colligeret affectu? Et hoc tua non intereſt, Sponſa: quare potiùs teipſam conſidera, quàm ut curioſa nimis ſis, & de aliis ſollicita: quid ad te; tu me ſequere: aut certè *egredere; & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos*: abi poſt tua deſideria; quocunque te trahant; paſce hœdos tuarum paſſionem, & humanarum infirmitatum; *ſi te ignoras*: age, quòd tecum agas. *Dura increpatio*; ait D. Bernardus; *hoc quippe verbum ſervi, & ancillæ audire ſolent à valde iraſcentibus Dominis: exi hinc; egredere de domo*: ut quid inſoleſcis? an ignoras, te conditione miſerum; habitu deſpectum; fame exhauſtum; infirmitate debilitatum; meas intraſſe ædes; famulatum acceſſiſſe? quòd ſi autem tantotum impatiens ſis beneficiorum, aut exi foras ad hœdos, porcos; aut in ſilentio comportabilis eſto domi; præſtolare obſequia; *noſce teipſum.* Noſce teipſum in Exercitiis ſpiritualibus quotidianis; in Exercitiis menſtruis & annuis: ſcrutare lucernis penetralia animæ, quæ greges Sodalium tuorum, hædi & inordinatæ paſſiones, maculârunt ſæpiùs, aut nigro carbone notârunt: ablue maculas lachrymis; expunge notas tunſionibus; talem te gere, ut mecum poſſis habitare *unius moris in domo*, tranquillus; beatus. Noſce teipſum, quòd ſis advena, & peregrinus in hoc mundo; hoſpes unius diei; fœnum fragile, folium tremulum incertæ vitæ, umbra fugiens ac inconſtans, cæterùm univerſa vanitas.

Cant. 1. v. 7.

S. Bernardus ſerm. 34. in Cantica.

35. Nobilitatem ſpirantes, quàm turpiter ſubinde de ſe præſumant.

Sed verò excurramus pauliſper; & videamus origines gloriæ noſtræ, præſumptionis noſtræ; nobilitatis noſtræ. An non Alexandri Bucephalum imitamur? qui regio ephippio, & fræno vinctus, nullum alium præter Alexandrum admiſit ſeſſorem; at verò regiis ornamentis exutus; facilè cuivis ſtabulario parebat. Quorus quiſque eſt, ex abjectiſſima ſorte, aut plebe gregaria promotus; ex paſcuis & opilionum cunis, Deo ſic diſponente, aſſumptus ad pinguiorem fortunam, ac ſublimiora Aulæ Regiæ officia; an non is ſuiipſius, parentum, originis, patriæ, puerilium ſordium obli-

tus, cum Galbalo vult videri, *nobilis in portis*: Edl/ edl/ edl bin ich? Itàne verò, ergo nobilis es tu? de qua proſapiæ antiquitate? quinam genitores, avi & abavi? quibus equeſtribus ludis tui Majores ante octo, aut decem ſæcula parentârunt? quas galeas Ceris, quæ inſignia tuis Gentilitijs monumentis olim inſerverunt Romani Cæſares? *Tu quis es?* Siccine ex ruſticorum collegijs inter Nobilium ordines, ex ſervorum obſequijs inter Heroum imperia, ex ancillarum anguſtijs inter Domicellarum gynæcea evaſiſti? ſiccine tuorum conſanguineorum acceſſum, vicinorum familiaritatem, amicorum conſortia erubeſcis? Vt quid avertis faciem? extollis oculos? inflas gradum? & omni nutu prætefers animi tui mollimina, quòd ſis *nobilis in portis & hortis*: Edl/ edl/ edl bin ich? Proh! indignatio gravis? Siccine in tantum tua excrevit gentilitas, ut genitorum ampliùs nullam velis notitiam ſuſtinere, tenere fidem, perpetuare denominationem, profiteri patriam, cognoſcere ſortem, ſublevare miſeriam, charitatem recompenſare? eorum, qui tibi de ſuâ ſubſtantiâ dederunt omnem individui rationem ſubſtantialem, præter immortalem animam? Nempe in te redundat ſapientiſſimi illud Senecæ fulmen: *Parentes non amare, impietas; non agnoſcere, inſania eſt.* Nec hujus rationem à te exigo; quippe qui cum conſultiſſimo Boëtio *Iam ſcio morbi tui aliam, vel maximam cauſam: quid ipſe ſis, noſſe deſijſti.*

Seneca.

Boëtius lib. 1. de conſol. proſ. 6.

36. Sed eſto, quod apponis; verè te eſſe nobilem ſanguine, majorum ceris illuſtrem, ſubditis & divitijs opulentum, inſuper gratiâ DEI & Cæſaris ſublimem. Gaudeo de tua præcellentia; gratulor tibi tuam ingenuitatem; inter primos ac præcipuos Germanæ Nobilitatis Proceres te veneror. Ita profectò ratio Virtutis exigit ſublimioris: quæ cùm ſola veram gignat Nobilitatem, ita ad hanc conſervandam etiam exigit Statuum atque Ordinum in publicis munijs diſcretionem. Fas eſt, ut honorata Virtus in elevato throno ſpectabilis emineat, & inter varios perſonarum ſtatus obſervet Ordinem; diſcernat inter ſervum & dominum, civem & villicum, nobilem & plebeium, equitem & gregarium, illuſtrem & obſcurum; proinde Principes, Reges ac Cæſares coronet. At verò nec his ſemper de ſuâ proſapiâ præſumendum: quotus enim quis fallitur in veritate radicis? in conjugalis ligaminis connexione? in thori legitimi honeſtate? in progenitorum ſuorum colorato connubio? Nollem ego cuivis Illuſtrium ſuos parentes in ſpectris, & umbris præſentare; nollem exhibere pluribus ſectandos pro Patribus lixas, moriones, ſcurras, famulos, ſtabularios; prout præſtantiſſimi quidem ingenij, ſed illegitimi thori filius, ac poſtea Canonicus Halberſtadenſis Joannes, Teutonicus dictus, ſuis Dominis Collegis in convivio quodam exhibuiſſe refertur ab expertiſſimo rerum Magicarum diſquiſitore Martino Delrio. Nollem, inquam, tam operoſam auſpicari comœdiam; quando ex floribus Politicis compendioſa ſententia ſcenam aperit, plurimis inopinatam, & tali proloquio Genealogias inducit. *Nobiliſſimæ mulieres magnis ac præſtantibus viris nuptæ, ſæpe libidinoſo amore ita flagrant, ut pudicitiam ſuam proſtituant hominibus turpiſſimis, brutorum animalium non diſſimilibus.* Nec dubito, quin ob ſimilem rationem divinus Plato tam audacter effatus ſit: *neminem regum non aliquando à ſervis, ſervorum neminem non aliquando à regibus prognatum.* Quare etiam Scribanus in ſuo Chriſtiano Politico conſultiſſimè monet, ne ſubinde quis nimiùm de ſuis progenitoribus inquirat; fore enim, ut etiam aliquando illuſtres perſonæ hos in patulâ furcâ aut rotâ offenderent. Eſto denique, quòd à multis ſæculis nobiliſſimæ tuæ proſapiæ Genealogiam veraciter poſsis ac legitimè demonſtrare; ad fontem tamen redeas, ad limum terræ, ad Protoparentes mortalium. Nec hoc te dedeceat, quando Sereniſsimus Dux Arſchotanus, quando Auguſtiſsimus Imperator Maximilianus I. & potentiſsimi qui-

Fallitur ſæpe Nobilium proſapia, titulo colorato parentum.

Delrio lib. 2. diſ. ma. q. 30. ſect. 2.

Flores polit. V. Matrimonium.

Scribanus in pol. Chriſt. lib. 1. c. 9.

quique mundi Domitores, communem profiteri hominum conditionem non ſunt dedignati. *Tu quis es?* Ecce quid optimo debeas Deo, qui in hac politicâ civium ſocietate, in tam præcelsâ nobilium ſede, in tam ſublimi Illuſtrium ordine te collocavit? Illi Ter Opt. Max. Deo, qui deponit potentes de ſede, & exaltat humiles? qui humiliat elatos, & ſublevat de ſtercore pauperes? ut non glorietur omnis caro, niſi in gratijs & benedictionibus Domini.

37. *Gloriosum ex sordibus ad purpuram eniti, nec tamen erubescere pristinam ignobilitatem.*

Tu quis es? An non ſpecioſus es in circuitu gloriæ tuæ, ſicut arcus in nubibus expanſus, quando per proprias virtutes, artes & ſcientias, ad præcellentia miniſteria eveheris, nec tamen modicæ, & abjectæ tuæ originis erubeſcentiam prætefers? Quid enim erubeſcat virgultum præſtans, ſi inſeratur ſylveſtri trunco, ſuccreſcat in arborem, floreat, atque annuis temporibus dulciſsimos fructus colligentibus germinet? an non tunc radix ſylveſtris de tam nobili arbore ſibi inſitâ, de tam bonis fructibus ex ſe pullulantibus glorietur? Ita profectò, ait D. Chryſoſtomus quodam loco, *melius eſt, ut in te glorientur parentes, quàm ut tu in parentibus glorieris.* Sanctè tibi gaudendum, quòd potiùs per propriam virtutem, quàm per alienos Majorum tuorum ſplendores, ex umbra ac noctibus Atticis in lucem prodiêris: glorioſè in te ſuſpiciendum, ſi non per induſtriam parentum, ſed propriæ indolis ac laboris adminiculum præfecturas aggreſſus es. Viden, Joſephum totius Ægypti Proregem! prodit purpurâ veſtitus, ſtipatus famulantium coronâ, occupatus regni adminiſtratione, maximarum rerum ac negotiorum pondere preſſus: Pharaonem accedit, tot Provinciarum & accolarum Nili dominum; in cujus conſpectu producit uterinorum Fratrum manipulum: non dedignatur ſordidas ipſorum veſtes, non conditionis tenuitatē, non cultûs humilitatem. Ecce! Sereniſsime Rex, inquit, *Fratres mei, & domus Patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me; & ſunt viri paſtores ovium, curámque habent alendorum gregum.* Et tu, quid in talibus circumſtantijs non eſſes molitus? quid non abſcondiſſes? quid non occultè diſsimulaſſes, aut omnino dimiſiſſes? O quàm verè poterat Joſephus cum Galbalo canere, *nobilis in portis* ſum ego: Edl / edl / edl bin ich. Quòd ſi deſideratis hanc ſcenam alijs plurimis ornari, qui Joſephi virtutes & metamorphoſin æmularentur; prodeant coronata, prodeant galeata capita, & ſuis exemplis doceant, quid ſit nobilitatem cum ſui cognitione conjungere. Erat Willegiſus carpentarij filius, oriundus ex cõmuni plebe, proficiebat virtute, ac ſapientiâ; & in tantùm proficiebat, ut poſt ingentem meritorum cumulum Metropolitanæ Eccleſiæ Moguntinæ non tantùm Canonicus, ſed & Archiepiſcopus, ac tandem ab Othone III. Auguſtiſsimo Imperatore primus Sacri Rom. Imperij Elector fuerit ſalutatus: non dimittebat in honorum apice ſuæ originis memoriam, ſed inſigni Moguntino, prout vel hodie aſſervatur, carpenti rotam inſerebat, cum hoc adjecto lemmate: *Qui ſis, fuerísque, memento.* De Lecha & Primiſlao, potentiſsimis Poloniæ regibus, ferunt annales, quòd, quia ab aratro ad ſceptrum fuerunt evecti, nunquam ex palatio antiqua ſua ſaga villoſa aut ſculponeas dimiſerint, ſed in maximis Regiæ pompæ ſolemnitatibus ſuis oculis objecerint. Non minore laude Agatocles rex Siciliæ celebratur, qui non ex aureis vel argenteis vaſibus, ſed ex teſteis, & argillatis in menſâ reficiebatur, ut ſordidi figuli parentis ſui imago nunquam non obverſaretur animo. Ad Pontificias Infulas vertamur, ſub ijs ſupremos Eccleſiæ Romanæ Monarchas conſiderando: hos inter videbitis Benedictum XI. ex communi plebe ortum; qui cùm Pontifex Summus ſalutatus, & ingenti omnium plauſu in Vaticanum palatium eſſet introductus, noluit matrem ſuam alloqui alijs veſtimentis indutam, quàm humili ſuæ conditioni proprijs; ut adeò & ipſe ſuæ originis, & illa ſuæ

fortis

Marginal notes: D. Chryſoſt. hom. — Geneſ. 46. v. 31. — Engelgrave in Dom.

fortis perpetuò reminiſceretur. Sixtus V. lotoris cujusdam filius, cùm ex Seraphica Religione noſtra ad ſummum Pontificatum eſſet aſſumptus, aliquando ironicè gloriabatur, ſe ex perilluſtri domo progenitum, utpote in quam ubique per fractas feneſtras, & ruinoſæ fabricæ rimas, ſolares radij penetrabant. Vrbanus III. itidem Pontifex Maximus, cùm ei tacitâ exprobatione humiles natales objicerentur, audacter ſimul ac ſapienter repoſuit improperanti: *Magni viri non naſcuntur, ſed virtute fiunt.* Nec in umbrâ mortis deliteſcant omnino viri, etiam noſtrâ ætate rebus bello geſtis celeberrimi: inter quos immortali famæ conſecrârunt nomen ſuum, Bucquovy Cæſari, Ægydius de Haſe Hiſpano, Joannes de Wert Bavaro, Generales belli duces; qui cùm à jugis boum ad caſtra heroum, ab aratris arvorum ad exercitia armorum, ab opificijs cæmentariorum ad currules machinas tormentorum tranſijſſent, virtuti bellicæ trophæa erexerunt; dicendo cum Mario Romano, qui itidem ab aratro ad Conſulatum tranſilierat, *malle ſe nobilitatem parere, quàm acceptam dedecorare.* Celebris erat illius Ægydij de Haſe exhibitio: is aliquando unà cum aliquot Equeſtrium legionibus Genevam ingreſſus, primò ad matris ſuæ ædes divertit; quam adventûs ſui inſciam, in culinâ placentas coquentem ſalutavit; tum eam pretioſis veſtibus ornatam in ſplendidâ rhedâ per primarias civitatis plateas circumduxit. Paulò pòſt depoſitis militaribus ornamentis, antiquo habitu cæmentarij (qualis fuerat) ſpectandus prodijt, malleo & trullâ, tanquam præcipuis ſuæ primæ artis inſtrumentis inſtructus: convocavit omnes ſui opificij commilitones; tractavit carnibus, & cereviſiâ lautè; egit cum illis jucundè ut cæmentarius. Poſtridie hos omnes ſuæ artis conſortes murarios iterum convocat; convivium parat, quale magni principes ſolent inſtruere; fortunæ & virtutis ſuæ ſplendores, divitiarum luxum, ferculorum varietatem, inter buccinantes plauſus exhibet; animat hoſpites poculis aureis, colloquijs familiaribus ſolatur: heus, inquit, num & vos veſtros deſpondetis animos bello, quod virtuti patrocinatur, & cæmentarios ad tantos fortunæ honorúmque gradus extollit? Omnes reliqui, quotquot unà cum his ſuâ virtute de profundis in excelſum evolârunt, demonſtrabant opere id, quod religioſiſſimus Scribanus pro maximâ honeſtatis & gloriæ propoſitione tradidit. *Satiùs eſt, me meis rebus florere, quàm majorum opinione niti; & ita vivere, ut ego ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.*

Scribanus in polit. Chriſt. lib. 1. c. 10.

38. Ergo patet, quantùm interſit ſeipſum cognoſcere, & dimiſſis aliorum diſquiſitionibus ſuam propriam tenuitatem, ſortem, atque ignobilitatem conſiderare. Finale ſit omnibus mnemoſynon, quod S. Franciſcus Borgias, olim Gandiæ Dux, Vicerex Catalauniæ, Marchio Lambaiæ, ac proin Societatis Jesu Generalis tertius, piæ poſteritati reliquit. Verſabatur is in Cæſareâ aulâ Caroli V. inter reliquos Hiſpaniæ Grandes; cúmque tota aula ſeſe ſplendidè diſponeret ad migrandum aliò, ipſe vilioribus veſtimentis indutus (prout jam tunc luxûs & oſtentationis externæ exoſus erat) cuidam Primati Hiſpaniæ obviam venit. Quid hoc, Sereniſſime Dux? clamat is. Siccine Gandiæ Princeps ſuam gravitatem vilipenſioni aut contemptui exponit, tam detrito & modico ornatu utens? quamdiu ſanitas Marchionis Lambaiæ ſub hoc levis veſtituræ habitu ſubſiſtet incolumis? Falleris, ait Borgias; nám exactam meæ perſonæ curam gero, & quoties itineri me accingo, duos præmitto famulos, qui præparent diverſorium, inſtruant menſam; diſponant lectum. Quinam illi? quærit Primas. Si dicere me cogis, reponit Borgias, obſequar: cognitio mei ipſius, & conſideratio infernalis pœnæ, quam propter mea peccata promerui; ij ſunt præcurſores mei. O fructus! ô monumenta digniſſima propriæ ſui ipſius cognitionis, quâ Borgias ad tam ſublimes

Cognitio ſui quàm efficax in S. Franciſco Borgia.

In vita ejus lib. 4. c. 3. & annal. Sacc.

lîmes heroicorum actuum apices penetravit! Tanti intereſt ſeipſum, tanti Deum cognoſcere! Quisquis hanc ſcientiam, hanc ſui ipſius cognitionem excellenter didicit, fructuosè exercuit, operosè demonſtravit; is poſſidet virtutem pro gaudio, gloriam pro lucro, gratiam DEI pro pignore ſalutis: dicat cuicunque ſciſcitanti, & ſibi tunc teſtimonium cum Galbalo tribuat, quòd verè ſit *nobilis in portis & hortis*: Edl/ edl/ edl bin ich. Amen.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

CIRCUMGYRANS MILVIUS.

Der ringmachende Weyhe vor Weyhnachten.

LEMMA.

Meritis venit in aſtra ſuis. Ovid. lib. 3. Faſt.

THEMA.

Venit in omnem regionem Iordanis. Lucæ 3. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS V.

Verbi Incarnati ſublimia myſteria per varios circulos & gyros, affectuosè, ſubtiliter & utiliter demonſtrantur.

39. *Milvij proprietates variæ expoſitæ.* VT quid inter cœleſtium conſtellationum imagines cæca Gentilitas poſuit Milvium, avem rapaciſſimam, parùm cæteroquin commendabilem, moleſtam agricolis, gallinarum pullis infeſtam, & quæ omniũ Venatorum jaculis liberè eſt expoſita ad confuſionem? Si plura velitis nôſſe de Milvio; eſt avis in minimis audax, in majoribus timoroſa: cadaveribus inſidet, & propter ſui pigritiam, à niſo longè minore ſe impeti timet. Crudelis eſt erga proprios pullos, & cùm videt eos impinguari, roſtro percutit, cibúmque eis ſubtrahit, ut macreſcant. Levis eſt & mollis in volatu, querulosè tantùm rapinis vacans. Propter guloſitatem immundis veſcitur; & pro modico ventris paſtu, tota die circumfertur. Quantò plùs vivit, tantò magis ſeſe exhibet degenerem; & quidem in juventutis robore aves capit, deinde vix muſcas, & vermiculos audet attingere; tandem fame & ignaviâ perit. Fur eſt, nam carnes à macello, panes è puerorum manibus, de capitibus pileos, de emphiteutarum areis gallinulas auffert: viſus eſt Lugduni cuidam Oenopolæ, fluvium Ararim trajicienti, marſupium peculio plenum è momento abripere, ac in aquas deijcere; manifeſtans ſimul, & plectens reum, quòd vinum vehementer miſceret aquâ. *S. Gregor. Turronenſis in glor. conf. c. 109.* Ecquid promeretur talis? nunquid furcam, aut quid furcâ deterius? & tamen inter ſidera relatus eſt Milvius. Quibus meritis? *meritis venit in aſtra ſuis.* An fortè hanc

Digitized by Google

illuſtrationem congenitâ ſuâ promeretur hoſpitalitate? Nam referunt Ornithologi, quòd tedeuntes ad nos Milvij, ſecum adducant cuculum, ſcapulis ſuſcepium, propter breves ejùs & parvos volatus, ne per longa aëris ſpatia fatigatus deficiat in via; inſigni ſanè beneficiô in hoſpitem, ut qui ſecum in hybernis egerat, ſecum quoque æſtatem tranſigeret. Nobilior ſanè, & inexpectata ſubeſt ratio: nempe cùm Jovi annulus ex manu decideret, mandatum eſt alitibus, ut ocyùs ſtarent in miniſterio, annulum exciperent, & altiſſimo Tonanti redderent: nemo tunc velocior & obſequioſior Milvio; qui & annulum cœpit, & Jovi reddidit, & propter hoc inter aſtra relatus triumphavit. Audite Ovidium brevi compendio fabulam canere.

Ovidius 3. Faſt.

Jupiter alitibus rapere imperat: attulit illi
Milvius, & meritis venit in aſtra ſuis.

Fortè fabula ortum duxit ex naturali circulatione, quam ſolet Milvius in cœlo facere: nam dum prædam ex alto ſpeculatur, in orbem circumvolitat; dum in prædam irruit, rectâ, & unico impetu ſe demittit; tantâ velocitate, ut Bellonius ſcribat, obſervatos à ſe Conſtantinopoli, qui projecta in altum à Turcis, animi relaxandi gratiâ, pulmonum bubulorum ſegmina devolantes unguibus arripuerint, antequam in terram delaberentur. Et hæc ipſa circulatio fortè cauſa eſt, cur à Divino Prophetâ cœleſtis illi attribuatur prærogativa: *Milvus in cœlo cognovit tempus ſuum.* Omnia videntur hodie concludi circulo; & annulus in manu, & Milvius in circumgiratione, & tempus in interminabili circumferentiâ, & tandem Joannes in omni regione circa Jordanem, juxta allatum S. Evangelij thema; *Venit in omnem regionem Iordanis.* Ergo faciamus hodie circulum O; cognoſcamus tempus adventûs Domini cum Milvio, **mit dem Weyhe die Weyhnacht**; diſquiramus moralia ſecreta circuli; dicamus, Salvatorem noſtrum, cujus devoti præſtolamur Adventum, per omnia ſimilem eſſe figuræ circulari. Erit materia tanti Auditorij auſcultatione ac patientiâ digniſſima.

Ieremiæ 8. v. 7.

Non faciam in demonſtratione circulum, ſed in circulo demonſtrationem; quando mihi ubique ex circuli figurâ Verbi incarnandi myſterium haud ſecùs elucet, ac olim in ſolis circulo Virginea Mater cum Prole divina ab Auguſto viſa eſſe perhibetur. Ac vocem quidem corpoream eſſe divini Verbi in carne noſtra imaginem, facili negotio planum fiet, ubi oſtenſum fuerit, vocem eſſe aliquid orbiculare, & exhibere O figurale. Porro ex plutibus graviſſimis Authoribus demonſtrat Theophilus Raynaudus, noſtro ſæculo admirandæ eruditionis atque ſcientiarum theſaurarium, vocem intentionaliter diffundi in orbiculatem figuram, multis gradatim circulis amplificatam: non ſecus, ac in aquâ ſtante, ſi lapidem immittas, naſcuntur innumerabiles undarum circuli, creſcentes à centro, & quàm latiſſimè poſſint, vagantes; niſi anguſtia loci, vel aliqua offenſio, deſignationes circulares intetpellaverit. Eadem ratione vox ad circinum efficit motiones: cum hoc tamen diſcrimine, quòd in aqua circuli æquâ planitie in latitudine moveantur; vox verò, & in latitudinem progrediatur, & in altitudinem gradatim ſcandat, ſicque ad ſummorum & infimorum aures penetret. Non ſic perfectâ circulatione vox muſica, ac melico ſono conſentanea in aures influit, ſed ovali, ex gravibus & acutis ſonis conſurgente: octava enim vox, quæ eſt acuta, quaſi per verticem vocis optimæ, quæ eſt ſibi dupla, latitudinem ſibi ex ſeipſa continuans, ex ſeipſa atque primâ unam conſtituit vocem. Vtroque modo Verbum Incarnatum, & vox Patris eſt, & carmen DEO noſtro. Non loquor hìc de verbo ſcripto, veſtito, calceato, obumbrato, effuſo, inſito, abbreviato, inequitante, negotiante, hamato aut fermentante; de quibus dictus Raynaudus agit alio loco: ſed de Verbo Patris genito & prolato; de quo Gennadius Scholarius

40. *Sicut vox humana circulariter illabitur auribus, ita Verbum divinum orbi.*

Raynaudus in Marialı, tract. 1. Paraſceuaſtico.

Raynaud. de Chriſto 10 2. lib 1. ſect. 9. c. 1 & ſeq. Gennadius in via ſalutis. S. Athanaſius q. 1.

rius egregiè coram Turcarum Principe diſputat,& ex D. Athanaſio Verbi Divini cum noſtris vocibus ſequentes profert analogias, in mo- „dum ſequentem. Quemadmodum „ſermo hominis duas habet genera- „tiones, unam ex anima,& alteram „ex labijs:ita etiam Dei Verbum duas „generationes habet, unam quidem „ex Deo Patre, quæ & prima genera- „tio dicitur; & alteram ex carne, quæ „ſecunda generatio dicitur. Et quem- „admodum ſermo noſter,quando na- „tus eſt ſecundùm primam genera- „tionem ab anima,obſcurus eſt,& non „aperitur; ſed potiùs poſt generatio- „nem manet in finibus animalibus:ita „& Dei Verbum,quantumvis ante ſæ- „cula à Deo Patre natum,non tamen „manifeſtabatur hominibus; mane- „bat enim in finibus Paternis. Et „quemadmodum ſermo noſter, „quando volumus, naſcitur ex labijs „noſtris, & aperitur ijs, quibuscum „verſamur: ita & Dei Verbum, quan- „do ei viſum fuit, natum eſt ex labijs „Prophetarum, & ex ter caſtiſſima „Maria; & tunc factum eſt manife- „ſtum in toto mundo. Et quemadmo- „dum ſermo noſter natus ex labijs „noſtris, quando à labijs generatur, „non relinquit animam, neque labia „propria, neq; aures audientium; ſed „eſt etiam in anima, & in labijs no- „ſtris,& in auribus audientium;& mi- „nuitur nunquam, etiamſi multa mil- „lia audiant ſermonem; nec deficit, „ſed ſemper in nobis pleniſſimus eſt: „ita & Dei Verbum, etiamſi natum ſit „ex Maria Virgine,& ex labijs Prophe- „tarum; non tamen neque à Patre „diſcedit, neque à carne, neque ab „omnibus hominibus, neque à totâ „creaturâ, ſed ubique præſtò eſt; nec „minutum eſt, ſed pleniſſimum. Per omnia clara eſt analogia Verbi cum voce noſtra circulariter effuſa; de ovali figura vocis muſicæ par eſſe videtur ſimilitudo cum Christo, qui & Canticum novum Domino,& Laus ejus in Eccleſia Sanctorum,& Alleluja, & Gloria in excelſis Deo, paſſim in Scripturis ſacris nominatur. Vultis ſcire diſcrimen inter Canticum vetus & novum? Ad Canticum vetus invitatur omnis intellectualis creatura, cùm dicitur: *Benedicite Domino omnia opera ejus*. Ad novum invitatur omnis terra, id eſt,omnis ex redemptis hominibus conflata Eccleſia, cùm dicitur: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra*. Vtrumque ſanè canticum canit omnis terra,ſed cum ſanctis Angelis canticum vetus cantat creatori; ſola verò canticum novum cantat Redemptori. Sola, inquam,terra cantat canticum novum; quia veritas de terra, non de cœlo orta eſt; id eſt, Verbum caro,non Angelus,factum eſt, & habitavit in nobis. Itaque ad Angelos canticum novum minimè pertinet; quia,ut ait Apoſtolus, *non Angelos,ſed ſemen Abrahæ*,id eſt, terram, redemptrix Veritas *apprehendit*. In argumento tam ſubtili non hæreo; quando & *Verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto,& vox clamantis in deſerto*, longè latéque per orbem arcaniſſimè dimanant in imenſum, & paſſim ex ſeipſis propoſitam analogiam remonſtrant.

Raynaudus to. 2. ſect. 2. c. 18.

Gulielmus parvus præfat. in Cant.

Hebr. 2. v. 16.

Idem Evangelium.

Giremus cum Milvio, & novum faciamus circulum *in cælo*; de quo Philippus Presbyter mathematicam inſtituit conſiderationem. Circuli rotunditas,ait,figura eſt figuris cæteris pulchrior: nam circulus ex omni parte ſibi eſt congruus, & æqualis totus; qui per ſemetipſum ſolidus vadit & integer,oculorúmque aciem per ſuum infinitum penetrat ambitum,quo ſine ullo fine ſuper ſemetipſũ currit, & inexplicabiliter ducitur. Symbolum utique virtuoſi hominis, ſemper in medio conſiſtentis,ut à puncto rectitudinis moralis neque deficiat, neque excedat. Hanc ſimius Satanas figuram circuli amat,nam teſtantur, qui magica tractant,magos initiari Satanæ,præſtando ei jusjurandum ſuper circulo in terram ſculpto; eoſdémque manuale ſignum crucis efformare figurâ circulari; quin etiam ſigilla magica crucem circulo incluſam exhibent. Nempe Satanas hâc figurâ vel divinitatem affectat,cujus ſymbolũ habetur circulus, vel diffidentiam à cruce multipliciter angulosâ, & inferno ob trium-

Philippus Presbyter lib. 3. in Iob.

41\. Circuli perfectiones Christò applicatæ.

triumphum exoſâ; vel Crucis captivitatem in circulo, diaboli dolis comparatam; vel virtutis ſtudium, doloſâ imitatione coloratum. Vndecunque autem Satanas petat adamandi circuli cauſam, Verbum incorporatum, quod ejus caput contrivit, circuli imagine meritò exprimitur. Tum quia Regia dignitas ſuper omnia DEO ſubjecta, quæ etiam apud Gentiles exprimebatur circulo capiti Iſidis impoſito, Verbo Humanato jure naturæ competit. Tum quia DEUS æternus & ante ſæcula, voluit noſtri cauſâ fieri temporalis, & ſubire *rotam nativitatis noſtræ*, ut eâ ratione evaderet rex, & hæres univerſorum novo titulo. Tum quia D. Bonaventura ſuper illud *in circuitu impij ambulant*, ſublimiter ſic ſcribit. Nota, DEUS humanatus „dicitur eſſe circulus, & circumferen„tia Humanitas; centrum autem di„citur Divinitas. Circumferentiam „facit pes circuli mobilis; in centro „eſt pes immobilis: nam Humanitas „mobilis, ſed Divinitas eſt immobilis. „Impij in circuitu ambulant, quia Hu„manitatem, non Divinitatem cre„dunt. Vnde alibi, *qui videbant me*, „*foras fugerunt*, id eſt, Chriſtum pu„rum hominem crediderunt. Juſti „autem uſque ad centrū perveniunt, „quia DEUM in homine credunt. „Tum quia Verbum humanatum erat „quaſi *circumiens in utero* Gedeon, cu„jus panis convolutus, ſubvertit acies „Madian: & inde D. Epiphanius Deiparam celebrat his verbis. O uterum „impollutum, habentem circulum „cœlorum, qui DEUM incomprehen„ſum, in te verò comprehenſum por„taſti! O uterum cœlo ampliorem, „qui DEUM in te non coarctaſti! Ave „gratia plena, quæ cœli circulum „habes, & DEUM incomprehenſum „anguſto potiſſimùm loco in te ipſa contines! Ex quo patet, quàm rationabiliter Zenoni Philoſopho DEUS viſus ſit *circularis*; utpote quem illa Fœmina circumdedit, quæ gyrum cœli circuivit ſola. Fortaſſis autem circuli illi tres, qui circa Solem apparuerunt ſub Chriſti ortum, ex Dione Caſſio, quorum unum ſpicea corona ignita circumdabat, referuntur ad Verbi Incarnati expreſſionem. Sol enim Divinitatem, tres circuli tres Divinas Perſonas adumbrant; quarum unam, hoc eſt, Verbum ambiebat ſpicea corona, quia Verbum per Incarnationem factus eſt panis vivus, dans vitam mundo, nominatim in Euchariſtia.

Iacobi. Ep. Cath. c. 3. v. 6.

S. Bonavent. in Pſal. 12.

Epiphanius in Panegyr.

Caſſius lib. 45.

42\. Sed verò ſi *meritis venit in aſtra ſuis* Milvius, eò quòd Jovi delapſum annulum attulerit; quantò altiùs evoler Milvius, formando annulum, Verbi Incarnati typum. Argumentum tantæ dilectionis, qua Pater Chriſtum proſequitur, illud eſt ſanè luculentum, quòd annulus Patris eſt, atque ſignaculum; ut de Zorobabele in Chriſti typum dicitur Aggæi c. 2. Non modò quia eſt ſigillum, quo Pater omnes adoptionis filios vult obſignari; nec quia eſt ſignum quaſi appoſitum ad tutelam Electorum; nec denique, quia eſt character militaris Electorum omnium manibus inſcriptus: quas rationes vocandi Chriſtum nomine ſignaculi illuſtrat pluribus Caſtro, Aggæi 2. *in fine*. Sed ea præſertim de cauſa Chriſtus *ſignaculum, & annulus ſignatorius Patris* appellari poteſt, quia nihil Pater nobis concedit, niſi per Chriſtum & ejus merita obſignetur. Mira eſt ad elucidandum hunc annulum SS. Patrum, & Doctorum pietas, & induſtria; ex quibus convenientiſſimè Richardus Victorinus in Pſal. 71. agit de terra illa, in quam ſtillârunt ſtillicidia cœleſtia: ubi præfatus, in ea inveniri aurum optimum, ejus verò auri conflatorem ac mundatorem eſſe Spiritum Sanctum, ſub„dit. Hujus ſanè operatione in ventre „virginali conflatum eſt aurum, & „decoctum ad purum, natura huma„na purgata, & ab omni labe munda„ta, Verbo unita, & in unam Perſo„nam conjuncta. In hoc conflatorio, „& ex hujuſmodi auro formatus eſt „annulus, lapis pretioſus, anima Chri„ſti; qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & fi„gura ſubſtantiæ ejus, nihilominus „tamen noſtrę eſt unitus Humanitati,

Annulus Verbi Incarnati typus.

Caſtro ſuper Aggæi. 2.

Rich. Victorinus in Pſal. 71.

„ut

„ut ex duabus naturis, tribúſque ſub-
„ſtantijs, eſſet quaſi in unum annu-
„lum junctus Mediator Dei & ho-
„minum, homo Chriſtus Jesus, & ſie-
„ret dexteræ Excelſi ornatus. Hujus
„annuli ſignaculo ſignatum eſt illud
„edictum, vel chirographum, in quo
„liberata eſt captivitas Judæorum.
„Hic eſt annulus Aman principi ab-
„latus, & Mardochæo regiâ clemen-
„tiâ commiſſus; & quem hæretica
„perverſitas perdidit, ordo Catho-
„licorum Doctorum acquiſivit. O ſi
„quis in nobis factus ſit fili' prodigus,
„qui dudum mortuus erat, & jam revi-
„xit, perierat & inventus eſt: *date*
„*hunc annulum in manu ejus, & calcea-*
„*menta in pedibus ejus.* O quanto ho-
„nore unusquisque noſtrûm in hoc
„annulo donatur, quandoqnidem
„in ejusmodi ornatu & ipſe Pater
„gloriatur. Inſeratur hic annulus di-
gito quarto, è quo vena ad cor pertin-
git; aut certò inſeratur minimo digi-
to, ut ſic perpetuò obverſans viſui no-
ſtro, nunquam excidat è memoriâ;
quod Deus maximè commendat, ést-
que nobis longè utiliſſimum. Sic enim
annulati, ad magna quæque ſuſcipien-
da, & conficienda idonei erimus; ſu-
pra Gygem felices, qui annulo inſtru-
ctus præſtante inviſibilitatem, magna
& mira, ſed dira, & ſceleribus referta
patravit. Arcebit hic annulus piè ge-
ſtatus omne virus lethale, quod cum
peccato gravi componi poſſit; ſic enim
mos eſt Magnatibus, gemmam bufo-
niam, aut alias quasdam annuli locel-
lo inſertas, in eum finem geſtare, ut
veneni præſentiam deprehendant,
mutatione ſubitâ coloris factâ in gem-
ma, vel ſudore per eam emiſſo. At
quis non avertatur à quocunque pec-
cato, ſi recogitet attentè, hunc fuiſſe
ſcopum Incarnationis, ut deſtruatur
peccatum, & inducatur juſtitia ſem-
piterna? Metiamur hoc annulo dies,
& horas omnes vitæ noſtræ. Fuit Ca-
rolo V. horologium in annulo, cum
ſuis libramentis currentibus, & recur-
rentibus rotulis, artis prodigio concin-
natum; & quod fuit portentoſæ in-
duſtriæ ſpecimen, annulus ſic com-
pactus non gravabat geſtantem digi-
tum, ita ut fatiſceret. Levabit nos
ſvavis cogitatio expromptæ pro nobis
in myſterio Incarnationis divinæ
bonitatis; & hoc contuitu ſuppetiæ
nobis ad vitæ directionem, ac com-
poſitionem abundabunt. Habere vo-
lentes Antiocheni perennem S. Me-
letij memoriam, ejus imaginem an-
nulis inſculpebant; ſapientiores uti-
que, quàm qui Alexandrum, aliavè,
quorum obliviſci nunquam vellent,
præferebant in annulis. Sed nulla fru-
ctuoſior obſervatio, quàm verbi Incar-
nati: itaque annulo myſtico aſſiduò ge-
ſtando eſt inſculpendum. Idque erit
pignus remiſſionis peccatorum, quale
accepit S. Attilanus Epiſcopus Zamo-
renſis, cùm annulum à ſe in flumen
projectum, cum conteſtatione, nolle
eum à ſe recuperari ante peccatorum
ſuorum abſterſionem plenam, eum
denique in piſce, quem exenterabat,
invenit, poſt biennium ſuæ ad pœni-
tentiam agendam ſeceſſionis.

43\. Ab annulis & circulis, facilis eſt
Milvio ad armillas giratio: non enim
ab intellectu circuli armilla diſcrepat,
quæ ambiendo conſtringit id, ubi po-
nitur. Quare hìc jure ſubnectimus,
quod Rupertus in cap. 1. Matthæi, de
circulo ſimul & armillâ, ad hoc My-
ſterium aptatis, proponit. Nempe
Chriſti Genealogia, ſecundùm Lu-
cam ſurſum aſcendens texturâ Ge-
nealogiæ prolixioris, revera quaſi cir-
culus extitit, ita ut nihil rectiùs, quàm
ejusdem generationis excurſum pute-
mus poſſe intelligi in verbis illis, quæ
itidem ad B. Job Dominus dixit.
Nunquid pones circulum in naribus ejus, &
armillâ perforabis maxillam ejus? Quid
enim? Nonne cùm ſic incipit: *Et ipſe*
Ieſus erat incipiens quaſi annorum trigin-
ta, ut putabatur, filius Ioſeph, qui fuit He-
li. Et ſic finit: *Qui fuit Adam, qui fuit*
DEI. Nonne initium & finem con-
junxit Evangeliſta, & circulum fecit?
Cùm enim uno ductu linea ſic flecti-
tur, ut ejus initium & finis conjun-
gantur, nonne circulus, qualis v. g. eſt
armilla, formatur? Ecce Jesus Chri-
ſtus, de quo ſic incæpit, *Et ipſe IESVS*

Marginal notes: *Luc. 15.* — *Clemens 3. pædag. c. 11.* — *Anſhelmus Boeds lib. 2. de gemmis.* — *S. Chryſoſt. hom. de Melet.* — *Lucius Marinæus lib. 5. de rebus Hiſp.* — Armillæ aſſimilatur Verbum Incarnatum. — *Rupertus in cap. 1. Matth.* — *Iob. 40. v. 21.* — *Lucæ 3. v. 23. & 38.*

incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph, Deus & homo eſt: incœpit autem ab homine, & in Deo ductûs ſui finem fecit. Nonnè igitur quaſi lineam ſive virgam longè ſubtilem, ſive ſubtiliter longam, auream ſive ferream, à Jesu Chriſto incœpit, & in Jesum Chriſtum reduxit, dicendo, *qui fuit Adam, qui fuit DEI*: cùm unus idémq; Jesus Chriſtus & homo ſit, & Deus, nec alterius plaſma fuerit Adam, quàm hujus Dei? Vetus igitur, ô diabole, iſte eſt circulus, quem Deus in naribus tuis poſuit. Iſta eſt armilla quâ maxillam tuam perforavit. Junxit ſe initium fini, id eſt, Deus homini: & ita hæc duo, ſcilicet initium & finis, occurrerunt ſibi in utero virginali, ut nares tuas transfixas teneret firmiter circulus inflexibilis; & maxillam tuam voracem perforaret armilla talis, armilla gloriæ & honoris: unde nunc usque fatuus traheris, & quod avidè momorderas, retinere non valens, per maxillæ foramen emittis. Magi incluſum armillâ primum pueri dentem, & ſemper in brachio habitum, gravibus malis mederi dicunt, teſte Plinio: at verò longè certiùs omnibus malis noſtris medetur incluſus armillâ carnis Deus infans, factus nobis Deus, Prædicator & Doctor; prout D. Bernardo hæc ſunt per allegoriam dicta.

Plinius l. 28. c. 4.

43\. Non terminat ſuas girationes Milvius, ſed ultra circulos, annulos, armillas, etiam coronas continuat. Nunquid enim coronæ nomine expreſſum veneramur Incarnationis myſterium? Audite juxta variorum Patrum interpretationem, textum ad præſens argumentum provocantem in Canticis. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Sive autem diadema ſignificet textile aureum cum lapillis & margaritis, poſitum ad Imperatoris frontem, & ponè revinctum cerebrum ejus; ſive ſignificet *Zonam militarem*, honoris indicium, quo olim Tyranni Chriſtianos milites primùm privabant, tum eos tortoribus dedebant; ſive ſignificet circulum aureum, affabrè elaboratum, & clenodijs ornatum, quo Reges in regni ſolemnitatibus utuntur; ſive hæc omnia conjunctim ac ſimul: certè *Diadema* juxta S. Ambroſij, Bernardi, Bleſenſis & aliorum interpretationem, ſymbolizat carnis paſſibilitatem, qua illum coronavit intemerata Matris virginitas; cùm novum quid Dominus fecit, & fœmina virum circumdedit, juxta Hieremiæ vaticinium; virgo tamen concipiens & patiens, teſtimonio nihilominus Iſaiæ. Huic coronæ Virgo Mater in utero materiam miniſtravit, miniſtratam doctâ manu artifex Spiritus S. fabricavit, eámque texuit in rotundum, opere tam perfecto, ut incomparabiliter ſuperemineat auro, lapidi, vel electro. Hanc Judæus intuens, non niſi ſpinas æſtimat & laborem; infidelis conſiderans, non habere putat ſpeciem vel decorem; oculus defæcatior, ſpecioſum præ filijs hominum intuetur, non ſolùm quia Deus eſt, ſed quia homo, hominum debitis non tenetur. Et quidem carnis materia cum hominibus naturaliter eſt communis, ſed eadem communitas à vitijs carnalibus eſt immunis; hujúsque myſterij virtute, in unitatem ſui perſonaliter nos admittit, ſemélq; ſibi vinctos à ſe dividi non permittit. Quod pulchrè Diadematis rotunda ſignat perfectio, cujus integritatē nulla prorſus abrumpit diviſio. Vnde & Diadema *diviſionem demens* ſignare perhibetur, quia neſcit dividi, quisquis hujus coronæ ambitu continetur. In hac igitur corona, id eſt, in carne ſua, nos ſibi copulat & conjungit, & agonis participes ab honore & gloria non disjungit: quam glotiàm Salomoni quodammodo Mater dicitur impertijſſe, cùm Virgo Deum hominem in utero creditur concepiſſe. Quis Virgini laudes non deferat? quis non dignam ejus faciat mentionem, quæ coronavit non auro, non lapide, ſed carne propriâ Salomonem? quæ Regi contulit, unde velit, & valeat gloriari, in quo vincat, & dignus ſit

Diademate & coronâ ſymbolizatur Incarnationis myſterium.

Cant. 3. v. 11.

S. Ambroſius de Inſtitut. Virg. c. 16. S. Bernard. ſerm. 2. de Epiph. Bleſenſis ſer. 19. in Cant.

Philippus Abbas lib. 4. in Cant. cap. 6. Richardus de S. Laurentio lib. 3. in fine.

ſit victoriæ merito coronari. Hæc & ſimilia Philippus Abbas in Cantica; quem præclariſſimus Richardus de S. Laurentio longè pluribus expoſitionibus ſuperare videtur, iterum iterúmque cum Milvio girando coronam. Videte Regem Salomonem, id eſt; Chriſtum verum pacificum, in diademate, quo coronavit eum Mater ſua B. Virgo: aliæ ſiquidem matres vinculo originalis ſervitutis filios ſuos alligant; iſta autem magno decore originalis puritatis, & innocentiæ, iſtum filium coronavit; id eſt, coronatum concepit, peperit. Videte, quæ generavit, mater eſt gratiæ, non concupiſcentiæ: hæc diademate ex auro nobiliſſimæ ſapientiæ, & gemmis virtutum pretioſiſſimis conſerto, coronavit caput Salomonis; & mentem decore admirabili inſtar diadematis circumcinxit. Videte diadema Salomonis, cujus aurum Divinitas; cujus argentum, Spiritûs Sancti igne multipliciter examinatum; candida & pura Humanitas; cujus lapides pretioſi, virtutum univerſitas. Videte diadema, cujus aurum puriſſimum caro Chriſti per Spiritum Sanctum fabricata, ex auro ſubſtantiæ Virginalis. Videte Humanitatem Chriſti, tanquam diadema, quaſi *duo demens*, ſcilicet principium & finem; id eſt, peccatum originale, quod eſt principium omnis mali, & pœnam æternam, quæ eſt finis, ad quem tendit omne mortale peccatum. Videte Salomonem *in die deſponſationis ſuæ*, in die Nativitatis ſuæ ſecundùm carnem; quæ quidem longè juſtius ac decentius magnæ coronæ nomine donatur, quàm dies in Liberum ſolennes, quos profana Gentilitas coronis, & ſertis redimita, propter ſingularem Bacchi nativitatē celebravit, vel ineptius, vel ſcandaloſius.

44. *Globo Imperatorio ſignificatur Chriſti dominium.*

Ammianus l. 21. & 25.

Hiſce tot tantiſque Milvij girationibus accedat tandem ultima, quæ fiat circa globum Imperatorum manibus præferri ſolitum. Unum id eſt ex Imperij dogmatibus, quod vetuſtiſſimis nummis habetur expreſſum, & ab Ammiano Conſtantis ac Maximiani manibus inſeritur. Ex quo intelligitur, non primum omnium Benedictum VIII. immiſiſſe globum, Imperij notam, manui Imperatoris: quod fecit S. Henrico deſignato Imperatori, cùm is Romam adventans, à Benedicto obviam veniente, accepit pomum rotundum pretioſiſſimum ex auro fabrefactum, per quadrum pretioſiſſimis gemmis conveſtitum, cui deſuper Crux aurea inſerta erat: ut dum illud pomum Princeps inſpiceret, admoneretur, non aliter debere in mundo exercere imperiū, quàm ſi virtutibus præfulgeret, dignúſque haberetur S. Crucis vexillo protegi. Piiſſimus autem Henricus ita munus Pontificium admiſit, in magna Procerum multitudine & cœtu Magnatum numeroſiſſimo, ut tamen conteſtaretur, nulli meliùs pretioſum illud Imperij inſigne congruere, quàm ijs, qui pompâ mundi calcatâ; Chriſtum expeditiùs ſequerentur; protinúsque Imperiale illud Pomum in Galliam ad Cluniacenſe Monaſterium tranſmiſerit. Vulgaris de notione globi exiſtimatio jam olim tulit, ſignificari eâ pilâ ſeu globo orbem terrarum, ſubjectum Imperatoris dominio: ſicut Tamberlanes, ut ſubijciendas ſibi tres orbis terræ partes ſignificaret, aſſumpſit pro teſſera triplex O inter ſe connexum.

Glaber lib. 1. ſub finem.

Goffridus Viterbienſis in Annalibus parte 19.

An verò orbis terrarum per pilam Imperatoriam ſignificetur, quocunque jure ſive actuali ſive poſſibili, ſive colorato vel reali, ægrè ſubſiſtit; tametſi ita ferat vulgaris exiſtimatio. Ex qua factum eſt, ut fur ille, qui incredibili audaciâ, Bononiæ in Carolo V. per Clementem VIII. conſecratione, coram tali & tanto cœtu, in ipſo altari furatus eſt globum, cùm ſe linteatū ingeſſiſſet Sacerdotibus, dictus ſit *furatus orbem terrarum*. Ex ea quoque populari exiſtimatione manavit, ut nunc ei globo paſſim appingantur circuli tripartitè globum ſecantes, ad ſignificationem trium olim compertarum Orbis partium; quibus circulis carent veteres Imperatorum globi, qui in multis priſcis numiſmatibus viſuntur: ſunt enim globi planè puri, nullis diſſecti aut diſtincti circulis, vel circuli ſegmentis. Quidquid verò ſit de

Antonius de Roſellis parte 3. Monarchia c. 3.

Gretſerus l. 3. de Cruce, lib. 1.

de his, ad propoſitum maximè placet, quod antiquus Chronologus ſcriptum reliquit; nempe globum Imperatorium idipſum eſſe, quod lapidem ſtaneum in manu Zorobabelis, Zach. 4. Eum autem lapidem ſtanneum fuiſſe typum Chriſti Domini; & Verbum carne humanâ veſtitum, ac veluti pro nobis ex infinito finitum factum, & rotundatum exhibuiſſe, S. Cyrillus egregiè docet, magisq; id approbat Ribera: ut proinde idem videatur eſſe globus in manu Imperatoris Chriſtiani, ac profiteri ſe Chriſti gratiâ & benignitate, qui pro nobis contractus, & ad parendum dejectus eſt, imperare. Confirmátq; hanc opinionem infixa globo Crux, ex Conſtantini Magni inſtituto, teſte Nicephoro, ut ſignificaretur Chriſti, per quem Reges regnant, principatus ſuper humerum ejus; quod regendi, & principandi exemplar æmulari debeant, qui rerum inter mortales potiuntur, adeóque Reges regnent Crucis Chriſti participatione atque virtute; & tam diu eorum perſtiturus ſit principatus, quamdiu apud eos Crux in apice ſteterit, & ipſi fuerint ſubjecti Chriſto, qui eſt Rex regum, & Dominus Dominantium in ſæcula.

R. Julius Pelarom lib. de mundi duratione,

S. Cyrillus lib. 3. de ador. Ribera n. 24.

Nicephorus l. 7. c. 45.

Gyratum ſatis eſt, & ſatis eſt circulis datum; ne reliquum vertigini cedat, optarem omnibus nobis *alas, quaſi alas Milvi*; quibus inter tot Incarnati Verbi myſteria, perfectiſſimis circuli figuris concluſa & explicata, incolumes ſubſiſteremus, volando in circuitu gloriæ, ſed non deficiendo in puncto Religionis; his præſertim ſacratiſſimæ Nativitatis Domini feſtivitatibus, quas ita devotè, & religioſè celebremus, ut & nos continuis meritis veniamus ad aſtra, & tandē in deſiderato beatæ æternitatis circulo includamur. Amen.

Zach. 5. v. 9.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

CALIGINOSA VESPERTILIO.

Die ſtrahlſchühe Fledermauß.

LEMMA.

Veſpere quæ tantùm volitat. Alciatus Embl. 62.

THEMA.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum; & in ſignum, cui contradicetur. Lucæ 2. v. 34.

SYNOPSIS CONCIONIS VI.

Quot, quantíſque modis, perſequendo juſtos, depravando Scripturas, fovendo hæreſes, Eccleſiam perturbando, Christo contradicatur.

45. Veſpertilionis natura ad Evangelium applicata,

FUgite Criſpatuli; cooperite frontem, & oculos; protegite faciem ſolliciti: nam ecce *Volatile quoddam*, ipſis dæmonijs abſurdius, terribilius ſpectris? Caput illi muris vel canis: roſtrum à cæteris avibus diverſum; cui plurimi dentes in ſuperiori & inferiori mandibulâ, iique ſerrati, te-

retres

retes & longiuſculi : nares vituli inſtar. Maxillas intus & foris pilus oblongus niger obveſtit. Auriculas interdum binas, interdum quaternas habet, aſininis ſimiles. Mamillæ ſoli illi ex avibus datæ; ſoláque hæc avis pullos uberibus admovet, & lacte nutrit. *Schottus de Veſpertilione.* Alas habet pellitas & plicatiles, quas dilatat, & in follem contrahit. In ſupremis alis rudimenta quædam brachiorum nervoſa apparent, quæ in uncum deſinunt. Pedes illi bini, ſubinde quaterni : digiti ſinguli unguibus hamatis inſtructi. Amat obſcura loca & cavernas. Delectatur culicibus & muſcis, lardo, candelis & alijs pinguibus. Pulli nati ita tenaciter hærent matris uberibus, ut & mortui avelli difficulter queant. Sed quid dico vobis, qui in Luce ambulatis, fugite hanc beſtiam,

Alciatus di-ſtinus. *Veſpere qua tantùm volitat, qua lumine luſca eſt:*

Et exinde Veſpertilio nominatur. Experimentum facite contra Veſpertilionem: ſumite, & in altum vibrate ſtrictum gladium, eo tempore, quo in æſtate crepuſculum ad profundam inclinat noctem: tunc enim Veſpertiliones fulgoris impatientes, in aciem gladij vel in mucronem impingent ad ſui internecionem fortiter. Gladium hodie vibravit Simeon in crepuſculo ſenectutis ſuæ; qui *poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum, cui contradicetur.* Gladius eſt, & quidem fortior Gedeonis, potentior Davidis; quo & hic Gigantis caput, & ille Madianitarum caſtra cecidit. Gladius eſt Divinæ veritatis, *poſitus in ſignum, cui à multis contradicetur*: in quem plurimæ impingunt Veſpertiliones lucifugæ *in ruinam.* Gladius eſt Sancti Evangelij, Domini noſtri Jesu Chriſti, qui *S. Irenæus l. 4.* juxta D. Irenæi expoſitionem, *poſitus eſt in ruinam non credentium ei, quibus & majorem damnationem, quàm Sodomorum & Gomorrhæorum in judicio comminatus eſt; in reſurrectionem autem credentium & facientium voluntatem Patris ejus, qui in cœlis eſt.* Si in hac concione demonſtravero, Chriſtum eſſe poſitum in ſignum, cui à multis contradicetur; dicite, id præſertim à Veſpertilionibus fieri : hoc enim Auditorio tam quieto, & patienti, luculenter perſvadebit ſequens elucubratio.

Oportuit impleri Scripturas, & Prophetarum vaticinia; nempe promiſſum Meſſiam, æternum Dei, & temporalem Virgineæ Matris Filium Jesum multis fore cauſam ſalutis, plurimis occaſionem ruinæ. 46. *Contradictiones in Chriſtum ingentes.* Neque enim fruſtra præmonuit D. Iſaias. *Erit vobis in ſanctificationem; in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël, in laqueum & ruinam habitantibus Ieruſalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* *Iſaiæ 8. v. 14.* Ecce! quid mali hoc in unico vaticinio? Lapis, offenſio, petra, ſcandalum, laqueus, ruina, offenſio, caſus, contritio, irretitio, captio? Et quid adhuc poſſet accedere adverſitatis? Vix numeraverat Salvator ætatis ſuæ ſex ſeptimanas, tenellus Puſio deferebatur in templum à Pientiſſima Matre, ut Patri cœleſti indiſſolubili fœdere ac ſolennitate conſecraretur, qui unitate Divinæ naturæ eidem erat ab æterno identificatus. Obvius procedit tam ſancto comitatui Venerabilis ſenex Simeon; qui dum honorificentiæ munera opportunè feciſſet, Spiritu Sancto plenus, in vehementiſſimę admirationis verba prorupit. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum, cui contradicetur.* Quid dicis, juſte Simeon? hiccine Infans Virgineus ſit ſignum contradictionis, qui fuit ſignum reconciliationis humani generis cum Deo? Hiccine ſit poſitus in ruinam, qui fuit ſignū fœderis inter Deum & homines, de nō inducendo ampliùs in orbem diluvio? Ergóne ſit ſcopus ſagittariorum, in quem Judæi, & Scribæ increduli, non tantùm linguâ

verba maledica, ſed etiam manu te- la malefica conijcerent? An fortè tibi ſignum vocatur mira, nova & à ſæculo inaudita Chriſti ex Virgine generatio, ejúsque cœleſtis & divina doctrina, vita, mors, reſurrectio, miracula: quibus clarè ſignificabat, & oſtendebat ſe eſſe Meſſiam Salvatorem mundi, ac DEUM per ſe exhibuiſſe mundo redemptionem, & ſalutem à Prophetis promiſſam; cui proinde ſigno Chriſti non tantùm Judæi, & Gentes linguâ, ſed & mali Chriſtiani vitâ impiâ contradicunt? Ita ſanè: Simeonis vaticinium tam longa, dura, & dira experientia facto probavit. Necdum omnino duo anni ab ejus gaudioſa Nativitate effluxerant, jam tunc Herodiana crudelitas ſpirabat cædem; cædebat tot mille Infantes, qui priùs contradictionis Signo ſubſcriberent vitâ & ſanguine, quàm vitam & ſanguinem perfectâ poſſeſſione continerent: Hæc autem initia erant dolorum. Longè truculentiora mala Princeps tenebrarum in vitam & mortem ipſius concitavit, quæ paſſim doloroſis gemitibus prædicantur, & amarâ recordatione voluuntur.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam multorum! multi ſcilicet impingent pedem in hunc Lapidem angularem, aut concident ſuper ejus offendiculum: pretium erit multæ operæ, diſputationis, objurgationis, rixationis, calumniæ, controverſiæ, contentionis, querelæ, contradictionis: deficient multi ab eo, multi ad eum convertentur: aſſumentur alij, relinquentur cæteri. Vaticinium Simeonis initium eſt hujus veritatis, quæ usque ad totius mundi exterminium firma ſubſiſtet. Contra Chriſtum, pro Chriſto, ſuper Chriſtum, diſputant Judæi, Gentiles, Turcæ, Schiſmatici, Hæretici, Catholici, Fideles, Infideles: diſputant, inquam, non tam in pulpitis quàm in campis, non tam rationibus quàm acinacibus, non tam argumentis quàm turbulentijs, non tam claſſibus quàm cladibus, non tam authoritate quàm furore, non tam veridicè quàm feraliter, non tam veraciter quàm ferociter; & hæc omnia *in ſignum, cui contradicetur*: contradicetur autem Chriſto, Evangelio, Eccleſiæ, Romano Pontifici, Virgineæ Matri, Sacramentis, Sanctis, Sanctuarijs, Sanctorum Imaginibus, traditionibus, conſvetudinibus, conſtitutionibus Apoſtolicis, nomini Chriſtiano. Hinc tot lanienæ Purpuratorum Chriſti Heroum, conſtantiſſimorum in veræ Fidei profeſſione Martyrum; inde defectiones turpiſſimæ verſipellium Chriſtianorum: hinc minæ, perſecutiones, tormenta fortium; inde ſpes, pollicitationes, & præmia imbecillium; hinc Eccleſiarum antiquiſſimarum direptiones; inde hæreticarum novitatum irreptiones: hinc bella & ſeditiones; hinc cædes cruentæ; hinc prælia & bella crudelia; hinc urbium muniſſimarum everſiones, Reguorum exterminia, Monarchiarum translationes, aut certè devaſtationes. Suſpirijs reprimam mala particularia, conſequentias ſpeciales; ubi propoſitiones vniverſales in hac contradictione paucis comprehendi. Hoc nempe eſt, ignem mittere in mundum, non glaciem; gladium, non pacem; hoc eſt, irritare filios contra parentem, filias contra genitricem, fratres contra ſorores, ſocrum contra nurum, familiares contra amicos; & quidem *in ſignum, cui contradicetur*.

47. *Vſurpatio mala Sacræ Scripturæ.*

Vidimus præmiſſas; conſequentias experimur. Ad illos me verto, qui in rhomphæam utrinque acutam, antiqui ſcilicet & novi Teſtamenti Scripturas, imprudenter, pertinaciter, & iniquè impingunt; aliunde etiam Veſpertilionibus, aut Caprimulgis ſimiles. Vtraque avis eſt,

Veſpere quæ tantùm volitat, quæ lumine luſca eſt.

Sed verò in hoc deſerviunt ad propoſi-

poſitum, quòd utraque etiam uberi-
bus pertinaciter adhæreat: nam pulli
Veſpertilionis ita tenaciter ſugunt
matris ubera, ut & mortui difficul-
ter poſſint avelli; Caprimulgus autem,
cui aliunde nomen Agatilez compe-
tit, ejusce pertinaciæ eſt in lacte bi-
bendo, ut in Alpibus Helveticis in-
volet ſtabula noctu; & in tantam per-
niciem caprarum ubera ſugat roſtro
ſuo modicè adunco, ut ijs exinanitis
aut emortuis capræ excæcentur, vel
certè lumine fiant luſcæ. Mira con-
junctio; nam tenebræ, & ubera utri- Albertus M. lib. 23. c. 4.
que chara. Dilecta in Canticis deſi-
deravit ubera Sponſi, in quibus dul-
cedinem quandam lacteam raro val-
de æſtimavit pretio: quantocunque
valore conſtet vinum ex vineis Eng-
gadi expreſſum; *Meliora ſunt ubera* Cant. 1. v. 1.
tua vino, fragrantia unguentis optimis.
Audiunt hoc uberum præcellens en-
comium omnes Chriſti Fideles, qui
quaſi modò geniti Infantes lac con-
cupiſcunt Matris ſuæ, Catholicæ Ro-
manæ Eccleſiæ; & quidem (ut
textus Chaldaicus legit) *ob multitu-*
dinem dilectionis, qua dilexit nos ma-
gis, quàm ſeptuaginta nationes, qui eſt
Caput Eccleſiæ. Audit hoc anima
fidelis Chriſto deſponſata, & mira
quadam dulcedine repetit, *meliora*
ſunt ubera tua vino; id eſt, melior mihi
eſt, magisque ſapit lac tuæ doctrinæ &
gratiæ, quàm omne vinum conſola-
tionis, deliciarum, prudentiæ, & aſtu-
tiæ humanæ: hoc enim mentem æquè
ac corpus informat, amaricat, cruciat,
diſſolvit animam, decipit, infatuat &
dementat; juxta illud Threnorum. Thren. 4. v. 5.
Qui nutriebantur in croceis, amplexati
ſunt ſtercora. Et illud Proverbiorum.
Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui fo- Proverb. 23. v. 29.
veæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio
oculorum? Nonne his, qui commorantur in
vino, & ſtudent calicibus epotandis? Tuum
verò lac ſuper omnes delectationes
humanas lætificat, ſatiat, tuetur à no-
xijs, firmat à lapſu, roborat in bono,
nubila animi diſpellit; iras, amores va-
nos, & odia ſedat, ac cor implet DEI
& proximi charitate. Quòd ſi hæc
ubera Sponſi minori afficiant affectu,
propinemus ubera Sponſæ, de quibus
caſtiſſimè Sponſus ſic ait. *Duo ubera*
tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui Cant. 4. v. 5.
paſcuntur in lilijs. Omiſſis alijs affe-
ctuoſiſſimis interpretationibus, & ex-
poſitionibus, placet D. Gregorius
cum pluribus alijs, qui per duo ubera D. Gregorius lib. 24. mor. c. 20.
accipiunt vetus & novum Teſtamen-
tum: hiſce enim legendis, citandis,
& explicandis vacant Doctores &
animarum Paſtores, qui lacte ſanæ
doctrinæ fideles paſcunt gemellos,
ſcilicet ex Judæis & Gentilibus proge-
nitos. Aut certè ubera notant fæ-
cunditatem, vim lactandi, & benefi-
centiam Eccleſiæ, quæ Spiritu DEI
prægnans multos parit, & lactat fi-
lios Chriſto. Sed, prô dolor! quàm
multi ſunt, qui non ſuavitatem la-
ctis, ſed amaritudinem abſynthij ſu-
gunt ex uberibus Sacræ Scripturæ, aut S.
Matris Eccleſiæ, malignitate quadam
depravatæ intentionis, ac cæcitate
perverſæ rationis, affectatique erro-
ris? Nec mirum: nam juxta D. Pau-
lum, *Lumen manifeſtationis fugiunt, &*
devitant. Juxta patientiſſimum Jo- Ephes. 5.
bum, *In tenebris quaſi in luce ambulant.* Iob. 24. v. 17.
Juxta Sapientem in Proverbijs, *Relin-* Proverb. 2. v. 13.
quunt iter rectum, & ambulant per vias
tenebroſas. Et juxta Evangeliſtam, *Di-*
lexerunt magis tenebras, quàm lucem. Ioan. 3. v. 19.
Non tam pertinaciter adhærent Ve-
ſpertilionum pulli uberibus matris
luſcæ, nec tam malignè excæcant
Caprimulgi mnlctatas capras; quàm
multi ſuis contradictionibus inſiſtunt
hæretici, & ſuas circa Spiritûs Sancti
revelationes de via æternæ vitæ ſen-
tentias excæcant; adeóque *cæci ſunt,* Matth. 15. v. 14.
& duces cæcorum.

Ignoſcite Auditores, ſi in cæpta
analogia audacter pergam, & hæreti- 48. Hæretici Veſpertilionibus comparantur.
cos, quibus vel maximè Chriſtus *poſi-*
tus eſt in ſignum, cui contradicatur, cum
luſcâ & lucifugâ Veſpertilione com-
ponam: quæ abſurdiſſima beſtia nec
dignè inter volucres, nec inter feras
terreſtres meritò numeratur, ita ut be-
ne apud Varronem profiteatur Aga-
tho,

Plinius l. 10. c. 61. *Quid multa? factus ſum veſpertilio, neque*
In muribus planè, neque in volucribus ſum.

Enimverò quantumvis Veſpertilio propter alas,& volatum credatur eſſe avis; eam tamen deformem eſſe beſtiam quis dubitet; quando & mutis imaginem gerit,& dentibus mordet, & pedibus binis vel quaternis currit, & caudâ caret, & lac ex mammillis protuberat, & more beſtiarum pullos concipit procreátque, non ova. Sic licèt hæretici famam ,& nomen ſpiritualium virorum ſortiantur, beſtiales tamen ſunt; quia non ova pariunt ſed animalia, id eſt, non faciunt opera ſpiritualia ſed carnalia, juxta D. Rom. 8. v. 5. Pauli ſententiam: *Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ ſunt carnis, faciunt.* Inſuper dentes eorum, arma & ſagittæ, ad detrahendum ex nobis ſpolia Catholicæ veritatis: caudâ carent, nec mortis nec futuri ſæculi ſunt memores: ex mammillis turgentibus lac fallaciæ, & omnis doli proferunt lactantibus, contra illud Proverbiorum præ- Proverb. 24. v. 28. ceptum: *Ne lactes quemquam labijs tuis*, adulando, decipiendo, aut fraude circumveniendo: in terrâ etiam gradiuntur pedibus inordinatorum ſuorum affectuum, & maleſvadarum Judith. 14. v. 16. paſſionum: tandem ſicut *egreſſi mures de cavernis ſuis*, inhoneſtam ſuam converſationem in moribus muribus aſſimilant. Genus hominum certè ut verſatile & infidum, ſic deteſtandum maximè & execrandum. Quid enim cum illis agas, qui neque fidem, neque mentem ſibi habent conſtantem;& obvios fallent, poſtquàm ſeſe ipſi priùs feſellerint. Si enim lucis & veritatis eſſent aliquâ tandem parte ſtudioſi, darent operam profectò, ut ſocietatem cum melioribus,& ſapientibus inirent, iiſque adhærerent; contrarios verò fugerent, & ſeriò, non perfunctoriè aut oſcitanter, & quaſi Eraſmus in adag. 23. aliud agentes averſarentur. Sed verò nihil naturâ differunt à Chærephonte, dum & vocem & vultum humanum exuiſſe videntur, in eo, quòd in luce honeſtatis,& veritatis converſari refugiant, amando & quærendo opera tenebrarum, arma autem lucis abijciendo.

49. Hæretici obſcuri natalibus plerumque. Sed quid admirationis ſubſit, hæreticorum Authores & oculis eſſe luſcos, & Veſpertilionum more lucifugos; quando obſcuros plerumque & tenebroſos ſortiti ſunt natales, ex infami, ſervili aut ignobili ſtirpe prodeundo. Cyrillus Hieroſol. cat. 6. Impijſſimus Manichæus, primùm dictus Curbicus, viduæ ſervus emptitius fuit; à qua mox adoptatus, Manes voluit appellari; quod Græcis inſanum ſignificat. Cedrenus. Mahometes Pſeudopropheta, cruentiſſimus Chriſtiani nominis hoſtis, camelorum actor, & ſervitio potentis viduæ mancipatus erat, quam per ſummam vafritiem conjugem mox habuit. Qui Leonem Iſauricum adversùs Imagines Chriſti & Sanctorum primò excitavit, ſervilis etiam conditionis perhibetur extitiſſe. Simon magus, hæreticorum Prin- Joan. Damaſcenus. ceps, opilione natus in Tritone. Doſitheus Judæus erat genere,& profeſſione; nam Samaritanorum caput appellatur à D. Hieronymo. Marcion patrem habuit Epiſcopum, ſed ob ſtuprum commiſſum ab eo pulſus in exilium fuit. Novatus procurato uxoris abortu infamis. Manes magum parentem habuit; ipſe etiam magiam coluit. Apollinaris presbytero ſibi cognomine ortus eſt. Helvidius ruſtici filius, mores paternos extulit. Petrus Valdenſis pauperes, ac nullius ſortis parentes habuit. Martinus Lutherus viliſſimo opifice Iſlebij ortus, cognomen *Luder* tulit, quod ſordidum ſive porcinum ſignificat: Is egregiè nomen ſuum moribus & vitâ expreſſit. Bucerus viliſſimis quoque genitoribus ex inceſtuoſo concubitu procreatus eſſe perhibetur. Joannes Calvinus patrem tali filio dignum, Gerardum Calvinum, hominem ſceleratum, & in Deum blaſphemum ſortitus, hoc cavit, ne majoribus virtute præluceret. Obſcuram hanc inductionem non interrumpam meliùs, quàm antiquorum interjecto Proverbio, *mali corvi, malum ovum.* Et quàm vera eſt Lyrici parœmia, *Fortes creantur*

tur fortibus & bonis; tam conſentanea Euripidis ſententia, *Non ſit probanda proles patre ex improbo.*

50. Hæreſis peſſima mala quæ pariat. Quòd ſi verò ij, qui quovis modo contradicunt Chriſto, etiam nonnihil ſibi proprium vendicent vel à thoro ingenuum, vel illuſtre à Progenitoribus, vel ab Imperio ſerenum, vel à rebus alijs geſtis præclarum: eo ipſo tamen, quòd ex depravatâ morum intemperie degenerent, & à viâ veritatis temerè deficiant ad declives falſitatis ſemitas; eandem ſubeunt metamorphoſin; quam Mineides Thebanas Sorores ſubijſſe fingunt Ingenioſi Poëtæ. Hæ enim cùm Liberi Patris ſacrificia in contemptum raperent, Minervæ ſacrificio addictæ; ex improviſo, quâdam vi Numinis, vocibus tybiarum, & tympanorum ſono perterritæ, telis inſtrumentiſque ſuis in vites ac hederam repentè mutatis, omnique loco feris repleto, noctè fugientes obſcurâ, in Veſpertiliones transmutantur.

Ovid. 4. Metam.

Conatæq́; loqui, minimam pro corpore vocem
Emittunt, peraguntque levi ſtridore querelas:
Tectáque, non ſylvas celebrant, lucémque peroſæ
Nocte volant, ſeróque tenent à veſpere nomen.

Enim verò quid manifeſtius poſſet vel à Poëta cani, vel ab Oratore dici, quàm quòd à feſtivitatibus Bacchi, & Veneris fiat tranſitus ad ſtudia & ſacrificia Minervæ, tortuoſæ Hæreſis; indéque inter tybiarum & tympanorum clangores rectam rationem agreſſere, ſanas operationes feras evadere, everti mentem, mutari conſcientiam, totúmque hominem in pravum verti ſenſum, qui Chriſto contradicat. Ex qua *verſione*, non tantùm levi, ſed etiam gravi ſequantur *ſtridore querela* contra Orthodoxam Eccleſiam, & Orthodoxæ Eccleſiæ deploranda *everſio*: hinc Religionis impollutæ ac divini cultûs alienatio, Regnorum excidium, legitimorum Magiſtratuum depulſio, omnium bonorum obſcuratio: hinc illa ſervitus inducta, tectis ædium exitioſa §. *ne luminibus officiatur*, etiam luce meridianâ: hinc illa miſerabilis Europæ metamorphoſis, tantorúmque Regnorum luctuoſa vaſtitas. In Regna Galliæ, Angliæ, Germaniæ, Vngariæ, Poloniæ, quid non ferarum invexit monſtroſa hæreſis? Quæ non inteſtina bella, quæ controverſiarum politicarum incendia, nullo lachrymarum profluvio ſopienda, concitavit furor hæreticus? Quid non inſidiarum, quid ſtragium meditatæ ſunt veſpæ contra trochilum, contra Aquilam Veſpertiliones? Quæ ratio Hugonotas in Gallia, Huſſitas in Bohemia, in Helvetia Zvvinglianos, in Hollandia Calviniſtas ad tam tenebroſas redegerit formas, noli interrogare, ſi non vis errare. Qui *poſitus eſt in ſignum, cui contradicatur*, tanti eſt ſplendoris; nam *Pater luminum*: tantæ eſt lucis; nam *radius Deitatis*: tantæ claritatis; nam *ſpeculum ſine maculâ*. Et quid mirum, ſi in oppoſitione illius extinguant conſcientiam, obſcurent rationis ſerenitatem, obſervantiam Dei & Majorum in ſubditis hebetent, ſervitutem Chriſti liberam abjiciant, libertatem Diaboli mancipatam arripiant forti amplexu, concrepent inflatis buccis, Filij tenebrarum,

Veſpere qui volitant, retinéntque à veſpere nomen.

Vnicam vobis exhibeo Veſpertilionem, majorem cæteris, monſtris univerſis abſurdiorem, terribilem cœlo, amicabilem inferno, Germaniæ formidabilem. Expectabitis fortè, Auditores, unam ex Indicis Veſpertilionibus, magnorum dentium, quibus ſi hominem percuſſerint, naſum vel aures præſcindunt? Fortè unam ex ijs, quæ in novo orbe columbas adæquant, in Braſilia monedulas, circa Vrabum turtures, in Orientali India tranſeuntes alarum verbere proſternunt, atque etiam nonnullos occidunt? Quemcunque tandem expectetis, Martinus is eſt, *gladio lingua martialis*, effectu per omnia mortalis. Atque utinam is eſſet Martinus quidam, populo Dei neceſſarius, Roma- 51. Martini Lutheri progenies & propago.

Schottus l. 9. mir. Phyſ. l. 9. c. 73.

næ Eccleſiæ fidelis! Martinus Lutherus eſt, in antiquiſſimam Eccleſiam Apoſtolicâ ſerie propagatam perfidus, Religioſi Status impatiens, Monachorum Monacharúmque deficientium ſignifer, Apoſtaſiæ fomes, Germaniæ turbator. Videte Veſpertilionem, aut certè unum ex ijs monſtris, quæ manè rapiunt, & veſperè dividunt ſpolia! Depoſuit cappam Lutherus; lumborum cingulum conſecravit Veneri, & Deo debitum amorem Cupidini: perfregit Religioſi clauſtri claves; violavit cœleſtis Sponſi thorum, & divina ſacræ Profeſſionis Jura turpiter contrivit. Hinc Catharinæ Borenæ ſacrilegum connubium; hinc infelix partus tot filiorum filiarúmque, à via, veritate & vitâ deficientium. Hinc velut ex Trojano equo in ſuffosâ Germaniâ tot prodierunt Pſeudoprophetæ, tot hæreticæ pravitatis Apoſtoli, tot morum & ſacrarum Deo Legum corruptores; qui omnes *Contradictionis ſigno* ſeſe oppoſuerant vanis doctrinis, & iniquis erroribus, malitiiſq; deteſtandis. Nempe haud ſuxerant beata ubera S. Matris Eccleſiæ, ſed mammillis Veſpertilionum pertinaciter adhærebant. Paucos enumero, ſed iniquitate potentes. Prodijt partu tam ſceleſto Thomas Munzerus, homo inquietæ indolis, malæ famæ & inculti ſpiritûs: qui cùm in Lutheri commentarijs de captivitate Babylonicâ legiſſet, non fore ſperandos tranquillos in Imperio Ordines, niſi poſt abrogata Cæſarea, & humana Jura, populi in placitâ coërceantur libertate; eſſe inſuper Divinum ardentiſſimis votis exorandum Numen, ut immittat ſpiritum rebellionis in ſubditos, ne ſuis legitimis Dominis homagia, laudemia, jura, obſequia & ſervitia debita præſtarent: is ocyùs tamùm ex hac lectione profecit, ut ingentes ſeditiones in Germaniâ commoveret, ac præſertim in Auſtria Superiori ruricolas ſupra Anaſum contra Auguſtiſſimum Cæſarem Ferdinandũ II. concitaret, & privatâ authoritate juris ſui libertatiſque faceret. Ergo opus erat, ut arma Bavarica ſeſe Auſtriacis confœderarent, ruſticorum cuneos diſſiparent, centena circiter rebellium millia funderent, & omnem hujus Thomæ Falſarij monetam è terrâ viventium eliminarent. Ex ijsdem Lutheranæ pravitatis uberibus pendet Bernardus Rothmanus: is cùm in quadam ſui Pædagogi epiſtolâ eſſet edoctus, præſtare magis, ut infantes ſine Baptiſmo decedant, quàm ſine propriâ fide baptizentur; ſine morâ inepta, & impia Anapaptiſtarum conciliabula coëgit: ex quibus reſultabant Adamitarum, Steblerorum, Sabathariorum, Clancul ariorum, Manifeſtariorum, Dæmoniacorum, Condormientium, Communia habentium, Ejulantium, Georgianorum, Davidicorum, Polygamiſtarum, aliorúmque nefanda ſementa; dixiſſem rectiùs, horridæ zizaniæ, ſpinæ & tribuli, ut pungant, mordeant, urant, conficiant *Signum, cui contradicitur*. Eodem lacte paſtus eſt Andreas Carolſtadius, qui genitor diverſarum gentium evaſit; ſed verò gentium, quæ *contradicunt*, non benedicunt Deo: has inter proles numerabis Sacramentarios, & exinde ſubortos Zvvinglianos, Significativos, Tropiſtas, Energicos, Arrabonarios, Adeſſenarios, Metamorphiſtas, Iſcariotiſtas, Neutraliſtas, Iconoclaſtes; & hos quidem uſque in tertiam & quartam generationem. Tandem agmen lactantium claudit Philippus Melanchton, anno poſt Chriſtum milleſimo quingenteſimo trigeſimo, generans filiam, quæ ſit tot hæreſum fœcunda mater, quot malè credentium; hæc Auguſtana Confeſſio vulgò dicitur, quæ velut ingens, & rapaciſſimus torrens, in innumeros derivatur rivos *ad contradicendum* Veritati.

Bayrlink. in theat. V. hæreſis.

51. *Auguſtanæ Confeſſionis propagines & effectus.*

An non deberent ingeminare verba illa Jeremiæ, lamentantis Prophetæ, quotquot ex Auguſtanâ Confeſſione proſilierunt Heterodoxi, uſque ad diviſionem ſpiritûs à corpore? *Væ mihi*, inquit Jeremias, *mater mea; quare me genuiſti virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra?* Verba ſunt Prophetæ conquerentis, quòd fuerit occaſio diſcor-

Jerem. 15. v. 10.

diſcordiæ, & annuntians verbum Dei paſſus ſit opprobrium! Quid dicent Amphidoxi, credentes, quemlibet fide Chriſti pro nobis paſſi & mortui ſalvari? Quid Theodoxi, ſibi inaniter perſvadentes, etiam Turcas & Hebræos ſalvari fide omnipotentis Dei, Creatoris cœli & terræ? Quid Autodoxi, interno ſuo enthuſiaſmo contenti, & fide ex proprijs cerebri nervis conſertâ ſalvandi? Quid Machiavelliſtæ, Religionem ſacram politico poſtponentes regimini, & fallaci perfidiæ finem ſuum ultimum ſubſcribentes? Quid Athei, qui cœlum & infernum inter fabulas reponunt, & Deum Univerſi aut nullum confingunt, aut inanem confringunt? Quid Epicureiſtæ, tollentes immortalitatem animæ, & hominem per omnia cum beſtijs comparantes? An non hi omnes, ex Erebi faucibus reſultantes, improperent genitrici ſuæ: *væ nobis mater noſtra, quare nos genuiſti viros rixæ, viros diſcordiæ in univerſa Europa*? Inveniuntur, ait diſſertiſſimus Beyrlink, „hæ omnes & ſingulæ ſectæ in omnibus Germaniæ angulis, licet non „uſque adeò apertè, ut ab omnibus „dignoſci queant. Sed parum abeſt, „quin ut ingens flumen, torrentibus „auctum, remotis cataractis, formidabili ruens impetu decurrit, & „obvia quæque longè lateque ſternit: „ſic Mahumetiſmó affines hæ ſectæ, „datâ occaſione in lucem apertiſſimam prorumpant, & charam patriam noſtram Germaniam, quod „Deus avertat, non minoribus, quàm „Calviniſmus ipſe, calamitatibus aſflictam, perditum eant. Quiſquis per nobiliſſimas Germaniæ urbes, nunc hæreſi corruptas, & nefandum in modum depravatas, requirit primorum Apoſtolorum memorias, ſanctiſſimorum Epiſcoporum veſtigia, Catholicorum monumenta, Orthodoxæ Romanæ Eccleſiæ antiquiſſima faſtigia, pietatis & veræ Religionis emolumenta; is zelo patriæ plenus, & veræ Fidei Sacramento inſtructus, anguſtam deſolationis exclamationem repetit unà cum fortiſſimo Machabæorum duce Mathathia, ob devaſtationem Iſraëlis ab Antiocho ſuperbo inductam lachrymabiliter ſuſpirante: *væ mihi, ut quid natus ſum videre contritionem populi mei*: ut quid natus ſum videre Chriſtum Salvatorem meum in tot Germaniæ Provincijs, urbibus, aulis, poſitum *in ſignum, cui* per depravatos mores, per liberrimas libidines, per execrandas hæreſes *contradicatur*!

Beyrlink V. hæreſi. fol. 40.

1. Mach. 2. v. 7.

53. Contradictionis libertas cum hominis ſtatu.

Sed verò, ais, Chriſtus poſitus eſt *in ſignum contradictionis*, quia voluit: evaginavit gladium, in quem impingant Veſpertillones; quia voluit: miſit ignem in terram, ut ardeat; quia voluit: potuiſſet abſoluto Prædeſtinationis ſuæ decreto omnes homines, etiã executivè, determinate ad gloriam; potuiſſet omnes gentes facere habitantes *unius moris*, & fidei *in domo*; potuiſſet omne impedire peccatum, & peccandi occaſionem; potuiſſet alia remedia præſtare exercendæ ſine difficultate virtutis, & congregandi omnes gentes in unitate Fidei; ergo tandem omnia contradictionum motiva in ſolum ſunt refundenda Chriſtum. Ita argumentantur, *qui retinent* confuſo *à veſpere nomen*. Sed verò decebat Majeſtatem Dei; ut ad communicandam ſuæ bonitatis ac libertatis excellentiam etiam Creaturas rationales ſineret motûs ſuos liberos agere, ad utramque contradictionis partem, velle ſcilicet & nolle, ſeſe determinare, atque appoſitum ignem vel aquam pro libitu eligere. Neque fuiſſet tam glorioſum animæ rationali, ex ſola & inevitabili Dei determinatione æternæ beatitudinis gaudijs perfrui, ſi non etiam ex liberæ voluntatis meritis ad eadem quodam Juſtitiæ titulo penetraret: quod cùm ſine contradictione mentis in aſſenſu fidei, ſine contrarietate ſenſuum externorum in exercitio virtutum, ſine oppoſitione membrorum in perfectione ſpiritûs, contingere non poſſit; hinc mirum non eſt, Chriſtum eſſe poſitum *in ſignum, cui* à tot tantisque *contradicatur*. Et ſi ex fundamento ſit ſolvenda quæſtio, Apoſtolum audi-

1. Corinth. 11. v. 19. audite. *Oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Vos Auditores, per omnia convenite cum Chriſto, ſalutis Authore; & ſi quo modo circa ſanioris conſcientiæ crepuſculum ſeſe ingerant monſtroſæ Veſpertiliones, eijcite foras; repellite feras: dicite. *Quæ conventio lucis cum tenebris?* Nobis lux gratiæ & veritatis; Veſpertilionibus *malus Veſper!* Amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

PIA CICONIA ET NISUS.

Der fromme Storch vnd Spärber.

LEMMA.

Inſignis pietate. Alciatus Embl. 30.

THEMA.

Fili, qui feciſti nobis ſic? Lucæ 2. v. 48.

SYNOPSIS CONCIONIS VII.

Triplicem Liberi erga Parentes obligationem obſervent, Obedientiæ, Reverentiæ & Pietatis; & omnino ſatisfaciant ſuæ obligationi.

54. Ciconiarum pietas erga parentes. OMnibus in confeſſo ſatis eſt, quantum debeamus parentibus; niſi ab omni Humanitate velimus deſciſcere: ſiquidem non homines tantùm arcano aliquo pietatis ſenſu in parentes, ſed & animantium quædam, à quibus recta longè abeſt ratio, admonentur. Ciconiæ enim, Solinus c. 41. Polyhiſt. Solino teſte, quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipſæ à pullis ſuis invicem aluntur: ita enim impensè nidos fovent & parant, pennas vellicant inutiles & pabulum ſuppeditant, ut reſumptis pennis ſibi ipſis poſſint ſufficere. Pulcherrimos audite Alciati verſus, hiſce alitibus concrepantes.

Alciatus Embl. 30.
Aëreo inſignis pietate *Ciconia nido*
Inveſtes pullos pignora grata fovet;
Taliáque expectat ſibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia ſpem ſoboles fallit, ſed feſſa parentum
Corpora fert humeris; præſtat & ore cibos.

Ciconiæ etenim ſuos fœtus ſupra omnia avium genera ſtudioſiùs fovent, & magnis periculis adjuvant, etiam cum proprio vitæ periculo: nam conflagrante ferè toto Delphico Batauorum oppido, parentes filios adhuc ad volandum impotentes, ab incendio protegentes alis illos contexiſſe, roſtro detuliſſe ac pedibus, ut eriperent, & ne officium intermitterent paternum, nunquam deſerviſſe, quin potiùs mortem cum illis ſuſtinuiſſe, propalam viſæ ſunt anno Domini 1086. prout memorant Hiſtorici Gregorius Bruinus in Delphico. & Adrianus Ianſius in deſcript. Holl.

rici

Baſilius in Hexamero hom. 8. rici Hollandiæ. Poſt hos D. Baſilius ad tractandam materiam patentiſſimum aperit gradum, in eandem ſententiam, ſic ſcribens. [Providentia „Ciconiarum circa ſenio affectos ſufficit, ut pueros noſtros, ſi animadvertere velint, ad parentum amorē excitent: omnino enim nullus adeò „defectuosè ſapiens eſt, ut non pudore „dignum judicet, brutiſſimis volucribus vittute poſteriorem eſſe. Illæ autem præ ſenio pennarum defluvio laborantem circumſtantes, proprijs „pennis confovent, & alimenrum abunde ſuppeditantes etiam volandi „auxilium, quantùm poſſunt, præbent, „utrinq; alà leniter allevantes.] Vnde Græcis Proverbio locus: *Antipelargiam ſerva*, hoc eſt, parentibus beneficium acceptum repende. Non diſſimili prędicantur Niſi erga parentes pietatis affectu inſignes. Audiſtis hodiernam hiſtoriam ex S. Evangelio: invenitur duodennis puer Jesus inter Scribas, & legis Doctores in Templo, à parentib' afflictis, & per triduum illum quærentibus: accedit Mater, Filium alloquitur blandè, præpotente affectu: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* Ego hanc interrogationē pro quadam increpatione intellexiſ-*Simon de Caſſia lib. 2. c. 24.* ſem, niſi religioſiſſimus Simon de Caſſia argutè me inſtrueret, Virgineā Matrem in alijs occaſionibus hoc Filij nomine, & appellatione minimè fuiſſe uſam. Quid enim? *Ad magnum myſterium*, ait, *res ipſa deducitur, quòd reinventus Chriſtus à Matre Virgine Filius appellatur, ut ſit ſpes noſtra ſolidior, quòd velut piam Matrem impoſſibile ſit à pio Filio derelinqui.* Quod reliquum erat: Filius hic *inſignis pietate* optimos ſecutus parentes, *& erat ſubditus illis.* Nidum igitur hodie tuebor, filiorum filiarúmque pullis plenum, & Ciconiarum Niſorúmq; more liberos inſtruam, quid obedientiæ, reverentiæ, ac pietatis parentibus ſuis præſtare ſint obligati. Ampliſsimam capeſsite dicendi materiam, pariter ac utiliſsimam, in nomine Domini.

55. *An præſtet parentibus habere liberos, nec ne?* Priuſquam verò promoveamus gradum, Problema vobis propono, Auditores, parentibus liberisque commune; quod Euripides Philoſophus longis diſquiſitionibus enodare haud potuit, Pręſtátne parentes orbatos eſſe Liberis, an Liberis fœcundos? Pro parte quidem affirmativa ſtat vinculi conjugalis ſcopus primarius; nec vult piorum parentum ſolatio deſtitui, tam ſanctè per Regium Pſalmiſtam decantato. *Filij tui ſicut novella olivarum, in circuitu menſæ tuæ. Vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. Beatus es, & bene tibi erit.* Et unde hoc? *Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum?* Hinc ſterilis illa Rachel adeò liberorum carentiam doluit, ut mallet per mortem viri, quàm per ſterilitatem liberis privari; ſæpius implorans Jacob, ſui deſiderij adjutorem: *da mihi liberos, alioquin moriar.* Tam amans erat generandæ prolis Agrippa, Neronis mater, ut, dum oraculo Deorum diſceret, filium, quem utero gerebat, fore quidem Romani Imperij Cæſarem, ſed & crudelem Matricidam, animosè exclamaſſe dicatur: *occidat, modò imperet?* Quaſi nempe plùs couſtaret aliena filij majeſtas, quàm propriæ vitæ charitas. Et quid, putatis, gaudij ac conſolationis decrepito Anchiſi contigit, quando Æneam tam egregium, & *pietate inſignem* filium genuit, cujus humeris ex Trojano incendio ſubreptus evaſit, periturus alioquin, niſi filium tam pium fuiſſet amplexus? Quid illi matri, quæ carceribus incluſa, & per inediam conficienda, ſolius filiæ uberibus ad vitæ conſervationem lactabatur? Cornelia illa, Grachiorum Romanorum matrona celeberrima, exhibebat cuipiam alteri honeſtiſſimæ Sodali liberos, tanquam clenodias & ornatum ſuum muliebrem; ſubijciendo verba virtuoſo conjuge digna: *Quàm dulce eſt genitoribus, filios obtemperantes habere!* Et quid tandem huic vitæ mortali ad immortalitatis ſpecimen poſsit accreſcere firmius, quàm videre poſteritatem ſuam usque in tertiam & quartam generationem? Ita primarius vinculi conjugalis ſcopus pro affirmativa Problematis parte reſpondet. Negativè ſeſe

Pſ. 127. v. 3.

Gen. 30. v. 1.

opponit educandæ prolis difficultas: quid enim curarum, ſolicitudinum, anguſtiarum, dolorum, inquietudinum, moleſtiarum, controverſiarum, rixarum, & neceſſitudinum, bilis & ſtomachationis, patentibus non movent liberi inſolentes? Quòd ſi enim hi ſint malæ indolis, inobedientes, indiſciplinati, nequitioſi, petulantes, immorigeri, torvi, & ad omnem iniquitatem depravati; an non tunc rectè pronuntiavit Euripides, *carentem liberis infortunio eſſe felicem?* E contra ſi liberi ſint bonæ indolis, modeſti, morigeri, obſequioſi, obedientes, reverentiales, pij, devoti, & ad omnem virtutem atque honeſtatem delicati, inſuper in ſpem propagandæ ſtirpis

Tertulian. conditi; quam tunc, juxta Tertuliani ſententiam, *amara eſt liberorum voluptas!* Vt adeò D. etiam Auguſtinus in hanc gnomam conſentire ſit auſus, dicendo conjugali thoro: *ſi natos non habes, age gratias DEO.* Neque difforme eſt in ap-

Galat. 4. v. 27. poſito ſenſu, quod D. Paulus ad Galatas ſcripſit: *Lætare ſterilis, quæ non paris; erumpe & clama, quæ non parturis.* Præſentiſſimum capeſſite exemplũ à ſanctiſſimis & caſtiſsimis conjugibus, Maria & Joſepho: quid gaudij, quidvè luctûs nõ ſubierunt, occaſione unici ſui & chariſſimi Filij? Pergebant ad templum, ut ſiſterent eum Domino, parentes optimi; & ecce benedicentis Simeonis plauſus! mox ſibillata afflictionis argumenta: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Quid gaudij, quando tres Orientis Reges ſolenniſſimo apparatu obtulerunt ſua munera Bethlehemitico Infanti? mox ab Herode facta indictio pueris cruenti baptiſmi. Quid gaudij, quando duodennis puer JESUS Nazaretho profectus eſt Jeroſolymam in comitatu propinquorum? ſed verò eo remanente inter Legis Doctores, & poſt triduũ invento, intonuit vox affli-

Luc. 2. v. 48. ctæ Genitricis: *quid eſt, quod feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te?* Et in tali mæroris ac gaudij viciſſitudine protrahebatur iñocentiſſima vita usque ad mortem & Crucem. O verè amarum liberorum gaudium, ac delectabilis amaritudo! cui etiam feliciſſimi ſubſcripſêre parentes.

Quocunque tandem expoſiti Problematis motivo prævalente, avidè conſolati vivunt parentes, ſi fæcundo ex conjugio Liberos procreent in fulcimentum occidui Solis, in ſpem nobilis proſapiæ, in ſecuritatem amplæ hæreditatis, ad generis humani propagationem, ad vivam ſanguinis, ſcientiarum, virtutúmque transfuſionem. Exinde pauliſper ad Ciconias & Niſos revertimur, *pietate inſignes.* Ob hanc adeò celebratæ ſunt Ciconiæ, ut hominis erga parentes pij, veræque charitatis Symbola eſſe cenſeantur; atque olim in nummis Adriani Imperatoris ſculptæ ſint, cum inſcriptione, PIETAS AVGVSTA. Illud namque ex naturali obſervatione conſtat; quòd ſicut

56. *Ciconiarum, ac Niſorum imitanda & miranda pietas.*

Suidas & Petronius.

Serpente Ciconia pullos
Nutrit, & inventâ per devia rura lacertâ: *Iuvenal Sat. 14.*

Sic econtra pulli ſuccreſcentes genitorum ſublevent ſenium, vires reficiant, foveant nidos, nutriant ægros, omníque pietatis obſequio proſequantur decrepitos. Officioſa valdè hac ex parte in ſummis ædium faſtigijs nobis ſuſpicitur Ciconiarum viciſſitudo: nam & cum aquilis in alto nidum ſtruit, & cum oryge obſervat tempeſtatum ingruentias, & circa res domeſticas occupatur cum hirundine ſedulò, & incubando fovet fatigatos parentes, & famelicis ruralia cibaria præparat, & vigilias nocturnas protrahit; & tandem rebus omnibus benè geſtis

Expanſis candida pennis
Ipſa ſibi plaudit crepitante Ciconia roſtro. *Ovid. 4. metamorph. Virg. 1. Georg.*

Simile præconium promeretur *liquido ſublimis in aëre Niſus*; de quo Albertus Magnus diſſertis verbis ſic loquitur. Sed & Niſus avis rapax, *pietate* tamen *inſignis* eſt: nam raptam veſpere aviculam intra pedum articulos nocte totâ continet illæſam, ut frigeſcentes articuli calefiant: at mane mox, ubi dies illuxit, accepti beneficij memor perbenignè eam abire permittit. Inſuper ea eſt Niſorum viciſſitudo, ut parentes avolantibus

Albertus M. lib. 23.

bus pellis per integrum menſem ci-
baria præſtent, ad aucupium exer-
cendum inſtruant, & tandem ijs ſuffi-
cienter inſtructis clam ſeſe ſubtra-
hant. Econtra obſervatum eſt à rei
Otnithologicæ expertis, juniores Ni-
ſos ſenioribus adminiculari, vetuſtate
excæcatis præparare menſam, & de
captâ prædâ pro alimento applicare
partem, tantâ libertate, quam neque à
Dauco rege ſuo primo inſtructore po-
tuiſſent addiſcere.

57 Obedientia parentibus præſtanda. *Et erat ſubditus illis.* Quis? JESUS,
DEI Filius. Quibus? parentibus opti-
mis, licet ob naturæ humanæ puritatem
tem longè imparibus. In quibus offi-
cijs? Obedientiæ, reverentiæ & pie-
tatis. Quanto tempore ſub curâ pa-
rentum vixerat, tanto ſeſe exhibebat
erga illos plurimâ pietate inſignem.
Vidiſſes illum nutritio ſuo parenti Jo-
ſepho ad nutum obſequi, in officina
dolare ligna, metiri tigna, ſecare tabu-
lata, componere aſſeres, colligere ſe-
gmenta, nec quidquam omittere,
quod conſervandæ familiæ conduce-
ret. Vidiſſes illum Virgineæ Matri
omni decore ac dulcedine filialia præ-
ſtare obſequia, & ad ſublevandas
quaſcunque neceſſitudines promptiſ-
ſimum ſeſe offerre: ita ut cives Naza-
reni hâc innocentiſſimâ Familiâ ædi-
ficati ſæpe ſæpius ſe invicem fuerint
cohortati, eamus ad Filium Joſeph, ut
inde recreati revertamur. Nempe
tam diu Liberi chariſſimis obediant
promptè parentibus, ad inſinuata
virtutis, honeſtatis aut indifferentiæ
præcepta; quàm diu eorum curæ, di-
ſciplinæ, atq; educationi ſubſunt. Ab
hac obedientiæ lege nec annorum
maturitate, nec ſanguinis nobilitate,
nec dignitatum præſtantiâ deobli-
gantur Liberi; quàm diu ſub Progeni-
torum diſciplina, aut Tutorum mode-
ramine, prætextatam gerunt. Audite
Seneca 3. de beneficijs. c. ult. Senecam modeſtè glorianteṁ: *Im-
perio parentum meorum, ſive æquum ſive
iniquum fuerit, obſequentem me præbui;*
Gen. 5. 22. *ad hoc unum contumax fui, ne beneficijs
vincerer.* Quid laudis & gloriæ obti-
nuit pientiſſimus Iſaac, ex eo, quòd
ſimplici quodam ductus Spiritu Patri
ſuo ad mortem usque promptiſſimè
obtemperârit? Quibus econtra repre-
henſionum criſibus, maledictionum
fulminibus, ſuppliciorum diris expo-
nebatur impientiſſimus Abſolon, pa- 2. Reg. 17.
renti ſuo tam malitiosè officiendo?
Fatalem licèt rancorem conceperit
Cain contra uterinum ſuum Germa-
num; nequaquam tamen in Fratrem
ſævijt intra domeſticos lares, præſenti-
bus parentibus, quorũ imperioſo coër-
cebatur reſpectu; ſed ſubdolè dixit,
Egrediamur foras. Pari ratione nec ira- Geneſ. 4. v. 8.
tus Eſau, ob prœreptam Primogenituræ
prærogativam, voluit Jacobo inferre
necem intra paterni timoris limites,
ſed nequitiosè diſtulit, promittendo
ſibi opportunius tempus: *venient dies* Gen. 27. v. 41.
*luctûs Patris mei, & occidam fratrem
meum.* In tantum obſervantia paterna
temerarios Liberorum coërcuit co-
natus! Duodennem puerum vobis
exhibeo imitandum, optimæ indolis
Liberi, & quidem parentibus ſubdi-
tum; qui Pauli teſtimonio cœleſti ſuo
Genitori ſit *factus obediens usque ad* Philip. 2. v. 8.
mortem. Is jam de fatali trabe pende-
bat affixus, paulò pòſt ſpiritum emiſ-
ſurus benedictum in manus Patris
cœleſtis: ingentes tunc blaſphemias,
irriſiones, contemptus, convitia &
opprobria, Phariſæorum fæx in faciē
objiciebat miſerrimè diſpoſitam; ſub-
ſannando exprobrabant: *Si Filius DEI* Matth. 27.
es, deſcende de Cruce, & credimus tibi. v. 40. & 42.
Audis hæc, moribunde JESU? *Si filius
DEI es*, fac citò miraculum, ex tem-
poris opportunitate efficaciſſimum ad
convertendos Hebræos. Ecce! tot
ſanaſti infirmos, tot mortuos ſuſcita-
ſti, tot ejeciſti dæmonia, tot prodi-
gia in elementis reliquiſti, poteſtate
ſtupenda, effectu inaudita! Vnicum
ſupereſt, actu facile, proventu incom-
parabile, & primigeniæ intentioni tuę
accommodatiſſimum! Conditionem
poſitam à contrahentibus exequere:
Si filius DEI es, deſcende de Cruce. Quid
tibi facilius? Quid ad præſentes cir-
cumſtantias rationabilius? *Deſcende.*
Ex hoc deſcenſu pendet Synagogæ
converſio, Phariſæorum fides, Ethni-
corum ſalus, totius auguſtiſſimi ope-

ris tui juſta perfectio : *Deſcende.* Sed verò haud deſcendit. SS. Patres rationes diviniſſimas profundunt in myſterij tam operoſi gratiam : præ reliquis placeat energica illa, & ad præſens momentum appoſitiſſima. Nempe *factus eſt IESVS* Patri ſuo cœleſti *obediens uſque ad mortem*; & ne fieret inobediens, maluit pendendo in Cruce ſuſtinere opprobria, quàm deſcendendo de Cruce præſtare converſionis emolumenta. Ex quo tanta ſequebatur diffidentium metamorphoſis Hebræorum, ut, qui ante Chriſti cruentam mortem ad credendum nullis poterant miraculorum ſtimulis concitari, nullis virtutum & ſanctitatis exemplis allici, nunc poſt tam magnanimam obedientiæ victimam ultrò publicæ fecerint confeſſionem fidei, *verè filius DEI erat iſte!*

Matt. 27. v. 54.

58\.

Obedientiæ exemplum præclarum in Cariolano.

Porro hæc obedientia parentibus debita tam debet eſſe ſincera, ſimplex & officioſa, ut liberi paternis mandatis proprium poſtponant commodum, intrepidè pareant, ad hoc, ut ad eminentem tantæ virtutis gradum enitantur. *Sic oportet; filium ſentire debet ex animo, paterna voluntati omnia poſtponenda eſſe* : prout Græcorum ſapientiſſimus Creon pro dogmate civili ſtatuiſſe fertur. Exemplo vobis ſit *pietate inſignis* Cariolanus, quem virtus bellica inter potentiſſimos Heroës conſcripſit celeberrimum. Is ex invidis eivium delationibus Româ profligabatur in exilium inter barbaros Volſcos, populos Romanæ Genti inimiciſſimos : & quia turbulentus vindicandi animus in corde Cariolani novis novíſque motibus agebatur, copias colligit plurimas, bellique nervum formidabilem; Romam obſidet, atque in tantas adigit anguſtias, ut extremâ neceſſitate compulſi Proceres trinâ vice conditiones pacis obtulerint, ad gratiam obſidentium ſupplices : at verò concepta Cariolani vindicta implacabilis erat ad pacis optatæ fœdera, inſatiabilis ad ſæviendum in obſeſſos; quorum exterminium igni ferróque dividendum jamjam devoverat. Sed & optimus Deus per publicas pœnitentias Prælatorum, per totius populi lachrymas & preces, non poterat maturè ſatis ad medelam ferendam flecti; & erat in hac Vrbe, Orbis capite, videre miſeriam! Tandem Senatus Populúſque Romanus, ſero quidē ſed efficaci conſilio, victoriam precibus expugnant; dum Cariolani matrē rogant, ut mœnibus emiſſa ad caſtra hoſtium amore Patriæ ſeſe conferat, & facultate quadam naturæ legibus expreſsâ, Filio armorum inducias, paciſque fœdera præcipiat. Illa, ut Patriam tenerâ proſequabatur pietate, poſtpoſitis quibuſcunque periculis, hoſtium caſtra imperterrita petit; ad filium penetrat, Volſcorum ducem; ac hiſce motivis ad palinodiam flectit. Ergóne, fili, ad tantam aberrâſti tyrannidis rabiem, ut excuſſis materni genij ſtimulis tam crudeliter ſævires in illam Vrbem, ubi delicioſa diurnæ lucis primordia auſpicatus es; & tam ingentia Patriæ gentis beneficia unicâ injuriâ metiris abolenda? En, afflictiſsimâ tua Patria, in cujus gremio lactatus, nutritus, educatus, in tantum evaſiſti heroëm, ſed heroëm nemini ádeò quàm Patriæ fatalem! Romanus es; ſed nunquam hac appellatione indignior, quàm ubi natali ſolo excidium machinaris; nunquam dignior, quàm ſi acceptam injuriam beneficijs & gratijs tuis refundere conaris! Materna mihi viſcera in gemitus, in lachrymas, in ſuſpiria diffluunt; quæ ſi nunquam te ſuo geſtâſſent ergaſtulo, nunquam vidiſſent Romam ad hos ineluctabilis miſeriæ cancellos devolutam! Vt quid te in lucem progenui filium, ſi tu impius Patriam denſiſſimis meditatæ vindictæ tenebris implicas, excîdis, expungis, impugnas! Viden, materna ubera! ſi quid in re vel lactis noſtri adhuc ſpirat vel ſanguinis, excuſsâ impietate Matri pare; pare præcipienti, ut pacem Patriæ dones. His auditis Cariolanus impotentem ſeſe geſſit, ut materno præcepto non deferret; nec potuit reſiſtere tantæ virtuti, ex matris Imperio promicanti, quin ocyùs parêret. Quid ergo? Arma abij-

S. Antoninus parte 3 tit. 4. c. 3. Parag. 13.

abjicit Cariolanus; ac venerabundo oſculo Matrem amplectitur, conſolando eam his paucis: *Expugnaſti, & viciſti iram meam*; *Patriam ego utero tuo dono.* Solvit proinde caſtra, armiſtitiũ promulgar, ad ſacra pacis fœdera tranſit, amicitiam renovat; damna refundit illata, Romámque reſtituit. Obtemperavit Cariolanus, & pietatis officium implevit, immortali memoria celebrandum; quod Liberis Ecclesiaſticus graviter inculcat. *Honorá patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris; memento, quoniam niſi per illos natus non fuiſſes; & retribue illis, quomodo & illi tibi.*

Eccleſiaſt. 7. v. 29.

59. Ubi per illud *Honora* aperta nobis monſtratur via ad dicendum de reverentia, quam liberi parentibus debent: hæc enim pietatis & obedientiæ conatus amabiles reddit, ac planè delicioſos. Velim obſervari myſterium, duabus Legis tabulis inſertum; Enimverò in primâ tabulâ præcipitur DEUS divinæ Religionis actus: ſecundam ſeptem alijs præceptis replet; quorum primum ſit, *Honora Patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.* Et quid putatis latêre ænigmatis, cur optimus DEUS legum tabulas tam inæquali ordine diſtribuerit, uni inſerens tria præcepta, alteri ſeptem? an non debuiſſet, quinario numero utramque conficere? Dimiſſis ſacrorum Interpretum ſententijs, appoſitè ad rem judicium fertur, DEUM ideò alteram Tabulam ſeptem Decalogi præceptis inſigniviſſe, eámque præcepto filialis Reverentiæ fuiſſe auſpicatum; ut vel exinde intelligerent Liberi, quantum DEO hominique interſit, primo loco poni, ut parentibus debitus exhibeatur cultus, præſtetur obſervantiæ integritas. Et hoc fortaſſis cum nonnulla difficultate perſvaſum foret inſolenti Liberorum procaciæ, niſi penetrabili amuleto demulcerentur, *ut ſis longævus ſuper terram*; & conſequenter, ut affluas divitijs, creſcas virtutibus, dignitatibus honoribúſque proficias, divinis gratijs abundes, & eâdem menſurâ olim recipias genitor, quod genitoribus præſtitiſti. In memoriam revocate exempla Patrum; Filij ingenui, ut ea imitemini. Nolebat Abraham filium ſuum Iſaac deſponſari cuidam de gente Chanaan puellæ, ut vel hac averſione deteſtaretur gravem irreverentiam; quam illius gentis author Chamus ſuo Genitori, inebriato poſt diluvium Noëmo, intulerat, verendâ Patris genitalia denudando coram probroſo ſororum conſpectu. Nolebat celeberrimus Ægypti Prorex Joſephus decrepitos parentes in famelica terra Chanaan deſolatos relinquere, ſed cum omni ſolennitate in Ægypti poſſeſſionem inducebat, ut eos tantò promptius ad omnẽ obſequij cultum obſervaret, quantò propinquius. Nolebat fortiſſimus Heroũ Samſon parentibus judicare, facili victoriâ dilaceratum à ſe leonem; ne fortè, ſi ab illis propter egregium animi viriúmque robur ſuſpiceretur graviter, exinde quidpiam filialis obſervantiæ remitteret. Nolebat David, utriusque Fortunæ ludus, parentes optimos intra paternos lares dimittere neglectos; ſed ſubripuit furentis Regis inſidijs, & ad Moabitarum ſalvum conductum tranſtulit; ne obſervantiæ negligeret aliquid, quod ex filij perſecutione in parentes redundaret. Nolebat Salomon, Rex ſapientiſſimus pariter & potentiſſimus, ampliùs faſtuoſo ſubſidere throno, quin ocyùs proſiliret, intrantem matrem ſalutaret; verebundam elevaret ad ſolium, ſupplicaturam præveniret conſenſu: pete mater; *neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam.* Scilicet tam ingenioſa erat olim in Scripturis Sacris filiorum erga parentes obſervantia; reverentia tam officioſa! Æquo in Eccleſiæ annalibus certamine pro filialis obſervantiæ palmâ pugnant coronata Regum & Imperatorum capita: quòd enim Conſtantinus Magnus S. ſuæ matri Helenæ honorarium erexerit in foro obeliſcum, curámque theſauri Imperatorij demandârit: quòd Alphonſus Aragoniæ Rex patrem ſuum Ferdinandum in rheda ſedentem, pedeſtri humilitate comitatus, in civitatem

Reverentia parentibus debita, & reverentiæ exempla.

Geneſ. 9.

Geneſ. 48.

Iud. 14.

1. Reg. 22.

3. Reg. 2. v. 20.

induxerit, reliquis omnibus ſplendiſsimam pompam equitando provehentibus: quòd Regij Germani Childebertus & Clotharius, dum jam jam pro Galliæ Regno præripiendo in cruentam aciem concurrerent, interventu pacificæ matris Clotildis evaginatos gladios cohibuerint, & in ſinceriſsimi amoris oſcula confluxerint: quòd Ferdinandus Sereniſsimus Rex Neapolis ex ſuorum duntaxat Genitorum converſatione obſequioſum ſolatium traxerit, ac poſt eorum obitum ampliùs noluerit ſincerioris lætitiæ aperire frontem: tanta & tam imitanda filialis obſervantiæ miracula meritò filijs ſimilem inſtillent animum, ut D. Hieronymi ad præſens punctum commonitioni deferant. (S. Hieronym.) *Exhibete patribus filij, quod vos poteſtas paterni nominis cogit, quæ à DEO eſt eorum meritis attributa; ut ipſa de vobis exigat, quod natura jubere non potuit.* Exhibete, ut ſitis longævi ſuper terram: exhibete, ne ſuperna Nemeſis in vobis talione vindicet, quod ergà parentes deliquiſtis: exhibete, ne ab omni Lege ſceleris rei condemnemini; & quidem à Lege civili ad juſtam exhæredationem, à Lege Moſaica ad exterminium vitæ, à Lege naturæ ad maledictionem mortis, à Lege divina ad infernale ſupplicium; quod paratum eſt Diabolo, & Angelis ejus.

60. (Pietas erga parentes, & pietatis exempla.) Necdum ſatis *Honora* dictum eſt; quando in Hebraico textu tò *Chabad* idem ſignificat, quod *onera*: quaſi nempe Liberis præceptum ſit, onerate parentes, non moleſtijs, ſarcinis aut afflictionibus; non improperijs, verberibus aut ejectionibus; ſed onerare donis & gratijs, ope & ſubſidijs, omnibúsque pietatis officijs. Vt Niſi ſint, vel Niſo ſimiles, pietate nitantur. Quis enim, ſi pietatis officia acceptis beneficijs menſurantur, magis teneatur parentibus ferre medelam, quàm filij: qui tot tantiſque beneficijs inde ſunt aucti, ut ſufficienti inductione enumerari haud facilè poſſint. Enimverò ſi Ariſtotele teſte (Ariſtot. 2. de anima.) *omnia appetunt eſſe, & illius causâ agunt, quæcunque agunt*; quid agendum pro illis, qui appetunt bene & feliciter eſſe? Nôrunt optimi parentes, quantum ijs conſtet, proli exhibere naturale eſſe, de propriâ ſubſtantiâ communicare carnem & ſanguinem, diſponere ad infuſionem immortalis animæ, generando in lucem effundere, maximis moleſtijs educare, continuis periculis ſubripere, ad mores honeſtos & humana ſtudia inſtruere, fortunis & publicis muneribus evehere, tandem maturos ſuo Juri reddere; ut non immeritò ſub conſideratione tam inſignium beneficiorum D. Hieronymus ſententiam ferat, quæ omnium maximè filios ad pietatem obliget. (S. Hieronym.) *Foveatur itaque parentum ſenectus, & factis eorum viciſſitudo reddatur.* Vultis adduci in theatrum inſignes pietate Filios, aut Filias: audite Plinium naturalium rerum ſolertiſſimum; (Plinius lib. 7. c. 36.) qui memorabile exemplum pietatis in parentes refert. Humilis, inquit, in plebe, & ideo ignobilis puerpera, ſupplicij causâ carceri incluſam matrem (cùm impetrâſſet aditum à Janitore, ſemper excuſſa, ne quid inferret cibi) deprehenſa eſt uberibus ſuis alens: quo miraculo matri donata ſalus eſt filiæ pietate, ac utrique perpetuis alimentis; & locus ille Deæ Pietati conſecratus eſt, templo Pietati extructo in illius carceris ſede, ubi nunc Marcelli theatrum eſt. Idem fecit filia Cimonis ducis: (Valerius Max. lib. 5.) hæc enim Cimonem ſimili fortunâ affectum, parique cuſtodiâ traditum, jam ultimæ ſenectutis, velut infantem pectori ſuo admotum aluit. Illuſtre non minùs eſt, quod refert Fulgoſus de Toletano homine, cujus (Fulgoſus l. 5. c. 4.) pater faber aurarius à Petro I. Rege Caſtulonis ob falſas ſuſpiciones ad mortem damnatus erat; hic enim ejus filius, ut erat *inſignis pietate*, lachrymis precibúsque agere non deſtitit, ut ſervato Patre ipſe pro eo occideretur; quod tandem aſſecutus, vitámque amittens, vitam dedit Patri, à quo vitam acceperat. Ibidem narrat, Alexium Iſaaci Imperatoris Conſtantinopolitani filium, Patrem à fratre imperio oculiſq; orbatum, in regnum

armis

armis reſtituiſſe; & quanquam omnes eum Imperatorem ſalutarent, ipſum tamen hoc nomen cum Imperio in patrem reſignâſſe. Non debet ſilentio diſſimulari id, quod Pauſanias refert de civibus Catanenſibus in Sicilia, celebrantibus ſepulturam duorum Germanorum fratrum Anapiæ & Amphinomi; ut nullâ oblivione obliteraretur inſignis eorum pietas, quã erga parentes demonſtrârunt: cùm enim Ætnæus mons ex ſuis cavernis, tanquã ex faucibus infernalibus, flammas cum ſulphure, cinere ac ejusmodi horrentis mixtis effulminaret, & circumquaque in villas, oppida, urbes igneo ſuo furore ſæviret; dum omnes fugâ ſaluti conſulerent, hi duo fratres imitabantur Æneæ pietatem, parentem ex Troiæ incendio humeris efferentem: nam unus patrem, alter matrem, decrepito ſenio vacillantes, humeris impoſuit, ac depaſcenti flammæ ſubripuit. Serpebat proinde malũ fortiter, & velut igneus torrens inundabat obvia quæque, tam velociter, ut nemini ampliùs daretur evadendi præventio. At verò, ô grande miraculum! jam erant laſſati fratres, jam parentali pondere fermè ſuppreſſi, jam fugâ gravatâ exhauſti, jam hoſte vicino cremandi; tum ecce! Flammarum impetus tantâ filiorum pietate obſtupefactus, ſiſtit pedem, opus approbat, meritos præmiat, & longè ab illis recedit, ne noceat, ne comburat: quaſi nempe titulo immunitatis gauderet tam difficilis pietas, quæ Naturæ legibus incluſa à Natura non potuit violari.

Pauſanias. l. 9.

61. Sentio hanc flammam in intimis meorum viſcerum medullis, quæ meritò per ignitum eloquium contra impios filios detonare, imò fulminare ſatagat, longè ferocius, quàm Ætnæi furoris eruptio. Quid enim deteſtandum magis honeſtæ menti, quid dignius anathemate, quàm parentes maximè meritos, ætate confectos, laboribus exhauſtos, medijs deſtitutos non proſequi obſequijs, nòn officijs colere, non ope erigere, non conſolatione reficere, non omni pietatis genere proſequi; ſed diſſimulare, contemnere, deſpicere, negligere, & deſolatos improbè declinare, aut omnino verberibus excipere, conculcare pedibus, ædibus eijcere, fami, ſiti, nuditati, dirisque omnibus devovere! Neſcio, quid in tali improbitatis paſſu deſiderari poſſit diſſimile aut ab Indorum barbarie, qui decrepitos parentes atrociter trucidabant; aut à Caſpianiorum rabie, à quibus parentes, ſeptuaginta ætatis annos emenſi, carceribus & inediâ conficiebantur; aut à Bactrianorum crudelitate, qui ſeniculos parentes mordacium canum laceratibus proſtituebant; aut Sardianorum iniquitati, qui in parentes ultrò cruenti inſurgebant, ut eos etiam non ætate provectos pro ſua dominandi libidine è medio ſuſtollerent.

Impietatis erga parentes exaggeratio.

62. Si *pietate inſignis* es, fili, auſculta doctrinam ab Eccleſiaſtico traditam, & non niſi tenero retinendam animo. *Fili, ſuſcipe ſenectam Patris tui, & ne contriſtes eum in vitâ illius: & ſi defecerit ſenſu, veniam da, & ne ſpernas eum in virtute tua.* Alioquin tibi gravia ſuperventura ſunt mala à vindice Deo, qui impietatem liberorũ opportuno caſtigat tempore, modo, loco & rigore. Pro concluſione Niſi tam laborioſi, Ciconiæ tam cicuratę, unicum exhorreſcite fatum, factum terribile, quod inter fide dignas & certas à nonnullis „narratur hiſtorias. In Normaniæ „partibus vir admodùm dives erat, „ſed ignobilis. Hic filium habebat „unicum & dilectum, quem delicatè „educaverat ad robur viri. Conve„nit ergo Patrem miles quidam no„bilis cum amicis, dicens: Filia eſt no„bis decora nimis & prudens, per„quam fi tibi placuerit, poſteritas tua „exaltari poterit, & juvari: hanc filio „tuo dabimus in uxorem, hoc tamen „modo, ut cedas poſſeſſionibus uni„verſis; & filius tibi & matri, quam„diu vixeritis, abundantiſſimè pro„videbit: caſus enim diverſi ſunt, in „quibus filius tuus poſſet, re in poſſeſ„ſione manente, hæreditate fruſtrari. „Hoc patre audiente, & hærente ſub „dubio, ab amicis tandem compul„ſus eſt, etſi mente pavidus, cedere

Impietas erga parentes graviſſimè punita. *Eccleſ. 3. v. 14.*

Thomas Cantiprat. lib. 2. Apu. c. 7. p. 4. Caſarius lib. 6. c. 22.

„cun-

„cunctis bonis. Peractis ergo nuptijs, „filius & uxor ejus anno quidem primo honorârunt parentes, victúmque copioſiùs miniſtrârunt, ſed ſecundo minùs, & tertio inverecundiùs quàm decebat. Quarto autem, „ſuggerente uxore, filius parentibus „ſuis domunculam parvam in oppoſito domûs ſuæ conſtituit, ut minùs „eſſet indecentia ſenum juvenibus „onerosa; ibique eis ſecretiùs inſufficienter neceſſaria miniſtrarent. Pertulit ergo ſenex pater ibidem cum „uxore decrepitâ non modicam egeſtatem, & vix interdum domum filij audebat intrare; ſed per clientulum mandabat ea, quibus carere non „poterat. Vnâ autem dierum accidit, ut mater ex oppoſito domûs ſuæ „viſa auca infixa veru in domo filij, „diceret viro ſuo: me fœminam magis decet eſſe paucis contentam, tu „autem vadas ad domum filij, & ſaltem ſemel eſurientem animam ſaties „de aucâ, quam ibidem vidi eſui præparatam. Hoc audito, ſenex innixus „baculo, properabat ad domum filij; ſed mox ut eum filius vidit, aucam retraxit ab igne, & clam abſcondit, ſtatimque patri obvius, quid „quæreret, inquiſivit. Et mox factum „pater notans, diſſimulavit, & redijt „ad domum ſuam. Filius igitur puellæ præcipit, ut mox aucam reponat „ad ignem. Nec mora, ubi puella „in thalamo aucam vidit, bufonem „maximum aucæ pectori hærentem „invenit. Eâ ergo clamante accurrit „junior dominus, niſúsque bufonem „excutere, ut violenter inſtitit, bufo „ab auca reſiliens, faciem adeò conantis invaſit, ut nulla arte vel conſilio deponi poſſet, aut excuti: ſed „ſic multis annis, hominis nequitiam „puniendo, inhæſit. Et erat illud ſupremi ſtuporis miraculum, ut ſi „quando monſtri illius pars aliqua „tangebatur, ac ſi percuteretur in „corde, ita homo ſenſibiliter lædebatur. Conterritus ergo mirabiliter & „contritus, adijt diœceſanum Epiſcopum, & cum omni dolore confeſſus, „pro pœnitentia recepit ab illo, ut per „omnes fines Normanniæ, & Galliæ „civitates, revelatâ facie circuiret, & „ubique narraret populis eventum „rei, ut per hoc, exemplum ſumerent „filij honorare parentes; & diſcerent, „quàm periculoſum ſit & nocivum, „vicem non rependere laboribus, „quos ipſi parentes filijs impenderunt. Hunc ergo hominem cum „bufonis monſtro circueuntem Fratrer Joannes de Magno Ponte Ordinis Prædicatorum, ſicut per ipſum „nobis relatum eſt, vidit in juventute „Pariſijs palam referentem omnibus „& monſtrantem, quòd pro inhonoratione parentum paſſus fuerat „multis annis, & adhuc ſecundũ Dei „voluntatem pateretur. Hunc poſtea, „ſed non per dictum Fratrem Joannem, audivimus Sanctorum quorundam precibus liberatum, & diſparuiſſe ſubitò fœdum monſtrum. Exinde diſcite filij, quàm placeat Deo obſequijs *onerare* parentes; quàm diſpliceat, erga parentes improbos & impios eſſe.

Tu ô Jesu, qui eum mortis crudeliſſimæ agone luctans Virginem Matrem Virgini Joanni commendaſti; & omni tempore ſanctiſſimis parentibus detuliſti ſubditus obedientiam, reverentiam & pietatem: ita potenter effice Liberos tui exempli imitatores, ut & hi parentibus ad conſolationem proficiant ſapientiâ & ætate, & tu ab utriſque æternùm ſis benedictus! Amen.

DOMINICA SECVNDA POST EPI-PHANIAM.

LIGATA ACANTHIS.

Der angeſhalſſterte Diſtelfinck.

LEMMA.

Reſonant & Acanthida dumi. Virgil. Georg. 3.

Eheſtandt / Weheſtandt!

THEMA.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ. Ioan. 2. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS VIII.

Jugis Conjugij tribuli, ſpinæ, dumi, cruces, martyria & afflictiones innumeræ, compaſſivè, & tragicè exponuntur.

63. Acanthis dumetorũ incola, conjugij moleſtias ſymbolizat.

CUm hodie nuptiæ celebrentur in Canâ Galileæ, nemo fortaſſis Auditorum erit, qui non aucupari velit de Canâ Canatienſem aviculam: quæ tota viridis, magnis expenſis alitur; eſcam & potum per dies noctésque appoſitum retinet, artem muſicâ cæteroquin inſigniter edocta. Sed pretioſa nimis eſt hæc aviculâ; diceт melodiâ ſuâ ſolertiſſimâ ad nuptialem lætitiam delicatum ſuperadderet accentum, omniúmque hoſpitum animos inter ſtupenda tranſubſtantiatæ aquæ pocula voluptuosè exhilararet. Verum enim verò inter deſponſatos in Canâ religioſiſſimè celebramus Acanthida, aviculam molè corporis exiguam, plumarum varietate diſcoloratam, & vocis vivacitate ſonoram; quæ non in quercu ſublimi nidificat, neque in dulci pabulatur moro, neque pingues ſuis granis ſpoliat ariſtas, neque in floridis deliciatur hortis, neque in umbroſis meditatur ſylvis, neque in pomiferis reſonando circumvagatur frondibus; ſed in dumetis ſibi parat eſcam, ſtruit nidum, generat prolem, vivit opiparè, canit delicioſè: nam juxta Poetæ experientiam,

Littoráque Halcyonem reſonant, & Acanthida dumi.

Quaſi nempe ad ſpinas, carduos & dumos, innocentes Acanthides rigidior condemnârit natura, quibus ob natalium ſuorum tenetitudinem mitiori fortunâ potuiſſet eſſe proſpectum. Inſuper ſi in dumo capta Acanthis poſtea portetur domum, includatur in cagio; quid non ſpinarum, moleſtiarum, vinculorum, carcerum, laborum conferunt in pauperculam Acanthida domi? Dum libero cœlo fruitur, ſvaviſſimè modulati, ſalire, geſtire vel inter dumos conſvevit; at ubi capta eſt, alligatur ad cruculæ compedes, & condemnatur ad attrahendas magno labore ſitulas, quæ aquam & canabi grana depreſſa continent: exinde omnis libertas, lætitia, cantus, tripudium evanuêrunt. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilea.* Idipſum contingit Sponſis, paulò poſt nuptias celebratas copulatis: experimento namque addiſcunt, matrimonium eſſe dumetum, crucibus pungentibus

omni ex parte plenum & laborioſum, & conjuges longè acerbiori, quàm Acanthides, cruci ecce affixos. Hanc vobis hodie demonſtrationem faciam, non ut evadatis deſolati, ſed ut inter tot cruculas parvas, & cruces magnas, & truncos grandes pauliſper conſolati, reſpiretis in nomine Domini.

64 *Cruces & ſpinæ conjugij.* Sic eſt; id ipſum quod Acanthides expetiuntur, domicellis accidit teneriſque virgunculis; quæ nubiles & nobiles aureâ libertate perfruuntur, ambulant, cantant, ſaltant. At poſtquàm vinculo conjugali captæ, ad crucem matrimonialem adſtringuntur, omnia illa juventutis privilegia paulatim diſparent; vertitur in luctum cithara, & organum in vocem flentium diu noctúque infantium; tranſit libertas in captivitatem, juvenilis decor in pallorem, gratia in amaritudinem, & paſſim aculeati *reſonant Acanthida dumi*. *Vide Engelgrave in Cœli Empyreo par. 1. Calend. Ian. parag. 3.* Perpetuò tunc ſuccreſcit ſpinetis aculeus, Acanthidi carduus, conjugibus crux: crux in viro probo & morigero, ne amittatur; crux in turbulento aut temulento, ſi vivat diutiùs: crux carere liberis, crux parturire & educare plurimos: crux in morbidis, crux in diſcolis: crux in curis domeſticis, crux in civilibus controverſijs: crux in fraudulentis amicis, in perfidis domeſticis, in familiaribus iniquis, in occultis inſidiatoribus. *Accedunt*, inquit D. Hieronymus, *Hieronymus l. 1. contra Iovinianum.* *per noctes totas uxorum garrulæ conqueſtiones: illa ornatior procedit in publicum; hæc honoratur ab omnibus: ego in conventu fœminarum miſella deſpicior? Cur aſpiciebas vicinam? Quid cum ancilla loquebaris? De foro veniens, quid attuliſti?* Sic vel domi in maritali thalamo *reſonant Acanthida dumi*! Arduas quis meritò duxerit in Religioſis vigilias, è medio noctis ſomno abruptas, & ad DEI laudem protractas? at amabo vos conjuges, an non plus vigiliarum vagientes, lachrymantes, & alternis chorii vobiſcum cantantes, Nocturnúmq; non unum infantes vobiſcum tranſigunt; imò & Matutinum, cum Veſperis & Completorio? Arduas quis meritò in milite cenſuerit ſtationes, frigoris & caloris, armorúmque hoſtilium acie fortiores? ſed quàm duras ſtationes, imò & ſeſſiones diuturnas, pro obolo, pro leviſſimo lucro præcipiunt domeſticæ curæ, civiles exactiones, creditorum impatientia? Arduas quis dixerit in paupere mendico famis, ſitiſque atque egeſtatis ærumnas: at quid difficilius, quàm extrinſecùs ſimulare honeſtam fortunam, & tamen occultâ egeſtate usque ad oſſifragium pati; prout multis conjugatis familiare eſt? Arduas quis ingemuerit infirmitatum & peccantium affectuum criſes, ſymptomatum acrimonias, ac pertinacium dolorum conſiſtentias: ſed verò, quæ major infirmitas eſſe poſſit, quàm tribulatione carnis affligi & irritari? Arduas quis ſuſpexerit in Martyribus tolerantias cruciatuum, per non multa momenta durantium: At verò conjuges vivi & ſpirantes, per plures annos in matrimonio acerbum trahunt martyrium, imò talia exantlant mala, quæ ad mille mortes poſſunt ſufficere; prout ex Divo Baſilio loqui licet; *S. Baſilius lib. de vera Virg.* qui non modò conjugium *dolorum omnium officinam* pronuntiavit; ſed *eam, quæ nupſit, multiplices ut ſic dixerim, mortes in dies pati* aſſeveravit. In tantùm conjugalis vinculi pungentes *reſonant Acanthida dumi*!

Obſervate, quæſo, Acanthidem noſtram, alligatam cruculæ; quid tandem libertatis ei relictum ſit? Avicula ſubinde quaſi libera avolat, 65. *Conjugij bona ubique ſpinis mixta.* non reverſura ampliùs; ſed mox filotenſo, ad ſervitutem & crucem ſuam antiquam redire compellitur. Sunt quædam ſolatia, non diffiteor, matrimonio propria; ut habere conſortem, qui amicam ſui curam gerat; videre numeroſam prolem, pinguis hæreditatis capacem; frui delicijs, conjugij ſanctitate honeſtis; præcipe-

cipere ſervis de domeſtica adminiſtratione ſolicitis; diſponete ad placitum de ſuis fortunis, legitimo titulo comparatis; ac denique conjugali conſortio gaudere in amoris cordialis ſinceritate. Verùm hæc ipſa ſolatia eſſe carduos ſine aculeis, roſas ſine ſpinis, areolas ſine dumetis, dulcedines ſine amaritudinibus, ſplendores ſine maculis, voluptates ſine doloribus, tranquillitates ſine turbulentijs, beatitudines ſine fictis, tunc, tunc

Calphurnius eGl. 6.

Aſtyle credibile eſt, ſi vincat Acanthida cornix;

Vocalem ſuperet ſi turpis Aëdona Bubo.

Vellet quandoque uxor paululum expatiari, liberiorem auram captare; jubetur à viro domi per menſes, per annos integros deſidere: aut certè ſi permittitur quandoque uxori paululum expatiari; id non longiùs licet, quàm vir filum laxet, & indulgeat; ac ſigno dato, præſcriptóque tempore remeare cogitur. Quid non diffidij & diſcordiæ in aulâ Theodoſij Eudoxia concitavit, dum ſemel longiùs funem traxit apud ſororem ſuam Pulcheriam? Et quid non turbarum in familijs, dum uxor ſerò veſpere domum divertit, honeſtis etiam viſitationibus diutiùs detenta; aut, ut non rarò accidit, in templo orationis exercitijs impenſiùs ac diutiùs intenta? Vellet quandoq; uxor palato ſuo elixa, ille frixa jubet apparari: illa delectatur frigidis, hic calidis vult veſci. Vxor pro numeroſa prole educanda convivas & ſumptus execratur; maritus ſingulis ſeptimanis nunc hos, nunc illos dapſiliter tractat: ſic nempe Acanthis, Plinio teſte, aſinos odit, quia ſpinæ flores, in qua vivit, ipſe devorat. Serò veſpere ſomnus ad quietem invitat; abſens maritus cogit in multam noctem excubias agere: redux verò ebrius & temulentus debacchatur verbis & verberibus, oculis ſomnum & lachrymas excucit. Ecce, quàm ubique *reſonant Acanthida dumi!*

Plinius l. 10. c. 74.

66. *Tribulatio carnis inter conjuges expenditur.*

Exinde conceptam proſequor materiam, & quæſtionem diſputationi reſolvendam adduco, an conjugati illi, quorum voluptates eſſe conſtat ſine noxâ, quique legitimo thoro contenti, nec connubalia jura transgredientes, de dolio ſuo inebriantur (ut piè B. noſter F. Ægidius jocabatur) nec fodicatione conſcientiæ adversùs impurum opus reclamantis lancinantur, dicendi ſint martyrium carnis ſubire? Tametſi honorabile ſit connubium, & thorum immaculatum certa fides ſtatuat; hos tamen annumerare ſæculi martyribus non dubitabit, quiſquis ærumnas & angores conjugij, quantumvis optimis auſpicijs initi, attentiùs æſtimârit. Eas ſanè tantas rórque agnoverunt Ethnici non pauci, ut præſtare cenſuerint matrimonio abſtinere, quàm ultrò ſe in tantas calamitates inducere. Democritus repudiat matrimonium, & procreationem liberorum, propter multas, quæ ex ipſis oriuntur, moleſtias; & quòd abſtrahant ab ijs, quæ magis videntur neceſſaria. Ei autem Epicurus quoque aſſentitur, & quicunque in voluptate, moleſtiæque & doloris vacuitate, bonum collocant. Ethnicorum hæ ſunt ſententiæ, juxta quas nolo Chriſtianorum veſtigia imprimi. Nempe Acanthis aliis dicitur à carduis *Carduelis*; dicerem ego, *Carni duellis.* Quid enim apud noſtros æquè ac externos, inter carduos, ſpinas, *tribulos* & dumeta Acanthidi adeò decantatum eſt, quàm quæ & quanta ſint, & quàm importabilia conjugii onera. Gentium Doctor hoc negotium, apud alios immenſæ operæ, uno verbo executus eſt dicens: *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccavit.* Quid ſequitur? à tribulis tribulatio; à carduis carni duellio. *Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi.* Appoſitè dictum. Quantumvis ſanctè & licitè conſociati ſint conjuges,

Martyrium carnis.

Clement. Alexand. 2. ſtromat.

1. Corinth. 7. v. 28.

quantumvis auſpice Deo, & non niſi prolis ac perpetuandi generis noſtri gratia, ſimúlque honeſtiſſimè utantur conjugio, & alter alterius onera portent, ſintque ſibi invicem, quantùm poſſunt, ſubſidio atque ſolatio, *tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Exclamat ad hæc verba, Author libri de caſtitate: *Quid boni jam in nuptijs remaneat, neſcio, quando etiam in illa ſubſtantia tribulantur, in quâ ſolâ videbantur habere lætitiam.* Ipséque Apoſtolus non ſemel anguſtias & ſtimulos, quêis à carne & corpore mortis hujus urgebatur & cruciabatur, citra omnem ambiguitatem profeſſus eſt: *Cur ergò conjugibus* (ait S Gregorius) *ineſſe carnis tribulatio quaſi ſpecialiter dicitur, quæ etiam à vitâ ſpiritualium longè non eſt; niſi quòd hi frequenter majores tribulationes ex carne ſuſcipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur?* Iſidorus Peluſiota tribulationem hanc carnis expendens, vocat conjugium arborem *ramos proferentem, cum quibus & curæ & mærores effloreſcunt*; & egregiè omninò conjugatos, ærumnis ac tribulatione carnis undequaque obſeptos, & oppreſſos deſcribit. Prolixior eſſe nolo in adducendis Patribus, ad præſens intentum conclamantibus apud Raynaudum in Polemicis; quando inter tot tribulationum tribulos *reſonant & Acanthida dumi.*

Theophil. Raynaud. in Polemicis tract. 9. de mart. per poſeme. 6.

S. Gregorius 14. moral. c. 13.

Peluſiota l. 3. ep. 151.

67. Vt verò diſtinctius aliquid, & quoad mulieris in conjugio, & quoad mariti cruces ac martyrium dicamus: carnis tribulatio in uxore (ut à ſexu infirmiore auſpicemur, cujus hac in parte ærumnas Deus jam ab orbis crepundijs per ſe ipſum prænuntiare voluit) in fœmina, inquam, tribulatio carnis perſpicua eſt ex tam multis & tam gravibus connubialibus neceſſitatibus, quibus compellitur, ut Acanthis cruculæ alligata, panem arctum & aquam brevem mæroris, lachrymarum, & calamitatis attrahere in amaritudinum ſitulis. Chryſoſtomum attēdite, quot cruces & martyria, quot tribulos & ſpinas, quot carduos & dumos conjugata mulier ſuſtineat. Cu„jusmodi ſunt, inquit, fornicantem „ſponſum tolerare; ſuſpiciones fal„ſas ſuſtinere; procedendi ſæpè in „publicum utilitate privari; de ali„mentis inquirere; ornatam, zeloty„piæ obnoxiam eſſe; deſpicatui duci, „priusquam pepererit, quaſi quæ „nondum uxor facta ſit; ubi peperit, ob pignora in crimina incurrere. „Partu edita eſt quæpiam fœmina? „quòd natus non ſit maſculus, tetri„cum maritus vultum gerit. Adjectus „eſt & maſculus? partu editus eſt fœ„tus, qui formoſus non eſt. Eleganti „eſt formâ uterque? tanquam de „pulchris acerbior cura inceſſit. „Depulſi ſunt à lacte? rurſus anxietas „educationis ſuccedit. Cùm ſani fue„rint, metus ne ægrotent: cùm ægro„taverint, formido ne moriantur. „Cùm mortui fuerint, metus ne dein„ceps tanquam prole carens conte„mnatur: cùm mortui non fuerint, ut „de viventibus gravior ſollicitudo „incumbit; unde liberis ad inſtitutio„nem ſumptus ſuppeditabuntur; un„de conjugalis fœderis apparatus; un„de veſtimentorum decor; unde fa„mulorum unicuique diſtributio; „quænam ex bonis majori attribuet; „quo pacto minoris invidiam miti„gabit? &c. Vt reliquos venerabundo transgrediar ſilentio Doctores & Patres, à citato Raynaudo graphicè adductos, optimè Author Tract. de Paſſione Domini, in illud, *Ego ſum vitis vera*, anguſtias & ærumnas conjugatarum, vel ex ſolo primo capite, quod proponit, hoc eſt, ex viri moroſitate enatas, tantas eſſe ait, ut pleræque mulieres ſupplicijs emere vellent à tantis angoribus liberationē. Pro uxoribus paragraphū claudāt D. Ambr. quem inter alia plurima in hanc rem ſuppetentia aſſerentem imitamur. Quis tam averſus à vero, qui nuptias damnet? Sed quis tam alienus à ratione, qui conjugij onera non ſentiat? Etenim mulier innupta & virgo cogitat, quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu; nam quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Et præter has moleſtias, quamvis nubendo non peccet,

Vxorum cruces in ſpecie inducuntur.

S. Chryſoſtomus orat. de S. Thecla.

Bern. c. 30.

S. Ambroſius lib. 3. de virg.

tri-

tribulationem tamen carnis habebit hujusmodi. Gravis enim partûs labor eſt, gravis creandorum & erudiendorum liberorum moleſtia. Quibus antè præſcripſit, ne quis hujusmodi antevetteretur injurijs. Multæ enim in partûs doloribus conſtitutæ, conjugio ſe renuntiare dicunt: multi etiam matrimonij onera non ferentes, alieno ab uxore avertuntur affectu. Et ideò Apoſtolus antè præmiſit: Junctus es uxori, noli quærere ſolutionem. Et benè ait, Junctus es: quodam enim vir & uxor nexu inter ſe amatorio copulantur, & quibusdam ſibi invicem habenis amoris adſtricti ſunt. Bona igitur vincula nuptiarum, ſed tamen vincula. Bonum conjugium, ſed tamen à jugo tractum; & jugo mundi, ut potiùs viro placere cupiat, quàm Deo. Vides, quàm ubique *reſonent Acanthida dumi*, & quàm ærumnoſa, quàm dura ſit mulieris in conjugio ſors, ut jure planè ſic queſta videatur illa apud Euripidem.

Omnium, quæ ſunt animata & mentem habent,
Mulieres ſumus miſerrima planta.

68. Maritorum cruces & tribuli ingentes.

Nec viri beatior eſt conditio, quam omnium exactiſsimè Siracides ita complectitur, ut liquere poſsit omnibus, an juge, & ad totam vitam protenſum mulieris contubernium, ad crucis & martyrij tormenta poſsit æquiparari. Is in Proverbiis exquiſita profert; cui plurimùm adſtipulatur Eccleſiaſticus: nos celebriora adducemus loca (Proverb. 19.) Ex Proverbijs hæ gnomæ carpantur [Litigioſa mulier, tecta jugiter ſtillantia. (Cap. 21.) Cum muliere rixoſâ & iracundâ infelicius eſt habitare, quâ in terra deſerta. Sicut in igne vermis, ſic perdit virum ſuum uxor malefica. (Cap. 25.) Mulieri litigioſæ cohabitare in domo communi, difficilius, quàm ſedere in angulo domatis. (Cap. 27.) Mulier litigioſa, & tecta perſtillantia in die frigoris, comparantur: qui retinet eam, quaſi qui ventum teneat, & oleũ dexteræ ſuæ evacuat. Eccleſiaſticus (Eccl. 7. v. 27.) pari paſſu procedit, v. g. inveni amariorem morte mulierem, cujus & laqueus & ſagena, cor; manus, vincula: hanc, qui placet Deo, effugiet: ab eadem, qui peccator eſt, capietur, &c. (Eccleſ. 1. 25. v. 20.) Ne des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris. Non eſt caput nequius (Cap. 25. v. 22 & ſeq.) ſuper caput colubri; non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari mulieri nequam difficilius, quàm leoni & draconi. Mulieris nequitia immutat faciem ejus; obcæcabit vultum ſuum tamquam urſus, quaſi ſaccum oſtendet in medio proximorum. Mulieris nequam ingemuit vir, audiens ſuſpiravit modicum. Brevis omnis malitia ſuper malitiam mulieris: ſors peccatorum cadat ſuper illam. Sicut aſcenſus arenoſus in pedibus veterani, ſic mulier linguata homini quieto. Mulieris ira, & irreverentia, confuſio magna. Cor humile, facies triſtis, plaga mortis, mulier nequam. Manus debiles, genua diſſoluta, mulier virum ſuum non beatificans. Item, dolor cordis & luctus, mulier (Cap. 26.) zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans. Sicut boum jugum, quod movetur, ſic mulier nequam: qui tenet illam, quaſi qui apprehendit ſcorpionem.] Hæc & alia ex utroque Sapiente ad propoſitum urget S. Hieronymus; (S. Hieronym. l. 1. in Jovin.) ubi oſtendit, non de meretrice, nec de adultera fieri exaggerationem, ſed de uxore legitima: ubi etiam illud aptat, quod Eccleſiaſtes conteſtatur (Eccleſ. 7.); inter viros bonum unum de mille à ſe inventum; mulierem inter omnes bonam, à ſe nequaquam repertam eſſe. Quisquis igitur cum hujusmodi fero animali vitam omnem diu noctúque exigere adigitur, in perpetuis ſpinis, carduis, ac ſentibus adeò arctè eſt implicitus, ut excutere ærumnas ſolâ morte poſſit; & à vero non multum aberrabit, ſi quis non uno, ſed planè multiplici, eóque quotidiano ac perpetuo martyrio talem obnoxium fecerit. Agnoverunt hoc antiqui Hebræi apud priſcum moralium (Thalmud. Syra in 4. Alphab. prim.) expoſitorem, ſtatuentes quatuor hominum genera, quæ ad judicium non citantur: ſcilicet pauperrimi; colicâ paſſione laborantes; fungentes

Magiſtratu; & quibus eſt uxor mala: nam hunc divinus Judex ſufficienter diſcuſſum ſuſcipit à quibusvis contractis maculis, cui ſit uxor aſpera; quæ cùm adjutorium viri iuxta Divinum conſilium eſſe deberet, vertitur viro in hoſtē. Quò fortè reſpexit Aquila, relatus ab Anaſtaſio Sinaita, dum pro *faciamus ei adjutorium*, vertit, *faciamus ei hoſtem & adverſarium*. His mirè conſentit Artemidorus; nam viro cælibi, qui ſomniat ſe crucifigi, ait, portendi nuptias, in quibus ei ſua crux erit, & quidem prædura. Non diffiteor, hæc omnia Scripturæ teſtimonia de uxore impudica & fœdifraga loqui: verū hęc ipſa quoq; Sacra Scriptura de moroſa duntaxat, & muliebris ingenii (cuiusmodi quæ non ſit, rara eſt avis) eâ verborum emphaſi & ſententiarum denſitate pronuntiat, ut neſciam, ſi quod aliud cruciamentum Spiritus Sanctus frequentiùs aut ſtudioſiùs ingeminaverit. Sed Apoſtolum ſanè dimittamus, qui *bonum eſſe homini, mulierem non tangere*, aliaque verborum ſpicula in maritos intorſit. Illud item Apoſtolicum apud Matthæum prætereamus, *ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere*: quod Chriſtus non rejecit, ſed tacitè approbavit. Sufficiat ad præſentem textum D. Chryſoſtomus, more ſuo enucleatiſſimè differens tali tenore. Audientes cogitabant apud ſe: mulier bona difficilè invenitur, proteſtante Salomone: in mille, virum bonum invenies; in omnibus autem his, mulierem non invenies. Quid autem eſt aliud mulier, niſi amicitiæ inimica, ineffugibilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, dómeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta? Ergo ſi dimittere illam peccatum eſt, tenere autem verè tormentum eſt: neceſſe eſt, ut aut dimittentes adulterium alterum faciamus; aut tenentes, quotidianas pugnas & amaritudines habeamus. Ideò reſponderunt: ſi ita eſt viri cauſa cum uxore, non expedit nubere. Tunc „Dominus non dixit, quia expedit, „ſed magis conſentit, quia non expedit: verùm infirmitatē carnis aſpiciens, dixit; Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Tot cruces, quot periodi! ſic utrinque repercuſsâ duri Echonis voce inter conjuges *reſonant Acanthida dumi*: & paucis inter Germanos diſſonant, Eheſtandt / Weheſtandt!

Anaſtaſ. Sinaita lib. 9.

Artemidorus l. 5. c. 58.

Matth. 19. v. 10.

S. Chryſoſtom. hom. 12. imperf.

69\. Vt verò & uxoris & mariti peculiares è conjugio cruciatus atque tormenta ultrà non urgeam; ut ijsdem perbellè conſentire, & omnia ab eis invicem data acceptáque mæroris argumenta abeſſe ponam (quòd quàm rarum, vel etiam propè impoſſibile ſit, non eſt quòd moneam) cruciatus, quos liberi jam ſuſcepti utrique parenti communiter inferunt, ij ſunt, quibus hæc vera planè fellita reddantur. Et quidem ordinarias ærumnas educationi, promotionique liberorum neceſſariò conjunctas, jam ſupra attigi; & eas adhuc efficaciùs exhibet D. Chryſologus, ponderando Archiſynagogi pro filia ægrotante tormentum. Libet in hoc loco ait, paululum parentum prodere paſſiones, „quas ſumunt, & proferunt de affectibus, & amore filiorum. Circumſtante familiâ, inter tenera & blanda obſequia propinquorum, molli filia decumbit in lectulo; pater pronus, ſiccâ jacet & verſatur in terrâ. Illa deficit corpore, hic mente & animo contabeſcit: illa ſecretas languoris ſui ſuſtinet paſsiones; hic fœdus, & lugubris totus, toto fertur & jactatur in populo: illa moritur ad quietem, „hic vivit ad pœnam. Et certè omiſimus anxia parentum vota, cùm gignunt; periculoſos ordines, ſobolem „cùm producunt: cùm nutriunt, mæſtos labores; & juges pœnas, cùm fuerint ægrotantes. Peior eſt mortis die, pignora cùm procedunt. Heu me! cur tanta filij neſciunt? cur iſta „non ſentiunt? cur vicem parentibus reddere non deſudant? Et tamen parentum pietas perſeverat? S. etiam Chryſoſtomus hanc ipſam ob cauſam cum orbitate aut ſterilitate „omni-

Liberorum amara voluptas.

S. Chryſologus ſerm. 33.

S. Chryſoſtom. ſecunda Paræneſi ad Theodorum.

omnimodâ componens liberorum ſuſceptionem, utramque duriſſimam conjugibus & aſperrimam ſtatuit: ſic enim ait. [Durum eſſe filios habere, & non habere, monſtrabo: quorum alterum fruſtra nuptijs illigari eſt, alterum amariſsimæ ſuccumbere ſervituti. Ægritudo tentavit parvulum, formido præcipuè immaturæ mortis diſrumpit, orbitate non ferenda. Creſcentibus deinceps annorum gradibus, curam quoque adipiſcar animorum; ac pro ipſis ſemper aut timorem parens ſuſtinet, aut dolorem.] Præter hos verò in omnes æquè cadentes, ſunt alij non generales & omnibus communes, ſed utinam infrequentes, & inauditi parentum à liberis angores; qui immanis & horrendi martyrij rationem meritò habeant apud prudentem æſtimationem, ſi rectè pervideat, unde à miſeris parentibus baculus ſenectutis & mœrorum levamen expectabatur, inde cordolia inexplicabilia, & æternarum lachrymarum ſegetem metit. Sanè Nazianzenus non dubitavit pro miraculo propè habere fælicitatem in liberis, quâ S. Baſilij parentes divinitùs ſunt donati. [Nam qui ſimul & multos & probos atque honeſtos filios habuerint, in fabulis fortaſsè reperies.] Econtrario malè moratis, diſcolis, duræ cervicis, in omnem audaciam projectis, luxu diffluentibus, ganeas ac proſtibula aſſiduè tenentibus liberis, quos dixeris parentum exercitationi editos, nihil frequentius. Quod diligenter librat Niſſenus clariſſimus, ex quo plagulam decerpo. [Multiplex & varia eſt copia malorum, quæ à nuptijs exiſtunt: dolorem enim liberi nati æquè important, ac non nati: & rurſus tam vivi, quàm mortui. Hic enim Liberorum multitudine gaudet, cùm non ſatis habeat, unde alat: ille verò hærede caret facultatum ſuarum, in quibus maximè elaboravit. Atque unius quidem bona Fortuna alterius calamitatem efficit, cùm ſibi uterque illud evenire velit, quo alterum cruciari videt. At huic mortuus eſt ſuaviſſimus puer, illi verò in vitâ eſt filius perditus, uterque ſanè commiſeratione dignus: vnus quidem filij mortem, alter verò vitam luget. Et ſic miſerrimè omni ex parte affliguntur.

Naz. or. 20.

Niſſenus lib. de virg. c. 3.

70\. Liberorum ærumnæ parentibus maximæ.

Quę verò de Liberorum cædibus & vorationibus, mutuâ item fratrum trucidatione jactantur à Tragicis, ſuppetunt innumera exempla, quibus doceamur, quantæ ſint nuptiarum calamitates. Premo exempla noſtri ævi periluſtria; unum & alterum ex Raynaudo attexo. Is rem tempore Cardinalis Volaterrani in Italia notiſſimam, conſignatam reliquit. Franciſcus Bufalus civis Romanus, nobilis ac prædives, prolem ſuſtulit ex uxore lectiſſima numeroſam, maſculam & fæmineam. Ex eo numero duos filios mutuis ſe vulneribus petentes vidit: duos ob ſeditionem ſecuri percuſſos: alium novercam interficientem; filiam verò apud virum ſeſe veneno necantem. In illa verè Thyeſtea domo infeliciſſimum parentem unico functum martyrio ſi dixerim, nec pro rei atrocitate ſatis dixero, nec ſenſum lectoris de tam multiplici infortunio æquavero. Calamitatis & horroris plenum eſt exemplum infelicitatis parentum ex Liberis, quod Jovinianus ad rem præſentem enarrat. Majoricenſis civis abundè locuples ruri cùm eſſet, ſervúmque graviſſimè cecidiſſet, tum ſervus iniquiùs ſecum actum judicans, rationem hanc commentatus eſt, quæ & ſervitutem finiret, & herum ulciſceretur. Hero enim longiùs à villa profecto, domo clauſâ fores munit, ac matreſfamilias arctiùs vinctâ, heriles liberos in editiorem domûs partem ſecum effert, domini illic reditum expectans: qui ubi villam intravit, domum clauſam indignè ferens, ſervo, qui ſe de culmine oſtendit, minitari cœpit. At, inquit ille, qui nunc domum clauſam tam ægrè fers, efficiam, ut non multò pòſt, téque & lucem oderis. Vixque hoc dicto, unum atque alterum filium è tecto præcipi-

Raynaudus citatus. Volaterranus lib. 10. Theoſ. patrag. in libro imaginum.

Jovinianus l. 1. de obed. c. 10.

tes jecit. Quo caſu conſternatus ac penè exanimatus pater, ubi ad ſe redijt, tertio timens, mutato conſilio, ſervum blandientibus lenire verbis ſtudet, nec facti ſolùm veniam, verùm etiam libertatem pollicens. At Maurus: nihil, inquit, tuis iſtis pollicitationibus actum ſcito: nares tibi excidas oportet, ſi vis tertium tibi ſervari. Tum Pater duobus liberis uno caſu orbatum ſe reputans, quo tertium, qui unus erat reliquus, ſervaret, conditione acceptá, naſum mutilat: qui vix dum terram attigerat, tum tertius cum matre ſimul ante ejus pedes exanimis jacuit. Eum ſervus ubi clamoribus atque ejulatibus implere agros videt, DEUM atque hominum fidem implorantem; atqui (inquit) nihil tuis illis clamoribus egeris, neque ſæviendi in me tibi locum relinquam. Atque hoc dicto ſeipſum de ſumma tecti parte depulit. Voluit ſcilicet infeliciſſimus herum eo quoque cruciatu afficere, ut orbus ac viduus, inſupérque denaſatus, ſumptarum de truculentâ ferâ pœnarum dulcedine fraudaretur. Fuit hic toties ſæculi martyr, quoties unius alicujus è liberis, mox uxoris tam luctuoſum exitum oculis ipſe ſuis uſurpavit. Quidquid verò emolumenti ex Liberorum procreatione provenire poſſet, illud Petrus Bleſenſis ſub- Bleſenſ. Ep. 72.
„ſannat verbis illis. Liberorum cau-
„ſâ uxorem ducere, vel ut no-
„men noſtrum non intereat, vel ut
„habeamus præſidia ſenectutis, cer-
„tiſque utamur hæredibus, ſtolidiſſi-
„mum eſt. Et quæ ſunt hæc ſenectutis
„auxilia, domi nutrire eum, qui aut
„prior te fortè moriatur, aut perditis
„moribus ſit; aut cùm ad maturam
„ætatem pervenerit, ei nimis vivere
„videaris?

Quare fixum maneat, conjugium tribulis, ſpinis, dumis, crucibus, martyrijs, ærumnis & afflictionibus innumeris eſſe gravatum; & vix eſſe marem fæminámque conjugij nexibus implicatos, quos ijs cruciatibus immunes præſtare liceat, qui non ſint ad plenum ſæculi martyrium ſatis: imò plurimos Chriſti martyres minora paſſos, minúſque ærumnoſos fuiſſe, quàm plerique ſint in conjugio, exploratum credo.

Amen.

DO-

TERTIA POST EPI-PHANIAM.

FRIGIDA ALCEDO.

Der gefroſtige Eyßvogel.

LEMMA.

Lugubre dabat per littora carmen. Mantuanus.

THEMA.

Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Matth. 8. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS IX.

Mala conſcientia Infernus quidam eſt, ubi remordens lancinatio, lætus fletus & ridens ſtridor, peccatorem proportionaliter affligunt ſemper.

71. Alcedo brumas diligit, & canendo ſtridet.

EXpectabitis, ut credo, ex hodierni Evangelij aſſumpto themate, miſerabilem damnatorum ſtatum, & ærumnas nullo lachrymarum profluvio leniendas: expectabitis, inquam, *exteriores* illas *tenebras*, Infernalium incolarum teterrimum carcerem, & colluviem omnium miſeriarum; ubi *erit fletus & ſtridor dentium.* Non ducam vos ad devorantes Inferni flam̃as, non ad fatales Acherontis ripas, non ad ſulphurea damnatorum balnea; ſed ad præterfluentis Iſaræ alveum, rapidiſſimi cæteroquin fluminis; quæ cùm ob vivacis vehementiam motûs rarò aut nunquã poſſit à frigore vinci, hiſce tamen diebus ob acutiſſimum brumarum rigorem adeò pertinaciter obducta eſt glacie, ut ſine ponte, ſine navigio, quivis viatorum poſſit ſecurè traijcere, & abſque periculi formidine ad alteram Iſaræ ripam tranſire. Ingens frigus! violenta congelatio! Inſtructus eram meis Ornithologicis decipulis; ſed uſq; adeò omnia rigent & frigent, ut nulla foris pateat avicula; uſque adeò *ſtridor dentium* invaſit maxillas, ut naturalem tandem vix liceat tueri calorem. Quare actum hodie videbatur aucupium; niſi Alcedo ſuis adhuc me provocâſſet cantibus; quæ, cùm reliquorum Pennatorum roſtra medium tenerent ſilentium, vicina conglaciatæ Iſaræ *Lugubre dabat per littora carmen.* Videbatur quidem hoc carmen lætum, floridum, artificioſum, ac hilariter decantatum; ubi tamen attendi accuratiùs, non *ridentem* obſervavi, ſed *ſtridentem* aviculam; non *lætum* ejus riſum, ſed triſtem *fletum.* Ergo, dixi, *lætus fletus* & *ridens ſtridor* Alcedini placent? O mala Conſcientia, tu es frigidiſſima & congelata illa bruma, quæ extinguis calorem ſpiritûs, & conſtringis operoſos rationalium potentiarum torrentes! O frigidus Conſcientiæ remorſus, tu es illa Alcedo, quæ fles lætando, & rides ſtridendo! quæ hilariter canendo das *lugubre per littora carmen!* Attendite AA. ad hunc ridiculum fletum, & flebilem riſum conſcientiæ malæ; quæ licet homini peccatori ſit intima, cum tenebris tamen exterioribus comparatur, & cum loco horroris ac ſolitudinis; *ubi erit fletus & ſtridor dentium.* Prout ferventiùs ſequenti declarabo diſcurſu,

ut rigente corpore animus incaleſcat.

72\. Symphatia potentiarum animæ ad imperium obſequens.

Ecqua materiæ applicatio ad lecti Evangelij propoſitum? Mundatur leproſus, ſanatur puer Centurionis; ergò mala conſcientia eſt locus horroris & ſolitudinis, *ubi fletus & ſtridor dentium!* Infertis fortè ex mala conſcientia malam conſequentiam? Sed parcite viri; quando Centurio cum ſuis militibus pro mea ſtat ſententia. Non alget, ſed floret ipſius comparatio: *Nam & ego homo ſum*, inquit, *ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic; vade & vadit; & alij, veni & venit: & ſervo meo, fac hoc & facit.* (Matth. cit.) Sicut in Regno terreſtri ſe habent Rex & Regina, ita in Regno animæ ſe habent Intellectus & Voluntas: & ſicut Rex aut Regina in Regno terreſtri per ſeipſos agere cenſentur, quod agunt per ſubordinatos miniſtros; ita intellectus aut voluntas in Regno animæ per ſeipſos agere cenſentur, quidquid agunt per potentias inferiores ſubordinatas. Contingit forte, ut Regina approbante Rege præcipiat quidpiam, vel prohibeat miniſtro inferiori; is verò aut omnino non, aut negligenter exequatur mandatum: protinus iraſcitur Majeſtas, fulminatâ ſententiâ, ut Filius Regni eijciatur *in tenebras exteriores.* Contingit pariter, ut Voluntas approbante intellectûs ratione præcipiat paſſioni internæ, aut ſenſui externo, *fac hoc, vade, veni*, & ille non facit, nec vadit, nec venit; caſtigationem utique promeretur ſeveram, alijs potentijs exequendam. Quid non ſupplicij promerebitur tota humanarum potentiarum Symetria, ſi liberè & advertenter à vero declinet, leges Divinas & humanas tam ſtrictè obligantes violet? Quid ſupplicij, ſi portio inferior contra ſuperiorem rebellet, & in exequendis juſtis Dei mandatis haud pareat? Intelligo autem cum Subtili noſtro Doctore per portionem ſuperiorem, rectam rationem liberam, prout ad objecta Divina terminatur; per inferiorem, eandem rationem liberam, prout ad objecta caduca aut prohibita ſe determinat. Dicit ſuperior portio ad inferiorem; ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata, quæ gravia non ſunt. Renuit inferior, & ait: *ibo poſt amatores meos, qui dant mihi panem meum & oleum meum*, ut bene ſit mihi ſuper terram. Ergo quia rebellis eſt inferior, conijcitur in *tenebras interiores* conſcientiæ malæ, ubi lætus fletus & ridens ſtridor peccatorem exagitant.

Ita eſt, alcedinem imitantur peccatores conſcientiæ malæ. Hæc avicula ideo rara, quia brumali tempore, tacentibus reliquis, ſola canit, ſola lætatur, ſola nidificat, luxuriatur, exultat ſola; ſi colorem ſpectes, variegata eſt plumis, & cæruleo, ferrugineo ac viridi potiſſimùm conſtat: ſi vocem canentis obſerves, indefeſſa eſt, ad æmulationem usque Luſciniæ: ſi carmen intelligas, illud quidem melodiâ jucundum, ſed lugubre eſt ſignificatione. Geſnerus & alij Ornithologi notârunt vocalis Alcedinis carmen in his conſiſtere vocibus. 73. Alcedinis cantilena moraliter expoſita. (Geſnerus in Iſpida.)

Toro, tret, fuis, hui, tret:
Huc, huc, huc, huc.
Toro, toro, toro, toro, tinx.
Ciccaban, Ciccaban
Toro, toro, toro, tilili, linx.

Ecce ſtropham Alcedinis articulatam, hilarem, vocalem, vel ſupra conglaciatos brumarum fluminúmq; rigores decantatam: Ein friſches Geſängelein! Et tamen ait Oppianus, nolle ſe audire Alcedinis cantilenam; quia plerumque curas, ſolicitudines, ſiniſtros eventus, lugubres caſus, ac ſæpe ſæpiùs flebile lethum portendit. (Oppianus.) Nempe hoc proprium eſt peccatoribus, ut tunc quidem lætentur in rebus peſſimis, & exultent, cùm malè fecerint; quando Sol calefaciens Divini amoris remotiſſimè declinavit ad Antarcticũ, & ingens frigus odioſæ averſionis cõſtrinxit medullas animæ & ſpiritûs. Deſideratis interpretationẽ carminis, decantati in gelidis delicijs conſcientiæ malæ! Lugubris eſt ſignificatio: quę enim à remorſu peccati reſonare poſſit lætitia? Articulatæ ſunt voces, ſed abbreviatæ, peccatoris diſſolutè ſuſpirantis.

rantis. Commiſſo peccato remanet in conſcientia remorſus, quàm diu peccatum per pœnitentiam non fuerit remiſſum; ille remorſus quid non difficultatum, lancinationis, ærumnarum, pœnitudinum, moleſtiarum, tædiorum, & miſeriarum mollitur in extincto animo? *Toro, toro, toro,* dixit inſipiens in corde ſuo; *luxuriátque toris laſcivum pectus!* *Tret, tret, tret,* per ſyncopen canit Iſpida, ut profundiùs penetret, quod vehementiſſimè pœnitere deberet. *Fuis, fuis, fuis, fuiſſem* utinam conſumptus, ne oculus Altiſſimi me videret peccantem! *Hui, hui, hui, heu fui* meo arbitrio infelix! *heu fui* meâ malitiâ abjectus! *Huc, huc, huc* miſeriarum devolutus ſum propter iniquitatem meam! *Tinx, tinx, tinx; extinxerunt impetum ignis* Divini, & illuminationem mentis, frigida & frivola mala! *Ciccaban, ciccaban, ciccaban; cicatrices* meæ corruptæ ſunt à facie inſipientiæ meæ! *Tilili, tilili, tilili;* & ideo *tibi ſoli ſoli* peccavi, & malum coram te feci! *Linx, linx, linx;* aperi oculos tuos & vide, quàm amarum ſit, reliquiſſe te Dominum DEUM tuum! Diſputent nunc Phyſiologi, an animalibus proferendi ſermonis, vocíſque articulandæ, vis à naturâ conceſſa ſit; quando Alcedo noſtra tam diſtinctè ad propoſitum ſuas voces ſyncopavit, ut exinde ſatis intelligerent peccatores, quantum fletum, quantum ſtridorem in conſcientiâ malâ ſuſcitet remorſus perpetrati delicti, etiam inter delicias & peccatorum illecebras non extinctus?

Virg. Georg. 1.

Hebr. 11. 34.

Pſalm. 50. 6.

74. Nunc ad rem propiùs accedamus, & ex diverſis motivis conſcientiæ malæ carnificinam, tenebras, infernum adſtruamus. Quæ veritas nec Ethnicis quidem ignorata eſt, è quorum cœtu nonnullos producamus Philoſophos, ad præſens argumentum præclarè conſpirantes. Seneca, celeberrimus morum Magiſter in aulâ Neronis, ubi præclariſſimos in pluribus ſuis Epiſtolis movet diſcurſus, in 97. præſertim ſic loquitur. *Prima & maxima peccantium eſt pœna, peccâſſe; nec ullum ſcelus, licet illud Fortuna muneribus exornet ſuis, licet tueatur ac vindicet, impunitum eſt: quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt, &c.* Abrumpo hunc locum, ut tantò prolixiùs referam, quantò ſolenniùs, quod in alia Epiſtola profert his verbis. [Securitatis magna portio eſt, nihil iniqui facere. Confuſam vitam & perturbatam impotentes agunt; tantùm metuunt, quantùm nocent, nec ullo tempore vacant. Trepidant enim, cùm fecerunt; hærent; conſcientia aliud agere non patitur, ac ſubinde reſpicere ad ſe cogit. Dat pœnas, quiſquis expectat; quiſquis autem meruit, expectat. Tantum aliquares in mala conſcientia præſtat, nulla ſecurum. Putat enim ſe, etiamſi non deprehenditur, poſſe deprehendi, & inter ſomnos movetur; & quoties alicujus ſcelus loquitur, de ſuo cogitat. Non ſatis illi obliteratum videtur, non ſatis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, nunquam fiduciam.] Juvenalis Satyricus Poëta veriſſimè accinit Senecæ. Satyr. 13.

Ethnicorum de conſcientia mala ſententiæ.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipſi
Diſplicet Authori. Prima eſt hæc ultio; quòd ſe
Iudice, nemo nocens abſolvitur; improba quamvis
Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam.

Et mox. *Cur tamen hos tu*
Evaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multò ſævior illis,
Quas & Ceditius gravis invenit, aut Rhadamantus,
Nocte diéque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Subdit alia de eodem incorrupto teſte, & perpetuis improborum ſudoribus, ac palloribus ad omnia fulgura, lectu & expenſu in hanc rem digniſſima. Hic ille teſtis, de quo Polybius verè ſcripſit: *Nullum neque teſtem tam formidabilem, neque judicem tam triſtem* Polyb.

aut ſeverum eſſe, quàm ſit conſcientia, quæ mentibus cujuſque inſideat aut inhabitet. Hic idem tortor à Numine ſceleri cuicunque appoſitus. Extra legem enim viventes, quæ meruerunt, ſemper expectant. Indefeſſus malè admiſſorum vindex Fabius usque eò amplificat conſcientiæ lacerationem ab improbitate, ut neget, qui probus non ſit, poſſe præ animi agitatione, & conſciſſione, in literis proficere. Af„fectuum enim depravatorum, ut „ait, impatientiſſimæ cogitationes, ſo„mnos etiam ipſos, & illa quæ per „quietem viſa, perturbant. Nihil eſt „enim tam occupatum, tam multifor„me, tot ac tam varijs affectibus „conciſum atque laceratum, quàm „mala mens. Nam & cùm inſidiatur, „ſpe, curis & labore diſtringitur: & „cùm jam ſceleris compos fuerit, ſo„licitudine, pœnitentia, pœnarum o„mnium expectatione torquetur. Quis inter hæc aut ulli bonæ arti locus? Non hercle magis, quàm frugibus in terrâ, ſentibus ac rubis occupatâ. Tiberius Cæſar tametſi primis Imperij annis virtuoſiſſimus eſſet, ubi tamen ad flagitia deflexit, obſervat Tacitus ex ipſius Tiberij confeſſione, facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium ceſſiſſe: nec eſſe tam crudelem, quàm mentis tyrannidem, quando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus diſtrahitur. Annuit Tullius pro Roſcio loquens: *Sua quemque fraus, & ſuus error maximè vexat; ſuum quemque ſcelus agitat, amentiáque afficit; ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæq; terrent. Hæ ſunt impijs aſſiduæ, domeſticæq; furiæ.*

Fabius l. 12. inſtit. c. 1.

Tacitus 6. annal.

Cicero pro Roſcio.

75. Dimiſsâ Ethnicorum Ethicâ ad Orthodoxorum Patrum ſententias tranſeamus, quorum ratio firmior, & experientia in curandis animæ ulceribus ſolidior. Ipſa radix amaritudinis, in qua vivit, quisquis delinquit, ex ſe perſpicua eſſe poteſt; quòd nemini peccanti, ac in quascunque prætenſas ſvavitates ſuas contra rectam rationem irruenti, deeſt angor ille, quo conſcientia remurmurans, imò fodicans & lancinans animam, miſerè eam excruciat; dilacerat quoque, ac ſincera voluptate frui non ſinit, ſed riſum dolore miſcet, lætitiam fletu, delicias amaritudine. Philo diſſertiſſimus Hebræus perjurum proponit, déque ejus interna diſpoſitione „ſic loquitur. [Introſpice, ſi libet, falsò „jurantis animum. Aſpicies eum „quieſcere, ſed plenum tumultu, tre„pidationéque; accuſatum à ſeipſo, & „ſibi ipſi facientem convitium modis „omnibus. Inſita enim à natura cui„que conſcientia non ſolet admit„tere quidquam culpabile, propter „nativum virtutis amorem, & vitio„rum odium; eadem accuſatrix & „judex, primò indignatione pudorem „incutiens, deinde more judicis mo„nens, præcipiens mutare propoſi„tum: quæ ſi perſvadere valuerit, „gaudens accuſatum recipit in gra„tiam; ſin minùs, iraſcitur offenſa „hoſtiliter, nocte diéque urgens, „ſtimulans, infligens inſanabilia vul„nera, donec abrumpat vitam exe„cratam & miſeram.] Eloquentiſſimè ac nervoſiſſimè Chryſoſtomus hanc in morali pravitate amaritudinis radicem, hanc conſcientiæ lacerationem, & tumultuoſam accuſationem, cum alijs plurimis locis, tum maximè in Homilia de Lazaro, proponit in hunc modum. [Jam nunc, qui „improbè agunt, atque in peccatis vi„vunt, puniuntur. Nec enim mihi „dixeris, illum menſâ ſumptuosâ „frui, veſtibus circumdari ſericis, „mancipiorum greges circumferre, „alios ſubmovere in foro; ſed explica „mihi iſtius conſcientiam, & videbis „intus gravem peccatorum tumul„tum, jugem metum, tempeſtatem, „turbationem. Videbis, velut in cu„riâ mentem ad thronum conſcien„tiæ conſcendiſſe regalem, & tanquã „Judicem quempiam ſedentem, & „cogitationes loco carnificum adhi„bentem, in equuleo ſuſpendentem, „lateráque conſcientiæ radentem un„gulis, pro commiſſis vehementer in„clamantem; quum nemo ſciat, niſi „quòd ſolus Deus hæc videre noverit.

Conſcientia mala gravis tortura, & judicium domeſticum.

Philo lib. de Decalogo.

S. Chryſoſtom. hom. 1. de Lazaro.

„tit. Etenim qui committit adulte-
„rium, etiamſi millies fuerit dives,
„etiamſi nullum habeat accuſatorem,
„non deſinit tamen intus ſe ipſum ac-
„cuſare. Et voluptas quidem tem-
„poraria eſt, dolor verò perpetuus.
„Timor undique ac tremor, ſuſpicio
„& anxietas; angulos metuit, um-
„bras ipſas formidat, ſuos ipſius fa-
„mulos, conſcios, inſcios, illam ipſam,
„quam corrupit, & virum quem affecit
„contumeliâ. Obambulat amarum
„accuſatorem circumferens con-
„ſcientiam, cùm ſit ſuo ipſe judicio
„damnatus, nec vel ad breve tem-
„pus poſſit reſpirare. Nam & in lecto
„& in menſa, & in foro & in domo,
„& interdiu & noctu, & in ipſis fre-
„quenter ſomnijs. hæc iniquitatis ſi-
„mulacra videt, ipſiúsque Cain vitam
„vivit, gemens ac tremens ſuper ter-
„ram; qnum nemo ſciat, intus tamen
„habet ignem implicitũ. Idem patiun-
„tur, & qui rapinam exercenr, & qui
„fraude lucrũ faciunt; hoc & ebrioſi:
„in ſuma, quotquot in peccatis vivunt.
„Neq; enim ulla ratione judiciũ illud
Apud Raymundum t. 3. diſt. 4. quaſt. 3. art. 7. „poreſt corrumpi muneribus.] Dum
in alijs præſtantiſſimis locis Chryſo-
ſtomum, Auguſtinum, Proſperum, cę-
Richardus in Ben. c. 46. terósque dimitto Patres, nolo Richar-
dum Victorinum prætérire; qui cnm
alibi in hanc rem plurima diſputat,
tum inſigniter in Beniamino mino-
re: ubi allegoricè exponens, quæ de
Liberis Jacobi in Scriptura produntur,
veniens ad Dinam, quam interpreta-
tur *Verecundiam*, ait, conſonare nota-
tionem vocis illius: Dina enim idem
ſignificat, quod *Iudicium iſtud*. Et
per hanc occaſionem interni judi-
cij, quo reus peccator comminuitur
& torquetur, apparatum omnem
egregiè deſcribit, & appoſitiſſimè poſt
„alia ſic habet. [Hoc itaque eſt *Iudi-*
„*cium iſtud*, in quo unns idémque eſt
„ille, qui judicat, & ille, qui judica-
„tur: Idem ipſe qui condemnat, &
„idem ipſe qui condemnatur; unus
„idem qui punitur, & ipſe qui punit.
„Judicium mirabile, dignéque pro-
„nnntiandum cum demonſtratione.
„In quo quidem Judicio, quantò quiſ-
„que ſeipſum ardentiùs diligit, tantò
„in ſeipſum acriùs ſævit; & quo par-
„ci ſibi vehementiùs cupit, tantò mi-
„nùs ipſe ſibi parcit: quia quo am-
„pliùs ſuam confuſionem formidat,
„eò acerbiùs ſua quemque confuſio
„vexat.] D. Bernardus Richardo æ- *S. Bern. l. de interna. domo. c. 31.*
qualis ac conjunctiſſimus, non tan-
tùm idem cum eo ſtatuit proprium
hominis de ſeipſo per conſcientiam
judicium, & præviam accuſationem
expendens, & tortores internos, ac do-
meſticum in ea carcerem ac infer- *Serm. 3. & 4. de aſſumpt.*
num agnoſcens; ſed etiam inſigni
ratione idem confirmat in quadam
declamatione. Præmiſſo enim an- *Declam. Bern. aut vulgum.*
gore couſcientiæ, tanquam verme,
qui hominem in extremo judicio ex-
edet, eum confirmat ex præſenti lan-
cinatione pravæ conſcientiæ. [Quid
„enim cauſa eſt, quòd ne modò qui-
„dem conſcientiæ ſtimulos ſuſtinere
„aliquatenus poſſunt, ſed avertunt
„oculos cordis, & ad conſolationes
„miſeras convertuntur, aut certè diſ-
„ſimulationibus aliquibus decipiunt
„ſemetipſos, & mentitur iniquitas ſi-
„bi; niſi quòd intolerabilis ille eſt
„cruciatus (licèt adhuc blandiatur
„ſpes, & excruciet omnino dolorem)
„dum ſibi ipſis pro libitu tempora me-
„riuntur; & omne, quod agunt, facilè
„diluendum, deferendúmque quod
„appetunt, temerariâ præſumptione
„promittunt.]

Et huic judicio interno, cùm ſuus
non deſit accuſator aut reus, nec tor-
tor nec tormenta deſiderantur; nam
feſtiva eſt Salomonis in huc delubro
ſquallentis parœmia, apparitorem
malæ conſcientiæ deſignantis: *Iniqui-* *Proverb. 5. v. 22.*
tates, ait, *ſua capiunt impium, & funibus*
peccatorum ſuorum conſtringitur. Nec
alio ſatellite opus habet; quando jux-
ta decantatum Eccleſiæ ſenſum, *Mens*
gravata crimine, Nil perenne cogitat, ſe-
ſéque culpis illigat; & ſic implicata pec-
catorum funibus, ſuſpenditur, ne
quieſcat; hæret, ne ſe moveat; tene-
tur, ne evadat; dolet, ne exultet; ſtri-
det, ne rideat; torquetur, ne præſumat;
agitatur, ut ſentiat, quàm exitiale ſit,
peccatorum vinculis fuiſſe conſtri-

ctum. Et ſi ad rem præterire juvat teneras, aut adhue divino timore perculſas conſcientias, quæ toto conſenſu in tam moleſtam prolatæ veritatis experientiam conteſtentur: tunc certè vel ex gentilibus juvabit adducere in ſcænam hominem naſutum, quia Naſonem; improvidum, quia Ovidium, exulem, captivum, famæ ac capitis diminutione reum, qui humanam offenſam, ſive in Cæſarem, ſive in Cæſaris amicos admiſſam, aut quodcunque aliud perpetratum adulterij crimen graviter ſentire ſe profitetur,

Ovid. 1. Pont. Eleg. 1.

Mea perpetuos curarum pectora morſus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec priùs hi mentem ſtimuli, quàm vita relinquent:
Quique dolet, citiùs, quàm dolor ipſe cadet.

Adſtipulatur Satyricus, qui cognitam veritatem non minùs acutè, quàm argutè canendo expendit, heroicis cothurnis incedens.

Iuvenalis Sat. 13.

Quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit;
Occultum patiente animo Tortore *flagellum.*

In tantùm adductorum Gentilium, quos in tenebras exteriores, ubi perennis eſt *fletus & ſtridor dentium*, prava factorum rejecit cognoſcentia, Tortorem animi propalat confeſſio; ut manifeſtiùs & penetrantiùs haud poſſet aliquid adijci, niſi *latus fletus, & ridens ſtridor*, ab Alcedine noſtra ſymbolizatus, & ad internam malæ conſcientiæ antitheſin, atque intolerabilem paroxiſmum reductus. Vsque adeò verum eſt, quod Job conſcientioſiſſimus de dulci amaritudine peccatoris applicandum effatus eſt. *Sonitus terroris ſemper in auribus ejus. Terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eum*: & quantumcunque in delicijs fuerit, cum ſtridore dentium cantabit læ[t]am Alcedinis melodiam, in tam tremulo conſcientiæ frigore.

Iob. 15. v. 21. & v. 24.

Toro, tret. fuis, hui, tret,
Huc, huc, huc, huc.
Toro, toro, toro, toro, tinx.
Ciccabau, Ciccabau.
Toro, toro, toro, tilili, linx.

Porro quamvis extra dubium ponatur, ſupereſſe poſt hanc vitam alium impijs infernum tenebroſum, ubi *erit fletus & ſtridor dentium*, eúmque tetriorem, & cruciatibus longè atrocioribus inibi inferendis duriorem: nec ferri debeat inſulſa illa paucorum Ethicorum Theologia, quâ cruciatus illi æterni ad temporarios duntaxat & inſenſibiles traducuntur; & quæcunque à Triſmegiſto aut Macrobio, cæteríſque Poëtis ac Mythologis, de Tatio, Scipione, Cocyto, Styge, Acheronte, ipſo denique inferno dicta, ad cruciatum malæ conſcientiæ transferuntur; agnoſcente, peccantis animam infernum quendã eſſe, ac proinde omni delectatione & voluptatis ſenſu vacare: Attamen quòd peccantis animus infernus quidam ab ijs ſit dictus, non abhorret à Scripturæ conſvetudine. Nam id apertè ſonant illa D. Ambroſij verba. *Vita facinoroſi, ut ſomnium. Aperuit oculos, tranſivit requies: ejus evanuit delectatio. Licet ipſa quæ videtur, etiam dum vivunt, impiorum requies, in inferno ſit. Viventes enim in inferna deſcendunt.* Sed & S. Auguſtinus ac Hieronymus, inferno inferiori, quo cruciantur damnati, contraponunt ſuperiorem, malam ſcilicet conſcientiam. Idem S. Auguſtinus, ubi Pſalmiſta orat, *convertantur peccatores in infernum*, interpretatur, dari peccatores in manus ſuas, & illaqueari delectatione mortiferâ. Ex alijs Scripturæ locis interiores has peccatoris tenebras, & domeſticum infernum, aut inferni inferioris inchoationem ſtabiliunt Caſſianus, Gregorius, Richardus, Bleſenſis & alij. D. Chryſoſtomus quodam loco vocat Avaritiam, *gehennam præſentem*; nec minùs in ea exuri divites ſæculi etiamnum carne circumdatos, quàm divitem Evangelicum Lazaro immiſericordem, confirmat. Mens eadem eſt Philoni, cùm locum voluptatum & iniquitatum, ait, aptiùs dici infernum, quàm fabuloſum

76. Conſcientia mala inferno comparatur.

S. Ambroſius l. 1. off. c. 12.

S. Auguſt. in Pſal. 85. v. 13.

Pſal. 9.

S. Chryſoſtom. hom. 14. in 1. Corinth.

Philo l. de congreſſu eruditionis quærendo gratia.

loſum illum, quem Poëtæ deſcripſerunt; ſubditque hæc verba: *Revera enim infernus nihil aliud eſt, quàm vita miſeri, ſcelerati, execrandique hominis.* Hęc autem ſicut trahenda non ſunt in incommodum illius veritatis, quæ dari reipſa alium infernum docet, quod Philo etiam ſexcenties admittit; ita oſtendunt, quo ille loco habuerit peccatoris animam, quam ſimulachrum inferni expreſſiſſimum eſſe cenſuit: quaſi defutura eſſet inferno inferiori ratio, qua conſtituitur infernus, ac proinde nuſpiam futurus eſſet infernus, niſi, quod in peccatoris animo proportionale eſt, rationem aliquam inferni verè haberet. Ad eundem poſſunt coincidere ſenſum Almaini & Origenis ſententiæ; licet ijs abſolutè concedendæ haud venerint. Almainus enim negat paradiſum pariter & infernum; ſed qui cognitionem DEI in ſe habet, ille & paradiſum in ſeipſo poſſidet: qui verò peccato mortali contaminatus eſt, is non minùs in ſe continet infernum, quàm dentem putridum in ore.

S. Hieronym. ep. ad Avitum. Origeni item vitio vertit S. Hieronymus, quòd [ignem gehennæ & tor„menta, quæ Scriptura peccatoribus „comminatur, dixerit, non punire in „ſupplicijs, ſed in conſcientia pecca„torum: quando DEI virtute & poten„tiâ omnis memoria delictorum ante „oculos noſtros ponitur, & veluti ex „quibusdam ſeminibus in animâ de„relictis univerſa vitiorum ſeges ex„oritur; & quidquid feceramus in „vita, vel turpe vel impium, omnis „eorum in conſpectu noſtro pictura „deſcribitur, ac præteritas voluptates „mens intuens, conſcientiæ punitur „ardore, & pœnitudinis ſtimulis con„foditur.] Quæ tametſi probanda non ſint, aliósque revera cruciatus ſuſtineat apud inferos anima, quæ hinc cum ſcelere exceſſit; juvare tamen poſſunt ad illuſtrandum illum proportionalem infernum, quem adſtruimus, peccatoris, & à DEO æternùm abjudicatæ animæ ſtatum; adeo miſerum, ut tanto ingenio, quantum erat Origenis, abundè videri potuerit plecti animam ſolâ conſcientiâ delictorum.

Nullâ ratione committam, ut inſignem quendam D. Chryſoſtomi locum, quo vitij amaritudinem graphicè expreſſit, non adducamus, tametſi longiorem. Quid enim intereſt, ſive meis ſive alienis verbis evincam intentum, dummodo evincam? Imo tantò gratior & efficacior erit probatio, quantò ad rationum momenta graviſſimum tantæ authoritatis pondus acceſſerit. Sic igitur D. Chryſoſtomus lætum fletum & ridentem ſtridorem, dulcémque amaritudinem, depravatis improborum palatis demonſtrat. [Si vellemus, multum ha„beremus ad virtutem momenti. Si „autem voluptatē mihi dixeris à ma„litia provenire, intellige, quòd longè „ampliora à virtute conſequēur. Ete„nim bonam conſcientiam habere, & „in hominum admiratione eſſe, & be„ne ſapere, omnium dulciſſimum eſt, „ſi naturam voluptatis conſiderabi„mus. Quemadmodum contraria „omnium triſtiſſima ſunt, doloris na„turam intelligenti; ut exempligratiâ „ab omnibus exprobrari, à ſeipſo ac„cuſari, tremere, formidare præſentia „& futura. Et ut apertiùs, quod dico, „fiat, ponamus aliquem, qui uxorem „habeat, & proximi violet matrimo„nium, & tam fœdo furto lætetur, cùm „amarâ muliere fruitur. Deinde rur„ſus alium contrà ſtatuamus, qui ſuam „uxorem amore proſequatur. Et ut „major clariórque utriusque fiat ex„ceſſus, hic qui ſolâ ſuâ fruitur, amat „quidem illam adulteram, ab ejus ta„men amore abſtineat, ſed nihil com„mittat mali. Atqui non pura hęc con„tinentia eſt, ſed ex ſuperabundantia: „ut intelligas, quanta ſit virtutis volu„ptas, hoc pacto hanc fabulā effinxi„mus. His igitur ita compoſitis utrum„que percontabimur, utrius ſit vita „ſvavior; & audies alterum glorian tē, „proſilientémque, & in victoria con„tra cupiditatem exultantem; alterum „rubore perſuſum, & ſuſpirantem. „Vel potiùs nihil ab eo tibi expectan„dum eſt, quod intelligas. Eum namque

77. *Virtutis ac malitiæ emolumenta ex adulteri circumſtantijs.*

S. Chryſoſt. hom. 33. ad Corinth. in moral.

„que videbis, licet ſæpenumero neget, „quàm qui vinculis coërcentur, miſe„riùs vivere. Siquidem omnes formi„dat, de omnibus ſuſpicatur, & uxorē „ſuam, adulteræ maritum, ipſam ad„ulteram, familiares, amicos, cogna„tos, parietes, umbras, ſeipſum dent„que ſuſpectum habet. Et quod omniū „graviſſimū eſt, conſcientiā habet re„clamantē, & ſingulis diebus latran„tem. Quòd ſi Dei judicium cogno„ſceret, minimè ſubſiſtere poterit. Vo„luptas quidem brevis eſt, ſed ab ea „dolor perpetuus. Etenim & veſperè „& nocte, in deſerto, in civitate, & „quocunq; locorum ſemper accuſator „ſequitur, enſem oſtendens acutum, „& ſupplicia intolerabilia, & formidi„nem, quæ cum ſemper affligit & con„ſumit. Qui autem ſe continet, his „omnibus liber eſt, & in libertate vi„vit, & nihil veritus ſuā intuetur uxo„rem, filios, amicos, & liberis oculis „omnes conſpicit. Quòd ſi is, qui amat, „nec amori cedit, tantā fruitur volu„ptate, cùm voti ſit compos; qui non „amat, ſed omni labe mundus ſe con„tinet, quo portu, qua tranquillitate „non placidiorem & tranquilliorem „animum habet? Propterea utique „adulteros paucos, continentes plu„rimos videas. Quòd ſi id ſvavius „eſſet, multi profectò eligerent. Et „noli mihi afferre legum formidi„nem, quibus minimè continentur, „ſed ipſâ duntaxat rei turpitudine, & „quoniam plura ſunt in eo miſera, „quàm ſvavia: propterea & con„ſcientiæ ſtimulus angit. Hujusmodi „itaque adulter eſt]

Infernum avarus pectore gerit, Idem Chryſoſtomus.

78. Mutemus ſcænam, & avarum educamus in theatrum; ut ſi vobis ſupra in ſolitum viſum eſt, ex D. Chryſoſtomo audire, avaritiam eſſe *gehennam præſentem*, ex eodem avarum obſervetis infernaliter cruciari. Sic itaque loquitur. [At ſi placet, avarum quoque adducamus in medium, & alium item amoris legibus abutentem oſtendamus; quem itidem eādem torqueri formidine deprehendemus, neque potentem purâ frui voluptate. Etenim cùm quos injuriâ afficiunt, & qui de eis conqueruntur, & communem de illis ſententiam conſidero, innumeris ſanè fluctibus jactantur. Neque hoc duntaxat moleſtum eſt, ſed quòd neque re amatâ potiri poſſunt. Hujusmodi enim avarorum mos eſt. Habent, ne fruantur, non ut fruantur. Quòd ſi hoc obſcuriùs fortaſſe dictum videtur, etiam quod pejus eſt, & magis dubium, audias; quòd non ſolùm rerum præſentium voluptate privantur, quódque non audeant eis pro voluntate uti, ſed nunquam his ſatiari poſſunt, & in perpetua eorum ſiti anguntur: quo quid fieri poteſt gravius? Verùm juſtus non ejusmodi eſt, ſed omni tremore, odio, formidine, & incurabili ſiti liber eſt. Et quemadmodum homini illi omnes imprecantur; ita omnes pro hoc vota faciunt: Et ut ille nullum ſibi amicum conciliat; ita hunc nemo odio habet. Et adhuc exiſtimatis, poſſe aliquid inſvavius eſſe malitiâ, aut virtute ſvavius? Certè ſi innumera dixerimus, nemo neque illius miſeriam, neque voluptatem hujus poſſet comprehendere verbis, donec fruatur alterutrâ. Tunc enim felle amariorem inveniemus malitiam, cùm virtutis dulcedinem deguſtaverimus. Ad illam ſi multi concurrunt, nihil mirum. Nam & pueri ſæpenumero minùs ſvavia eligunt, negligunt autem potiora: Et adversâ laborantes valetudine, pro caducâ gratiâ perpetuam & certiorem lætitiam perdiderunt: hoc amantium infirmitatis & amentiæ eſt, non ipſius rerum naturæ. Quid autem aliud eſt voluptas, quàm curarum, formidinis, ignominiæ vacatio, & omnibus invictum eſſe? Et quisnam in voluptate eſt, dic quæſo? Num inſanus, num furens, & multis agitatus cupiditatibus, & qui communi ſenſu caret: an qui his omnibus fluctibus liber, tanquam in portu Philoſophiæ conquieſcit? Nónne perſpicuum eſt, hunc eſſe in voluptate? Sed hoc virtutis proprium eſſe apparet. Vitium autem nomen tantùm voluptatis habet; revera autem omni caret voluptate.] Hæc ille.

His

His ita concluſis, quæ ſvavitas, aut voluptatis ſenſus eſſe poteſt ei, qui in inferno eſt, & etiamnum vivens corpore, ut loquitur Caſſianus, mortuus eſt, ac in inferno jacet? Cujus mellis dulcedo tanto felli infuſa ſvaviter ſapiat, aut non etiam amareſcat? Quis non palati vitio ac depravationi tribuat, quòd illi abſynthium dulceſcat, & tantâ amaritudine occupatum, ejus ſvavem ſenſum experiri videatur? Et monſtroſum videri poſſit, quod de perversâ mente apud Jobum expendit S. Gregorius, ubi ſcilicet *dulcedo illius ſit vermis*, indéque delectabiliter ſe paſci arbitretur, unde per inquietudinem inceſſanter angitur, toditur, lancinatur, affligitur, & in ſupremo extinctæ gratiæ frigore, in conſcientiæ amaritudine, unà cum Iſpida *Lactando lugubre gemit per littora carmen*. Amen. S. Gregorius 26. mor. c. 3.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

PROCANS PALUMBUS.

Die werbende Ringltaub.

LEMMA.

Aut unam, aut nullam. Minutius Felix.

THEMA.

Ecce motus magnus factus eſt. Matth. 8. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS X.

Sponſalium contrahendorum ratio obſervanda Nupturis, ex combinatione Avium, cum condimento leporis, & ſale veritatis exhibetur hilariter, & ſalubriter declaratur.

79. Avium ſponſalia & nuptiæ. QUid novi, Auditores, quid novi vobis enuntiabo? Obſtupeſcite corda admirabunda! Quis enim dignè poſſit referre honorem, indigno mihi Ornithologo hiſce diebus exhibitum? Ignoro equidem, an adhuc ſubſiſtam pedibus, vel alis in aëre hæream? An non videtis, quo ſerto *pileus* hic meus *fortunatus* ſuperbiat? ſcilicet Paranymphali officio paucis abhinc diebus optimè functus, poſt ſolenniſſimas nuptias adhuc ſpiro amorem, ructo epulas, choreas expedio. Fortè arbitramini, me ex nuptijs *de Canâ Galileæ* redijſſe, nondum digeſto vino, quod Chriſtus potenti ſuâ virtute ex gelidâ aquâ tranſubſtantiavit? Non de Canâ, ſed de ſolenniſſimo nuptiarum ritu; ubi ſupremo mihi Ornithologo Epithalamium cum omni gratulationis obſequio erat inſtruendum. Elapſo S. Vincentij Martyris feſto die, quo ex antiquiſſima Majorum noſtrorum traditione, volucres cœli ſponſalia vel de præſenti, vel de futuro celebrant, ab univerſo plumatorum Alitum Collegio, ea, quâ par eſt, humanitate & obſervantiâ invitabar, ut, qui de ſuggeſtu per omnes declamationes eorum pa-

trocinio ac plauſu fungerer, etiam non dedignarer honeſtiſſimis eorum ſponſalibus Orator colendiſſimus aſſiſtere. Non rejeci hoc Oratoris Ornithologi munus, ſed eo modeſtè functus, cum debito ordine tot diverſicolorum ſponſorum ſponſarúmq; negotia componēdo adminiſtravi. Omnia fauſtè, fortunatéque ſunt acta: convivium ſub apertâ frigidi cœli aurâ opiparè inſtructum: vocalis muſica ad hilaritatis ſtuporem ab ipſis cœli choraulis concinnata: apparatus ad æmulationem Europæarum gentium: morum modeſtia, & integritas humano nitore ſpectabilior; ſingula ordinatè & ornatè diſpoſita. Poſtquam conſortem ſuam maſculorum quilibet ſibi aſſociâſſet, & ego unacum Epithalamio mea ſingulis munera expoſuiſſem; tum ecce! jucundo ſpectaculo in propria domicilia ocyùs migrârunt ſinguli. Aquila in altos montium apices; Manucodiata in extremos Cedri ſurculos; Ciconia ſupra ædium faſtigia; Paſſer ſub tecti ſolitudinem; Hirundo ad tigni planitiem; ſuper terram Alauda; in dumos Acanthis; Corvus in quercum; Ardea in arundinetum; Mergus ad ripam; Columba in palumbarium; Sturnus in arborum caveas; in hypocauſtum Gallus; in ſtabulum Anſer; & quiſque conſortem cum honore in ſuum deduxit nidum: in quo videre
Luce 2. erat *duos Turtures, aut duos pullos columbarum*, vel aliquid ſimile. Ecce! quàm omnia hoc tempore ſponſalia, & nuptias ſpirant. Quare & mihi hodie ex hac lepidâ Avium combinatione, Sponſaliorum contrahendorum ratio docenda incumbit. Quotquot adeſtis Nubiles, quando res veſtra agitur, auſcultate.

80. Conjugium navi fluctuanti comparatur. Ex omnium Altilium ſponſalibus unicum vobis, ô Nubiles, Palumbem imitandum exhibeo, fidei conjugalis ſpeculum, & caſti amoris exemplar; quem quidem pro veſtro ſymbolo tantò libentiùs acceptabitis, quantò gratiùs vobis ſponſalitiū annulum monſtrat, ſuo collo à providâ naturâ inſertum. Neque enim vobis quidquam optatius eſſe poteſt, quā annulus ſubarrhationis, quo Paria ſibi invicem amore copulantur. Annulus hic ſubinde carò conſtat; *Procul & de ultimis finibus pretium ejus*: à locis ultramarinis per varios fluctus & tempeſtates advehitur. Nôſtis, quo navigio? Sancto matrimonio. Et hoc appoſitè quidem; quando etiam Materfamilias à Sapiente prædicatur, *quaſi navis inſtitoris, de longè portans panem ſuum*. Proverb. 31. v. 14. Inſtitor, navem dirigens, eſt ipſe Maritus; is non tantùm impellit navem, ſed etiam exornat; cùm juxta Plauti ſententiam, *mulier & navis nunquam ſatis ornentur*. Plautus. Quàm diu vir & mulier tranquillâ ſocietate cohabitant, ſecundis zephyris navigium progreditur feliciter, beatè: quod & ipſi Siracidi placuit, hoc juge connubium inter illa tria ſibi arridentia approbando: *Vir & mulier bene ſibi conſentientes: in his beneplacitum eſt ſpiritui meo* Ecclesiaſt. 25. v. 1. Contingit, ut zelotypia ſuſpicioſa folles inflet; Iracundiæ, ac cæterarum paſſionum tumor aſcendat; Paupertatis, aut malæ fortunæ impetus pellat; tunc *Ecce motus magnus factus eſt* in connubio; quando venti eum procellis ſæviunt; quando convitia & improperia tonant; quando fulmina & ictus torquentur; ingens tunc periculum; clamant perterriti, & indignabundi, *Domine, ſalva nos, perimus!* Nec ſciebat in ſimili naufragio maritus ille ſuam meliùs ſalvare vitam, quàm projiciendo conjugem in mare, cùm Navarchus præciperet, ut quiſque rem ſibi chariſſimam è navi deponeret. Et ſimili prodigio D. Hieronymus Epitaphium deſcripſit. D. Hieronym. *Hoſpes miraculum; hic vir & uxor non litigant*. Quaſi in ſolo ſepulchro ſit tranquillitas; in vivo conjugio perpetuus tempeſtatis motus. Oportebat hunc ſubarrhationis a̅nulum *procul & de ultimis* hodierni Evangelij *finibus* adducere, ne impertinenter ad præſens negotium concurrere videamur.

81. Palumbis caſtimonia & fides. Ex hoc annulo, quē Palumbes collo gerit, *torquatus* dicitur. Sic & ſponſus electam ſibi conſortem ſubarrhans torquem ſuo imponit collo, nonnunquam

quàm ſe graviter torquentem & affligentem, præſertim ſi jura matrimonij & conjugalis amoris fœdera non obſervantur illibata. Verùm enim verò ex avibus caſtiſſimi ab omni ſtupro Palumbes celebrantur: ac propterea de ijs Martialis canit.

Martial. lib. 13. ep 67.

Inquina torquati tardant, hebetántque Palumbi:
Non edat hanc volucrem, qui cupit eſſe ſalax.

Mas enim & fœmina mutuâ conſvetudine ita delectantur, ut neuter alienum cubile attingat. Amat ſcilicet hæc avis unam ſolam conſortem; quâ moriente vivit *ſolitaria, & ſola*; ita ut ei dignè approprietur lemma affectuoſum Minutij Felicis, *aut unam, aut nullam.* Amoris conjugalis, aut caſtitatis vidualis præclarum argumentum. Nempe Tertulliano teſte, bonus Chriſtianus *Soli uxori ſuæ maſculus naſcitur; Et cupiditate procreandi,* ſuperaddente Minutio, *aut unam ſcit, aut nullam.* Expreſſit hunc ſingularitatis affectum Tibullus.

Tibul. lib. 4

Tu mihi ſola places, nec jam te præter, in urbe
Formoſa eſt oculis ulla puella meis.

Propertius l. 2. Eleg. 13.

Pari metro conſonat Propertius.

Qui nunc jacet arida pulvis,
Unius, heu quondam! ſervus amoris erat.

Nec ſolùm obſervant iſti Palumbi bonam inviolati amoris correſpondentiam, ſed etiam quando ſunt ad conjugalem fidem conſociati, haud ſeparantur longiùs ab invicem, quàm conſpectus penetrare poſſit. Vnde ſocialis converſationis inter conjuges ſymbolum ponunt duos Palumbes, cum ſuperſcriptione: *Fida conjunctio.* Talis fuit affectus Vlyſſis erga ſuam Penelopen, cui licet Calliope & Circe promitterent immortalitatem, ſi vellet cum ipſis cohabitare, ille tamen oblato tanto immortalitatis muneri antepoſuit amorem Penelopis, eligens potiùs ob amorem ſuæ Sponſæ, vivere mortalis, & graviſſimis periculis ſubjacere. Vnde Andreas Tiraquellus inter leges connubiales etiam hanc ſancivit. *Quicunque ab uxoribus amari cupiunt, eas quoque ipſi vicíſſim amanto; omninóque externarum congreſſu abſtinento.*

Homerus Odyſſ. l. 5. & 7. & 23.

Tiraquellus leg. connub. 12.

Quòd ſi fortè impudico amore capti Palumbi ad alienam venerem convertantur, eos reliqui circumobſidentes, marem quidem mares diſcerpunt, fœminam verò fœminæ dilaniant. Quæ lex apud turtures quoque & columbas viget; præterquam quòd non utramque occidant; nam marem duntaxat perimunt, fœminam verò in viduitate ſecubare, & cælibem vitam traducere permittunt. Quo magis deteſtanda eſt ignominioſa virorum patientia, qui uxoribus non modò interdum connivent, *docti ſpectare Lacunar, & vigilanti ſtertere naſo*; verùm etiã, ſi Dijs placet, lenocinantur. Nam quid manſvetius, & placabilius columbâ? Vbi tamen torum violari ſenſerit, adeò ſævit atque efferatur, ut à facie iræ columbæ vix ullum ſit ſubterfugium: tunc enim, ut ait Plinius, *plenum querelæ guttur, ſævique roſtro ictus, ob ſuſpicionem adulterij, quamvis reverà non ſit.* Optarem ego per omnia, ut nupturi Palumborum obſervent affectiones, & pari animi candore *Inquina torquati tardent*, nec præcipiti carnalis cupiditatis motu in ſponſalia aut nuptias ruant; ſed præmeditatè, ſanctè & caſtè, prout decet hominem brutis animantibus longè ſuperiorem, contrahendi matrimonij jura accedant.

Juvenal Sat. 3. v. 56.

Plinius l. 10. c. 34.

Palumbes diligit paritatem omniũ maximè; nam & parem ſibi conjungit, & ex duobus ovis par pullorum excludit tantùm: ſi contingat fœmellam tria ova ponere; ex his duo fœcunda, tertium erit ſterile: bis fœtificat in anno, nec ſæpiùs: ſic paritatem Palumbus diligit in numero, & qualitate. Quiſquis ades nubilis; *ſi vis nubere, nube pari.* Neque enim vel ad conjugij ſocietatem dulcius, vel ad conſtantiam firmius, vel ad operationem jucundius eſſe quidquam poteſt, quàm paritas perſonarum ſtatum, conditionem, fortunam, ſanguinem, affectionem, inclinationem, pietatem, virtutem reſpiciens. Sicut paritas cauſa eſt conjunctionis, ita diſparitas mater diſsjunctionis. Lignum & lapis, aurum & teſta, ignis & glacies non uniuntur, quia imparia 82.

82\. Nubere pari omnino optimè juvat.

 ſunt;

ſunt; ſic nec maſculus cum fæmella probè copulatur, ſi conditione, humore, ætate, complexione, fortunâ, cæteriſque qualitatibus multùm ſint impares. Fortaſſis Æſopus mecum celebratis volatilium nuptijs interfuit; dum fabularetur, Hierundinem aliquando Turturi ſpopondiſſe nuptias, & contractum hunc ſuum ob magnum lucri præjudicium cum gaudio manifeſtaſſe matri. Ecquid inepta filia, ait mater, nubis turturi? num inter vos ſubſiſtere poſſit conjugalis amoris ſocietas, tam diſpares naturâ, & conditione? Tu enim corporis mole exigua es, turtur quantitate molis longè prævalet: tu mercurialis ingenij partem notabilem ſortita es, integram diem cantu, garritu, hilaritate prodigendo uſque ad noctis crepuſculum; turtur econtra meditando tacet, gemendo luget, deſiderando ſuſpirat: tu veris & æſtatis delicias ſequeris, & primas ingruentis Autumni pruinas extimeſcis, ſubitóque diſpares; Turtur econtra hyemis crudioris intemperiem ſuſtinet, dulcéſque inter amores tranſigit: Tu orbis totius ſpatio vix contenta, per omnes Euti atque Affrici regiones curioſa vagaris, ultráque Herculis columnas peregrina diſcedis; Turtur econtra domeſticos lares amat, ac quovis in angulo nidificando & parturiendo conſidet. Vah, quanta diſparitas! Ergo ſponſalia diſſolvantur inter turturem & hierundinem. Haud diſſimili ratione conjugio copulantur perſonæ, conditione diſpares: quid enim, ſi egenus diviti, nobilis ignobili, juvenis ſenieulæ, formoſa deformi nubat, placidi emolumenti ſperari poſſit? Experientia quotidiana teſtatur, quàm multos imparia & diſparia ſponſalia ad ſeram pœnitudinem, & confuſionis agnitionem adduxerint: ſi nempe *Inquina torquati* non *tardant* nubiles, ſed cæco & immodico amore, ſine virtutis ac honeſtatis obſervantiâ, ad infelices nuptias præcipites properant. Notabilis diſparitas inter nubentes, improperia, graveſque deſolationes procreat: aut certè aggravatum cæteroquin matrimonij jugum imparibus humeris ſuſtinendum imponit; quod vetitum eſt in Deuteronomio: *Non arabis in bove ſimul & aſino.* Ut adeò haud ineptè reſpondiſſe videatur ille cæcus; qui, cùm cæcam ſibi ſponſam ſubarrharet, & propterea increparetur, quòd non accuratiùs ſuæ incolumitati conſuleret, audacter repoſuit: vos neſcitis quicquam; ſingulis enim nupturis regula ſua ſervanda eſt; *Si vis nubere, nube pari.* Si palumbus cum palumba, cum hierundine hierundo, & cum fringillâ fringilla conjungitur, cur non etiam cæcus cum cæca? (Deut. 22. v. 10.)

83. Quòd ſi verò contigit ex deliberato præpotentis amoris imperio, ut tenuis Codrus opulentæ Lucretiæ, vel humilis puella diviti Epuloni, aut formoſa Hilaria deformi Marcolpho, aut nobilis Amalia ignobili Mopſo fidem conjugalem dederit; ſi fortè mercator filiam Illuſtri, aut Agricola filiam Conſulari deſponſarit; Deo ſunt commendandi utrique, & tale connubium mitiori ſententiâ interpretandum; quia nempe ſic placuit, & licuit contrahentium utrique. Nec debet pars alterutra alteri defectum divitiarum, nobilitatis, ſpeciei aut ætatis, cum contemptu, indignatione aut fremitu improperare; quando per Sacramenti gratiam diſparia ad gratuitam paritatem Divinâ diſpenſatione reducuntur. Si enim, D. Paulo teſte, ſanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, & econtra mulier infidelis per virum fidelem; cur non etiam plebeia puella nobilitetur per maritum nobilem, aut tenuis famulus per divitem uxorem evadat ſpectabilis? cùm vir & uxor in matrimonio pari paſſu ambulent. D. Ambroſius circa præſens inſtitutum tam utiliter, quàm ſubtiliter inquirit, cur Protoplaſtes in correptione mulieris dixerit: *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Faciamus comparationem inter utrumque: ſi à natalibus ſumatur comparatio dignioris, videtur præferenda Adamo: nam Adam extra Paradiſum ex rudi ac indigeſta

(Diſparitas conditionis per conjugium æquiparatur.) (1. Corinth. 7. v. 14.) (S. Ambroſius lib. 4. de paradiſo.) (Geneſ. 3. v. 17.)

terræ

terræ gleba prope Damaſcum in rubricante agro Eden creatus prodibat; Eva econtra in Paradiſo, loco deliciarum nobiliſſimo, & quidem ex latere viri, ex coſtis Adami. Et tamen, ô Eva, *ſub viri poteſtate ejus, & ipſe dominabitur tui!* Prævidebat, ut ait Ambroſius, ſcilicet Optimus DEUS ſequentem conjugij periodum: quàm facilè poſſit contingere, ut conjugalis amor tepeſcat, ob ſocietatis humanæ diuturnitatem irrepat tædium aut alia odioſa paſſio; tum ex humorum abundantia mulier incipiat aſſumere effrænia cornua, ſibi dominationem arrogare, excuſſo ſubjectionis jugo viro contemptibiles exprobare natales de terra Eden, ſuos econtra de coſtâ viri extollere, ſicque intolerabili inſolentiâ excedere: ergo ut hiſce abſurdis ſtatuatur præmatura cautela, *ſub viri poteſtate eris*, ô mulier, *& ipſe dominabitur tui.* Omnino non eſt juris ulla ratio, cur viris mulieres quidpiam improperent; tametſi fortunis, & ſanguine illis præſtent: quando etiam communi Germanorum proverbio aſſeritur: **Es iſt beſſer ein ſtroher Mann/als ein guldenes Weib.** *Plùs valet ſtramineus mas, quàm aurea mulier.* Adagij genuinum ſenſum, & interpretationem vobis dimitto. Ita viciſſim nec viri quidpiam improperent fæmellis, tametſi hæ conditione, nativitate, fortunâ ſint illis longè inferiores. Si marito haud placet uxoris paupertas, placeat longè æſtimabilior virtus: quòd ſi illam propter inſignem virtutis ſplendorem ſibi ſubarrhavit, ergo ex eodem motivo diligat conjugatam. Aſſuerus potentiſſimus Aſſiriorum Monarcha, repudiatâ faſtuoſiſſimâ Vaſthi reginâ, humilem ac virtuoſam Eſther honorificentiſſimo amore ad Thorum regium elevavit; ita & invictiſſimus Græcorum Imperator Alexander pauperem ac plebeiam, ſed regijs virtutibus ornatam Berſenem ſibi feliciter copulavit: & tu, poſtquam pauperculam elegeras Agnetem, ejus decorem ac virtutem contemptu expilabis? Nihil tam ſalubre, nec orbi tam decorum quidquam ſtatuit celeberrimus ille Lacedæmonum Legiſlator Lycurgus, quã ut nulla ampliùs nubilis virgo quidpiam pro dote ad ſuſtinenda matrimonij onera, vel pro patrimonialibus paraphernalibúſque exponat. Sic enim futurum, ait Lycurgus, ut nulla nubilis innupta remaneat, nec ulla ducatur propter fortunas, ſed amore virtutis; cui vel maximè tunc ſtudebunt nubiles, ut citiùs & beatiùs nubant: cùm prima & ſolida ratio procantium, non aurum vel peculium, ſed virtutem & decorem debeat reſpicere, ſicque adeo *aut unam aut nullam* deſiderare.

Ex quo infertur, nihil magis nuptu- 84.
ris eſſe quærendum, quàm virtutem: *In nuptijs celebrandis quanti habenda ſit virtus.*
Si vis nubere, nube pari. Si Sponſam ſeligas, ſanguine, fortunis aut reliquis dotibus tibi parem, diſparem tamen virtute ac conſcientiæ candore, infauſtè nubis. Cætera ſingula adſint, ſanguinis claritas, divitiarum apparatus, honorum ac dignitatum eminentia, officiorum authoritas, pulchritudinis gratia, juventutis vigor; ſi ſola deſit virtutis morúmque probitas, haud auſpicaberis beatas nuptias: & viciſſim deſiderentur fortunarum meſſes, nobilitatis honorúmque eximiæ prærogativæ, ſola verò virtus cum ſufficienti aut modico fortunarum proventu in dotem cedat; ſuâ talis felicitate contentus vivat. Non eſt mea hæc dicendi facultas, ſed Spiritûs Sancti oraculum, quod ex Proverbijs Salomonis, & Eccleſiaſtico attentè excipite. *Gratia ſuper gratiam, eſt mulier ſancta & pudorata. Qui illam invenit, bonum invenit, & hauriet jucunditatem à Domino.* (*Eccleſ. 26. v. 19. & Proverb. 18. v. 22.*) Si non ſufficiant iſta; incipite præfatum Eccleſiaſticum citato capite ab initio legere, & ſæpiùs animo latentem revolvite veritatem. *Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.* Videtis, quòd Spiritus Sanct⁹ non ſvadeat vobis, nubere divitem, laſcivam, formoſam,

garrulam, ſuperbam, inſolentem; ſed ſanctam & pudoratam, bonam & fortem, timentem Deum & virtuoſam: prout pulcherrimè dives ille Booz obſervavit in paupere Ruth ſibi deſponſandâ; quam præſtantiſſimo encomio ſibi devovit dicendo: *Scit omnis populus, qui habitat intra portas urbis hujus, mulierem te eſſe virtutis.* (Ruth 3. v. 11.) Ea profectò incubuit ſollicitudo magnis Provinciarum moderatoribus, ut mulieres ſuis filijs in matrimonium copularent, non tam ſanguine, quàm virtute ſerenas; cùm paſſim ex mundi conditi annalibus notum ſit, quantum emolumenti Regnis & Gentibus ex virtutis connubio accreverit; quantum damni ex defectu virtutis per infauſta connubia emerſerit. Placuit Electorum Capiti Chriſto virtuoſas eligere fæminas, quarum miniſterio Ethnicorum tenebris lucem affunderet, & vaſtiſſimas Regiones S. Romanæ Eccleſiæ ſuæ ſuavi jugo adſciſceret; ſic enim felici connubio Cæſareæ converſionem ſuam ad Chriſti Evangelium debent ampliſſimi Perfidis populi, Clotildi Galliæ totius Toparchiæ, Indegundi Occidentalis Hiſpaniæ littora, Theodolindæ Regiæ Bavarorum Principi Lombardiæ circuli, Ethelbergæ totius Germaniæ Provinciæ, Olgæ Ruſſorum agri, Bambrucæ nobilis Poloniæ Polemarchiæ, Giſellæ Vngarorum Tractus, Helenæ tandem totius Imperij Romani termini: quarum ſingulis Populi Nationum, qui habitabant intra portas urbium ſuarum, æquo titulo atteſtari poterant, *mulierem te eſſe virtutis.* Quando econtra ratione virtutis in contrahendis ſponſalibus non obſervatâ, graviſſima Regnis pericula & exterminia ſubirrepſerunt. Luit Achabi & Hebræorum corona malitiam reginæ ſuæ Jezabelis, ex Tyriorum Principum ſanguine naſcentis: gemuit Joſaphat Athaliæ ſuæ conjugis tortuoſas inſolentias: horruit Aſſiria Semiramidis tyrannides; Perſia crudelitatem Ameſtridis expavit: Græcia cicatrices à Clytemneſtra relictas infremuit: Roma Agrippinæ machinationes ſuſtinuit: Gallia Brunechildis & Fredegundæ cruenta balnea epotavit: Bavaria Pilitrudi ingentia mala adſcripſit.

85. Hæc quidem omnia prudenter, providè, cautè, & piè nùpturis veniunt conſideranda. (Nuptiæ tardæ magis conſuluntur, quàm præproperæ.) Jam verò in gratiam Palumborum, qui *Inguina torquati tardant*, non ignobile nec inutile problema ventilandum occurrit: Vtrùm præſtet, ut tardè & bene maturè celebrentur inter nubiles ſponſalia, an præproperè ac immaturè? Vtramque vobis exponam problematis ſententiam. Et quidem nuptias tardas longè potiores videri præproperis, reſolvit accuratè Raynaudus ex Ariſtotele in Politicis, ubi penes quatuor capita nuptias præproperas improbat. (*Theophilus Raynaudus in Dialogo de laude Brevitatis ſect. 3. Ariſtoteles 7. polit. c. 16.*) Primò penes prolem, quæ ex talibus conjugijs exoritur imperfecta, ac debilis corpore, nec admodùm firma quoad intellectum uſúmque rationis. In omnibus quippe rebus naturalibus, ſi principia productionis, ſive activa ſive paſſiva, ſint imperfecta, effectus eorum imperfectionem redolent: quid igitur mirum, ex conjugibus adhuc corpore imperfectis exiſtere prolem ſimiliter corpore imperfectam. Vnde perſpectum hoc habentes priſci Romani, turpiſſimum cenſebant, adoleſcentem jungi mulieri ante annum ætatis vigeſimum: ſic enim Tacitus loquitur. [Sera Venus, eóque inexhauſta pubertas; nec virgines feſtinantur. Eadem juventa, ſimilis proceritas; pares validæque miſcentur, ac robora parentum liberi referunt.] (*Tacitus lib. de moribus Germanorum.*) Secundò ac tertiò Ariſtoteles præmaturas nuptias improbat, ob intemperantiam mulierum, & earundem majus periculum in puerperio. Major incontinentia inde petitur à Philoſopho; quòd quæ maturè aſſveſcunt cohabitationi virorum, ardentiùs ferantur, ac veluti œſtro percellantur in eam voluptatem. Majus verò earum periculum, & in graviditate, & præſertim in enixu, patet ex majore corporis teneritudine, atque adeò etiam imbecillitate, quæ plerumque par non eſt cruciatui, gravi- (Cautè & modeſtè hæc proponantur, aut omittantur.)

dita-

ditatem ac puerperium comitanti. Vltimum caput ducitur ex damno, juveni marito obveniente: nam, quamvis in omni ætate, uſus conjugij ſit corpori virili incommodus; tamen id maximè valet in adoleſcentia, ante perfectè auctum & formatum robur corporeum; quia adoleſcentes effrenatioribus aguntur cupiditatibus, & incendente calore, quo abundant, acriùs ſtimulantur; nominatim ob inexperientiam, quæ, ut notat S. Hieronymus, ſuaviorem ſuadet eſſe voluptatem, quam alij faciliùs faſtidiunt, veluti ſaturi. Ad has probationes addi poteſt alia, ex Ariſtotele ducta; quòd quo tardius eſt conjugium, eò magis breviantur cruces conjugio adjunctæ; quas non niſi morte finiri conſtat; cùm tamen juvenes longè à morte abſint, per ſe loquendo, & juxta communem naturæ curſum. Cruces illæ conjugij, quas Apoſtolus nomine *tribulationis carnis* complexus eſt, ſunt omnibus multæ & graves; & propterea Democritus rejeciſſe conjugium dicitur. Has conjugij cruces effugere propè impoſſibile eſt; ſubire prorſus neceſſarium; & ſubire patienter ac æquanimiter, oneroſum planè ac perdifficile. Breviat has omnes conjugium ſerius, & ſi nubiles ſponſi *inquina torquati tardant*. Nam cùm ſolâ morte finiantur, & mors ætate provectioribus celeriùs adveniat, manifeſtum eſt, conjuges ſeriùs conjugio implicitos, breviore tempore ærumnis illis & angoribus ſubjacere. Mirabilem hìc D. Chryſoſtomus opinionem tenet ex illo Geneſis: *Noe, cùm quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham & Japhet.* Exinde inferre videtur, Noëmum uſque illuc abſtinuiſſe conjugio. Verùm D. Auguſtinus hac in opinione repudiat Chryſoſtomum, cenſendo, Noëmum ante Sem, Cham & Japhet, alios jam ſuſcepiſſe liberos, diluvio præmortuos, & preteritos in Scriptura; quia eorum generatio non erat perpetuanda. Sed tamen veriſſimum videtur, Patrum illorum matrimonia admodùm ſera fuiſſe: nempe Sethi,

S. Chryſoſtom. Geneſ.

S. Auguſtin. 15. de civit. c. 20.

poſt vitæ annos centum & quinque: Enos, poſt annos vitæ nonaginta: Cainan, poſt annos vitæ ſuæ ſeptuaginta Malalcelis, poſt annos ſexaginta quinque; & ita conſequenter de alijs, qui annotantur cap. 5. Geneſ. Quare tandem Ariſtoteles concluſit, maſculos ante trigeſimum ſextum, & puellas ante decimum octavum annum, in matrimonium non eſſe elocandas; utpote quòd communi naturæ ordine ante hos annos non matureſcant ad finem à matrimonio principaliter intentum,

86. Econtra pro adverſa Problematis parte experimento quotidiano manifeſtum eſt, cladem inferri Juventuti ex nuptiarum dilatione. Pro ea enim pronitate, qua homo fertur in commercium connubiale, & propè incendio, quo quisque deflagrat ex ea parte, niſi ardor ille reſtinguatur interventu thori immaculati; periculum erit, ne prorſus ſolvatur ac cineraſcat. Poſſumus vaſtitatem, homini ſeriùs ad conjugium venienti impendentem, intelligere ex ea S. Chryſoſtomi ſententia de Enocho, quem ait exemplo ſuo monſtrâſſe, nuptias non eſſe in causâ, quominus quis Deo placeat. [Nam idcirco divina Scriptura, ſemel ac iterum id ſignificavit, dicens: *Enoch genuit Mathuſala, & tunc placuit.* Et idem geminat ac repetit, dicens: *& placuit, poſtquam genuit;* ut ne quis arbitretur, obſtaculum virtutis eſſe conjugium.] Et mox. [Si nuptiæ præpedimentum forent in virtutum itinere, nequaquam in hanc noſtram vitam nuptias introduxiſſet Vniverſorum Dominus, ut ne in rebus præcipuis & maximè neceſſarijs nos læderet. Sed quia nō ſolùm nihil nobis obſtant ad philoſophandū Deo, ſi voluerimus eſſe ſobrij, ſed & magnam afferunt conſolationem, dum comprimunt inſanum naturæ impetum; nec turbari quaſi mare ſinunt, ſed efficiunt, ut ſcapha feliciter in portum appellat, ideò conſolationem hanc humano generi tribuit. Quod quàm verum ſit, oſtendit juſtus ille, *quia poſtquam* (inquit) *genuit*

Nuptiarum dilatio nociva.

S. Chryſoſtom. hom. 21. in Geneſ.

nuit Mathuſala, placuit DEO Enoch.] En tempeſtates mare evomentes, & portum, quem ſubire fas ſit ad ſecuritatem à procellarum inſania! Cymbæ certè, in mari procelloſo diu agitatæ, imminet confractionis, vel everſionis ac ſubmerſionis diſcrimen; ut hodie terrore perculſi clamârint Apoſtoli: *Domine, ſalva nos, perimus.* Itaque ſapienter facit, qui eam in portum tutum reducit. Is portus adoleſcenti agitato inſanis naturæ intemperijs, quæ nunquam malatiâ interpoſitâ ſedantur, conjugium eſt, judice Chryſoſtomo. Itaque conſultiſſimum illis eſt, non vagari libero mari, nec ventis ludibrium debere, ſed fidam conjugii ſtationem ſubire quàmprimum.
S. Chryſoſtom. hom. 5. in 1. Theſſal. Alium locum D. Chryſoſtomi magni morum Magiſtri adducamus, qui Hom. 5. in 1. ad Theſſalonicenſes hoc argumentum ſapientiſſimè verſatus eſt, „his præter cætera verbis. [Juvenum „gratiâ, neceſſe eſt, ut admoneam. „Non enim viris duntaxat, ſed & vobis juvenibus iſta congruunt. Et „quomodo? Jam dicam. Qui ſcortari non didicerit, neque mœchari „ſciet. Qui verò ſcortis fuerit involutus, mox & in adulterium quoque „prolabetur, etiamſi non in conjugatis, ſed in ſolutis mulieribus corrumpi, deperireque cœperit. Quid ita „admoneo? Vt radices hujus mali, „quotquot juvenes habetis, exſcindatis; ad honeſtam vitam eos inſtituite, ſtatimque connubiali iugo ſubdite. Dum enim adhuc in iuventute „ſunt, concupiſcentiæ fluctibus impetuntur. Priusquàm nuptiarū quidem tempus fuerit, admonitionibus, „minis, terroribus, pollicitationibus, „& innumeris aliis eos cohibete. Vbi „verò nuptiarum tempus & ætas advenerint, nemo differat. Ecce pronubæ verba loquar, dum liberos veſtros coniungo. Sed nihil pudet ita „dicere, quandoquidem neque Paulus erubuit dicens, *ne defraudetis vos* „*invicem.* Id quod turpius iſto eſſe videtur. At nihil erubuit. Non enim „verbis intendebat, ſed ipſis operibus, quæ per verba corrigebantur. „Quando filius tuus fuerit adultus, „antequam illum ad expeditionem, „aut aliud vitæ genus inſtituas, quæ „nuptias concernunt, procures. Et „ille ſi viderit ſtatim ſibi ducendam „eſſe uxorem, & modicâ intercapedine diſtare nuptias, poterit ſuſtinere flammam: ſi verò cognoverit, te „tardare, moráſq; nectere & expectare, dum multam acquiſierit rerum „acceſſionem, ut tunc demum nuptias „paraturus ſis, mox ob longitudinem „temporis deſperatâ continentiâ, in „ſcortationem dilabetur. Sed heu! & „hic quoque radix malorum eſt avaritia. Quoniam enim nemini curæ „eſt, quomodo caſtus & modeſtus ſit „filius, ſed in aurum inſaniunt omnes, ideò nemo quoque rem illam curat. Proinde adhortor, ut „primùm animos ipſorum componatis. Si ſponſam caſtus acceperit filius, „ſi illius corpus ſolum viderit; & vehemens erit deſiderium, & timor „DEI maior, honeſtæque reverà erunt „nuptiæ, munda & immaculata corpora coniungentes; & qui ex illis „naſcentur liberi, multa erunt benedictione referti; obtemperabúntque „ſibi invicem ſponſus & ſponſa: „aliorum enim mores cùm utrique „non ſint experti, ſubiicientur & obſequentur ſibi invicem.] Nihil à S. Chryſoſtomo in rem præſentem tradi potuit efficacius, & expiicatius.

Inſuper ex alio capite deprehendi poteſt, quàm ſit optandum iuventuti, coniugium non eſſe ſerum. Veriſſima enim eſt SS. Auguſtini, & Caſſiani doctrina; inter certamina Chriſtiana nullum eſſe durius ac difficilius certamine caſtitatis ac pudicitiæ, quam caro inteſtinus hoſtis hoſtiliter perſequitur; Satan verò, carnis ignitabulo utens, atrociter inſectatur; & innumeri oblectamentorum undecunque ſe inferentiū illices, periculo obiiciunt. Tantis ergò diſcriminibus citò ſe ſubducere, & ex arce ſecurè proſpectare alios dimicantes, magnæ felicitatis exiſtimari debet. Rarus enim eſt, qui in diuturna pugna non feriatur aliquando, & inimici victoris truculentiæ 87.

Nuptiarur dilatio periculoſa.

S. Auguſtin. lib. de bono ſ. mul c. 3. Caſſianus lib. 6. de Inſtit. c. 1.

lentiæ pateat : atqui juvenes, donec conjugium ineant, ſunt in perpetua pugna quoad caſtitatem. Idcirco, ut obſervat Chryſoſtomus, cùm inibant conjugium, coronabantur, ac capiti primò nubentium coronæ imponebantur (prout hodie fieri ſolet) ut victoriæ ſint ſigna ; quòd ſcilicet antea libidini impenetrabiles, ita demum victores cubiculum ingrediantur; quia ſcilicet à voluptate non ſunt ſuperati. Potro in ſecundis nuptijs, quia cauſa adducta non interveniebat, corona non conferebatur; ut vel hoc ipſo etiam imitarentur Palumbos, qui ſublatâ conſorte, adeóque delicioſo matrimonio ſoluto, non ampliùs ſolent virides ramos conſcendere, ſed in aridis ac lugubribus ſubſidere. Tametſi ergo glorioſum ſit, & coronâ dignum, evadere victorem ex tam acri prælio ; cùm tamen ſit res periculi pleniſſima, inconſultiſſimum fuerit, hærere in certamine, cùm poſſis te diſcrimini ſubducere, & ſecurè degere; &, ut ad hodierni Evangelij tempeſtatem redeamus, hærere in fluctibus decumanis, navem ſæpe quaſſantibus, cùm eo poſſis declinare. Nam eò etiam pertinebat corona navi ſubductæ impoſita, juxta illud Virgilij.

Georg. 1. *Ceu preſſa cùm jam portum tetigêre carinæ,*
Puppibus & læti nautæ impoſuêre coronas.

Fluctus, & procellæ innuptis ſubeundæ, ſunt inſectationes à cupiditate corporum: portus ſecurus eſt conjugium. In eum igitur maturè ſe recipiant juvenes, ſi, quando *motus fieri ſolet magnus in mari*, quaſſari nolint, & ſe velint coronâ dignos præſtare. Pari ratione ponderanda eſt Liberorum infelicitas, quòd ſerò ſuſcepti, nec per ætatem capaces magnarum rerum, vix poſſint aliquam vicem rependere parentibus. Neque enim vel ſubſidium eis reponere pro ſubſidijs collatis poſſunt ; vel honorem ex illuſtribus factis aut dignitatibus, quarum per filios adeptio redundat in parentes, radijs eorum collucentes. Nam *filius ſapiens, gloria Patris*. Et quantum decus Patri accedit ex Filij ornamentis, Seneca præclarè proſequitur; & agnoſcit, poſſe à filio tantum decus parenti tribui, ut excedat, quæ Pater filio contulit, quantumvis eximia. Nihil tale ſperandum eſt parentibus à liberis ex *tardo* conjugio ſuſceptis; à potiori enim præmorientur parentes, nullo per humilem liberorum ætatem emolumento ab eis percepto, anxij metu & dubiâ expectatione ſortis liberorum, poſtquam eis vitæ lampadem conſecuturæ tradiderint. Seneca lib. 3. de benef. c. 32.

His itaque Problematis partibus utrinque compoſitis, haudquaquam ſeræ nuptiæ ſupra celeres placento ; quod univerſè valet, & honeſtè agitur, ſi nuptiæ à fæmellis circa vigeſimum, à maſculis ſaltem circa vigeſimum ſextum celebrentur annum ; quamquam aliàs nemini poſſit certa ætas determinari, & inter pares poſſit conſiſtere par utriusque conditio. Amen.

nuit Mathuſala, placuit DEO Enoch.] En tempeſtates mare evomentes, & portum, quem ſubire fas ſit ad ſecuritatem à procellarum inſania! Cymbæ certè, in mari proceloſo diu agitatæ, imminet confractionis, vel everſionis ac ſubmerſionis diſcrimen; ut hodie terrore perculſi clamârint Apoſtoli: *Domine, ſalva nos, perimus.* Itaque ſapienter facit, qui eam in portum tutum reducit. Is portus adoleſcenti agitato inſanis naturæ intemperijs, quæ nunquam malatiâ interpoſitâ ſedantur, conjugium eſt, judice Chryſoſtomo. Itaque conſultiſſimum illis eſt, non vagari libero mari, nec ventis ludibrium debere, ſed fidam conjugii ſtationem ſubire quàmprimum.

S Chryſoſtom. hom. 5. in 1. Theſſal. Alium locum D. Chryſoſtomi magni morum Magiſtri adducamus, qui Hom. 5. in 1. ad Theſſalonicenſes hoc argumentum ſapientiſſimè verſatus eſt, „his præter cætera verbis. [Juvenum „gratiâ, neceſſe eſt, ut admoneam. „Non enim viris duntaxat, ſed & vobis juvenibus iſta congruunt. Et „quomodo? Jam dicam. Qui ſcortari non didicerit, neque mæchari „ſciet. Qui verò ſcortis fuerit involutus, mox & in adulterium quoque „prolabetur, etiamſi non in conjugatis, ſed in ſolutis mulieribus corrumpi, deperiréque cœperit. Quid ita „admoneo? Vt radices hujus mali, „quotquot juvenes habetis, exſcindatis; ad honeſtam vitam eos inſtituite, ſtatimque connubiali iugo ſubdite. Dum enim adhuc in iuventute „ſunt, concupiſcentiæ fluctibus impetuntur. Priusquàm nuptiarũ quidem tempus fuerit, admonitionibus, „minis, terroribus, pollicitationibus, „& innumeris aliis eos cohibete. Vbi „verò nuptiarum tempus & ætas advenerint, nemo differat. Ecce pronubæ verba loquar, dum liberos veſtros coniungo. Sed nihil pudet ita „dicere, quandoquidem neque Paulus erubuit dicens, *ne defraudetis vos „invicem.* Id quod turpius iſto eſſe videtur. At nihil erubuit. Non enim „verbis intendebar, ſed ipſis operibus, quæ per verba corrigebantur. „Quando filius tuus fuerit adultus, „antequam illum ad expeditionem, „aut aliud vitæ genus inſtituas, quæ „nuptias concernunt, procures. Et „ille ſi viderit ſtatim ſibi ducendam „eſſe uxorem, & modicâ intercapedine diſtare nuptias, poterit ſuſtinere flammam: ſi verò cognoverit, te „tardare, moráſq; nectere & expectare, dum multam acquiſierit rerum „acceſſionem, ut tunc demum nuptias „paraturus ſis, mox ob longitudinem „temporis deſperatâ continentiâ, in „ſcortationem dilabetur. Sed heu! & „hìc quoque radix malorum eſt avaritia. Quoniam enim nemini curæ „eſt, quomodo caſtus & modeſtus ſit „filius, ſed in aurum inſaniunt omnes, ideò nemo quoque rem illam curat. Pruinde adhortor, ut „primùm animos ipſorum componatis. Si ſponſam caſtus acceperit filius, „ſi illius corpus ſolum viderit; & vehemens erit deſiderium, & timor „Dei maior, honeſtæque reverà erunt „nuptiæ, munda & immaculata corpora coniungentes; & qui ex illis „naſcentur liberi, multa erunt benedictione referti; obtemperabúntque „ſibi invicem ſponſus & ſponſa: „aliorum enim mores cùm utrique „non ſint experti, ſubiicientur & obſequentur ſibi invicem.] Nihil à S. Chryſoſtomo in rem præſentem tradi potuit efficacius, & explicatius.

87. *Nuptiarum dilatio periculoſa.* Inſuper ex alio capite deprehendi poteſt, quàm ſit optandum iuventuti, coniugium non eſſe ſerum. Veriſſima enim eſt SS. Auguſtini, & Caſſiani doctrina; inter certamina Chriſtiana nullum eſſe durius ac difficilius certamine caſtitatis ac pudicitiæ, quam caro inteſtinus hoſtis hoſtiliter perſequitur; Satan verò, carnis ignitabulo utens, atrociter inſectatur; & innumeri oblectamentorum undecunque ſe inferentiũ illices, periculo obiiciunt. *S. Auguſtin. lib. de honeſt. mul. c. 1. Caſſianus lib. 6. de Inſtit. c. 1.* Tantis ergò diſcriminibus citò ſe ſubducere, & ex arce ſecurè proſpectare alios dimicantes, magnæ felicitatis exiſtimari debet. Rarus enim eſt, qui in diuturna pugna non feriatur aliquando, & inimici victoris truculentiæ

lentiæ pateat : atqui juvenes, donec conjugium ineant, ſunt in perpetua pugna quoad caſtitatem. Idcirco, ut obſervat Chryſoſtomus, cùm inibant conjugium, coronabantur, ac capiti primò nubentium coronæ imponebantur (prout hodie fieri ſolet) ut victoriæ ſint ſigna; quòd ſcilicet antèa libidini impenetrabiles, ita demum victores cubiculum ingrediantur; quia ſcilicet à voluptate non ſunt ſuperati. Porro in ſecundis nuptijs, quia cauſa adducta non interveniebat, corona non conferebatur; ut vel hoc ipſo etiam imitarentur Palumbos, qui ſublatâ conſorte, adeóque delicioſo matrimonio ſoluto, non ampliùs ſolent virides ramos conſcendere, ſed in aridis ac lugubribus ſubſidere. Tametſi ergo glorioſum ſit, & coronâ dignum, evadere victorem ex tam acri prælio; cùm tamen ſit res periculi pleniſſima, inconſultiſſimum fuerit, hætere in certamine, cùm poſſis te diſcrimini ſubducere, & ſecurè degere; &, ut ad hodierni Evangelij tempeſtatem redeamus, hærere in fluctibus decumanis, navem ſæpe quaſſantibus, cùm eos poſſis declinare. Nam eò etiam pertinebat corona navi ſubductæ impoſita, juxta illud Virgilij.

Georg. 1. *Ceu preſſa cùm jam portum tetigère carina,*
Puppibus & læti nautæ impoſuère coronas.

Fluctus, & procellæ innuptis ſubeundæ, ſunt inſectationes à cupiditate corporum: portus ſecurus eſt conjugium. In eum igitur maturè ſe recipiant juvenes, ſi, quando *motus fieri ſolet magnus in mari*, quaſſari nolint, & ſe velint coronâ dignos præſtare. Pari ratione ponderanda eſt Liberorum infelicitas, quòd ſerò ſuſcepti, nec per ætatem capaces magnarum rerum, vix poſſint aliquam vicem rependere parentibus. Neque enim vel ſubſidium eis reponere pro ſubſidijs collatis poſſunt; vel honorem ex illuſtribus factis aut dignitatibus, quarum per filios adeptio redundat in parentes, radijs eorum collucentes. Nam *filius ſapiens, gloria Patris*. Et quantum decus Patri accedit ex Filij ornamentis, Seneca præclarè proſequitur; & agnoſcit, poſſe à filio tantum decus parenti tribui, ut excedat, quæ Pater filio contulit, quantumvis eximia. Nihil tale ſperandum eſt parentibus à liberis ex *tardo* conjugio ſuſceptis; à potiori enim præmorientur parentes, nullo per humilem liberorum ætatem emolumento ab eis percepto, anxij metu & dubiâ expectatione ſortis liberorum, poſtquam eis vitæ lampadem conſecuturæ tradiderint. *Seneca lib. 3. de benef. c. 30.*

His itaque Problemaris partibus utrinque compoſitis, haudquaquam ſeræ nuptiæ ſupra celeres placento: quod univerſè valet, & honeſtè agitur, ſi nuptiæ à fæmellis circa vigeſimum, à maſculis ſaltem circa vigeſimum ſextum celebrentur annum; quamquam aliàs nemini poſſit certa ætas determinari, & inter pares poſſit conſiſtere par utriusque conditio. Amen.

QVINTA POST EPI-PHANIAM.

STOLIDVS VANELLVS.

Der vnwitzige Geitwitz.

LEMMA.

Pulchra & Fatua. Proverb. 11. v. 22.

THEMA.

Venit inimicus homo, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici. Matth. 13. v. 25.

SYNOPSIS CONCIONIS XI.

Expenduntur cauſæ & motiva, cur Deus permittat perverſos prodire, & vivere cum bonis feliciter in hoc mundo; & tantam veræ Religionis ſtragem ab Hæreticis florentiſſimæ Germaniæ inferri.

18. Vanelli natura & proprietates ad rem. HAud procul à ſtagnante palude, aut rapace flumine, Paterfamilias agrum ſuum colit; inſerendo triticum, omnémque adhibendo curam, ne lolium pro vel cum tritico ſuccreſcat; nocte dormientib' cunctis venit *inimicus homo*, vulgò Der Ertz-vogl / ſuperſeminat zizania; quod unacum tritico in magna copia convolutum emergit. Apparet quidem ager tritico plenus & pinguis aſpicienti à longè, prominentibus ſpicis; ſed majorem partem prævalentia occupant lolia, contra expreſſum ac decantatum Poëtæ vaticinium, ruricolis familiare:

Et careant loliis oculos vitiantibus agri.

Interim nullibi opportuniùs nidificat Vanellus, quàm ad corrupti agri marginem, ripámque prṻterlabentis aquæ; nam hìc pro re ſuâ domeſticâ oeconomiam paratam habet, ſiti, famíque facili negotio componendis. Vanellus, inquam, criſtatus, varióque colorum luxu in plumarum apparatu ſuperbus & inſolens, ac cæterà volatibus *oculos vitiantibus* nequitioſus. Vanellus, qui ſuo ſe nomine prodit; ſi nihil ultrò memorabile addam: Vanellus, qui inani plumarum viridium, cærulearum, purpuriſantium, candidarum, nigerrimarum apparatu, criſtæque prominentis ludibrio vanitatem præſefert: Vanellus, qui non niſi inutiles vermiculos, ac zizaniorum grana pro alimento depaſcit; tanquã ad generoſam prædam inutilis, Keinnütz: Vanellus, qui penes aquas habitat, ſed aquam non intrat, ne periculum tentet: Vanellus, qui magnos clamores ac ſtrepitus continuo volatu circa nidum concitat, & inde vel maximè prodit, ſe non eſſe avem muſicam: Vil Geſchray / vnnd wenig Woll. [illegible] in Vanello. Vanellus, quem ſi clamitare quis audiat, cornutam jurabit eſſe capram, non criſtatum ripicolam: Vanellus, in eo maximè vanus, dum ad nidum ſuum accedentes homines præproperâ obviatione ſalutat, ut vel

ſtoli-

ſtolidè ſeipſum prodat, vel doloſe circumvolando eos aliò divertat. Vt meritò Vanello poſſit aſſignari in gnomam id, quod Areſius ex Salomonis Proverbijs adſcripſit fœminæ vanæ & delicioſæ, quòd ſit *Pulchra & Fatua.* Proportionatum epithetum huic ſexui, in quo tantò plùs deficit judiciũ, quantò magis abundat formoſitas. Hugo Cardinalis Vanello huic comparat animam, quæ ſit *pulchra per ſcientiam, ſed fatua per actionem.* S. Gregorius hoc explicat de hæreſi, cujus doctrina *pulchra eſt per verbum, fatua per intellectum.* In ſummâ, prout videtur Cornelio a Lapide, *Mulier fatua & pulchra, eſt anima fidelis, in Baptiſmo, vel pœnitentiâ à peccatis abluta & dealbata, qua deinde priſtinis cupiditatibus illecta ad eas redit.* Vah! quot Vanellorum agmina *juxta* pleniſſima ſupernæ vocationis *fluenta!* Quot homines inimici fertiliſſimum Militantis Eccleſiæ agrum corrumpunt, & puriſſima tritica zizanijs *oculos vitiantibus* ſuffocant! *Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces devorante impio juſtiorem ſe?* lamentatur Propheta Habacuc, querulando ad optimum DEUM: ſed multò magis Jeremias cum DEO juſtiſſimo diſputans. *Quare via impiorum proſperatur: benè eſt omnibus, qui prævaricantur & iniquè agunt?* Auſcultate ſanctiſſimi Prophetæ, & quotquot cum Prophetis ſimilem controverſiam in mente agitatis: dicam vobis, cur DEUS permittat creſcere zizania cum tritico, vivere cum electis impios, nidificare inter vanitatis contemptores Vanellos. Et hoc ordinariâ methodo, in nomine Domini.

Proverb. 11. v. 22.

Hugo Card.

S. Gregorius l. 31. moral. c. 10.

Cornelius ſuper Proverb.

Habacuc. 1. v. 13.

Ieremiæ 12. v. 1.

89\. Vanellus, zizania & inimicus, apparentem inter ſeſe præſeferunt ſymbolizationem. Vanellus inter volucres, zizania inter germina, inter homines inimicus. Non quieſcit Vanellus circumvolando, zizania circumvolvendo, inimicus circumveniendo. Vanellus inſidiatur vermibus, zizania tritico, probis inimicus. Vanellus gregatim volat, zizania turmatim ſuffocat, inimicus fraudulenter invadit. Vanellus fœtificat clamoroſè, zizania germinat infructuoſè, inimicus exprobrat tumultuoſè. Vanello non excipiuntur ova, zizaniæ non auferuntur vitia, inimico non deficiunt malitiæ. Vanellus criſtatus; zizania, aculeata, inimicus armatus. Vanellus deplumatur, zizania eradicatur, inimicus præſcinditur. Vanellus torretur, zizania comburitur, inimicus trucidatur. Ergò dum Vanellum adducimus, ſimul & inimicum, & zizaniam implicamus. Sicut ſtultorum, ita & Vanellorum plena ſunt omnia. Quis enim non paſſim obvios ſalutat Vanellos, quibus ut Alexandro quondam ad imperandum, ita ad petulantias ſuas mundus deficit? qui probos & virtuoſos, ſuiſque contrarios operibus mirè deſpiciunt, & paſſim illis doloſum impingunt naſum: qui honeſtatis exoſi, ubique relinquunt tanquam mundi miracula ſuæ improbitatis veſtigia: qui timore DEI poſtpoſito machinantur mala, damna gravia imponunt proximis, & tamẽ fucis *oculos vitiantibus* iniquitates ſuas coram viventibus juſtificant: qui brutales ſequuntur voluptates, urbes & oppida ſcandalis deſtruunt, & æternam ſalutem facili explodunt ludibrio: qui repudiatâ pudicitiâ, Epicuri dogmatibus adhærent, & in depravatas Machiavelli regulas jurant: qui ventri tanquam Numini ſacra conferunt; cæteroquin temeritatem rationi, malitiam virtuti, ac DEO optimo peccatum anteponunt. Vanelli, inquam, qui in vanitate ſenſûs ſui *vident vana, & divinant mendacia*; aliósque vitiando, ſeipſos vanitatis mancipia profitentur. Et quare zizania creſcunt in medio tritici? An non D. Paulus ſuis Galatis rem bonam, & conſultam imprecatur? *Abſcindantur, qui vos conturbant?* Quare proſperatur via impiorum Vanellorum? Quare non reſpicit DEUS ſuper iniqua agentes?

Vanelli, zizaniæ, & inimici comparatio.

Ezech. 13. v. 6.

Galat. 5. v. 12.

90. D. Auguſtinum, qui ingentem optimi tritici meſſem è zizanijs purgavit, ac cœleſti horreo invexit, audite reſpondentem in quæſtione familiari. Si Vanelli & vanitatem diligentes inimici vobis graves inferant moleſtias, inſidias ſtruant, ac mala peſſima machinentur, tranquillitate animi fruentibus; *Ne putetis, gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere DEVM. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur; aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur.* Omnes penè ludi conſiſtunt in lite, pugnâ & controverſiâ, ut alter alterum capiat dolo, vincat robore, præveniat velocitate, aſtu ſupplantet, & ingenio ſuperet. Sine tali controverſiâ nulla ferè eſt exercitatio. Lacedæmonij urbem quandam, ſibi valde infeſtam, omnino everſuros ſe pollicebantur; ſed Rex eorum à præſidibus, ne id faceret, eſt admonitus; dicebant enim: *Invenum cotem ne deſtruas, néve tollas.* Nempe dum cos hebetatur, acuitur ferrum; & ubi mali deficiunt, juſti ab ijs afflicti proficiunt. Idem D. Auguſtinus alio loco confirmat. *Quomodo perſecutores martyribus, quomodo lima vel mallei auro, quomodo mola ſerviunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia, quomodo in fornace artificis palea ſervit auro; ubi palea conſumitur, aurum probatur.* Sic, ſic Vanelli & inimici proſunt Electis, nexunt laureolas, emolliunt duritiem, diſponunt animum, perficiunt virtutem, probant innocentiam, augent meritum, conferunt cœlum. Neſcio, quid maximis experientijs edoctus Rex David, inter afflictiones ſuas de inimicis cogitârit, dum Pſalmo quodam miserè luctatur inter apes & ſpinas: *Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis?* Apes aculeos ſuos ſi impingant, quantus dolor! ignis ſi penetret nervos, quanta acrimonia! ſpinæ ſi pungant corpus, quanta actio! Scio, quòd ignis abſumens ſpinas, tribulos, & vepres in agro, eum reddat fertiliorem; ſic dum reprobi Vanelli piorum humanos taxant defectus, corripiunt & infeſtant, meliores, eos reddunt, & in virtute exercitatiores. Et huc potuit reſpicere tribulatus Rex. Verùm credo, quòd David agnoverit ſuam naturam, eámq; eſſe valdè ſanguineam, & ideo ad delicias ac voluptates inclinatam, aut certè ſibimetipſi ob quantitatis exceſſum gravem. Ergo ut molem hanc portatu difficilem à ſe abigat, phlebotomiâ indigebat: nec poterat invenire compendioſiorem, quàm imitando urſum: qui cùm imbecillo ſit capite, ejus ſanandi gratiâ id immergit alvearibus, ut ita apum aculeis undique cruentatum, noxium emittat ſanguinem Hoc medio exercitationis opus erat Davidi, quem ideò aculeis *oculos vitiantibus* inimici ejus *circumdederunt ſicut apes, & in eum exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.*

Mali cur ſint in mundo.

S. Auguſtin. tract. in Pſal. 54.

Majolus t. 3. canicul. col. 5.

S. Auguſtin. ſerm. 71. de tempore.

Pſal. 117. v. 12.

Pierius l. 11. Hieroglyph.

Omnium maximè hîc audiunt Hæretici. Hos ſi ſeductorijs componas Vanellis, Apoſtolicus Aquila turmatim eos advolâſſe teſtatur: *Quoniam multi ſeductores exierunt in mundum. Qui non confitentur IESVM Chriſtum veniſſe in carnem; hic eſt ſeductor.* Et hoc ipſum priùs ipſemet vaticinatus eſt Chriſtus: *Multi enim venient in nomine meo, dicentes, ego ſum Chriſtus; & multos ſeducent.* Inanes ac vanos eorum ſtrepitus D. Paulus prodit in ſecunda Epiſtola ad ſuum Timotheum hoc textu. *Profana autem & vaniloquia devita: multùm enim proficiunt ad impietatem: & ſermo eorum ſerpit ut cancer: ex quibus eſt Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt.* Appoſita comparatio Hæreticorum cum Vanellis, quando illi aliàs communiter & Eccleſiæ zizania, & inimici veritatis proclamantur. Proinde ſuâ temeritate criſtati, duobus obſiſtunt clypeis, *oculos vitiantibus* ſtipati; uno deprompto ex D. Pauli Epiſtola: *oportet & hæreſes eſſe.* Nempe ſpectatâ hominum inconſtantiâ, ſuperbiâ, novitate & pronitate, quales erant Corinthij, ut dicerent, *Ego ſum Pauli, ego Apollo:* DEO permittente oportet eſſe hæreſes, ſchiſmata & ſectas, cum in fide, tum in moribus; quales tunc erant apud Corinthios in Cœnâ Euchariſtiâ 91.

de

Hæretici cum Vanellis comparati.

1. Ioan. v. 7.

Matth. 24. v. 5.

2. Timoth. 2. v. 17.

1. Corinth. 11. v. 19.

de loco recumbendi, de tempore cœnæ inchoandæ, de cibis & potibus, de ſocijs & convivis, &c. Cui alter accedit ex ipſiusmet Servatoris armamentario apud D. Matthæum: Matth. 18. v. 7. *Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala*, non quidem abſolutè & ex ſe, ſed ex ſuppoſitione: nam pravâ & ſuppoſitâ tam variâ tot hominum indole, & corruptione; ac horum curioſâ levitate, ambitione, cupiditate; illorum pravitate, & liberâ malitiâ; fieri non poteſt, quin aliquando à nonnullis, imò crebrò à multis (ſaltem indeterminatè) fiant ſcandala, id eſt, ſcelera, & res tales, quæ alios præſertim puſillos ſcandalizant, & ad peccatum inducunt. Ecce! duæ ſunt Vanellis Maximæ familiares, *oportet*, &c. *neceſſe eſt*: exinde legitimas ſuas inferunt conſequentias. Ergo crede, ſuſtine, defende, prædica, ſvade Fidei articulos, quicunque placent; *oportet* enim. Ede, vive, lude, bibe, abi poſt greges ſodalium tuorum; ubique relinque veſtigia lætitiæ, malitiæ; nam hoc *neceſſe eſt*.

92. Sic, ſic, *inſurrexerunt teſtes iniqui, &* Cur Deus toleret hæreticos & malos. Pſalm. 26. v. 12. *mentita eſt iniquitas ſibi*, ponendo album nigrum, & nigrum album. Perfidia ſuo maximè domino nocet, & malitia non niſi ſuo excidio obſtetricatur. Qui hodie audivit Patremfamilias dicere de tritico & zizanijs, *ſinite utraque creſcere*, is etiam percipiat cauſam providi mandati; ut nempe maturæ meſſis tempore à bonis ſeparentur mali, à tritico zizania, in faſciculos alliganda *ad comburendum*. Qui renuit cum zizanijs infernalibus pœnis in pabulum cedere, renuat & zizania cum tritico in fœcundo Romanæ Eccleſiæ agro ſuccreſcere. Fateor, mundi hujus ſtatum tam periculoſum eſſe, ut neceſſe ſit, inter tot gentium motus ac depravatos populorum mores venire ſcandala; ſed illud vel maximè ſcandaloſis penſandum animis, quod in illos cœleſti fulmine detorquetur ſequenti textu. *Væ mundo à ſcandalis!* Matth. 18. v. 7. & 6. *Veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit! Expedit, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Pari ratione non eſt aliter, *oportet hæreſes eſſe*; ſed non ad deſtructionem directè, quin potiùs ad ædificationem, *ut & qui pro-* 1. Cor. 11. v. 19. *bati ſunt, manifeſti fiant in vobis*: ſic enim tempore hæreſeos & ſchiſmatis manifeſtatur, quinam in fide & pietate fundati & conſtantes ſint: Quomodo apud Corinthios manifeſtabatur conſtantia & patientia pauperum, quos divites aſpernabantur; item modeſtia & charitas divitum illorum, qui oderant ſchiſmata, & pauperes ad cœnas & agapes ſuas advocabant. Hunc Apoſtoli locum D. Auguſtinus egregiâ allegoriâ ex Numerorum 16. ad S. Auguſtin. ſerm. 98. de tempore. rem propoſitam ſic illuſtrat. [Si doctrina Eccleſiaſtica ſimplex eſſet, & „nullis extrinſecùs hæreticorum do„gmatum aſſertionibus cingeretur, „non poterat tam clara, & tam exa„minata videri fides noſtra. Sed id„circò doctrinam Catholicam con„tradicentium obſidet impugnatio, ut „fides noſtra non otio torpeſcat, ſed „multis exercitationibus elimetur. „Propter hoc denique & Apoſtolus „dicebat: *oportet autem hæreſes eſſe, ut* „*probati quique manifeſti fiant inter* „*vos*. Hoc eſt dicere: oportet hære„ticorum thuribulis altare circumda„ri, ut certa & manifeſta omnibus fiat „Fidelium atque Infidelium differen„tia. Cùm enim fides Catholica ve„lut aurum cœperit fulgere, & præ„dicatio ejus ut argentum igne pro„batum intuentibus reſplenduerit; „tunc majore cum turpitudine & de„decore Hæreticorum voces obſcuri „æramenti vilitate ſordebunt. Hæc „autem diximus de thuribulis eorum, „qui condemnati ſunt, quæ altari ju„bentur affigi, quòd ex comparatio„ne impiorum iſti clariores appa„reant.] Eodem conſilio Deus prædeſtinatos & electos reprobis contrapoſitos voluit; nitorem electorum, per comparationem ad reproborum fuliginem, redditurus illuſtriorem; de quo præter cæteras ejusce rei cauſas, etiam illud inſigne ponit documentū; viſum eſſe Deo per antitheta univerſum orbem, etiam quoad naturæ or-

dinem temperare, ut decus bonorum eſſet auctius. In quam rem adhibet exemplum contrapoſitorum, quæ ad orationis concinnitatem conferunt „plurimùm. Tum ſubdit. [Sicut er„gò iſta contraria contrarijs oppoſita, „ſermonibus pulchritudinem red„dunt; ita quâdam non verborum, ſed „rerum eloquentiâ, contrariorum op„poſitione ſæculi pulchritudo com„ponitur. Apertiſſimè hoc poſitum „eſt in libro Eccleſiaſtici hoc modo. „*Contra malum bonum eſt, & contra mor„tem vita; ſic contra pium peccator. Et „ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, bina „& bina, unum contra unum.*] Nempe ad pulchritudinem conciliandam plurimùm confert, jungi ad eum modum oppoſita, & pulchris deformia: ſic qualitas boni ex malo ſcitur, item mali ex bono. Denique idcirco DEUS obſcæniſſimas turpitudines Ethnicorum, & Gnoſticorum permiſit, ut in comparatione impuræ nequitiæ, dulceſcat puriſſima diſciplina virtutis.

S. Auguſtin. lib. 11. de civit. c. 18.

Eccleſ. 33. v. 15.

93. Occaſio diſcernit inter fideles & infideles.

Inſuper ut *fiant manifeſti, qui probati ſunt*, vix opportunius ſuppetit medium, quàm emergentis cujusdam turbulentiæ, occulta quæque objicientis ex adverſo. Faciliùs terra fœcundo utero gratioſos progerminat flores, ſi valido concutiatur tonitru. Ignorat Rex ſuos in fidelitate diſcriminare Status, quamdiu ſecundâ & quietâ aurâ Regnum tranquillatur: at verò ubi defectiones, bella, rebelliones, inſidiæ parantur, tum primùm apertè ſeſe produnt in regium diadema conſpirantes, & gliſcentis perduellionis rei Vanelli, quibus ſeſe fortiſſimo conatu, ac armorum virtute, opponunt in fide conſtantes Regis Vaſalli. Exhorruit in hoc paſſu ætatis noſtræ memoria ſuper illâ funeſtiſſimâ cataſtrophe, quam turpiter ſubierunt Serini, Frangibani, aliique Vngaricæ conſpirationis contra Auguſtiſſimum ac inviĉtiſſimum Sac. Rom. Imperij Cæſarem Leopoldum glorioſiſſimum, inſidioſiſſimi machinatores, cæterâ glorioſis heroibus comparandi, niſi præſtantiſſimas ſuas à Turcis obtentas pro Cæſare victorias fœdâ perfidiâ obliteraſſent. Sic nempe *neceſſe eſt, ut veniant ſcandala.* In primitivâ Eccleſiâ quid non pacis, floris, tranquillitatis, conſolationis, ſanctitatis apud omnes Chriſti fideles obſervabatur? In compendio rem explicat Sacer textus, aſſerendo, *credentium* fuiſſe *cor unum, & animam unam.* Proſilierant pauliſper crudeles Tyrannorum inſidiæ, tortorum furiæ, minitantium iræ, perſequentium diræ, blandientium corruptelæ, *ut* per tot crudelitatis machinas *qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Vidiſſes tunc alios nec minis à Chriſto averti, nec blanditijs amoveri, nec frangi tormentis, nec flecti muneribus, nec deterreri horridis crudelitatum inventionibus; ſed potiùs in fide conſtantes, per plagas cruentas, per fractas cervices, per fuſum ſanguinem Chriſto ſubſcribere fortiſſimos Martyres; alios econtra Vanellos planxiſſes facili terrore perculſos, aut vitæ dulcedine perſvaſos, qui perfidè & fatuè à Chriſto deficerent, & ad caſtra Gentilium tranſirent. Porro ſicut D. Cypriano teſte, tempore Decij Imperatoris, *ad primum ſtatim verbum minantis inimici maximus fratrum numerus fidem ſuam perdidit, nec proſtratus eſt perſecutionis impetu, ſed voluntario lapſu ſe ipſe proſtravit, &c. Quaſi hoc olim cuperent, quaſi amplecterentur occaſionem datam, quam ſemper aptaſſent.* Ita eveniſſe plorat Romana Eccleſia tempore Lutheri, Calvini, Zvvinglij, aliorúmque Vanellorum gregatim evolantium. Defluxerant fideles ad luxum, ambitionem, avaritiam, delicias, rerum ſacrarum contemptum, Sacramentorum neglectû, & aurei vituli celebrationem: idcirco manifeſtandi erant probati, voluitque DEUS ſuam purgare aream; ut palea quidem, hoc eſt, homines leves, & omni doctrinâ circumferri parati Vanelli, modò ventus adeſſet, ab Eccleſiâ avolarent; reliqui in fide proficerent, ac confirmarentur.

Act. 4. v. 32.

S. Cyprianus ſerm. de lapſis.

Juvat hìc Germani culmen Imperij ſuſpicere, & valido ploratu in circumjacentia regna penetrare. Juvat ſcrutari in vetuſtiſſimis Codicibus anna- 94. Germaniæ ſibi in antiquâ ſuâ religione diſſimilis.

annales, in epitaphijs celeuſmata, in turribus campanas, in Eccleſijs picturas & altaria, in ruderibus antiquam Religionem, in lapidibus avitam profeſſionem, & in fundationibus veriſſimam Eccleſiæ faciem. Hæccine ſunt monumenta Catholicæ & Romanæ Fidei, à noſtris Majoribus ante replicatas ſæculorum periodos erecta? Vt quid conticeſcunt pſalleotes in Choris, & obmuteſcunt in altis turribus campanæ, populum DEI ad Eccleſiam coocitare olim doctæ. Siccine in profanatis templis & expilaris monaſterijs nunc conſidet abominatio, nunc ſylvæ ſuccreſcunt, & devaſtatio? Non eſt hæc vera ſalutis via, non Fides ampliùs ſalutifera, quam à ſanctis tuis Apoſtolis Gregorio & Auguſtino accepiſti, ô Anglia, tot cædibus ac ſacrilegijs fuoeſta! Aliam tibi, ô Dania, Religionem teſtamento reliquir Sanct⁹ tuus proprio ſanguine purpuratus Martyr & Rex Canutus! Aliam tibi, Svecia, ſanctiſſimi tui cum D. Birgitta dictàrunt Majores! Non ampliùs inter ſuas oviculas D. Maodritta Otto nomeraret Pomeraniæ incolas; nec S. Rex Stephanus à deficientibus Vngaris fidelitatis juramentorum acceptaret; nec Saxooes D. Adalbertus Fidelium gregi ampliùs adjudicaret; nec Germaniam ampliùs cognoſceret S. Bonifacius, à ſe ex geotilitatis erroribus ad Chriſtum converſam; ubi tot in Regnis, Provincijs, urbibus & colonijs, hæreſum zizania ac Vanellorum agmina involàruot. Soli inter omnes Germanas Provincias (ſalva ſit omnibus cæteris Germaniæ Nationibus in Catholica Religione ſinceritas) Bavariæ plauſus debetur, Bavariæ laus. Nationi religioſiſſimæ, quòd Divinæ gratiæ in tot tantiſque hæreſum circumquaque ſerpentium ioſoltibus cooperata, ab omni pravitate heterodoxâ non ſolùm immunem ſeſe ſervaverit, ſed Hebraicæ etiam perfidiæ omoem incolatum ioterdixerit; ac per ſuos religioſiſſimos Duces, Clerúmque modeſtiſſimum, in ſanctâ, Romanâ, Catholicâ, verâ & Apoſtolicâ fide, pura ſemper, intemerata, ſana, intacta, & conſtans permanſerit, ſolius ferax tritici, impatiens lolij.

Præter hæc omnia novit Fons illæ bonitatis DEUS, id quod malum eſt, opportunè in bonum convertere, & quod ſuæ contrarium eſt voluntati, in gloriæ Divinæ excellentiam transponere: ſolius Diabolicæ artis muous eſt, virtutem exſcindere, bonum depravare, & meritis valorem auferre per peccata lethalia. Nempe Paterfamilias bonum ſerit triticum; ſed *venit inimicus, & ſuperſeminat zizania*: hoc opus ſolius eſt Sathanæ; hoc hæreticorum pravitas, corrompere quod erat bonum, non autem ullo modo meliorare, quod malum erat. Enimverò dic, Sodes, an unquam Ariani, Manichæi, Lutherani, Calviniſtæ, aut alij hæretici ullam ex Gentibus aut Hebræis Provinciam ad ſuam ſectam, aut Chriſtianiſimum reduxerint? Nullam profectò. Et ſi id de Hollandis ſpargitur, quòd in Inſulis Americalib⁹ ſuis dogmatibus Gentiles imboant, id novum, & vel ingeniorum Gentiliū heberudini, vel armorum potentiæ, vel Hollandorum denique vafritiei, non religioni, ſuccenſendum erit. Quòd ſi ad Catholicorum & Romanæ Eccleſiæ plagas te transfetas, ibi duntaxat obſervabis magnę per eos Beſtię impreſſa veſtigia, corruptam fidem, hæreticæ pravitatis diſperſa venena, infectos animos, ſuffocatas urbes, Provincias intoxicatas. Methodum Divinæ Providentiæ percipite. Poſtquam Provinciæ, ac nobiliſſima Regna à DEO per S. Apoſtolos ad Orthodoxam fidem redocta, & per religioſos paſtores io ſancta converſatione, ac Divinarum Legum obſervantiâ ſunt diu conſervata, atque adminiſtrata; tandem (ut infirma ſunt humana omnia) cœpit tepeſcere fidelium pietas, & converſatio ad damnatas licentias deviare: cùm ergo *dormirent homines, venit inimicus homo, ac ſuperſeminavit zizania*; exinde torpuit Religioſorum exercitatio, ignorantia ſacrarum ſcientiarum effloruit, & deploranda ſuccrevit in Eccleſia abominatio. Verùm in tali confuſionum

95. Permittit Deus malum hæreſis, ut inde efficiat bona.

num farragine non obliviſcitur Deus ſuæ Bonitatis, & Providentiæ. Quid enim? Expectat *tempus putationis*, & ubi videt *regiones albas ad meſſem*, conducit meſſores juſtâ mercede: ite, ait, ad agros, acuite falcem, navate operâ, ſuccidite meſſem; ſed obſervate, ne ſimul cum triticio zizania invehatis: quin potiùs *colligite primùm zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum*. Nempe tempus putationis advenit, & reformandæ Eccleſiæ; opportunè profundam agentes radicem hæreſes exſcindendæ. Heus! vos ſomnolenti gregum Paſtores, abigite lupos, qui invaſerunt greges! Vos oſcitantes Eccleſiarum Miniſtri, abjicite ſcandala, quæ hactenus Altare Domini circumdederunt! Vos cathedrarum Præſides corrigite errores, quos ad deſtructionem populi temerariè aſſeruiſtis! Vos Infularum Præſules reaſſumite, & defendite ſacros Canones, quos Anteceſſores veſtri peſſimè uſurpârunt! Ex tunc coguntur generalia Concilia; articuli veræ fidei illuſtrantur, & firmantur; Religioſi Ordines revocantur ad diſciplinam; reparantur Eccleſiæ, & Divina Officia eximiâ religione peraguntur; eriguntur paſſim ſublimiores Scholæ, in quibus ſtudioſa juventus ad ſanam doctrinam, & honeſtiſſimos mores ſedulò inſtituitur; Animarum curæ præficiuntur viri exemplares, & ad omnem populi Chriſtiani ædificationem collaborantes; Theologicis ſcientijs præclara & exacta adhibetur induſtria; ſeparantur denique à tritico zizania, falſitas damnoſa à ſalvificâ veritate, à zelotypia zelus, ab hypocriſi pietas, ab hæreſi Fidelium multitudo. Ex tunc firmatur Petra, ſupra quam fundata eſt Chriſti Eccleſia, præclariſſimis Doctoribus; acuuntur ingenia; virtus exercetur, ad cotem, & prodit ex fuligine aurum probatiſſimum. Tam potenter & ſvaviter ex occaſione mali novit Deus producere bonum, & ex tenebris ſuam lucem manifeſtare.

96. Piâ in Deum fulcior fiduciâ, fore, ut olim deletis errorum maculis, depoſitiſque crudelitatum larvis, caſum ſuum Europeæ Provinciæ ſibi applicent ad cautelam; prout exturbatis Arianorum tumultibus, Italia, Hiſpania, aliæque maritimæ Nationes fecerunt, erigendo Tribunalia S. Inquiſitionis Fidei, ad quæ ſollicitè trahantur, examinentur, condemnentur, quotquot prava, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ adverſantia dogmata, vel docent in pulpitis, vel ſpargunt in populis, vel privatim coram ſocijs profitentur. Colligenda zizania ſunt, & alliganda faſciculis ad comburendum, ac maturè reſecanda mala, ne diſſimulando invaleſcant, & tandem totam corrumpant maſſam Divinæ Prædeſtinationis. Nondum è mortalium memoriâ factum illud heroicis lauris coronandum evanuit, quo Sereniſſimus Hiſpaniarum Rex Infantem ſuum filium, tot ſceptrorum hæredem, è medio ſuſtulit, eò quòd cum Proteſtantibus Germaniæ Proceribus deprehenſus ſit improba fœdera contraxiſſe. Atque utinam Carolus quintus, magnus ille rebellis Domitor orbis, pati reſolutione proceſſiſſet contra Proteſtantes Germaniæ Principes, quos poſt Schmalkaldicam commotionem in pluribus vicit prælijs, enervavit, dejecit, atque compeditos in triumpho duxit; nunquam Germania, tot præſtantiſſimarum nationum fœcunda Mater, in tam execrabiles prolapſa fuiſſet hæreſes, nec tantas bellorum concitaſſet catastrophes, nec innumerabilium malorum cataractas abſorbuiſſet, nec Lernæi Draconis prototypon exhibuiſſet, nec ulli Vanelli ampliùs ſuas vanitates clamando diſſeminâſſent! Maturè ſcilicet adhibenda cautela malis, ex malo uno velut equo Trojano proſilientibus.

Maturè adhibenda cautela malis ex malo proſilientibus.

Vbi tam ſerius mihi agitur cum Germaniâ diſcurſus, in ejus gratiam placeat audire ex Diacono, Chroniſta Eccleſiaſtico, quid Romaldæ finiſtri evenerit, ut diſcat alieno infortunio ſapere. Circa annum Domini ſexcenteſimum Foro Julij dux præerat 97.

Germania ad reſipiſcentiam invocatur. Diaconus lib. 4. c. 12. & 14.

Agl-

Agiſus: conſors ejus Romalda, *mulier Pulchra & Fatua*, viri thorum cùm faſtidiret (prout ambitioſus eſt muliebris ſexus) coronas,& ſceptra parturiebat animo; quæ tandem volebateniti, dum Cacannum Vngarorum Regem ſinceratis literis ad amicitiam invitavit, doloſè ſollicitando, ut veniret armato exercitu; præ ſimulato terrore aperiendas ipſi fore civitatum portas; ducem inſuper Agiſum, ſine viri gregarij jacturâ, in ejus manus alludendum; ſervando tamen pacto, ut præmiſsâ nuptiali ſponſione eam in ſuam conthoralem ſibi adſciſceret; hoc enim medio & Cacannum fore Fori Julij Ducem, & Romaldam Vngariæ Reginam. Acceptat Cacannus conditiones; irrumpit unacum valido exercitu in Forum Julij, ac conficit Agiſum in prælio: cùm autem Romalda ſperaret & ad thorum regalem citari, & ad thronum regium ſublimari; tum, ecce! Cacannus eam ſalutat amicè, tractat honorificè, producit in apricum campum, coram exercitûs ſui acie palo alligat, circumponit ligna, eámque vivi-comburio extinguit crudeliſſimè, cauſam facti proloquens: *Tali ſiquidem digna es marito.* Exinde validum deptome argumentum, ô nobilis Germania! Tu enim florebas *ſicut Paradiſus DEI deſcendentibus in Segor*, quamdiu Provinciæ tuæ in materno Catholicæ Romanæ Eccleſiæ gremio placidè quieſcebant: tibi ſufficiens eſſe poteras ad ſaturitatem capeſſendam ex poſſeſsione propriæ beatitudinis: quia verò abiviſti *poſt amatores multos*, & ſuperbo turgens ſpiritu, ut ſublimior evaderes, excuſsiſti ſuave Catholicorum jugum ex plurimâ parte; Vanellis inſuper, ac perverſiſsimis hæreticorum erroribus adhæſiſti ardentiſsimo amore; hinc Deo permittente contigit, ut hoſtes plurimos, ac potentiſsimos contra te irritares; qui te undequaque in anguſtias redigerent, igne ferróque exſcinderent, expilarent, confunderent, devaſtarentur. *Tali ſiquidem digna eras marito.* Revertere ergo, virgo Iſrael! Revertere, ô deſolata ac deformata Germania ad primævam tuam Romano-Catholicam Eccleſiam: quidquid de novitatibus ſentiant alij, tu Germanicæ phraſi ſubſcribe, antiquæ monetæ, antiquo vino, & antiquæ Fidei, prærogativam eximiam tribuenti: Altes Gelt / alter Wein / vnd alter Glaub / die beſte ſeyn.

Quibus ſic ex Divinâ permiſſione emergentibus, jam nemo ampliùs cum vatidico Jeremiâ rem querulâ diſceptatione dignam arbitretur; ſi viderit Vanellos habitare inter Alaudas, & cum tritico ſelecto creſcere zizania, & cum probis vivere reprobos, & proſperare impios inter pios, ærumnis afflictos: ita certè mundus contrarijs agitur, & inter adverſa eniteſcit virtus, ſerenior promicat Olympus ex caliginosâ intemperie, & inter fluctuantes aquarum impetus glorioſior eminet periclitantis cymbæ fortuna. Circumſpecti Patrisfamilias hæc eſt oeconomia; qui ſinit frumentum electum cum zizanijs matureſcere usque ad meſſem; tempore autem meſsis præcipit meſſoribus: *colligite Zizania in faſciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* Sit anima noſtra coram Deo, non de Vanellorum grege, ſed Deo placens *in faſciculo viventium!*

Amen.

M DO-

SEXTA POST EPIPHANIAM.

FATIDICUS CORVUS.

Der übeldeutende Rapp.

LEMMA.

Semper vomit omina. Fauſtus Andrelinus.

THEMA.

Granum Sinapis fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus. Matth. 13. v. 32.

SYNOPSIS CONCIONIS XII.

Nihil cæcæ Gentilium Fortunæ, nil temero Caſui, nil ineluctabilis Fati neceſſitudini tribuendum; ſed præciſè Divinæ Providentiæ omnia ordinatè, & ſvaviter diſponenti, veniunt admetienda.

98. Arbor Sinapis magnificatur pro corvis.

AUxeſis eſt inſolita, nec niſi ſolis Ornithologis familiaris, quam hodiernæ Parabolæ Servator in Evangelio adhibuit. Notate phraſin, ſignate myſterium. Regnum cœlorum aſſimilabatur Grano Sinapis, *quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo: quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus; cùm autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor*, magna valde. Et quid expectatis de hac arboris magnitudine? Fortè granum Sinapis in tam magnam excreſcit arborem, ut exinde in magnificis palatijs fabricentur dolata laquearia? Aut certè, ut robuſtæ tornentur columnæ, ad ſuſtinendam incumbentium ædium molem? Fortè, ut ingentes navium machinæ exinde conſurgant, quibus tempeſtuoſi maris procellæ frangantur, & pretioſæ merces ex Fortunatis Inſulis transferantur? Fortè, ut exinde artificis manu ornata ſtatuatur imago, repræſentans Cæſarem, & intuentibus honorabilis? Nullum horum; ſed *granum Sinapis fit arbor* tam magna, *ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus.* Quid ſi hæc arbor excreſceret usque in cœlum, & baccas virides, ramósque pomiferos usque ad extrema terræ promontoria extenderet; ſimilis arbori proceræ, quam apud Danielem Nabuchodonoſor vidit; an non Corvi, & omne volatilium vulgus, nidificarent in ramis ejus? Corvi hodie vel lectio placet, vel electio favet: quippe ſi humana Fortuna, aut Infelicitas, ſub hoc Sinapis emblmate à minimo incipit, & in maximam excreſcit arborem; nemo digniùs in ea conſidet, quàm qui multa promittit in craſtinum, *letáque ſpondet*; Daniel. 4.

Triſtia vel crocitans, SEMPER VOMIT OMINA CORVUS.

Ignoſcite Auditores, ſi hodie ex cœli volucribus, ſuper Sinapis brachia habitantibus, ſolum vobis exhibeam Corvum; nam hic ſingularis eſt præco Divinæ Providentiæ; qui ſolerti vos edocebit oratione, humanorum caſuum nihil inani Fortunæ, nihil te-

me-

mero caſui, nihil infælici fato admetiendũ; ſed quidquid rerum contingit mortalibus, illud omne à Divina promanare Providentia, quæ *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Boni Corvi, bonum ovum accipite; & cœli volucrem, ex Siuapis cathedra crocitantem, conſvetâ patientiâ audite.

Sap. 8 v. 1.

99. Non ago auſpicem, ut ex corvorum, aliarúmque avium clamoribus, aut inanibus volatibus, futurorum fauſta vobis nuntiem vel infauſta præſagia: nam ſcandaloſa eſt, temeraria, fallax, & damnata auguriorum ars, totiésque in ſacris Scripturis reprobata obſervatio. Divinam potiùs Sapientiam, ac Providentiam in cœli volucribus adoro, cum Divis Ambroſio & Baſilio; quorum prior cùm latè diſſerviſſet, non eſſe captanda auguria, nec obſervandos avium volatus, eorumvé modum & figuram, ut nonnulli faciebant. [His omiſſis, inquit, „demirator, ac ſuſpice potiùs in avi„bus ſapientiam, ac providam diſpo„ſitionem Conditoris, quo pacto tanta „moles queat per aërem ferri; quâ„nam ratione mollis ac ſubtilior na„tura aëris, pennæ alatæ ſit vehicu„lum; quomodo aërem tranent paſſis „alis, caudâ verò, quaſi clavo nautico, „volatum ſuum adæquant & regunt: „qua item ratione, quæcunque inuti„liter & incommodè incedunt pedi„bus, vicem pedum ſupplent ala„rum remigio. Quæcunque nata„bilia, quæcunque item vivunt ra„pto, fabricam corporis ſortita ſunt „parandæ ſibi vitæ convenientem. „Et quidem rapacibus indulſit Natura „commoda rapinæ inſtrumenta, ceu „ſunt ungues; natabilibus autem „ſuppetunt pro corporis quantitate „remi. Qui verò placidioris ſunt na„turæ, pedes habent, ut latitudine „plantarum aqua per motoriam agi„tationem faciliſis propulſetur. Ni„hil uſquam eſt non plenum Sapien„tiâ Dei] & admirabili Providentiâ. Hoc fortè commune omnibus Naturæ operibus videbitur, in quibus vel procreandis, vel gubernandis & conſervandis, prædicanda Dei Providentia per univerſalem influxum operatur. Particularius eſt, quod ab ipſo Servatore noſtris objicitur conſiderationibus: *Conſiderate Corvos*, ait; *quia non ſeminant, neque metunt; quibus non eſt cellarium, neque horreum; & DEUS paſcit illos.*

Sapientia & Providentia Dei relucet ex Avibus.

D. Ambroſius 5. & 6 Hexameri D. Baſilius hom. 7. 8. & 9. Coſmopœa.

Luc. 12. v. 24.

Videtis, quàm officioſè per Corvos Divina demonſtratur Providentia; ubi vos ſub umbrâ Sinapis detineo, nidum exhibendo, in quo corvus ſua poſuit ova, paulò pòſt naturali calore excludenda. Jam, ecce! implumes pulli ex concharum carceribus prodiêre liberi (Vah! parentum crudelis in proles pietas!) tum vel maximè genitorum auxilio indigent, quo fames inſatiabilis mitigaretur, & teneritudini vitæ præſtaretur ſubſidium. Sed verò ſic per integros ſex dies dimittuntur deſolati, imbecilles, infirmi, miſeri, tenelli, proſtituti; ut lamentari meritò poſſent cum Pſalmiſta, *quoniam Pater meus, & mater mea dereliquerunt me.* Supervenit ad hanc pullorum in nido congeriem Orientalis ille Tetrarcha, Job circumſpectiſſimus; & ubi periculum in morâ deprehendit, ne pulli neglecti pereant, compaſſivo affectu de Architriclino inquirit. Heus tu! ait ad aucupem prætereuntem. *Quis præparat Corvo eſcam ſuam, quando pulli ejus clamant vagientes, eò quòd non habeant cibum?* Auceps rerum gnariſſimus, ut dignè reſpondeat, & importunè ſollicitantem repellat, ad Divinam recurrit Providentiam, velut locupletiſſimam animantium Oeconomam. Quid exiſtimatis; an caſui aut Fortunæ imputandum, ut pulli corvorum extremâ non deficiant egeſtate? Id minimè quidem; quando providentiſſimus *Dominus DEUS dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis Corvorum invocantibus eum.* 100.

Corvorum nidus jucundè tribuitur D. Providentiæ.

Pſ. 26. v. 10.

Job. 38. v. 41.

Pſal. 146. v. 9.

Symbolum præclariſſimum Divinæ Providentiæ, à Lucarino quodam ingenioſo inventore ſuggeſtum: Pulli corvorum jacentes in nido, & derelicti à ſuis Progenitoribus, & præcisè paſti ab animalculis advolantibus;

cum ſuperſcriptione : *Nec derelictis deficit eſca.* Nempe inſervit ad præſens inſtitutum S. Joannis Chryſoſtomi conſideratio ; quòd pullis corvorum intùs in nido poſitis, & ab utroque parente dereliſctis, *obvolitant animalcula quædam, Divinâ Providentiâ ſuppeditata; quæ captantes illi creſcunt, & aluntur* ; ubi ad exprimendum affectum pupillorum crocitantium, & de alimento ſollicitantium, rectè ſubſcribitur lemma, *INVOCANTIBUS ESCAM*, depromptum ex relato Pſalmo: *Dat pullis corvorum invocantibus eum.* Ybi Euthimius, relatus à Gloſsâ ordinariâ: *non quòd intelligant, quid agant, ſed quia invocare videntur; & quia illorum clamor obſecrationem quandam, ac preces imitatur.* Et P. Joannes Pineda ad DEI Providentiam collimat: *Illorum inamanas & abſonas crocitationes, quaſi ſuorum infantulorum vagitus æſtimat; illorum importuniſſimis clangoribus demulceri, & ad miſericordiam allici dignatur.* O teneram, ac delicatam Divinæ Providentiæ vigilantiam, quæ opportuno tempore *jumentis dat eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum!*

a Chryſoſt. hom. in Eliam Prophetam.

Euthimius in Gloſſa.

Pineda in c. 38. Iob. v. 41. n. 30

101. Quam Providentiam in ſeipſis perſentiſcunt Corvi, eam docent pulcherrimis experientijs viros ab inani Fortunâ averſos, & ad DEUM plenè converſos. Laborabat Elias Propheta diriſſimâ fame, & dum inediâ per quatuor annos affligeretur graviſſimâ, DEO ſuaviter diſponente, *Corvi deferebant ei panem & carnes mane, ſimiliter panem & carnes veſperi.* Eremitarum ſignifer Paulus ſexaginta annis medio paſcebatur pane, quem ſibi Corvus attulerat ordinariâ refectionis horâ; ſed verò cùm is à D. Antonio, eremi Cultore celeberrimo, pro conſolatione ſpiritûs inviſeretur, per eundem Corvum *militibus ſuis Chriſtus duplicavit annonam.* Pari proviſione D. Menradus, Helvetorum jubar, claruit; & quod rarius eſt, D. Benedictus venenatum panem, ſibi ab æmulis ex odio porrectum, Corvis in aëre prætervolantibus commendavit, ut ad tam deſertum reijcerent locum, ubi nulli animantium lethalem poſſet cauſare paroxyſmum.

Corvi ſunt inſtrumenta D. providentiæ.

3. Reg. 17. v. 6.

Nempe candidis & implumibus corvorum pullis, jacentibus in nido, & à patentum curâ neglectis, à cœlo tamen mirabiliter paſtis, rectè ſubſcribitur, CANDIDOS ÆTHER ALIT: quia Providentiſſimus DEUS ſingulati ſuâ aſſiſtentiâ adjuvat, & ſubvenit juſtis, collimante Pſalmiſta : *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.* Enim verò Berchorio teſte, *Quamdiu nos fuerimus ſine nigredine vitiorum albi, id eſt, innocentes & puri; tamdiu DEUS rore cœleſtis gratiæ nos nutriet, & perfundet.* Sed & ipſe Ros cœleſtis, qui deſcendit ſuper nidum plenum famelicis & ſquallentibus Corvulis, *REFICIT, CUM DEFICIT*, manifeſtè Divinæ liberalitatis figurationem exhibens, ſpeciale auxilium ſubitò præſtantis omni auxilio deſtitutis, juxta mentem Petri Chryſologi aſſerentis: *Ubi humana deſunt, divina ſuccurrunt.* Et Petri Damiani : *Sæpè ubi magis ex humanâ ratione diffiditur, illic propenſiùs ſuperna clementia ſubvenit: & ubi ſolatium deſperamus humanum, divinum plerumque cernimus adeſſe præſidium.* Si quæras, cur tam prompra & oxpedita ſit DEI Providentia ad ſuſtentandos Juſtos & Electos ſuos; quos Regius Pſalmiſta nunquam vidit derelictos, nec ſemen eorum quærens panem? Nempe videtur, poſſe derelictis Corvorum pullis, & in nidulo ſuo conſidentibus inſcribi : NIGRESCENDO VOLABUNT: quia Chriſti ſervi, & Fideles omnes, quantò plùs ſe reputant obſcuros & abjectos, tantò magis ſunt diſpoſiti, ut ſubleventur à DEO ad ſublimiores excellentias; ad quas intendit Hugo Victorinus, dicens: *Pulli dum nigro ſe pennarum colore veſtiunt, de ſe etiam volatum promittunt; quia quò magis diſcipuli abjecta de ſe ſentiunt, eò ampliùs ſpem proventûs ſui in altiora pollicentur.* Mitto igitur innumeros reliquos, quibus vel per Corvos, vel per alios cœli remiges, Clementiſſimus DEUS mirabiliter providere dignatus eſt; & ad alias me reflecto humanæ converſationis con-

Pſalm. 33. v. 16.

Berchorius in Reductor. l. 7. c. 13. ſub. 19.

Chryſologus ſerm. 116.

Petrus Damianus l. 7. Ep. 17.

Hugo Victorinus l. 1. de beſt. c. 35.

tin-

tingentias, quas cæca mortalitas vel à libera electione animi ſejungit, vel à Dei Providentiâ alienas fingit, puræque Fortunæ temerariâ opinione adſcribit. Nempe humana ſors eò cæcitatis delapſa eſt, ut Fato & Fortunâ res omnes noſtras agi, malè credentium Politicorum perennet ſententia.

102. Magna hac in parte Ethnicorum imitatio: qui Fortunam Deam maximam artificioſis coluêre ſtatuis, & pſeudoſacris cæremonijs adoraverunt. Ejus imaginem apud quosdam novaculæ impoſitam, vel globo inſiſtentem circumferebant, ut proſperæ Fortunæ periculum, & inſtabilitatem deſignarent: apud alios autem gubernaculum navis incertum committebant manibus ejus, tanquam rerum Vniverſitatem moderantis: Romani illam in ſterquilinio collocarunt, *dignum* (ut ait Clemens Alexandrinus) *Deæ templum, ſeceſſum tribuentes.* Quinimò *Fortuna Barbata*, teſte D. Auguſtino, plurimi facti ſunt ſupplices, pro maximo beneficio reputantes, ſi à Dea prolixæ & luculentæ barbæ decore donarentur. Alij in ſaxi aut montis cacumine expoſitam ventis, plerique rotæ inſiſtentem pinxêre. Certè Apelles, cùm Fortunam ſedentem pinxiſſet, rogatus cur id faceret; *quia*, inquit, *nunquam ſtetit.* Apud Scythas ſine pedibus fingebatur, ut manus tantùm & pennas haberet, inſtar apodum. Fortunam alij in equo velociſſimo conſtituerunt, & currentem eam intento arcu Fatum inſequi, ſignificantes inſtabilitatem pernicitatémque ejus: hinc adagium, *Fortuna Euripus.* De cultu Fortunæ præclariſſimè Plinius nervum erroris in compendium redigit, ſic diſſerens. „[Toto mundo, & locis omnibus, o„mnibúsq; horis, omniũ vocibus For„tuna ſola invocatur, una nominatur, „una accuſatur, una agitur rea, una „cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur „& cum convicijs colitur: volubilis, „à plerisque verò & cæca etiam exi„ſtimata, vaga, inconſtans, incerta, „varia, indignorum fautrix. Huic „omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mor„talium ſola utramque paginam fa„cit; adeóque obnoxiæ ſumus ſortis, „ut ſors ipſa pro Dea ſit, quæ Dea probatur incerta.] Eventum ergo proſperum vel improſperum, humanus error Fortunam Deam fecit. Acriter minitando increpat Deus hujusce Divæ cultores per Iſaiam. *Vos, qui dereliquiſtis Dominum, qui obliti eſtis montem ſanctum meum, qui ponitis Fortunæ menſam, & libatis ſuper eam: numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis.* Pro Fortunâ Hebraicus textus ponit *Gad*, hoc eſt, felicitas Fortunæ: unde Lia filium ex zelpha ancilla ſua natum, vocavit Gad, dicens *Feliciter*, ſcilicet hic mihi filius natus eſt. Ex quo patet, Gad fuiſſe Deum Gentium, à quo in bellis fortunam, & victoriam pendere cenſebant; nec abs re dixero, Germanos, olim bellis & rapinis addictos, Deum ſuum vocaſſe God, quaſi fortitudinis æquè ac fortunæ bellicæ præſidem: in prælio enim, ut ait Poëta, *fors & virtus miſcentur in uno.* Certum ergo eſt, Gentiles Fortunam coluiſſe ut Deum aut Deam, canente Virgilio: *Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum.* Cauſam ſi quæris, haud eſſe videtur obſcura: multa enim in rebus humanis fortuita ſunt, & fortuitò eveniunt; uti opes, honores, victoriæ in bello: rurſum probis ſæpe adverſa, impijs proſpera, non meritò, ſed quaſi fortuitò accidunt. Vnde ſuperſtitioſa plebs Fortunæ hæc tribuit, neſciens, Fortunam à Divina regi Providentia. Hinc multi profitentur illud Herculis: *ut quid incubui virtuti, quam video ſubjacere fortunæ.* Hac ergò de cauſa Gentiles coluerunt Fortunam, quaſi Deam potentiſſimam, ſuósque beantem. Quin & apud Chriſtianos non deſunt, qui Fortunæ plùs tribuant, quàm prudentiæ aut virtuti; & quia rectè vivere perinde ac Deum non curant, conciliatâ ſibi Fortunâ lætantur, quæ illos ſine ullis bonis meritis faceret fortunatos. Ovidij illis cantilena placet, ad rem ſic accinentis.

Fortuna cur, & quomodo pro Dea colatur.

Clemens Alex. in protrept.

S. Auguſtin. 6. civit. c. 1.

Plinius lib. 2. c. 7.

Iſaiæ 65. v. 11.

Geneſ. 30. v. 11.

Virgil.

Ovid. lib. de faſt.

Nempe dat, & quodcunque libet, Fortuna, rapitque:
Irus & eſt ſubitò, qui modò Crœſus erat.
Paſſibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nulla certa tenaxque loco;
Sed modò læta venit; vultus modò ſumit acerbos.
Et tantùm conſtans in levitate ſua eſt.

103. Fortuna, Caſus & Fatum, quid apud Philoſophos?

Ad ſaniora principia flectendum ingenium, nec quidquam fidei tribuendum erraticis Gentilium phantaſmatibus. Fortunam, Caſum & Fatum, æquiori metiuntur pede in ſcholis Philoſophi; quibus *Fortuna* dicitur eſſe *cauſa per accidens in his, quæ rarò contingunt ex electione*: v.g. quidam ex inopiâ in deſperationem actus, liberè ſeſe determinat ad ſuſpendium; injicit collo laqueum; quærit opportunũ executionis locum; interim ſubitò offendit theſaurum, quo ditatus miſeriæ obliviſcitur, abjecto laqueo redit ad ſe, & vivit hilariter. *Caſus* econtra eſt *cauſa per accidens in his, quæ rarò eveniunt ſine electione*. v. g. explodit quis temerè ſclopetum in ſublime; transvolat Corvus, qui globo trajectus decidit. Lepidior caſus eſt, qui contigit in quodam monaſterio; ibi cicuratus Corvus furtim multa abſtulit (nam rapere, ingenitum eſt Corvis à naturâ) inter alia Abbati etiam annulum paſtoralem; Abbas cùm poſt rigoroſam inquiſitionem furem non penetraret, excommunicationem fulminavit in annuli detentorem; infirmatur exinde graviter Corvus, caſúque reperitur annulus in Corvi domicilio; ſolvitur excommunicatio, & Corvus redit ad ſanitatem. Vbi vides, quot Caſus præter electionem concurrant. Circa *Fatum* cum Gentilibus plurimi fatales produnt ſententias: quorum alij dicunt, Fatum eſſe legem quandam inevitabilem ab Authore Naturæ poſitam, quæ rebus omnibus fatalem imponat neceſſitatem; nonnulli putârunt, omnia fieri ex neceſſitate, & ex æterna quadam atque invariabili ordinatione cauſarum, qua ſit ordinatum, & conſtitutum invariabile Fatum; multi Fatum ſumpſerunt pro ordine quodam Orbium cœleſtium, cauſantium omnes inferiores motus inevitabili influentiarum neceſſitate atque immutabili. Superſtitioni ſemper; an ſubinde etiam prodigio tribuendum, ſi Corvus avis *fatidica* fuit obſervata? Corvi fatidici.

Enimverò Alexandro Magno in obſidione Babylonis mortem præſagierunt, dum ſupra exercitum in acie confligentes, cum clamore valido, roſtris lancinati & confixi deciderunt. Tiberio Græco Fatum nunciârunt Corvi, turmatim ſupra ejus palatium convolantes, atque invicem pugnantes, tegulámque è tecto deijcientes, quæ imediatè ante pedes Tiberij tectâ tranſeuntis decidit. Ciceroni quietè dormienti in Tuſculano Corvi ſtrepero clamore epicœdium crocitabant in craſtinum, quo apparitores Antonij, infenſiſſimi ſui inimici, venirent, eúmque crudeli manu è vivis tollerent. Carolo, Vngarorum & Neapolis regi, Fatum lamentabile portenderunt Corvi, pridiano conflictu inſolentes. Galeazo Mariæ Mediolanenſium Duci tres Corvi, circa illum clamoroſè volitantes, crudele Fatum poſt triduum inſinuarunt. Ex eo, quòd Corvi omnes ex regia Vrbe Budenſi transmigrarent ad Albam Græcam, ubi regium Mauſoleum paratum ſtabat, nemo non conijciebat, Matthiam Corvinum Vngarorum Regem brevì fatis ceſſurum. Sive ex naturali impulſu, ſive (quod verius eſt) ex diabolica illuſione, fatidica hujusmodi auguria proveniant; exinde ſaltem verificatur, quòd

Triſtia ſic crocitans ſemper vomat omina Corvus.

104. Providentia DEI & Fatum, qua ratione coincidant. *S. Auguſtin. l. 5. civit. c. 1.*

Abſit à Catholicis DEUM timentibus hæc *Fati* acceptatio, quando & D. Auguſtinus abſtinendum eſſe à nomine *Fati* hortatur, ne fortè in deteriorem applicetur partem, & piæ Fidelium ſimplicitati Gentilem obtrudat errorem. Propoſito noſtro magis appropinquandum ex ſanâ, & Theologorum principijs ſubordinatâ Philoſophiâ, quæ *Fatum* docet eſſe *ordinem cauſa-*

cauſarum naturalium, producentium ſuos effectus ſecundùm infallibilem DEI Providentiam, & diſpoſitionem; qui ordo nec arbitrij noſtri in operando libertatem tollit, nec ullam ponit in effectu inevitabilitatē. Porro hæc ordinatio cauſarum ſi conſideretur ut exiſtens in DEO, tunc vocatur *Providentia*, qua DEUS cuncta gubernat, regit, & diſponit: ſi verò in ipſis cauſis ſecundis diſpoſitis & ordinatis ad aliquos producendos effectus conſideratur, quatenus ex vi diſpoſitionis in Mente Divina exiſtentis diſponuntur cauſæ ſecundæ ad executionem ordinis ſtabiliti à DEO; hac ratione ille ordo *Fati* nomen obtinere poteſt. Poſito ergo ordine cauſarum ſecundarum à Divina voluntate conſtituto, neceſſariò & infallibiliter omnes proveniunt effectus, quos Divina Scientia ab æterno prævidit ſecuturos, cùm falli non poſſit: hæc tamen neceſſitas, non eſt neceſſitas ſimpliciter, & cauſæ, ſed eſt neceſſitas ſuppoſitionis, & effectus; quia DEUS ita ſvaviter diſponit omnia, ut ſinat cauſas ſecundas ſuos motus agere. Vnde cauſa libera adhuc ad ſuos effectus concurrit liberè; neque DEUS operatur ad operationem voluntatis noſtræ, niſi voluntate creatā liberè agente, & ad agendum ſeſe determinante: ita ut DEUS operetur cum ea, & in eandem coincidat

Scotus in 3. d. 17. q. un.

determinationem; prout Subtilis noſter Doctor declarat fuſiùs.

105. Nihil fit fortuitò, quod non per Dei Providentiam diſponatur. Guil. Pariſienſ. 1. parte de univerſo, c. 64.

Fortunæ, Caſûs, & Fati prælibatis explicationibus, argumentum penetrantiſſimè proſequitur clariſſimus & pientiſſimus Epiſcopus Guilielmus Pariſienſis. Æternus Pater, dicit, dum Filium ſuum genuit ab æterno, unicum locutus eſt Verbum, in quo res omnes ſub quocunque præteritionis, futuritionis vel præſentiæ reſpectu comprehendit, & quidem cùm omnibus ſuis circumſtantiarum conjunctutis; ita ut nullus caſus, nulla operatio libera vel naturalis, violenta vel voluntaria, nullus cauſarum ordo, nulla mediorum diſtributio ab æterno usque in æternum inveniri poſſit, ut non à magno illo Divinæ Sapientiæ oculo præ & provideatur. In hoc Verbo inſtaurantur omnia, dividuntúrque naturæ, gratiæ, & gloriæ dona. Prævidit ab æterno peccatum, omnémque defectum in genere moris; permiſit etiam, ſed non voluit, quia Sanctitati ſuæ & Bonitati infinitæ opponuntur. Tanquam figulus poteſtatem obtinuit luti, ut ex eadem maſſa faceret *aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam*. Honores inſuper & contemptus, fortunas & infortunia, divitias & paupertatem, ſanitatem & dolores, ſceptra regia & baculos paſtorales, bona & mala, dividit prout vult, nemini iniquum vel injurioſum. Abſint impoſturæ Gentilis Fortunæ, & impiæ Fati neceſſitudines, ad tam abjectam mentis conditionem præcipitantes. *Quoniam mea ſunt*, ait Dominus, *omnes feræ ſylvarum, jumenta in montibus & boves; cognovi omnia volatilia cæli; & pulchritudo agri mecum eſt: Si eſuriero, non dicam tibi; meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo ejus.* [*Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo: per me Reges regnant, & Legum Conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam.*] *Nunquid cadet avis in laqueum terræ abſque aucupe? Nunquid auferetur laqueus de terrâ, antequam quid ceperit? Si clanget tuba in civitate, & populus non expaveſcet? Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Siccine perperam contigiſſe crediti caſu fortuito, ut Achab Rex Iſraël, dum contra Regem Syriæ pugnando ſub vili gregarij militis veſtimento latens declinaret impetum, inter ſcapulas percuteretur ſagittā? *Accidit autem, ut unus è populo ſagittam in incertum jaceret, & percuteret Regem Iſraël inter cervicem & ſcapulas.* Aut certè, dum David evaſit incolumis ictum validiſſimum, quem ipſi perſequens Saul tam fortiter intentavit, ut haſta fulminata infigeretur parieti? Luſtrat venator ſylvas, & audit in vicina arbore paſſerum rixoſos clamores; accedit clanculum; explodit bombardam, cadunt nonnulli, avolantibus

Rom. 9. v. 21.

Pſ. 49. v. 10.

Proverb. 8. v. 14.

Amos. 3. v. 5.

2. Paral. 18.

bus reliquis. Hiceine ſit Fortunæ ictus? minimè quidem; nam teſtante Salvatore, *unus paſſer non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro. Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt; nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Pari ratione in hoſtium conflictu, quando armatæ acies telis, ſaxis, globis, ferro, flammíſq; ſeſe confuſim impetunt, cadunt utrinque, utrinque evadunt multi. Guſtavo Adolpho Svecorum Regi, Ingolſtadium obſidenti, ex tormento proſternitur equus, cui inſidebat illæſus; Hóccine cæcæ adſcribitis Fortunæ, generoſi Chriſti milites? Neutiquam; ſed omnia ſic ſuaviter diſponit Divina Providentia.

Matth. 10. v. 30. 31.

106. Curioſa ſunt, quæ ſequuntur, & ex ſingulis Elementis in ſcænam producuntur. *Terra* dum ſubitò tremit, facit omnes contremiſcere, & lethali ſuffundi pallore: horrendo agitatur paroxyſmo, qui terrigenas concutiat, & evertat omnes. Et tamen Trajani tempore, dum tota civitas Antiochena horribili terræmotu corrueret, & vivos cives univerſaliter ampliſſimo tumulo ſepeliret concuſſa; ſolus & unicus infans, defunctæ matris ab ubere hærens, evaſit incolumis. Pari tremore terræ anno 1627. cùm in civitate S. Severini decem millia hominum obruerentur, ex turrium agitatione accidit, ut ponderoſa campana ſuo eliſa cardine in terram concideret, nec tamen puello, quem concluſerat, officeret quidquam. An tunc dormiviſſe putatis DEI Providentiam? *Aqua*, elementorum omnium perfidiſſima, Corvo *CARNIVORO, NON CANORO*, ſaltem ex Arca emiſſo, beneficium præſtitit peculiare, dum cadaver objecit, in quo depaſcendo conſidêret; cum homine autem inſidioſiſſimè agit. Et tamen anno 1570. in feſto Omnium Sanctorum, ſpecimen præſtitit admirandæ clementiæ: nam cùm intumeſcens mare ſuper littora potenter egrediens, Hollandiam, Seelandiam & Friſlandiam, tanto furore, & impetu ſub undas redigeret, ut caſtella & oppida paſſim ſubverterentur, & multa hominum millia miſerrimè interirent; infans in cunis, unacum fele ſuâ tam ſecurè dormiens ad jugum montis Senecenſis à navigantibus repertus eſt, ac ſi nulla periculi formido in tam funeſtis fluctibus eum attigiſſet. Dum anno 1669. Candia occuparetur à Turcis, & pax à Venetis cum Portâ Ottomanicâ concluderetur, auxiliares populi rediêre ad Catholicorum plagas: hos inter Bavaricæ copiæ, Venetis in auxilium miſſæ, per ſiniſtram fortunam naufragio reduces ſubmerſæ ſunt usque ad unum, pauciſſimis ſalvatis, qui in Scio Inſula ob ægritudines in alienas naves recepti ſunt. Et ſub hiſce eventibus Divina Providentia cœli cardines obambulet, aut noſtra haud conſideret? *Ignis & Aër*, cum ſubtiliſſima ſint corpora, ſibi maximè amica, uno facto plures exhibeant admiratione digniſſimos caſus. Anno 1546. Mechlini, hora undecima noctis, fulmen cecidit in robuſtiſſimam turrim, & pulverem nitratum ibi aſſervatum momentaneo incendio conſumpſit: tunc ſæviens flamma turrim ex fundamentis evertit; quadratos lapides longè disjecit per civitatem; quadringentas civium ædes proſtravit; quingentas perſonas oppreſſit, ac ultra duo hominum millia graviſſimè ſauciavit. Nulla domus non concuſſa ad ruinam; & qui ad plateas confugerant, ſaxorum imbribus oppreſſi conciderunt. Multi in momento ad ſesqui milliare foras ejecti, in arborum brachijs, aut petrarum ſcopulis miſerrimè hæſerunt. Judicis concubina, flavis ſuis capillis arbori irretita, pendere ſic inveniebatur nuda, effuſis viſceribus. In quadam tabernâ materfamilias, eo ipſo fulminis momento, in cellario ſubterraneo cereviſiam proliciebat ſecura; dum aſcenderet, invenit compotatores ſuos ſuffocatos calore, ac chartifolia tenentes manibus. Post octiduum, dum omnes ædium ruinæ diſquirerentur, & compreſſorum cadavera protraherentur, inventus eſt quidã ſenex grandævus & nudus, qui terrore &

formi-

Mirabiles eventus in elementis D. Providentiæ adſcripti.

Strabo de bello belgico, anno 1570.

Hiſtoria Belgica in vita Caroli V. anno 1546.

formidine contabeſcens,tremulâ voce, tremuliſque artubus ſciſcitabatur, num mundus jam totus eſſet everſus, & Chriſtus ad judicandum advenerit. Cum ſumma animi conſternatione percipimus hoſce Fortunæ & Infortunij caſus, Fatique ineluctabilis periodos, quibus & nos ſubitò poſſumus ſubjacere, niſi Divina nos Providentia ſubripiat à tam tremendis eventibus: *Quorum nihil*, teſte Proſpero, *fortuitis motibus ſubjacet; & ſingula quaque ejus legibus ſerviunt, qui ut vult, de omnibus, atque in omnibus ſecundùm cauſas occultæ rationis operatur.*

S. Proſper. in Pſal. 148.

107. *Nullatenus tollenda libertas in operando.* Sunt, qui omnia ſubtrahunt Divinæ Providentiæ, ac neceſſario duntaxat Aſtrorum influxui ita per ſuam adhærent ſententiam; ut ſolis ab illis humanas operationes, cæteróſque Naturæ effectus provenire commutabiliter aſſerant: hinc infauſto ſub ſidere, aiunt, progenitos, qui *adverſis* frequentet *caſibus* affliguntur: ſed errant, nam Aſtrorum inclinationes haud ullam ponunt neceſſitatis legem, cui humana mens in operando libera ſubjaceat; quin potiùs rectè, & prudenter operando *ſapiens dominabitur aſtris.* Ad Judicarios autem Aſtronomos, qui ex Planetarum aſpectibus, oppoſitionibus, domibus & angulis, inevitabiles prænuntiant curioſis auribus futuritiones, quadrat illud energeticum Tertulliani dictum. *Expelluntur Mathematici Urbe & Italia, ſicut angeli eorum cælo: non poteſt regnum cælorum ſperare, cujus digitus abutitur cælo.* Sunt, qui omnia tenent humanis fieri conſilijs, ſuiſque attribuunt viribus, quod non niſi à ſublimiori cauſa potuit promanâſſe: *Hi ſcilicet immolant ſagenæ ſuæ, & ſacrificant reti ſuo; quia in ipſis incraſſatæ ſunt partes eorum, & cibi eorum electi*: manus oſculantur proprias, tanquam præſtantiſſima geſtarū rerum inſtrumenta; aprorum more, ſuos pedes lambentium, poſtquam dulce mel deguſtaverunt. Sed reveta non eſt conſilium contra DEUM; & ipſe, quotidianâ experientiâ teſte, *perdit ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobat.* Cautè in hoc argumento reſtat agendum; ut neque Divina Providentia noſtras neceſſitet voluntates; neque voluntates noſtræ quidquam operentur in his, vel illis circumſtantijs, quod DEUS eas non prævideri operaturas; nec quidquam tribuatur Fato, quod DEUS ſuis non concluſerit legibus. Glorioſus belli dux Papirius jamjam ſtabat in acie, ut cum hoſte confligeret: tum ecce! Corvorum dux cohortes convolant ſuper ejus exercitum; impugnant invicem furioſiſſimè roſtris: terrentur milites prodigio, & Fatum ſibi cani querulantur; abjiciunt animos, & vix non etiam arma. Inſtat Papirius: quid vobiscum Corvis, animoſi milites? ubi vires ſuppetunt magnanimis, de Fato timendum non eſt. Fortunam meam Corvis haud debeo, ſed Univerſi hujus Moderatori: pugnate fortiter, generoſi athletæ, & hoſtem inconcuſsâ fortitudine invadite. Suos ſic animabat Papirius gregatios; pugnabat dexterè, & ab hoſtibus reportabat victoriam. Pari ratione de Fati & Fortunæ effectibus haud equidem curandum reſtat, ſed potiùs libertate animi in operationibus noſtris rectè utendum; cæterùm nobis providebit Dominus.

Tertullianus lib. de Idololatria. c. 9.

Habacuc. 1.

1. Corinth. 1. v. 19.

Tandem, ut quivis placidam ſibi fabricet Fortunam, conſultiſſimum eſt ſingulis, ita ſeſe Divinæ committere Providentiæ, ut ab ejus nutu ſuam pendere ſalutem, & proſperitatem derivari, ſibi firmiter perſvadeat; atque exinde evadat ſuâ ſorte contentus, ſuâ felicitate beatus. Juſtus Lipſius, utriusque Fortunæ expertiſſimus, poſt varios, quos ſuſtinuit, caſus, & ambiguos inſidiantis Fati aſſultus, tandem omnem humanæ vitæ periodum in Divinam reſolvit Providentiam. *Quæ in nobis*, inquit, *& manu noſtra ſunt, curemus: cætera DEO permittamus; & fidenter quidem permittamus. Nam cum Socrate, illud mihi aptè dictum videtur, DEUM eſſe noſtri curatorem, & nos poſſeſſionem aliquam eſſe* 108.

Lipſius l. 1. Manuduc. diſſert. 1.

N DEI.

bus reliquis. Hiccine ſit Fortunæ ictus? minimè quidem; nam teſtante Salvatore, *unus paſſer non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro. Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt; nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Pari ratione in hoſtium conflictu, quando armatæ acies telis, ſaxis, globis, ferro, flammisq; ſeſe confuſim impetunt, cadunt utrinque, utrinque evadunt multi. Guſtavo Adolpho Sveeorum Regi, Ingolſtadium obſidenti, ex tormento proſternitur equus, cui inſidebat illæſus; Hóccine cæcæ adſcribitis Fortunæ, generoſi Chriſti milites? Neutiquam; ſed omnia ſic ſvaviter diſponit Divina Providentia.

Matth. 10. v. 30. 31.

106. Curioſa ſunt, quæ ſequuntur, & ex ſingulis Elementis in ſcænam producuntur. *Terra* dum ſubitò tremit, facit omnes contremiſcere, & lethali ſuffundi pallore: horrendo agitatur paroxyſmo, qui terrigenas concutiat, & evertat omnes. Et tamen Trajani tempore, dum tota civitas Antiochena horribili terræmotu corrueret, & vivos cives univerſaliter ampliſſimo tumulo ſepeliret concuſſa; ſolus & unicus infans, defunctæ matris ab ubere hærens, evaſit incolumis. Pari tremore terræ anno 1627. cùm in civitate S. Severini decem millia hominum obruerentur, ex turtium agitatione accidit, ut ponderoſa campana ſuo eliſa cardine in terram concideret, nec tamen puello, quem concluſerat, officeret quidquam. An tunc dormiviſſe putatis DEI Providentiam? *Aqua*, elementorum omnium perfidiſſima, Corvo *CARNIVORO, NON CANORO*, ſaltem ex Arca emiſſo, beneficium præſtitit peculiare, dum cadaver objecit, in quo depaſcendo conſidêret; cum homine autem inſidioſiſſimè agit. Et tamen anno 1570. in feſto Omnium Sanctorum, ſpecimen præſtitit admirandæ clementiæ: nam cùm intumeſcens mare ſuper littora potenter egrediens, Hollandiam, Seclandiam & Friſlandiam, tanto furore, & impetu ſub undas redigeret, ut caſtella & oppida paſſim ſubverterentur, & multa hominum millia miſerrimè interirent; infans in cunis, unacum fele ſuâ tam ſecurè dormiens ad jugum montis Senecenſis à navigantibus repertus eſt, ac ſi nulla periculi formido in tam funeſtis fluctibus eum attigiſſet. Dum anno 1669. Candia occuparetur à Turcis, & pax à Venetis cum Portâ Ottomanicâ concluderetur, auxiliares populi rediêre ad Catholicorum plagas: hos inter Bavaricæ copiæ, Venetis in auxilium miſſæ, per ſiniſtram fortunam naufragio reduces ſubmerſæ ſunt usque ad unum, pauciſſimis ſalvatis, qui in Scio Inſula ob ægritudines in alienas naves recepti ſunt. Et ſub hiſce eventibus Divina Providentia cœli cardines obambulet, aut noſtra haud conſideret? *Ignis & Aër*, cum ſubtiliſſima ſint corpora, ſibi maximè amica, uno facto plures exhibeant admiratione digniſſimos caſus. Anno 1546. Mechlini, hora undecima noctis, fulmen cecidit in robuſtiſſimam turrim, & pulverem nitratum ibi aſſervatum momentaneo incendio conſumpſit: tunc ſæviens flamma turrim ex fundamentis evertit; quadratos lapides longè disjecit per civitatem; quadringentas civium ædes proſtravit; quingentas perſonas oppreſſit, ac ultra duo hominum millia graviſsimè ſauciavit. Nulla domus non concuſſa ad ruinam; & qui ad plateas confugerant, ſaxorum imbribus oppreſſi conciderunt. Multi in momento ad ſesqui milliare foras ejecti, in arborum brachijs, aut petrarum ſcopulis miſerrimè hæſerunt. Judicis concubina, flavis ſuis capillis arbori irretita, pendere ſic inveniebatur nuda, effuſis viſceribus. In quadam tabernâ materfamilias, eo ipſo fulminis momento, in cellario ſubterraneo cereviſiam proliciebat ſecura; dum aſcenderet, invenit compotatores ſuos ſuffocatos calore, ac chartifolia tenentes manibus. Poſt octiduum, dum omnes ædium ruinæ diſquirerentur, & compreſſorum cadavera protraherentur, inventus eſt quidã ſenex grandævus & nudus, qui terrore & formi-

Mirabiles eventus in elementis D. Providentiæ adſcripti.

Strabo de bello belgico, anno 1570.

Hiſtoria Belgica in vita Caroli V. anno 1546.

formidine contabeſcens, tremulâ voce, tremuliſque artubus ſciſcitabatur, num mundus jam totus eſſet everſus, & Chriſtus ad judicandum advenerit. Cum ſumma animi conſternatione percipimus hoſce Fortunæ & Infortunij caſus, Fatique ineluctabilis periodos, quibus & nos ſubitò poſſumus ſubjacere, niſi Divina nos Providentia ſubripiat a tam tremendis eventibus: *Quorum nihil*, teſte Proſpero, *fortuitis motibus ſubjacet; & ſingula quæque ejus legibus ſerviunt, qui ut vult, de omnibus, atque in omnibus ſecundùm cauſas occulta rationis operatur.*

S. Proſper. in Pſal. 148.

107\. Sunt, qui omnia ſubtrahunt Divinæ Providentiæ, ac neceſſario duntaxar Aſtrorum influxui ita per ſuam adhærent ſententiam; ut ſolis ab illis humanas operationes, cæteróſque Naturæ effectus provenire commutabiliter aſſerant: hinc infauſto ſub ſidere, aiunt, progenitos, qui *adverſis* frequenter *caſibus* affliguntur: ſed errant, nam Aſtrorum inclinationes haud ullam ponunt neceſſitatis legem, cui humana mens in operando libera ſubjaceat; quin potiùs rectè, & prudenter operando *ſapiens dominabitur aſtris.* Ad Judicarios autem Aſtronomos, qui ex Planetarum aſpectibus, oppoſitionibus, domibus & angulis, inevitabiles prænuntiant curioſis auribus futuritiones, quadrat illud energeticum Tertulliani dictum. *Expelluntur Mathematici Urbe & Italia, ſicut angeli eorum cælo: non poteſt regnum cælorum ſperare, cujus digitus abutitur cælo.* Sunt, qui omnia tenent humanis fieri conſilijs, ſuiſque attribuunt viribus, quod non niſi à ſublimiori cauſa potuit promanâſſe: *Hi ſcilicet immolant ſagenæ ſuæ, & ſacrificant reti ſuo; quia in ipſis incraſſata ſunt partes eorum, & cibi eorum electi*: manus oſculantur proprias, tanquam præſtantiſſima geſtarũ rerum inſtrumenta; aprorum more, ſuos pedes lambentium, poſtquam dulce mel deguſtaverunt. Sed revera non eſt conſilium contra DEUM; & ipſe, quotidianâ experientiâ teſte, *perdit ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentum reprobat.* Cautè in hoc argumento reſtat agendum; ut neque Divina Providentia noſtras neceſſitet voluntates; neque voluntates noſtræ quidquam operentur in his, vel illis circumſtantijs, quod DEUS eas non præviderit operaturas; nec quidquam tribuatur Fato, quod DEUS ſuis non concluſerit legibus. Glorioſus belli dux Papirius jamjam ſtabat in acie, ut cum hoſte confligeret: tum ecce! Corvorum duæ cohortes convolant ſuper ejus exercitum; impugnant invicem furioſiſſimè roſtris: terrentur milites prodigio, & Fatum ſibi cani querulantur; abjiciunt animos, & vix non etiam arma. Inſtat Papirius: quid vobis cum Corvis, animoſi milites? ubi vires ſuppetunt magnanimis, de Fato rimendum non eſt. Fortunam meam Corvis haud debeo, ſed Vniverſi hujus Moderatori: pugnate fortiter, generoſi athletæ, & hoſtem inconcuſſâ fortitudine invadite. Suos ſic animabat Papirius gregarios; pugnabat dexterè, & ab hoſtibus reportabat victoriam. Pari ratione de Fati & Fortunæ effectibus haud equidem curandum reſtat, ſed potiùs libertate animi in operationibus noſtris rectè utendum; cæterùm nobis providebit Dominus.

Nullatenus tollenda libertas in operando.

Tertullianus lib. de Idololatria. c. 9.

Habacuc. 1.

1. Corinth. 1. v. 19.

Tandem, ut quivis placidam ſibi fabricet Fortunam, conſultiſſimum eſt ſingulis, ita ſeſe Divinæ committere Providentiæ, ut ab ejus nutu ſuam pendere ſalutem, & proſperitatem derivari, ſibi firmiter perſvadeat; atque exinde evadat ſuâ ſorte contentus, ſuâ felicitate bearus. Juſtus Lipſius, utriuſque Fortúnæ expertiſſimus, poſt varios, quos ſuſtinuit, caſus, & ambiguos inſidiantis Fati aſſultus, tandem omnem humanæ vitæ periodum in Divinam reſolvit Providentiam. *Quæ in nobis*, inquit, *& manu noſtra ſunt, curemus: cætera DEO permittamus; & fidenter quidem permittamus. Nam cum Socrate, illud mihi aptè dictum videtur, DEUM eſſe noſtri curatorem, & nos poſſeſſionem aliquam eſſe* 108.

Lipſius L. 3. Manuduc. diſſert. 1.

N DEI.

DEI. An igitur ſua, imò nos negligat? Confide, & certum animi robur indue adverſùs incerta rerum humanarum. In cujus rei finale mnenoſinon nigrum dimitto Corvum, qui vobis ex arbore Sinapis, per DEI Providentiam tam vaſtè excreſcentis, ramum decerpat; ac folijs inſcriptam referat pro concluſione opportunâ ſententiam, quam Gratianus ex Concilio Meldenſi corpori Canonici Juris inſeruit. *Suis igitur terminis contentus ſit quiſque, nec ſupra menſuram juris ſui affectet augeri.* Amen. *c.uſq. 9. 1.*

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

OTIOSVS PSITTACVS.

Der dienſtloſe Paperle.

LEMMA.

Domini facunda voluptas: Statius lib. 2.

THEMA.

Quid hìc ſtatis totâ die otioſi? Matth. 20. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS XIII.

Variæ otioſitates adducuntur in ſcænam; rejectis ſaginatâ, comptâ, garrulâ, mendicâ, defenditur ſolitaria & religioſa, commendatur ſancta & operoſa.

109. Otioſitas per Pſittacum figurata. CReatur taurus ad arandum, ſol ad lucendum, piſcis ad natandum, ignis ad comburendum: *Homo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum.* Oraculum hoc eſt Spiritûs ſancti, per ſervum ſuum Jobum otioſis omnibus vaticinantis. Quid ergo *Job.5.v.7.*

Pſittace, dux volucrum, Domini facunda voluptas,

totâ die molliris? quid operâre utilitatis, vel emolumenti, *Papagalle*? Totâ die hìc ſtat in caveâ; fricat pennulas ſuas elegantiſſimas; obductas ſaccaro mandragoras maſticat; introëuntes, & egredientes conſiderat; blanditur adulantibus; pededentim obambulat; coram ſpeculo jocatur, nugatur: hæc vita, hæc negotia Pſittaco reſtant tractanda; ſic Papagallus hìc totâ die ſtat otioſus! Si ad laborem homo, ad volatum avis naſcitur, *quid hìc ſtamus nos Chriſtiani, qui ad operandum in Baptiſmo conducti ſumus?* ait Origenes, vetuſtiſſimus Scriptor. Ecce in Evangelicâ parabolâ increpantur otioſi, quos nemo conduxit, nemo ad laborandum invitavit: quantò vehementiùs otioſitatis ſunt arguendi, qui jam conducti ſunt, jam acceptâ arrhâ obligati, jam ſponſione factâ ad laborandum mancipati? Non capit hoc D. Bernardus, à minori ad majus argumentum proſequitur. *Cùm arguantur otioſitatis ipſi, quos nemo conduxit; qui jam conducti ſunt, ſi otioſi inventi* *Origenes tract. 10. in Matth.* *D. Bernardus ſerm. 1. in Purificat. B. V.*

inventi fuerint, quid merentur? Fides quippe ſine operibus mortua eſt. Quid promerentur illi Chriſtiani, qui ad id duntaxat collaborant, ne quid boni & honeſti operentur? Fortaſſis thotacem bene applicatam, quam maritus ille ſuæ coojugi otioſæ induerat; cui, dum querularetur, ut quid me cædis, cùm nemini quidquam faciam? maritus repoſuit: imò hoc ipſum eſt, cur te cædam, quia nemini quidquam facis. Haud quidpiam hodie utilius præſtare potero, quàm ſi Pſittacum pulchrum, variegatum, gartulum, & jocoſum in theatrum produxero perniciosæ otioſitatis: ſic enim, qui ex Auditoribus meis otioſi ſunt Pigriones, materiam capeſſent deſidiæ pellendæ per honeſtam occupationem, & multiplicem otij pernicieṁ declinandi. Conducat ſibi Evangelicus ille Paterfamilias laborioſos operarios, qui vineam colant, vites ſuccidant, terram circumfodiant; vos, vos quotquot otioſi eſtis, otium cum Pſittaco meo ludite, qui vobis hodie ex Indicis Oris ad Stationem veſtram alludit, otioſi *Domini facunda voluptas.* Müſſiggang liebt Papagey/ Aller Sorg vnd Arbeit frey: Wo du immer gehſt vorbey/ ſtehn dergleichen allerley. Ne igitur nimis diu *ſtetis* otioſi cum tædio, auſcultate cum patientia *ſeduli.*

110. Otioſitatis effectus varij perſtringuntur. *Ioan. 15 v. 16.*

Quid ſtatis hîc more Pſittacorum *totâ die otioſi*, garruli, deſides, inertes, & pigritiâ torpentes? quos DEus condidit, *ut fructum afferatis, & fructus veſter maneat?* Quid ſtatis in loco tam lubrico, in foro tam periculoſo, in terrâ tam peregrinâ, in civitate tam mutabili? Quid ſtatis hîc Divinarum obliti legum, leonis rugitu conterriti, & carnalibus deſiderijs implicati? Et quod peius eſt; *Quid ſtatis totâ die*, toto vitæ curriculo, ad promerendam æternæ vitæ mercedem vobis elocato; quo nec vobis proficitis quidquam; nec proximo fertis medelam; nec Altiſſimo Numini debita præſtatis obſequia; nec tenebrarum Principibus reſiſtitis; nec dignos agitis pœnitentiæ fructus; nec præſentia apprehenditis, nec futura pertimeſcitis. *Quid ſtatis?* quare non potiùs curritis pro bravio? quare non properatis ad patriam, unde exulatis? quare non movemini? Num latet vos Ariſtotelis ex ſtagnantibus aquis deptompta experientia? *Putreſcit, quod quieſcit; nullo modo, aut minus, quod movetur.* Otioſa quies ferro inducit rubiginem, putredinem ligno, panno tineam, fabricæ ruinam, terræ ſterilitatem, corpori morbum, aquis fœtorem, auræ venenum, agris ſpinas; quas ſenſit Salomon in Proverbis: *Per agrum*, dicens, *hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti; & ecce totum repleverant urticæ, & operuerunt ſuperficiem ejus ſpinæ.* Colores varij, quibus ſuperbit Pſittacus, ſecundùm Sanctos Patres, in eam collimant ſpecierum congeriem, ut otioſitatem dicant Naturæ pudorem, gentium corruptelam, artium hoſtem, ignorantiæ magiſtram, errorum genitricem, afflictionum prodromum, memoriæ lethargum, perſpicaciæ tenebras, ingenij noctem, arbitrij peſtem, infirmitatum fomentum, puritatis deliquium, virtutum eclipſin, vitiorum tabernam, Angelorum nauſeam, dæmonum præſidium, ſepulchrum viventium, mortuorum gehennam, ſupremi abominationem Numinis, omnis mali radicem & cauſam. Oracula Spiritûs Sancti ſunt plurima, quibus in varijs Scripturis otium ac otioſos configit. Salomon monet, ſectatorem otij fore, ut egeſtate repleatur. Siracides verò ab hoc malo magiſtro, multam, ſive omnem malitiam confirmat doceri. Dilatis cæteris Sacræ Scripturæ locis revertor ad illos, quos meritò increpat Paterfamilias.

Ariſtotelis ſect. 14. prob. 7. *Proverb. 24. v. 30.* *Proverb. 13.* *Eccli. 33. v. 29.*

III. Otioſitas ſaginata Chriſtianorum pernicioſa.

Quid ſtatis hîc totâ die otioſi, velut Pſittacus; qui rerum gereodarum ſummam in hoc conſtituit, ut bene comedat, bene dormiat, aurâ fruatur beatâ, & inter dulcedinis confecturas delicatus evadat. Senecam hî audiant, ad deſides Chriſtianos potenter dicentē. [Vobis voluptas eſt, „inerti otio aſſveſacere corpuſculum,

Seneca lib. 4. de benefic. c. 13.

 „& ſe-

„& ſecuritatem ſoporis ſimillimam „appetere, & ſub denſâ umbrâ lati„tare, teterrimiſque cogitationibus, „quas *tranquillitatem* vocatis, animi „marcentis oblectare torporem, & „cibis potionibúſque intra hortorum „latebras, corpora ignaviâ pallentia „ſaginare.] Generoſa ſcilicet occupatio, quæ animum ad omne vitiorum genus inclinat fortiter, & corpus ad immodicas allicit voluptates, omnémque eò collimat operam, ut enutrito in delicijs corpuſculo blandiatur, & vitulo ſaginato erigantur aræ & haræ; quidquid reliquorum agendorum cura præcipiat. Itali practicant Paraſiti dogma, in comico dramate ſic ſeſe affantis; *O panza, mia panza, guarda mi di febre, ti guardarò di lanza.* O du mein Leib/ lind/ zart vnnd weich; Hüt du mich vor Sucht / ſo hüt ich dich vor Streich. Vt mirum non ſit, ſi antiquorum Chriſtianorum nonnulli ob otium ſaginatum, inter inutiles & infructuoſos homines, Ethnicorum judicio ſunt numerati. Ex hac porrò *ſaginata otioſitate* quid malorum non profluit inter mortales? An non tunc execrabilis Idololatria intonuit in caſtris Iſraëliticis circa

Exod 32.v.6. vitulum aureum, quando *ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere?* Non fuiſſent Pentapolitanæ civitates cœleſti flammâ incineratæ, niſi incolæ per impinguatum otium ad tam abominabiles carnis inſanias defluxiſſent. Si invictiſſimus David de caſtris contra Amonitas movendis conſultaſſet, ſi Regni negotia juxta conſvetam impigritiam expediviſſet, ſi Divinis obſequijs ex more inſtitiſſet; ſi non poſt lautas epulas, ſomnúmque pomeridianum, otioſus circumſpexiſſet per feneſtras, in tam ſcandaloſum adulterium prolapſus haud fuiſſet, cæteroquin ſanctiſſimus Princeps. Quamdiu regum ſapientiſſimus Salomon architectonicam Templi magnificentiam pertractavit, & de ſumptibus juſtè expenſis laborioſa ratiocinia diſquiſivit; tam diu virtute, & ſapientiâ celebrabatur ab omnibus: aſt ubi deſidioſæ quieti conceſſit, adamavit mulieres alienigenas multas & turpi ultra modum indulſit veneri: ut veriſſimum ſit illud Catulli proloquium: *Otium & reges, ſimul & beatas perdidit urbes.* *Catullus ad Lesbiam.* Nunquam certiùs de ramo arboris deijcitur avicula, exploſis è bombardâ globulis trajecta, quàm ubi quieta atque otioſa conſederit: nec tam multos ex religioſa, pariter ac Eccleſiaſtica, Laicâve Chriſtianitatis conditione Cupidinis arcus titillaret, niſi otia intenderent nervum, emitterent ſagittas; ut opportunè hic decantetur Poëtæ cautela.

Otia ſi tollas; periêre Cupidinis arcus, Quid ſtatis hic tota die otioſi, ad inſtar *Ovid lib. 1 de remed. amor.* 112.
Pſittaci. Ecce! quàm attentè Papagallus ſeſe comat in ſuis plumis? *Compta otioſitas diſſvadetur viris & fæminis.* Stringit roſtro coloratas ſuas, virides, cæruleas, purpureas, carmaſinas, auratas, mixtas pennulas induſtriosè: nil ſuſtinet maculæ, nil indecori, ut ornata & ordinata ſint omnia: hoc opus, hic labor, totâ die *Compta otioſitatis.* Cui operoſus Seneca illos conſecrat, *Seneca de brevitate vitæ c.12.* *quibus apud tonſorem multa hora tranſmittuntur.* Hic forcipe demendum, quidquid capillorum præteritâ nocte altiùs prominuit: hic cum ſpeculo conſultandum, quo ordine cincinnorum acies ſit inſtructa: hic capillorum decor nunc ferro criſpatur, nunc lixivio pingitur, nunc pectine exſolvitur, nunc in dextro, nunc lævo vertice copioſiùs defluere jubetur. Vah! quanta in tonſorem iracundia, ſi quidpiam vel in barbâ, vel in pilario deſideratur venuſtatis. Longè manifeſtiùs hæc *Compta otioſitas* fœmineo ſexui arridet ad ineptiam, ad perditionem. Quid enim negotij nô faceſſit fœminis delicioſis, ut capitis cincinnos ad venandos oculos, clenodia ad luxum demonſtrandum, veſtimentorum pretium ad ſuperbiam, faciei nitorem ad abuſum, totum corporis habitum ad levitatem diſponant; uſque dum tandem vel ſcandaloſum proſtitutæ Veneris ſimulacrum, vel coloratum putridæ vanitatis prototypon exhibeatur. Quibus meritò S. Ezechielis vaticinium totius mali tribuit ſcaturiginem: audiat

modernus fœminarum luxus, quid olim filiabus Jeruſalem comminando improperaverit DEUS, per ſententiam horribili tonitru promulgatam, *Vivo ego, dicit Dominus DEUS, quia non fecit Sodoma ſoror tua ipſa, & filiæ ejus, ſicut feciſti tu, & filiæ tuæ. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & OTIUM ipſius, & filiarum ejus: & manum egeno & pauperi non porrigebant. Et elevatæ ſunt, & fecerunt abominationes coram me, & abſtuli eas ſicut vidiſti. Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit. Ergo & tu porta confuſionem tuam, quæ viciſti ſorores tuas peccatis tuis, ſceleratiùs agens ab eis.* O quantò honeſtiùs fœmineus ſexus, modeſtis veſtimentorum uſibus inſtructus, & ſuæ ſortis habitu contentus, ad fructuoſas & utiles operationes ſeſe applicaret! Eximium D. Hieronymus ſuæ ſpirituali filiæ Lætæ dedit documentum; ut ſcilicet opportuno tempore orationi, lectioni, aliiſque ſpiritualibus exercitijs impendat operam; quod reliquum eſt, *diſcat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fuſum, ſtamina pollice ducere: breve videtur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur.* Ex hoc motivo Carolus Magnus, tot Gentium victor, aliique potentiſſimi Principes decorum judicarunt, ſi filiæ ſuæ quærant lanam & linum, & operentur conſilio manuum ſuarum; ſi digiti earum apprehendant fuſum, aut arte phrygiâ pingant tapetes, honeſtiſque occupationibus ſibi comparent theſauros indeficientes in cœlis. Filios verò ſuos, tot regnorum hæredes, ad artes cum activas, tum factivas applicârunt; ut expeditis politici regiminis negotijs, curas ſuas fructuosâ operatione mitigarent, ornarent Eccleſias, palatia excolerent, æviternitati laborarent, exercitati viverent, ac multipliciter prodeſſent.

Ezech. 16. v. 48. & ſeq.

S. Hieronym. epiſt. ad Lætam.

113. *Quid ſtatis hic tota die otioſi*; & qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem, velut Pſittaci verboſi, garruli, nugaces & loquaciſſimi? Cardanus obſervat, quòd non loqui tantùm, ſed etiam meditari, ſtudio gloriæ ſoleat Pſittacus; auditáque à magiſtris verba ſecum ipſe repetere, ceu novus orator, qui ſe ad dicendum præparet ac diſponat: addunt Aldrovandus, Scaliger, & Bandæ Inſulæ inquilini, albicantes Pſittacos non ſolùm loqui, & meditari; ſed etiam intelligere, aptéque reſpondere. Delectat hoc argumentum curioſis experientijs conteſtari. Pſittacus, qui Venetijs à viro Patritio alebatur, nactus vitulinam aſſam, quam veru detractam coqua negligentius aſſervabat apud focum, cœpit roſtro convellere, ejus cibi admodùm avidus. Deprehenſum ancilla myſtro ferreo ita percuſſit, ut cranium ejus deplume, & nudum fuerit deinceps. Res hæc latuit herum, conjectantem, id ex alopeciâ contigiſſe; donec hoſpes calvus accederet, cujus glabrum verticem intuitus Pſittacus, *Heus*, inquit, *hunc vir, tibi quoque ſapit aſſa vitulina?* Conjecit exinde herus, quid avi accidiſſet, totáque è famulâ facti ſeriem extorſit. Aſcanij Cardinalis Pſittacus 100. aureis comparatus, articulatiſſimè continuatis perpetuò verbis, Chriſtianæ veritatis ſymbolum, perinde ac vir peritus pronuntiavit. In Hiſpanijs dum Pſittacus ad feneſtram expoſitus à falcone raperetur, oratiunculam ſuam, quam à nautis didicerat, dum ex Indijs transportaretur, *S. Thoma Indiarum Apoſtole, ora pro nobis*, validè pronuntiavit; & mox ex unguibus raptoris dimiſſus evaſit. Quidam herus Catholicus ab Hollandico Mercatore magno pretio emit Pſittacum, qui inſtructus erat introeuntibus acclamare: *foras Papa! foris Papiſta!* Sed à Catholico aliam facili ſtudio acceperavit lectionem: *vivat Papa! vivant Papiſtæ!* Jucundum & ridiculum quidpiam, & Ornithologo dignum adjiciamus. Ex Henrici VIII. Regiâ deciderat Pſittacus in prælerlabentem fluvium Tameſim; & quam ſæpe audierat à prætereuntibus vocem iterati, eâdem protinùs enuntiavit, *Cymbam, cymbam, vel pro viginti libris.* Hac voce portitor quidam excitatus, & magni ſpe lucri

Loquacitas Pſittaci imitata hominem.

Aldrovandus in Pſittaco parag. 12. Ornithol. l. 12. p. 19.

Boliaſ. Reipublicæ hiſtoria ludrica, l. 13. p. 70.

Ludic. Mediſ. Ibid.

lucri erectus, ſuſtulit avem, regíque attulit, eam poſcens,quam avis promiſerat ſibi dari mercedem. Rex pactus eſt, ut quam avis interrogata denuò mercedem dixiſſet, acciperet. Placuit conditio. Tum avis reſpondit: *Date nebuloni teruntium.* Optimo ergo jure omnibus reliquis alitibus, eloquium humanum ſimulantibus, Pſittacus antecellit, quem Græci admodum eleganter ἀνθρωπόγλωττον appellant.

114. Facunda otioſitas multipliciter impingit.

Sic Pſittaci verboſi humanam imitantur loquelam, ſuique ſunt *Domini facunda voluptas. Facunda*, inquam, *otioſitas*, quam homines garruli, nugaces,& non rarò malitioſi more Pſittacorum ſectantur. Paſſim hi ſua cogunt conciliabula: In foro,platea,Eccleſia,domi,intus, foris, ubique *facunda otioſitas* nugatur inter levitates, ſcortatur inter lenocinia, ridet cum lurconibus, fabulatur cum hiſtrionibus, certat cum ludieris,cum nugacibus exorbitat; totus denique eò collimat conatus, ut roſtri virtus acuatur; quod cùm in Pſittaco ſit fortiſſimum inſtrumentum, quo ſuperimpoſiti corporis molem ſuſtineat, quo duriſſima quæque confringat, quo verba inofficioſa effutiat; in *facunda* profectò *otioſitate* tantum poteſt, tantum aſſolet, ut ſine pudore obſcæna loquatur, ſine reverentiâ inſultet Divinis, ſine timore aggrediatur non ſua,ſine charitate interpretetur bona, ſine juſtitiâ detrahat aliena, ſine rectitudine juſtificet curva, ſine æquitate incurvet recta; omnia carpat, increpet,denigret, obliquet, confundat, diminuat, diſſipet, mordeat, allatret, cõterat,corrumpat effrons,temeraria, inſolens, impudica otioſitas. Proh! quanta inde temporis jactura! quæ ſcelerum ſumma! quæ Judicis Divini ratio pertimeſcenda! D Hieronymus id,quod ego ſuccinctò verborum apparatu comprehendo, ad labile vitæ hujus momentum conſtringit proli-„xior. [Breve, ait, eſt vitæ hujus cur-„riculum. Hoc ipſum, quod loquor, „quod dicto,quod ſcribo,quod emen-„do,quod relego,de tempore meo mi-„hi aut creſcit aut deperit. Titus fi-„lius Veſpaſiani, qui in ultionem „Dominici ſanguinis ſubverſis Jero-„ſolymis Romam eſt victor ingreſſus, „tantæ dicitur fuiſſe bonitatis, ut cùm „quadam nocte ſerò recordaretur in „cœna, quòd nihil boni illâ die feciſ-„ſet,dixerit amicis,hodie diem perdi-„di. Nos putamus, non perire nobis „horam,diem,momenta,tempus,æta-„tes, cùm otioſum verbum loquimur, „pro quo redditurí ſumus rationem in „die judicij! Quòd ſi hæc ille ſine le-„ge,ſine Evangelio, ſine Salvatore & „Apoſtolorum doctrinâ, naturaliter „& dixit & fecit, quid nos oportet fa-„cere?

S. Hieronym. lib. 3. comment. Ioan 9.

115. Otioſitas mendica in Chriſtianis corrigitur.

Poſt ſaginatam,comptam & facundam otioſitatem,ad alias tranſeo ejuſdem ſubalternas ſpecies; quæ niſi juſtâ defenſione fulciantur, vix non abjectiſſimâ notâ afficient illos, qui inter Chriſtianos ſanctitatis gloriam profitentur. Inertiæ, atque adeò infructuoſitatis nomine traducebantur olim ab Ethnicis Chriſtiani; eò quòd otioſi viderentur, nec ſe communibus aliorum munijs aut opificijs addicerent. Sed hæc calumnia perperam impingitur Chriſtianis, cujus radix in eo conſiſtere perhibetur, quòd Chriſtiani tranquillioris vitæ cupidi, negotijs ſæculi ſe non addicerent cum eâ ſuffocatione, & immoderata ſollicitudine,quę Ethnicis erat perpetua. Juviſſe etiam ad promovendam calumniam potuit quorundam valida mendicitas, ſive ex virtute, ſive ex deſidia. Ethnici quippe advertentes, aliquos è Chriſtianis ſanos & bene valentes mendicare, univerſum nomen Chriſtianum damnabant *mendica otioſitatis* & deſidiæ, omnéſq; Chriſtianos vocabant *Chriſtemporos*, hoc eſt,Chriſtum mercantes. Hanc autem calumniam univerſim Chriſtianis illatam Divus Chryſoſtomus vindica-„bar, energicè ſic loquens. [Neque „ab alijs accipiendum, neque otian-„dum, ſed operandum & alijs dan-„dum eſt. *Beatius enim eſt dare*, in-„quit,*quàm accipere*. Et *operemini*, in-„quit, *manibus veſtris*. Vbi ſunt, qui

S. Chryſoſtom. hom. 6. in 1. ad Theſſalo.

„opus

„opus requirunt ſpirituale? Vides, „quomodo illis omnem occaſionem „hujus abſtulerit, cùm dicit, *manibus* „*veſtris*. An jejunium quiſquam ma„nibus operatur? An manibus pervi„gilia ſunt? Aut opus eſt manuum, ſi „humi quiſque dormierit? Nemo ſa„nè hoc dixerit. Attamen de ſpiri„tuali opere loquitur. Eſt enim reve„ra ſpirituale, ſi, quod operatus fue„ris, alijs dederis. Et huic certè nihil „æquiparari poterit, *ut cum decore*, in„quit, *verſemini*. Vides, unde eos re„prehendat! Non dixit, ne inhone„ſtè agatis mendicantes; ſed idem „quidem innuit, mitiùs tamen ipſum „ponit, ut & percellantur, & illud „non vehementer fiat. Si enim qui „noſtri ſunt, illis offenduntur, multò „magis extranei, qui mille occaſio„nes comminiſcuntur, ſi quando ho„minem corpore ſanum, & qui ſibi „ipſi poſſet ad acquirendum alimo„niam ſufficere, mendicare, & aliorũ „operam implorare viderint. Propte„rea & *Chriſtemporos* nos vocant.] Acriùs repellit Tertullianus contra ipſos Ethnicos hoc mendacium *mendicæ otioſitatis*; in quos inſuper, ſapientiæ gloriam captantes, *inertiæ notam* audacter inurit cordatiſſimus Seneca; ut hanc abſtergant,

Tertullianus c. 42. Apol.

Seneca lib. 4. de beneficijs. cap. 13.

116. Sancti Anachoretæ ob nimiam elongationem à rebus humanis, non tantùm cujuſdam miſanthropiæ incuſati ſunt, ſed etiam inertiæ, & inutilitatis in genus humanum, adeóque *ſolitariæ otioſitatis* rei. D. Auguſtinum hæc refellentem, & vanæ calumniæ damnantem juverit audire, ut *ſolitaria otioſitas* rectè componatur. [Multi „ſunt, inquit, usque adeò DEI amo„re flagrantes, ut eos in ſummâ con„tinentiâ, atque mundi hujus incredi„bili contemptu, etiam ſolitudo de„lectet. Quid eſt, quæſo, quod vi„dent, qui non poſſunt hominem non „diligere, & tamen poſſunt hominem „non videre? Profectò illud, quidquid „eſt, præſtantius eſt rebus humanis, „cujus contemplatione poteſt homo „ſine homine vivere. *Et paulò poſt.* „Nihil de ijs dicam, qui ſecretiſſimi „penitus ab omni hominum conſpe„ctu, pane ſolo, qui eis per certa tem„porum intervalla affertur, & aquâ „contenti, deſertiſſimas terras inco„lunt, perfruentes colloquio DEI; „cui puris mentibus inhæſerunt, & „ejus pulchritudinis contemplatione „beatiſſimi, quæ niſi Sanctorum intel„lectu percipi non poteſt. Nihil, in„quam, de his loquar: videntur enim „nonnullis, res humanas pluſquam „oporteret deſerviſſe, non intelligen„tibus, quantùm nobis eorum ani„mus in orationibus proſit & vita ad „exemplum, quorum corpora vide„re non ſinimur.

Otioſitas ſolitaria Anachoretarum defenditur.

S. Auguſtin. lib. de moribus Eccleſiaſt. c. 31.

117. Religioſi etiam jam olim deſidiæ, & otioſitatis ſunt inſimulati. Hoc probro Valens Arianus in Codice Juſtinianeo reſpergit Monachos, dum contra eos promulgat legem ſequentis textûs. [Quidam ignaviæ ſectatores, deſertis civitatum muneribus, „captant ſolitudines ac ſecreta, & ſub „ſpecie religionis cum cœtibus monazonton congregantur. Hos igitur at„que in hujuſmodi deprehenſos, erui „latebris conſultâ præceptione man„damus, atque ad municipia patriarũ „ſubeunda revocari, & pro tenore „noſtræ ſanctionis familiarum rerum „carere illecebris.] Fucos, ignavum pecus, & laboris refugas, vocat Monachos Libanius. Origenes moraliter tractans increpationem Pharaonis, arguentis Moyſen & Aaron, quòd pervetterent populum ab operibus, ad „rem ſic loquitur. [Sed & hodie ſi „Moyſes & Aaron, id eſt, Propheticus „& Sacerdotalis ſermo, animam ſol„licitet ad ſervitium DEI, invitétque „eam exire de ſæculo, renuntiare o„mnibus quæ poſſidet, operam dare „Divinæ Legi, & ſequi Verbum DEI; „continuò audies dici ab his, qui „Pharaoni unanimes, & amici ſunt: „Videte, quomodo ſeducuntur homi„nes, & pervertuntur? Quales adole„ſcentes, ne laborent, ne militent, ne „agant aliquid, quod eis proſit, reli„ctis rebus neceſſarijs & utilibus, ine„ptias ſectantur & otium. Quid eſt „ſervire Domino? Laborare nolunt, „& in-

Religioſa otioſitas taxatur ab æmulis.

Lib. 10. Cod de Decurionibus l. 26.

Libanius orat. pro templis.

Origenes hom. 2. in Exodum.

„& inertis otij occaſiones requirunt, „Hæc erant tunc verba Pharaonis: „hæc & nunc amici ejus, & familiares „loquuntur.] Poteſt hæc *religioſa otioſitas* citra calumniam impingi *Bonis Valetis*, ut vocabant, & juvenibus mulieribus, quas nominabant *Beguinas*, aliiſque perſonis, quæ nullis aſtrictæ legibus religioſis, nec ullam habentes otij ſui excuſationem idoneam, prætextu orandi reſpuebant operationem. Veris autem & probatis Religioſis, etiamſi ex idonea cauſa manibus non operentur, deſidia & otioſitas obijcitur per calumniam: nam licet pium ſit & ſanctum, imitatione Apoſtoli laborare manibus; ad parandum victum, & ut ſuppetant, quæ egentibus erogentur; multi tamen absque manuum opere, cum laude accipiunt ex aliena beneficentia, unde vitam ſuſtentent. Et ſanè quoad eos, qui laborant in Verbo, aut qui ſe comparant ad laborandum, vel eos, qui hiſce utriſque ſunt ſubſidio, liquidum eſt ex Apoſtoli doctrina, fas eis eſſe, ſuſtentationem aliunde accipere, quàm ex ſuo manuum labore: cæteros, ſi qui ſunt, quos per valetudinem liceret operari, excuſare poteſt opera in Deum laudandum navata, vice populi. Quo pacto ſeminantes proximis ſpiritualia in lachrymis, de agris eorum temporalia metunt cum lætitia. Videntur Religioſi, qui ſuâ profeſſione quandam contraxerunt captivitatem, planè Papagallis ſimiles; utpote quòd hi ſuis caveis incluſi, ipſum ſuum carcerem ſuâ otioſitate nobilitent, adjecto lemmate, *SERVITVTE CLARIOR.* Reſpiciunt eò Religioſi, & reſpirant, dum ex perpetuo otio, quod Chriſti imitationi, orationibus, lectionibus, ſtudijs, cæteriſque exercitijs honeſtiſſimis impendunt, advertunt ſeſe nobilitari, & chariores evadere *in conſilio* juſtorum & congregatione. Certè S. Paulus, qui poterat meritò ſeſe jactare civem Romanum, prout reverâ erat, dum more Papagalli eſſet ſuæ vocationis cagio annexus, maluit appellitari *vinctus*, aut *ſervus JESV Chriſti*, quàm *liber*: *Paulus ſervus JESV Chriſti.* Agnoſcebat nempe Paulus ſeſe plùs nobilitatum & illuſtratum à ſervitute Chriſti, quàm à municipatu Romano; juxta Fauſtini Preti ſententiam, ſic inquientis. *Nonne DEO ſubjecta eſt anima mea? Hujus ſervum fieri ſummi decoris eſt, & quaſi quadam supereminens mundo nobilitas? ideo & Apoſtolus gloriam ſuam ſcribit, Paulus ſervus JESV Chriſti.* Nemo deſpiciat Religioſum, inter Monaſterij ſui ſepta operoſo otio quietè laborantem; quando is & ſanctæ profeſſionis occupatione fit nobilior, & cœleſti *SERVITVTE CLARIOR.*

S. Auguſtin. de opere Monachorum. — *Rom. 1. v. 1.* — *Fauſtinus c. 5. contra Arianos.*

Quid ſtatis totâ die otioſi? Si tanta 118.
vobis de otio ſollicitudo ſit, ut totâ die ſtetis, ecce ad pingue illud, & adipale otium vos conduco, eximij cultores, quo nullum in vita bonum optabilius; & quo homo ſibi intentus, humana non niſi ad modum rotæ contingens, minùs ſibi affricat lutum rerum terrenarum. S. Auguſtinus, cùm ſecederet à curis muneris Epiſcopalis, ſanctúmque otium captaret: *Hoc otium*, inquit, *meum, magnum habet negotium*: Non ſanè ex eo genere nugarum, quæ in grandioribus negotia vocantur, ſed ex eo negotij genere, quod maximè probatum eſt, & ferax bonorum. Syneſius hujuſmodi otium appellat maximum bonum, quod optimi inſtar & uberis ſoli omnia bonorum genera producit. Guilielmus, S. Theodorici Abbas, ſcribens ad Fratres de Monte Dei, appellat hoc otium *negotium negotiorum*. Petrus Bleſenſis, poſtquam deſidioſum improbavit otium, hoc pingue noſtrum, & ſanctum otium ſic celebrat. [Non ſitis „otioſi, niſi negotium animæ cenſeatis otium. Otium enim ſine litteris, teſte Hieronymo, mors eſt, & „vivi hominis ſepultura. Vacatio à „ſollicitudinibus ſæculi, otium eſt, „de quo dicit Salomon: *Sapientia ſcribitur in otio, & qui minorantur actu, percipient eam.* Ideò diſcipuli Domini in Sabbato (in die ſcilicet otij) „tranſeuntes per ſata fricabant ſpicas,

Otium ſanctum commendatur. — *S. Auguſtin. Ep. 110.* — *Syneſius Ep. 99.* — *Bleſenſ. Ep. 105.*

„cas, & veſcebantur eis. Subtiliores „enim ſententiæ de occultis educuntur in tempore ceſſationis, quibus animæ ſaginantur. Porta, quæ „in Ezechiele reſpiciebat ad Orientem, non aperiebatur, niſi in Sabbato. Animâ enim ſabbatizante à „concupiſcentijs ſæculi, ſapientia „DEI liberiùs inquirenti ſe aperit.] Vt adeò calumnioſè & perperam à conſectatione hujuſmodi otij, Chriſtiani damnentur inertiæ.

119. Otium operoſum affectuoſè ſuadetur. Nec diſpar ratio captanda eſt de *otio operoſo*; quòd quàm tædioſum quibuſdam validis mendicantibus, tam gratum & plauſibile accidit frugi viventibus Chriſtianis. Sanctorum imitatione, nec profectò divites temerè ſunt beati prædicandi, neque pauperes vilipendendi, neque artes aut opificia probro ducenda; ſed otium ſine manu, & occupatio ſine labore. Si enim probrum eſſet operari

S. Chryſoſtom. ſerm. 17 de 5. Græcol. (ut cum D. Chryſoſtomo argumentum proſequar) nec exercuiſſet artem ejuſmodi Paulus, neque eâ de causâ magis gloriatus eſſet, ita dicens:

1. Cor. 9. *Nam ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria. Quæ eſt ergo merces mea? Vt Evangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Evangelium Chriſti.* Quòd ſi probrum eſſet ars, nequaquam eos, qui non operarentur, etiã manducare vetuiſſet. Solum enim peccatum eſt probrum: at illud ex otio naſci ſolet, nec unum, aut duo, aut tria tantùm, ſed omnis ſimul improbitas. Propterea Sapiens etiam quidam, oſtendens, omnem malitiam docuiſſe otioſitatem,

Eccli. 33. v. 28. & verba faciens de ſervis, ait: *Mitte illam in operationem, ne vacet.* Quod enim eſt frænum equo, id eſt opus naturæ noſtræ. Si bonum quid eſſet otioſitas, omnia ſine ſemente & agricultura produceret terra: atqui nihil tale præſtat. Olim quidem terram inaratam cuncta ferre præcepit DEUS; jam verò non ita fecit: ſed & boves jungere, & vomerem trahere, & ſulcum ducere, & ſemen jacere; atque alijs multis modis colere & vitem, & arbores, & ſemina, hominibus imperavit; ut operationis occupatio mentem eorum, qui ſeſe exercerent operibus, ab omni improbitate revocaret. Principio quidem ut potentiam ſuam oſtenderet, effecit, ut omnia ſine noſtris laboribus provenirent. *Germinet* enim *terra herbam virentem*, inquit; & mox vernabant omnia. *Geneſ. 1. v. 11.* Pòſtea verò non ita: ſed & noſtrorum laborum operâ juſſit illa produci è terra, ut diſcas, ob utilitatem & commodum noſtrum, laborem eſſe introductum. Ac audis, *in ſudore vultûs tui veſceris pane tuo*: re autem verâ eſt quædam admonitio, eſt caſtigatio, eſt vulnerum à peccato inflictorum medela.

Quam ob cauſam & Paulus operabatur perpetuò; non interdiu tantùm, ſed etiam ipsâ nocte: quod & ipſe clamans teſtatur: *Nocte ac die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus.* 120. Labor manuum commendatur ab exemplo. *1. Theſſ. 2. v. 9.* Neque verò temerè delectationis, aut recreandi animi causâ opus tractabat, ſicut multi fratres; ſed tanto ſe labore exercebat, ut & cæteris ſubſidio eſſe poſſet: *quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* *Act. 20. v. 34.* Homo qui dæmonibus imperabat, qui Doctor erat Orbis terrarum, cui omnium, qui terram incolunt, fuerat cura commiſſa, qui cunctas ſub ſole Eccleſias, populos, nationes, urbes & gentes ſummâ ſollicitudine curabat; nocte & die operabatur, ac ne tantillum quidem ab illis laboribus reſpirabat. Nos verò, quibus nec milleſima quidem illius curarum pars incumbit, vel potiùs qui ne quidem mente eas poſſumus aſſequi, in otio perpetuo vitam ducimus. Quâ ergo digni excuſatione, vel quâ tandem veniâ cenſebimur? Inde cuncta in genus humanum mala dimanârunt, quòd in eo maximum eſſe decus poſitum arbitrentur, ut ſuas artes minimè tractent, & ſummo ſibi crimini ducant, ſi earum peritiam præſeferant. Ac Paulum quidem non pudet, ſimul & ſcalprum manu tractare, & pelles conſuere, & viros alloqui in dignitate conſtitutos; ſed & re illâ gloriabatur, cùm ad eum viri clari & illuſtres ventitarent. Neque tantùm

hæc illum agere non pudebat, ſed etiam in Epiſtolis ſuis tanquam in æreo cippo, quam profiteretur artem, divulgabat. Quod igitur ab initio didicerat, illud & poſtea tractabat; idque, poſtquam tertium raptus in cœlum, poſtquam illi Deus arcana verba communicaverat. Nos verò, qui ne calceamentorum quidem ejus pretio æſtimandi ſumus, nobis ea probro ducimus, quibus ille ſe jactabat. Hoc Pauli exemplo animatus Hieronymus, haud potuit aliter in principio converſionis ſuæ deſideria inquieta temperare, quàm ut poſt ſuperatos Quintilij apices, poſt exhauſtos Ciceronis fontes, poſt penetratam Frontonis gravitatem, poſt guſtatam Plinij ſvavitatem, operaretur in libris, & toto conatu ſacra Biblia fatigaret. Non ſuſcipiebant Patres in Ægypto, & Thebaide, quempiam ad religioſi ſepta Monaſterij, qui opificio inſtructus haud poſſet otioſitatem declinare. Quæ folia Paulus Abbas in cumulum quotannis comportaverat, unâ vice combuſſit, ut iterum daretur manuali labori locus. D. Bernardus exemplo prævio religioſos ſuos Ciſtercienſes eduxit ad cædenda ligna, ad falcandas ſegetes, ad fœna metenda, ut pulſo otio ſibi optimè conſulerent. D Ignatius ſuos ſocios In Conſtitutionibus ſeverè compellit ſive ad labores internos, ſive ad externos, ut otioſitas tollatur. Seraphicus noſter Pater Franciſcus, & Legiſlator, nullatenus tolerare potuit otioſos Fratres, quos ſæpe ut *fratres Muſcas* increpavit, quaſi defœdarent decorem Religionis ſuæ: ad quem conſervandum in Regulâ jubet, ut ad imitandum Chriſtum, qui in laboribus à juventute ſua defatigatus erat, ſeſe animosè applicarent. *Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devotè, ita, quòd excluſo otio animæ inimico, ſanctæ orationis, & devotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deſervire.*

S. Hieronym. ad Ruſt. Mon.

Regula S. Franciſci, c. 5.

121. Pro epilogo ſervit, quod Pſittacus Leonis X. Romani Pontificis reſpondit. Is enim cùm aliquando præter morem taciturnus, & cogitabundus videretur, eique per luſum diceret Pontifex: *Papagalle, quid penſiculas?* Collegit ſeſe, & quaſi experrectus, protulit illud ex Pſalmo: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Quo reſponſo perculſus Leo, dæmoniacum ſuſpicatus, interfici juſſit. Vos qui toto tempore vitæ veſtræ ſtatis otioſi in foro Dei, cogitate dies antiquos malè & inutiliter actos; & annos æternos superventuræ iræ conſiderate, quibus à mercede Regni cœleſtis eritis excludendi: nam fixa conſiſtit D. Bernardi ſententia. *Regnum DEI non dabitur otioſis, ſed in ſervitio DEI ſtudioſis. Regnum DEI non dabitur vagantibus, ſed pio ſervitio DEI dignè laborantibus.* Amen.

Otioſis non datur æterna requies.

Pſal. 76. v. 6.

D. Bernardus de modo bene vivendi. c. 31.

DO-

SEXAGESIMÆ.

MORDACES MUSCÆ.

Die ſtechende Mucken.

LEMMA.

Stridula contriſtat. Theodoretus.

THEMA.

Conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud. Lucæ 8. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS XIV.

Muſcæ contentioſæ, maledicæ & impuræ, triplex humanæ vitæ Bonum extrinſecum infeſtantes, flabello repelluntur.

122. Muſcæ tentationum, ſuggeſtionum, & diſtractionum abigendæ.

APage audaces, temerarias, inſolentes, moleſtas, mordaces, ſtridulas, pernicioſas, infenſas, importunas, contumaces, intolerabiles Muſcas! Apage culices, veſpas, & quidquid Muſcarum genus eſt, laſcivum, odioſum, inquietum, ſordidum, & pungitivum; quod cunctis animalibus exoſum, cuicunque inſidet, id fœdat & inquinat! Ignorabam, cur Verbum S. Evangelij tam venuſtum & fœcundum, tam delicioſum & ſanctum, exiguos ſortiretur effectus, fructus afferret nullos, audientibus extingueret orexin, & ſine religione debitâ coleretur: *Conculcatum* nempe *eſt* Verbum DEI, *& volucres cæli comederunt illud.* Haud credo, quòd hoc fecerint *Altilia pennata*, tot laudum præconijs, tot virtutum decoribus celebranda. Muſcæ ſunt (ſi tamen hæ inter noſtras cœli volucres dignè annumerentur) nec aliud quidquam; quæ hominem ſub Concione, in Eccleſiâ, ad orationem, in virtutum exercitio infeſtant, impediunt, irritant, diſtrahunt, alienant, inquietant. Muſcæ, inquam, ſunt; quas D. Bonaventura *malas ſuggeſtiones hominum, & tentationes dæmonum* appellat; pernicioſum volatilium genus, valido flabello abigendum. Quantumcunque doctè, facundè, zeloſè de ſuggeſtu dicat Orator, in libris ſcribat Author, in converſatione loquatur amicus; malæ tamen ſuggeſtiones & tentationes bonum ſemen conculcant, ut nihil inde ſuccreſcere poſſit optatæ frugalitatis. Scilicet non exauditur perorantis emphaſis, ubi mentem Auditoris conturbat diſtractionum impetus: *Muſica in luctu, importuna narratio*; nec ponderatur melodiæ penetrantia, nec modulantis attenditur affectus; ubi *Stridula dulciſonam contriſtat Muſca cicadam.* S. Bonavent. in Luca capitulo. Eccli. 22. v. 6.

Et ecce! *venit Muſca graviſſima in domos Pharaonis, & ſervorum ejus, & in omnem terram Ægypti; corruptáque eſt terra ab hujuſcemodi Muſcis:* Corrupta in tranquilla, & pacifica converſatione; corrupta in bona, & laudabili æſtimatione; corrupta in caſtâ, & pudicâ integritate. Nolo hodie tolerare, ut verbum prædicationis Evange- Exod. 8. v. 24.

 lica

licæ cadat ſecus viam Divinæ veritatis; neque ut conculcetur à tranſeuntibus Evangelium; neque ut à ſtridulis diſtractionum Muſcis auferatur: quin potiùs Muſcas graviſſimas vobis abigere volo, ut & in converſatione ſociali maneatis benè compoſiti, & in virtuoſa æſtimatione famoſi, & incorporis integritate impolluti. Pro flabello, aut pavonis caudâ quiſque arripiat attentum ſilentium, ut ſi fortè Muſca ipſi ad naſum advolaret, eam fortiter Domitiani otio, vel exemplo repellat.

123. *Bonum converſationis tranquillæ à contentioſis deſtruitur.*

Extrinſeca bona, quibus vita noſtra humana communi omnium calculo videtur beari, & ſatiativâ felicitate frui, ad triplicem redigo differentiam; ad converſationem ſocialem, ut ſit conſolatoria; ad famæ conſervationem, ut ſit illæſa; ad corporis integritatem, ut ſit incorruptum. Jam hoc triplex bonum à varijs Muſcis impetitur, convellitur, fœdatur; ut proinde nunquam non opus ſit vigilante flabello. Et ut à bono conſolationis in ſociali converſatione requiſitæ, exordiar; quis illud infeſtat magis, tenaciùs invadit, acriùs contriſtat, quàm *contentioſa & pugnacia ingenia?* Quæ meritò noſter Lyranus Muſcis illis inquietiſſimis comparat, quas Deus per Iſaiam minabatur, in regem Achaz & Hebræos immittendas, usque ad exterminium civitatis Jeruſalem. *Sibilabit Dominus Muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti: & veniet, & requieſcet in torrentibus vallium, & in cavernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in univerſis foraminibus.* (*Lyranus in Iſa. cap. 7. v. 18.*) Tu quidem, ô Achaz, pro publica tranquillitate quæſiviſti regem Aſſyriorum, & Babyloniorum in auxilium; ipſe autem tibi erit in ſudes oculorum, & in cordis ſingultum. Nam cum eo advenient tibi dies calamitatis magnæ, qualis jam pridem non fuit in terrâ Juda; quando ſcilicet Deus contra Judæam evocabit ad bellum Aſſyrios trans Euphraten, & Ægyptios ad ſeptem oſtia Nili degentes, homines contentioſos, pugnaces, incomportabiles, implacabiles, contumaces, qui omnes angulos Judææ invadent, expilabunt, devaſtabunt.

124. *Muſcarum contentiones, & pugnacitas.*

Meritò, inquam, Lyranus contentioſa & pugnacia ingenia cum Muſcis comparat: nam etiam Muſcæ ſunt pugnaces; ut propterea non ſemel Poëta copioſos exercitus ſpecie examinis Muſcarum deſcribat: nunc Græcos inſurrexiſſe in Trojanos eodem impetu, quo Muſcæ verno tempore ad mulctras advolant; nunc Græcos pariter & Trojanos pro Sarpedonis cadavere ad Muſcarum modum certâſſe; nunc Menelao, ſtrenuo bellatori, immiſſam à Minerva Muſcæ audaciam; nunc Aiacem pugnaciſſimum hominem, ut Muſca, in hoſtem inſultâſſe, à quo priùs non abſtiterit, quàm vulnus inflixerit; (*Homerus Iliad. 1, 7, 16.*) nunc Spartanum pictam in clypeo Muſcam prætuliſſe, ut invictam in pugnâ ſignificaret perſeverantiam. Origenes quidem Muſcas cum Dialecticis, contentioſiſſimo hominum genere, componit, (*Orig. hom. 4. in Exod.*) quibus id ſemper vitio datum eſt, ut abuſione utiliſſimæ ex ſe diſciplinæ, contentionibus miſcerent omnia, nihil approbantes, quod alijs fuerit conſtitutum; ſed minutis & ſubtilibus verborum ſtimulis animas terebrant, & tantâ calliditate circumveniunt, ut deceptus nec videat, nec intelligat, unde decipiatur. Verùm non coërcetur ſpinoſis Dialecticæ ſeptis Muſcarum cum contentioſis comparatio; ſed ad omnes planè contentioſos funditur, cujuscunque demum ſint inſtituti & profeſſionis, obſervatâ ubique eâdem contentionis, & pugnacitatis origine: nam Muſcæ pugnant præ aviditate humidi dulcis, quo præſertim delectantur; unde quia admodum guloſæ ſunt, idcirco ut ingluviei ſuæ ſatisfaciant, ſicubi gratum pabulum repererint, involant in illud cupidiſſimè, ne regias quidem menſas reveritæ, imò ante quemcunque Magnatum eſcas appoſitas prægustantes: (*Vide Theophil. Raynaudum in Hagiologio Exotico, S. Maria Ægypt.*) ne fortè verò eas eſca deficiat, ſi alijs fiat communis, arcent gregales pro viribus; & hæ viciſſim in repellentes inſurgunt, ac, ſi liceat, regrediuntur ad deguſtatam ſemel

dul-

dulcedinem, tantò avidiùs, quantò voluptatis eo guſtu perceptæ recordatio acuit cupiditatem. Eſt enim, juxta Ariſtotelem, etiam in Muſcis memoria ſenſitiva guſtatilis priùs percepti; & ex eâ memoriâ inceunduntur ad pugnam, ac contentiones habent ad invicem, ut gregales repellant.

125. *Contentioſæ Muſcæ in aulis, caulis, & clauſtris.*

Non diſſimiliter cujusvis ſtatûs & conditionis homines, dulci cuipiam pabulo, cui inhiant, intenti, ægrè ferunt eſſe qui advolant, futuri ejusdem eſcæ participes. Faciunt hoc maximè, qui requieſcunt *in torrentibus vallium*, quoniam ſunt impetuoſi; propterquod ſignificant domos Potentium, Regum, & aulas Principum. Experimento ſuo doctus vir, & eruditione, & genere, & obitis muneribus, & verò ſanctitate præſtans Sidonius, aulam Chilperici deſcribens, ijs moribus effingit aulicos; ut nullæ ſint in Lybicis arenis dipſades, nulli uſpiam colubri veneno præſentiore inſtructi, nullæ graviores Muſcæ caballinæ, alioquin ſonitu aſperrimæ, aculeo acerrimæ, & volatu velociſſimæ: præ quibus in lacum leonum conjici cum Daniele, vel in anguium foſſam cum S. Thecla, mite ac leve videri poſſit. Et tamen cum his neceſſariò vivendum eſt homini aulico, cum ijs nocte diéque verſandum, eâ morum fuligine, ut dejectis alijs creſcant alij, & unius ruina gradum alij ad ſuperiorem faciat. Quæ per fas nefâsque ſcandendi cura, ac juſtus metus, ne ijsdem irretiantur pedicis, quas alijs nectunt, juge & immane tormentum eſt; cùm Curia curis, imò crucibus & mortibus ſemper ſit obnoxia. A vitijs, quibus contentioſa aulicorum vita ſcatet, non minor lancinatio: *Quid enim aliud eſt*, ait Salvianus, *vita curialium, quàm iniquitas*? Imitatione non rarò his proximi evadunt *in cavernis petrarum*, in ipſis quoque clauſtris, qui veſte tenus Religionem præferunt, reipſa de illatione ſæculi in Religionē reprehendendi: ſive enim ſplendida munia captent intra Cœnobium, ſive foris micare appetant; hæc ipſa appetitio fit ſementis contentionum; ita ut in domo pacis pugna vigeat, & rixa. Quæ item nunquam deeſt *in omnibus frutetis, & univerſis foraminibus*, adeóque in tota vulgarium communitate, propter frigida illa verba, *meum* ac *tuum*: è quibus innumera gigni bella D. Chryſoſtomus admonuit; & præiverat S. Jacobus, qui cùm præfaretur, fructum Juſtitiæ in pace ſeminari facientibus pacem, interrogando ſubinfert. *Vnde bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris? Concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & zelatis, & non poteſtis adipiſci: litigatis, & belligeratis, & non habetis.* Militant in membris noſtris deſideria terrena, ijs veluti armis utentia, manu, ad prehendendū & ſubducendū alteri ſuū, vel ad feriendum, linguâ, ad maledicendum; oculis, ad perversè appetendum. Origo autem aſſumptionis contentioſæ talium armorum, eſt deſiderium boni ſenſibilis, poſitas à ratione metas transgrediens; ita ut aliqua zelantes occidant proximum, odio in illum flagrantes, quia obſtat aſſecutioni boni expetiti. *Omnis autem qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*: nempe initiativè, ac in ſemine intentionis, ut quidam ratiocinatur. Vtut ſit, zelus iſte amarus atque contentio, Orbem miſcens bellis ac litibus, ex inordinatâ appetitione boni ſenſibilis æquè ab alio concupiti proficiſcitur; & ſocialem converſationem hominum STRIDVLA CONTRISTAT, facitque difficilem, frequenter intolerabilem. Vnde ſi adeſſet charitas, cujus ſymbolū eſt oleum, emoreretur Muſca contentioſa; nam ut ait Lucianus, *Muſca deguſtat omnia præter oleum.* Præſertim verò ſi cùm oleo trita ſit caſia, & illinatur alicubi hoc unguen, procul fugiunt Muſcæ, ut tradit Berytius: caſia autem charitatis quoque eſt ſymbolum, ut quidam annotavit ad Pſalmos.

Sidonius l. 5. Ep. 7. — *Salvianus l. 3. de provid.* — *Chryſoſt. orat. de S. Philog.* — *Iacobi 4. v. 1.* — *1. Ioan. 3. v. 15.* — *Berytius in Geoponicis lib. 13. c. 12.* — *ad Pſal. 44. v. 10.*

Ad famæ conſervationem progredior, ut ſit illæſa à *detractoribus*, quos ſine injuria cum Muſcis componebat Lyranus: nam ſicut Muſcæ reli- 126.

126. Detractores & maledici Muſcis comparati

ctis ſanis quibusque ac nitentibus corporis partibus, ſi quid in eo ſit ulceroſum & ſanioſum, illuc advolant; ſic detractores præteritis ijs, quêis aliquis ſplendet, ornamentis, accurrunt veluti Muſcæ ad fœditatem, ſi eâ ſaltem ad ſpeciem ſordeat. Pleraque enim ſubſtantialiter bona, nec juſtæ criminationi obnoxia, illito fuco inſimulantur, & à *maledicis linguis* detorquentur ad oblocutionis argumentum; quæ acceſſu Divinæ lucis pura & nitentia fuiſſe demonſtrabuntur, cùm retecto ſipario & aulæo, æternitati nunc oppanſo, omnia patebunt. Perſpectum id fuit in Judæis, Chriſtl facta & dicta ſugillantibus; ut tunc comprobatum ſit illud Sapientis dictum: *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* Judæi enim fragrantiſſimum, & ſuaviſſimè redolens Chriſti verbum, fœdare ac inquinare ſtudebant, criminandi & mordendi cauſas undecunque captantes, magno ſuo damno, imò exitio: nam in illud ſuaviſſimum unguentum illapſi, veluti Muſcæ unguento immorientes, exitium ſibi æternum acciverunt.

Eccleſ. 10. v. 1.

Fortis eſt Muſca, ait Lucianus, *quòd mordens aliquid vulnerat, non hominis ſolùm pellem, ſed & bovis & equi. Elephantem quoque mærore afficit in illius ingreſſa rugas, & pro magnitudine proboſcidis lacerans*; ſed cum ſuo diſpendio, & aculei infixi hebetatione: nam id feriendi inſtrumentum attritu, quo in durum præſertim equi, bovis, aut elephantis corium infigitur, hebeſcit; & ad pungendum, ac ſugendum deinceps ſuccum victui neceſſarium, fit inutile. Similiter detractores, dum nulli parcunt, & in omnes infigunt aculeum, aſciſcunt ſibi exitium ex alieno damno, fruſtra plerumque ab eis captato; ita ut telum imbelle, vano niſu in prævalidum ſcopum intortū, reflectatur in vibrantem, fiatque ei appetitio injuſta in arcum pravum & doloſum, qui exitialis ſit improvido ſagittario: eo fermè modo, quo dicitur ruſticanus homo, ad Dolam Sequanorum urbem, fato liberatus. Graſſante enim ibi lue teterrimâ, ruſticus peſtifero bubone ad collum correptus, cùm non reperiret, qui plagæ ſcalprum vellet infigere, & ab omnibus procul ablegaretur, ſeceſſit ad vepretum; ubi præ fatigatione altè ſoporatus eſt, nudam humum premens pro matta, aut culcitra. Adrepſit ad dormientem ſerpens, qui forato bubone luem univerſam exſuxit, & concidit mortuus. Ruſticus è ſomno excitatus, levat ſe, ac perſanatum alieno cum damno ſentiens, geſtiendo diſceſſit alacer.

Lucianus in Muſcæ encomio.

Rajnaudus citatus.

Jam verò *ſibilabit Dominus Muſcæ; & veniet, & requieſcet in torrentibus vallium*, in aulis Principum, ubi nihil adeò familiare eſt, quàm *ſtridulâ* maledicentiâ *contriſtare* probatiſſimas quaſque perſonas, ac ſaucientem detractionis aculeum in famam proximi intorquere. Notârunt hoc, qui de aulicorum miſerijs & noxis ſcripſerunt. Nec ratio diſcrepat, ubi magiſtra experientia exhibet ſcænam. Omnes quippe Aulici frequentant aulam ſpe alicujus ſubvectionis; alioquin non devorarent omnes illas ærumnas & moleſtias, quas ſtatus aulicus ſolet conciliare. At ea ſubvectio paucorum tantùm, & non frequens eſſe poteſt; ita ut in tanta prehenſantium multitudine, vix uni & alteri ſatisfieri poſſit, intra moram diutius protractam; proinde neceſſe eſt, cæteros excludi. Cupidi ergò melioris ſortis Aulici, quod favori, meritis & aptitudini deeſt, ſupplent maledicentijs, calumnijs atque detractionibus; ut æmulo facto depontano, ac dejecto, molliorem ſibi comparent aditum ad apices exoptatos. Et licet vilium ſit perſonatum, aliorum vituperatione ſuam laudem quærere: quia verò juxta D. Hieronymum, vera nobilitas non ſanguine aut munere, ſed virtutibus æſtimatur; hinc etiam Aulici nobilitate excidunt, & in viliſſimas degenerant perſonas, ſi vilium vitijs ſordeant, & nominatim detractionis fœditate. Nec ſanè cuipiam, rectè iſta æſtimanti, mirum accidet, has mordaces Muſcas ebullire in aulis, ubi rectum & æquum *conculcatum eſt*, & ini-

127. *Aulicorum maledicentia & detractio.*

S. Hieronym. Ep. 27.

& iniquitas ſuam ſedem fixiſſe videtur; juxta illud Salviani ſupra adductum oraculum: *Quid aliud eſt vita curialium, quàm iniquitas?*

128. Religioſorum maledicentia pudenda. Multò luctuoſius eſt, hoc Muſcarum genus in ipſis etiam cœnobijs, & clauſtris invaleſcere; ita ut præſtantiſſimis religioſæ vitæ magiſtris laborandum plerumque fuerit in hiſce vaſtatricibus Muſcis à Religione abigendis. Hinc quia ſub *cavernis petrarum* jam ſupra intelleximus clauſtra Monachorum; rectè ad id reſpexiſſe dici poteſt D. Hieronymus, expoſtulans de Monachis Palæſthinæ, qui ipſum tanquam hæreticum infamabant, & ne ſummis quidem in Eccleſia capitibus, Damaſo, & Petro Alexandrino, præ mordendi ac maledicendi pruritu parcebant. *Pudet dicere* (exclamat præ ſceleris indignatione Hieronymus) *è cavernis cellularum damnamus orbem. In ſacco & cinere volutati, de Epiſcopis ſententiam ferimus. Quid facit ſub tunicâ pœnitentiæ regius animus? Catenæ, ſordes, & comæ non ſunt diadematis ſigna, ſed fletûs!* Tanta ſcilicet hujus mali libido mentes hominum invaſit, ut etiam qui procul ab alijs vitijs receſſerunt probati Regulares, qui carnis ſpurcitias, & avaritiæ fuliginem, ac ſæcularis gloriæ fumum à ſe diſpulerunt; in iſtam tamen maledicentiæ ſorditatem, quaſi in extremum Diaboli laqueum, incidant. Atque utinam hæc labes S. Hieronymi, aliorúmque Eremicolarum in Thebaide monachantium ætatem haud eſſet transgreſſa! Paſſim poſterorum Religioſæ vitæ profeſſorum conclamationes in hanc culpam audimus: ut fateri neceſſe ſit, vidiſſe illos, ſucciſum anteriorum ſtudio malum infeliciter renaſci; & perpetuam ſollicitudinem ad illud è religioſis cœtibus eliminandũ deſiderari. Eſſet verò fortaſſis tolerabilior labes, ſi religioſi oblocutio ad eos tantũ pertineret, qui foris ſunt in ſæculo, & frequenter maledicẽdi multiplex ſubminiſtrant argumentũ: ſed quod eſt longè deterrimum, invicem ſeſe quandoque commordent, quos jucundè habitare in unum par fuerat; ijs patentes verborum jaculis, quæ D. Chryſoſtomus adversùs ſæculares homines de Religioſis detrahentes intorquet, ſéque leprâ reſpergentes, quam Maria ſoror Moyſis, de domeſticis & arctiſſimâ ſibi neceſſitudine conjunctis oblocuta, contraxit.

S. Hieronym. Ep. 77.

S. Chryſoſt. l. 2. contra vituperat. vitæ monaſt.

129. Maledicentia, & detractio plebis ſcabioſa. Quòd verò hæc ſtridula maledicentiæ Muſca, hæc mordax detractionis noxa, quæ ipſas pietatis arces & lectiſſima Sanctimoniæ clauſtra invaſit, etiam *in omnibus frutetis, & in univerſis foraminibus*, adeóque in communi ſæcularium caulâ & vitâ graſſetur, admiratione vacare debet in tanta vitij illius frequentia, cui plerumque zelus honeſtatis obducitur; & in tanta proclivitate pronunciandi de alijs, ac prurigine vellicandi alienam famam. Deus adjutor ſit illi, quem gens ſine conſilio, ſine prudentia, ſine timore Dei, ſine taciturna diſſimulatione, plebs malevola ad trutinam oblocutionis excepit, ſive reum, ſeu innocentem! Tunc enim fama, hac vita mortali pretioſior, mordetur acriter, impugnatur fortiter, convellitur immiſericorditer, denigratur turpiter, exinanitur potenter: tot Muſcæ in talem impingunt, quot nullo flabello ſat poteſt abigere: & omnium maledicorum artificioſus conatus eò collimat, ut ex minima Muſca objiciatur intuentium oculis, infeſtus elephantus. Vt non abs re ob hanc irrequietam infeſtationem aliorum, Heſychius detractorem conferat cum ſcabioſo: cujus ea eſt ægritudo, ut & ipſum ſcabioſum malè afficiat, jugi prurigine inquietans, atque aſſiduis veluti aculeis configens; & ad eos, à quibus attrectatur, eandem tranſmittat vexationem. Agens igitur Heſychius de ea lege, qua repellebatur ab omni Divino myſterio, qui aliquâ è duodecim maculis, Levitici 21. propoſitis, ſorderent, inter quas erat jugis ſcabies, accepit *ſcabiem* pro *detractione*. *Iugem*, inquit, *ſcabiem detractor habet: quemadmodum enim peſſima ſcabies demolitur, ita detractor facilè provocatur.* Suâ ergo ſcabie, & prurigine ad percutiendum proximum impulſus detractor, alios, quibuscum agit,

Heſychius l. 6. in Levit.

agit, ſimili prurigine inficiens, arceatur à quovis ſacro miniſterio, nec dignus habeatur, qui Deo offerat ſpirituales hoſtias: quod eſt dicere, eum omnis meriti expertem, procul futurum à ſocietate Sanctorum, adeóque

S. Gregorius l. 12. moral. c. 15. cum impijs contrudendum. D. Gregorius hanc ſortem detractorum, præ ea mordendi prurigine ac ſcabie, pronuntiabat tranſire ex humana conditione in ferinam, ac more belluino alienas carnes devorare: *Sciendum eſt*, inquit, *qui aliena vita detractione paſcuntur, alienis procul dubio carnibus ſaturantur.* Gens quippe eſt, juxta Sapientem, habens pro molaribus gladios; cui inſtar illius quartæ Beſtiæ

Dan. 7. terribilis, apud Danielem, ſunt dentes magni ac ferrei; quæve præ feritate dicitur plurima comminuens, & reliqua proterens, ac *conculcans pedibus.* Nec vetat huc referre locuſtas illas humanâ facie, dentibus autem leo-

Apocal. 9. ninis, de quibus in Apocalypſi: Similiter enim maledici detractores, humanam præferentes faciem, & affectum erga virtutem, aut erga commune bonum prætexentes, lacerant immaniter famam innoxiorum, & injuſtiores ipſos graſſantur.

130. *Luxurioſi Muſcis comparati.* Quod reſtat de corporis integritate ſervanda, quæ bonum eſt humanæ vitæ præſtantiſſimum, & vel ipſis Angelicis ſpiritibus imitandum; opportuniſſimum ſenſum myſticum illius loci, ſupra ex Iſaia propoſiti, ſub-

Philippus Abbas lib. de ſil. cler. à c. 25. miniſtrat Philippus Abbas, accipiens cum locum de merſis in luxuriæ cœno, ibique requieſcentibus, donec computreſcant & pereant. Muſcam igitur interpretatus peſtem, filijs & filiabus Adam, ob parentis peccatum pœnaliter irrogatam, ait: [Hæc peſtis illicita illecebra eſt, quæ in modum Muſcarum importuniùs advolat, & accurrit; & licèt diſtrictiùs repellatur, tamen usque recurrit. Quæ nimirum illecebroſa peſtis tantâ nonnullos perurget gravitate, ut non parum de illorum minuat ſanctitate; & boni nominis gratiam ac odorem, injectâ turpitudinis maculâ, convertat in fœtorem. Quod inſinuans Eccleſiaſtes,

Muſca, inquit, *morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* Vnguentum nomen bonum eſt, bona fama, bonus odor. De quo Salomon in Canticis: *Vnguentum*, inquit, *effuſum nomen tuum.* Et in Proverbijs: *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Et Paulus ad Philippenſes: *Quæcunque bona fama, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.* Et ad Corinthios: *Chriſti bonus odor ſumus.* Hujus autem ſuavitatem unguenti perdunt Muſcæ morientes, cùm carnis illecebræ, dignos continentiæ terminos excedentes, totam virtutum maſſam, totius conſperſionis corrumpunt novitatem, & religioſæ caſtitatis attaminant puritatem. *Modicum* enim *fermentum totam maſſam corrumpit.* Denique ubi Muſcæ tenaciùs inſederint, inventam munditiem ſordidare, inventum noſcuntur maculare candorem: & non parum gratiæ perdit priſtina pulchritudo, cui tanta támque indecens adhæſerit turpitudo. Si autem unguento Muſcæ rabidæ importuniùs immerguntur, ſi immerſæ ibidem moriantur, multò gravius, multò intolerabilius inferunt detrimentum, corrumpentes, & in nauſeam convertentes ſuave condimentum. Hic nimirum carnis illecebræ cùm virtutum catalogo immoderatiùs ſe immergunt, cùm colluvione mortiferâ illas inquinant, & aſpergunt, totius compoſitionis unguentarium perdunt, & diſperdunt ſuavitatem; & offendentem in uno, ream omnium efficiunt ſanctitatem. Quid enim ampliùs decolorat candorem ſanctitatis, quàm immunda colluvio hujusce pravitatis: quæ & roſtrum corruptivum inundatione perfundit vitioſâ, & conſentientem ſpiritum offundit caligine tenebroſâ. Proinde illi, qui gaudent in hujusmodi fluminum Babylonis cœno mergi, & tantarum ſordium à ſe maculas non abſtergi; firmitate perditâ, vagi & inſtabiles *conculcantur*, & ad puniendos eos ultores Angeli deſtinantur. *Ite*, inquit, *Angeli veloces ad gentem convulſam & conculcatam; cujus diripuerunt flumina terram.* Quia terram

ram eorum, id eſt, robur debitæ firmitatis, diripuerunt flumina, fluxus videlicet carnalis voluptatis. Quâ quidem nihil gratius, ſed verò etiam nihil gravius; nihil jucundius, ſed nihil immundius; nihil familiarius, ſed nihil pœnâ dignius eidem carni arridere videtur.

131. Muſcæ analogia cum luxurioſo, quomodo ſubſiſtat.

Quadrat igitur de Muſcâ, impuram libidinem ſignificante, interpretatio non incongrua; cujus intemperantiam, & ad venerea proclivitatem, nec etiam Lucianus diſſimulavit. Ex ea tantùm parte Muſcæ & libidinoſi analogia videtur deficere, quòd libido primum locum teneat inter opera tenebrarum: unde Divus Auguſtinus etiam in legitimi conjugij uſu legitimo, tametſi ſancto & immaculato, captationem tenebrarum, & ſeceſſionem à luce ac conſpectu cæterorum, etiam ex ipſo conjugio ſuſceptorum antea liberorum, adhiberi conſiderat ab ijs, qui humanitatem non exuerunt, nec in canes facie humanâ præditos degenerârunt: quales jure cenſendi Cynici in propatulo libidinantes, cum contrucidatione verecundiæ; quæ libidinem, etiam cùm labe vacat, à lucis conſpectu ſemovet. At verò Muſca eſt lucis peramica, ut his de ea verbis tradidit Lucianus: *Luce plurimùm gaudet, & in hac civiliter verſatur: nocte verò quieſcit, & ſilentium agit; & neque volat, neque cantat, ſed contrahit ſe, & non movetur.* Hæc tamen non impediunt Muſcæ & fœdi voluptuarij analogiam, imò eam potiùs confirmant; cùm de Muſcæ libidinatione conſtet ipſomet teſte Luciano. Igitur ſi noctu ac in tenebris abſtinet à voluptate, capiat eam in luce, neceſſe eſt; atque ita ſalva manet analogia propoſita Muſcæ cum præfrictæ frontis Cynico inverecundè libidinante, & adhibitâ dedecoris luce palàm exercente; quæ probi & honeſti, etiam cùm licitè patrant, clam & in tenebris, hoc eſt, ſemotis quibusvis arbitris, peragunt.

S. Aug. l. 14. de civit. c. 18.

Lucianus cit.

132. Muſcæ pulchritudinis in fœminis perſtringuntur.

Dum fervidè exhortor contra Muſcas perdentes ſvavitatem caſtiſſimi odoris, in exaggerationem adducere debeo illam inquietudinem mentis, ac corporis corruptionem, quæ plurimis unacum aliâ Muſcarum fæce advolare conſuevit. Haud enim ampliùs admiror, *Muſcas* voluptuoſæ *turpitudinis* nonnullis tam importunas accidere; cùm tam pretioſa ipſis proſtituantur unguenta, ut meritò alliciantur inſilire Muſcæ, & paſci voluptuoſitate obſonij. Haud ſatis eſt, ut effæminati viri barbæ lanuginem odorifero pomadio illinitam inflectant, Gallicano more; ac pilaria ſua odorifero pulvere conſpergant, corruptibilis mortalitatis indicio: nec ſatis eſt, ut delicioſæ fœminæ venuſtent ſuam ſtibio, purpuriſſaque, ceruſsâ, & hujusmodi coloraturis pingant faciem, ad ſcandaliſandos intuentium oculos. Muſcas inſuper in genis, fronte, temporibus allinitas præferunt, ut Spartani in clypeis: Muſcas, inquam, nunc nigro, nunc viridi, nunc croceo ſerico minutim diſtinctas; ut ijs magiſtris ſubtile ab inculto, candidum à nigro, nobile ab ignobili, aulicum à civili, protinus dignoſcatur, ac Veneris ſtatua ad obvia libidinis incitamenta perficiatur. Et has ſericas maculas vultui agglutinatas appellitant *Muſcas pulchritudinis*; juſtiùs facturæ, ſi illas dicerent eſſe *Muſcas libidinis*, aut *Muſcas diaboli*, queîs cacochymiam, & abditum animo virus profundant in aſpicientes. Quid ſi hæ myſticæ Muſcæ vivere inciperent? quid ſi vivæ adhærerent faciei reverà? An non talis fæmina copulanda eſſet cum Beelzebub DEO Muſcarum, ut ex ejus conſortio tandem etiam in ſimilem Deam evaderet, vanitatis filijs adoranda? Judicio quidem meo ſerò nimis veniunt, quotquot amabilem pulchritudinem ſibi per fuliginoſas haſce Muſas in facie conciliant. Si natura, cæteroquin provida & artificioſa mater, Babylonicis hiſce filiabus à primo nati-

nativitatis exordio ſimiles maculas congeneráſſet in faciem; culpanda meritò foret, quòd tam nobile pulchritudinis & Divinæ imaginis pignus Acheronticâ tincturâ notáſſet, & primo frontis aſpectui expoſuiſſet ad contemptum: & nunc, vah execrabilis improbitas! decorum judicant & venuſtum, quod naturæ vertitur in opprobrium. Quòd ſi verò nonnihil indulgendum ſit muliebri levitati, maliem, ut ijs coloribus & maculis vultum excolerent fœminæ, quos Divus Gregorius Nazianzenus ætatis ſuæ Gynecæis præſcripſit adhibendos. *Unicus color in mulieribus amabilis, nimirum rubor ille, quem pudor gignit; qui quidem à pectore noſtro gignitur. Dabimus autem, ſi ita libet, & alterum; nempe ut pulchritudini pallorem adſciſeas, Chriſtique laboribus intabeſcas, atque à precibus & lachrymis, & diurnis nocturniſque pervigilijs teipſam maceres. Colores verò parietibus relinquamus, hiſque muliereulis, qua ſuo cœno juvenes in rabiem agunt.*

S. Gregorius Naz. l. ad verius mulieres ambitioſas.

133. *Flabellum pro repellendis Muſcis.* Ex his ſatis ſuperque demonſtratum manet, à quibus Muſcis extrinſeca humanæ vitæ bona maximè fœdentur, & corrumpantur. Itaque non minùs ſollicitè à fragrantia unguenti hujus piſtici depellendæ ſunt Muſcæ myſticæ, quàm à myrrhâ optimo, aut lectiſſimis dapibus, depellerentur corporeæ Muſcæ adhibito muſcario; origine à Perſis derivatâ, & Romanis receptâ, juxta Martialem, ſic flabelliſantem.

Mart. l. 14. Ep. 71.

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia Muſcas,
Alitis eximiæ cauda ſuperba fuit.

Eâdem curâ ad depellendas ſollicitiſſimè Muſcas myſticas irrequietas depoſcitur muſcarium, ne pereas omnino exterminetur pietas. Nam quomodo pietas dici poteſt eſſe, ubi abeſt conjunctio cum Deo? At eam conjunctionem cum Deo, diſpoſitivè ſaltem, everti per evagationem ac inquietudinem Muſcarum explicatam, liquet ex dictis. Adhibebant antiqui in Sacris muſcarium nobile ex pennis pavonis, vel tenuibus membranis, aut linteo ſubtili conſlatum; & hoc vel, juxta Germanum Conſtantinopolitanum, ad ſignificanda Cherubim arcæ circumpoſita, eámque hinc inde cingentia; vel, juxta Clementem Romanum, ad culices abigendos, & Muſcas diſpellendas, ne inciderent in calicem; vel, juxta Photium, ad inſinuandam collectionem animi, & abjectionem inquietudinis ac evagationis per varias cogitationes ſenſum pietatis exterminaturas. Sive ergo malæ ſuggeſtiones ac tentationes, ſub Concione & Sacris, optimum ſemen Divini Verbi ac Gratiæ ejus conculcent, aut comedant; ſive contentioſæ, maledicæ & impuræ Muſcæ, omnimodæ tuæ tranquillitati ſtridendo inſidientur; haud meliori flabello uſurum te judico, quàm quod Hildebertus Sacerdoti cuidam ad uſum ſacrificij dono tranſmiſit, de ejuſdem ſignificatione ſic philoſophando. [Flabellum miſi tibi, congruum ſcilicet pro pulſandis Muſcis inſtrumentum: eſt enim, quod in munuſculo noſtro interpretari te oporteat. Attende ergo, quibus Muſcis immolantes Domino Sacerdotes graviùs infeſtentur, quibus frequenter impediantur ſalutaria Altaris officia. Mille ſunt occurſantium phantaſmata cogitationum, mille diaboli ſuggeſtiones, mille mortalium tentationes animorum. Quædam ſe ſacrificantium mentibus inopinatò ingerunt. Illapſæ dum eos ad alia atq; alia cogitanda abſtrahunt, dum hæreticam moliuntur inducere pravitatem; quid aliud faciunt, quàm velut quædam Muſcæ ſacrificantes altaris miniſtros infeſtant, & impediunt? Talium portenta Muſcarum Patriarcha noſter Abraham propulſanda præſignavit, cùm à ſacrificijs aves abegit incurſantes. Scriptum eſt enim: *De-ſcenderunt volucres ſuper cadavera, & abi-*

Germanus in Theor.

Clemens conſt. c. 12.

Photius cod. 124.

Hildebertus ep. 8.

Geneſ. 15. v. 11.

„*abigebat eos Abraham.* Dum igitur de„ſtinato tibi flabello deſcendentes „ſuper ſactificia Muſcas abegeris, à „ſacrificantis mente ſupervenientiū „incurſus tentationum Catholicæ Fi„dei ventilabro exturbari oportebit. „Ita fiet, ut quod ſuſceptum eſt ad „uſum, myſticum tibi præbeat intel„lectum. Et quoniam præfatæ volu„cres ſuper ſacrificia tantùm deſcen„diſſe leguntur, non etiam cœptum „interrupiſſe ſactificium; Sacerdotes „Chriſti tentationes, quas perferunt, „ita docentur abigere, ut à Sacramen„tis Altaris talis lapſus eos non cogat „abſtinere. Hic enim defectus infir„mitas eſt, quæ virtutem perficiat, „non quæ virtutis opera in irritum „deducat.]

Dictum ſatis. Procul hinc Muſcæ! Procul, ô procul eſte profani! Alioquin verbis in caſſum diſperſis,

Quid prodeſt, Muſcas operoſis pellere flabris? Alciatus Embl. 186.

Negligere eſt ſatiùs, perdere quod nequeas.

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

VIR BELLATOR ET SALTATOR, GALLVS GALLINACEVS.

Der Goggelhann/ein kűner Mann; So trefflich fechten/vnd tanßen kan.

LEMMA.

Criſtati rupère ſilentia Galli. Mart. 9.

THEMA.

Secus viam. Lucæ 18. v. 39.

Auß den Füſſen.

SYNOPSIS CONCIONIS XV.

Pro diei opportunitate adducuntur Gallinacei in Palæſtram, & choream; tum ut pugnando, tum ut ſaltando, Auditorium in bonis moribus inſtruant; præſertim verò glorioſum certamen, & honeſtam choream ſubire.

134. A Gallicidio ad pugnam & choreas fit tranſitus.

CÆcum hodie, *ſecus viam* qui ſedet & importunè clamat, Dominicale exhibet Evangelium. Qui bacchanalia celebrant læti, cæci ſubinde eſſe volunt, aut ne ſtultos videant, aut ne ſtulti videantur: Ludos inſtituunt varios, quibus mentem exhilarant, à ſerijs ad ineptias converſi. Has inter ſcenas aliquoties vidi cæcas pugnas contra Gallum intentar: nempe Gallum vinctum pedibus parvo palo alligant, ut eodem conſiſtat

loco: tum quotquot adſunt, unus poſt alterum oculos velat ſtrophiolo, ne quidpiam ſinguli videant; & ubi longum validúmque ſcipionem prehendit manibus, trinâ vice giratur, ut ſpecies locales confundantur in cerebro: tum ad 10. vel 20. paſſus Gallum quærit, ut percutiat. Et quàm longè aberrant ad latus? quam rarò ictus Gallus concidit? Rident, clamant, geſtiunt, plaudunt, & applaudunt cæco errori. Ipſe percutiens, dum depoſito velamine ſatis longè *ſecus viam* ſe aberrâſſe videt, errorem ſuum corripit: ſtulte, quàm longè à meta! quàm procul à Gallo? Ita ſanè debacchantes, cũ impijs *in circuitu ambulant*; verſantur in tenebris conſcientiæ; cæci progrediuntur, longè à metâ præfixæ Beatitudinis aberrant. Non eſt hodie tacendum in cathedrâ, ubi *cæcus ſecus viam*, etiam increpatus, magis clamat; & ubi inter Bacchi tripudia, *criſtati rupere ſilentia Galli*. Ad publicum vos, Auditores, hodie invito theatrum, ut duplex vobis inter Gallos exhibeam ſpectaculum, alterum *pugnæ*, alterum *choreæ*: utrumque in re ſeriâ jocoſum, & in moroſâ materiâ jucundum. Pugnaces ſcilicet & ſaltantes exhibeo Gallos, ut & vos inde diſcatis glorioſè certare, & feliciter ſaltare; utrunque pro ludicræ hujus vitæ larvatâ feſtivitate neceſſarium. Ergo ſcenicos obſervate Gallos, & ijs conclamantibus vos ſilere.

135. Gallus ſuccinctus lumbos præſentatur. Proverb 30. v. 31.

Quanti encomij ſit Gallus in Sacris Scripturis, ex illo potiſſimùm Proverbiorum loco adſtruitur, in quo tam præclaræ eximiarum rerum comparationes inducuntur. *Tria ſunt*, inquit Salomon, *quæ bene gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter: Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pavebit occurſum: Gallus ſuccinctus lumbos ſuos: & Aries: nec eſt Rex, qui reſiſtat ei.* Pagninus quidem loco Galli legit, *Lelaps accinctus lumbos*; quòd ſecundùm Vatablum ſit canis venaticus: communiter tamen omnes expoſitores intelligunt de Gallo gallinaceo. Pulcherrimè ad Patremfamilias hunc locum trahit Cornelius à Lapide: ut

Cornel. à Lap. citato loco.

nempe Paterfamilias ſit leo in ſua domo, & ab eâ feras, vitioſos ſcilicet habitus ſuperbiæ, invidiæ, diſcordiæ, litium, murmurationum, odiorum, ac lenociniorum profliget: ſit Gallus, ut exactè & ſeverè jura matrimonij tueatur, nec adulteris patiatur aditum ad gynæceum; ſed illud cuſtodiat caſtum, ex eóque proles honeſtè procreet, educat, multiplicet, quibus de veſtitu, cæteriſque ad corpus & animam neceſſarijs, vigilanter provideat: ſit aries per comitatem, benevolentiam ac virtutum exempla, ut domeſticis ſingulari exemplo præeat omnis honeſtatis, & probitatis: ſit denique rex per providentiam, æquitatem & juſtitiam, qua uxori, filijs, ſervis, & ancillis ea præſtet, quæ jure debentur; quare ſingulos & ſingulas obeat, viſitet, luſtret, tueatur, cuſtodiat, protegat & promoveat. Sic fortiter incedat ut leo, in imperando per prudentiã, & puniendo per ſeveritatẽ: vigilanter ut Gallus, in cuſtodiendo per vigilantiam, in verbis per honeſtatem: comiter ut aries, in actionibus per concinnitatem, in providendo per ſedulitatem: ſapienter ut rex, in corripiendo per lenitatem, & in regendo per æquitatem.

Jam cedite, Sodales, *ſecus viam*! 136.
Gallus ſuccinctus lumbos progreditur in Palæſtram; Equeſtris eſt Ordinis; nam & calcaria in pedibus, & in capite criſtas, & loricam in pectore, & in alis arma, & in roſtro fortitudinem, & in corde gerit audaciam, falcatámque in ſublime erigit caudam. *Secus viam.* Adeſt gladiator eximius, qui bene graditur, à calamo vel plumâ Germanis criſtatus pugil dictus, ein Federfechter / omni armorum genere inſtructiſſimus. In arenam gladiatoriam intrat; jam tentat acinacem; jam haſtam jactat; nunc gladio, nunc pugione, nunc perticâ pugnaturus. Friſch her an mich / ein freyer Federfechter bin ich: Hannen Füß / vnd ſteltze Feder: ſchmeiß den Kürſtner auff ſein Leder. Terrore utens pro armigero, ſuis vult devorare minis, quos digladiandi arte attingere non audet. Hujus terricu-

Gallinaceus pugnacitatis ſymbolum.

riculamenti impatiens antagoniſta, ex D. Marci familiâ, Germanis dictus ein Marxbruder/ pari obviat mentis audaciâ; ac roboris dexteritate nixus, *ſecus viam* obſtantes removet: Friſch / friſch / wider friſch! kehr ab mit dem eyſenen Flederwiſch. Friſch her/ vnd vnverzagt: Wer waiß/ wer den Kürſtner jagt. Ecce! quàm graviter procedit Gallus? quàm faſtuosè intrat? quàm ſuperbos numerat gradus? quàm inflatam exhibet perſonam? quàm acuit criſtam? Quid non jactantiæ garritat, ut timeatur ab omnibus! & tamen non eſt niſi Gallus, pauperculus gallinarum vel inſtitor, vel maritus. Suum ſterquilinium pro arenâ conſcendit. *Secus viam!* Jam ſi quis eſt cordato ſub pectore gerens animum equeſtrem, arripiat arma, congrediatur mecum; hîc ſto paratus in palæſtra, ſicut Goliath ad provocandum populum DEI. Auditis, quid præſumptuoſi Lelaps blateret? neſcio, ſi fortè Italicis ex oris hanc linguam attulerit? *Amore è ſignoria no facciano bona compagnia*: In Liebe vnnd Herrſchafft gritt mit keiner ein / für die laß ich das Leben mein. Duo ſunt, pro quibus decerto usque ad extremum vitæ meæ gallicanæ halitum: primò, ut nemo cum gallinis meis ſuſpectam contrahat familiaritatem; nam amor non ſuſtinet corrivalem: ſecundò, in territorio mei ſterquilinij ac areæ poſſeſſæ ſolus ego ſum Dominus, & non compatior alium præter me. Zwey Hannen auff einem Miſt; vnd zwey Narrn in einem Hauß/ kommen niemahl wol miteinander auß. Quòd ſi ergo quiſpiam ſeſe illi in conſpectum objecerit, tametſi etiã germanus ipſius, aut parens foret, ſine mora accenditur pugna: tum bino vel terno blateramento canonicè monet, ut ſibi caveat, ac intra terminos ſe contineat; alioquin plumaſter roſtrũ acuit, accendit coleram: *Secus viam*, Gallinæ! Invadit fortiter, & tam acriter pugnat, impugnat, ut niſi ſcipio ipſis armiſtitium præcipiat, aut unus, aut ambo ſimul victi concidant. Tum qui vicit, cervicem ſublimis erigit, glorioſus victoriam canit, & ſe principem teſtatur certaminis; victus econtra cum confuſione ſe occultat, lucémque & aſpectum hominum refugit, nunquam ampliùs in pugna compariturus. Hanc totam certaminis ſeriem, quis non frequentiùs obſervavit in Gallinaceis?

Græcis hæc lepida conſvetudo 137.
erat, ut Gallos gallinaceos inter ſe dimicaturos caveis emitterent, quos antea, datis in eſcam piperis granis, iracundiores reddiderunt. Hinc argutè Cleomenes, cùm quiſpiam ſe illi daturum polliceretur Gallos audaciſſimos, qui pertinaciter pugnando interirent: non mihi, inquit, opus eſt iſtis, ſed ijs, qui dum alios pugnando conficiunt, ſuperſtites ipſi victoriâ fruuntur. Themiſtocles verò admodùm prudenter, cùm adverſus Barbaros Athenis delectum haberet, ac in theatro ex illius gentis more producti eſſet Gallinacei, atque inter ſe commiſſi ad necem usque fortiter depugnarent; rem ludicram vertens in ſeriam cohortationem, cives ſuos ſic eſt affatus: *At iſti neque pro aris & focis, neq; pro liberis & libertate præliantur, ſed tantùm, quòd vinci turpe ſit. Quo igitur animo vos eſſe decet, quibus pro vitâ, dignitate, fortunis, pro chariſſimorum pignorum incolumitate, & pro Patria ſalute certamen eſt?* Ex quo varijs in Regnis ac Rebuspublicis antiquorum mos introductus, ut ſingulis annis ſpectaculum Gallorum compugnantium, ad æmulationem juventutis, & fortitudinis imitationem, ſancitâ lege inſtitueretur: Qua ratione Solon ad Anacharſin. *Et quidnam*, inquit, *dicturus eſſes, ſi apud nos & coturnices, & Gallos gallinaceos compugnantes videres, & harum rerum ſperandarum & adornandarum non mediocrem contentionem; imperatum ſcires omnibus juvenibus, ut interſint, atque attentè ſpectent volucres usq; ad extremam virium defectionem inter ſe depugnantes? Irrepit enim ſenſim in animos juvenum impetus ad fortiter ſubeunda & contemnenda pericula, ne Gallis ignaviores eſſe videantur.* Hanc ob pugnacitatem Gallus à Græcis dicebatur *Martis pullus*, à Lacedæ-

Gallinaceus ad pugnam animas.

[illegible]

monijs Marti immolabatur; à Pallade ſupra loricam pictus induebatur; à Perſis perricæ impoſitus ante exercitum præferebatur; fortiſſimo Herculi ſacer conſecrabatur; à pluribus Gentibus clypeis, & ceris inſerebatur. Dux nempe emicant ſingulares in Gallo qualitates: una, ſtupenda *vigilantia*; altera, accenſa *pugnacitas*; ut poſſit ei acclamari, *ET VIGIL, ET PVGIL.* Dotes convenientes generoſi animi, quas Paulus Jovius in vita Galeatij I. conſiderans, magno Principi attribuit: *Puer ſingulari vigilantia & ſuperbo ſpiritu, ac indomito vigore pugnacis animi, generoſum & ferocem GALLVM æmulabatur.* Et ad utramque virtutem S. Petrus Apoſtolus invitat omnes Chriſti Fideles, ut attendant adverſario circumeunti, & ad devorandum conquirenti: *VIGILATE, & RESISTITE FORTES.* Et Scipio Bargalius, volens præſentare intrepidum ac reſolutum Equeſtrem, ei Gallum appingit, cum ſubſcriptione: *NON RECVSO PVGNARE.* Quaſi nempe pugnax Gallinaceus cordato militi accineret illud Virgilij: *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.* Aut certè illud Platonis in memoriam reduceret. *Duo ſunt, quæ victoriam pariunt: adversùs hoſtes quidem audacia; adversùs amicos verò, turpis infamia timor.* Hæc omnia ad Galli pugnacis condignum encomium.

Paulus Jovius in vita Galeatij I.

1. Petr. 5. v. 8.

Æneid. 5.

238. Pugna multiplex humanæ vitæ.

238. Ex hoc Gallorum pugnantium certamine etiam veſtros animos incaleſcere adverto, ad victoriam ex paleſtrâ hujus mortalitatis referendam. Quis enim ignorat, ſeſe poſitum in loco certaminis, ubi *caro concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem*: ubi quotidie impetimur paſſionum effrænium aculeis, & nunc odio conſtringimur, nunc irâ effervescimus, nunc timore collabimur, nunc amore & gaudio dilatamur; ut meritò ſentiamus in nobis verificari illud D. Pauli oraculum *foris pugnæ, intus timores.* Quis non inquietatur pugnâ illâ continuâ, ſuo corpori inviſceratâ, in quâ etiam fortiſſimi heroës, ſanctiſſimi DEI amici, non niſi cum ingenti difficultate ſuperatis vel rejectis periculis, evasêre victores? Et ſi de pugnâ externâ promovearur oratio; haud opus eſt, Garamantes & Perſas evocare, ut in nos gladiũ ſtringant; nec implorare Turcas ac Tartaros, ut ſuam in nos effundant tyrannidem: noſmetipſi tam pugnaces ſumus, ut ſtruamus inſidias, damna inferamus, plagas multiplicemus, *invicem provocantes, invicem invidentes.* Quantæ afflictiones ab inopinatis infelicitatis caſibus; quî frequenter per varios turbines ſuper capita noſtra inducuntur? Quot jacturas quotidie ſuſtinemus, vel in bonis ſpiritualibus famæ, vel in corporalibus fortunarum? Quid non impietatis ſuſtinent à filijs parentes, à diſcipulis magiſtri, à ſubditis prælati? quid perfidiæ amici à falſis fratribus? quid inſidiarum ab hoſtibus viatores? quid denique plagarum à percuſſoribus ſauciati? In omni virtutum exercitio, in humanæ ſocietatis converſatione, in adminiſtrandæ Reipublicæ negotijs, in domeſticæ familiæ directione, in ſuperandis internis externisvè difficultatibus, in promerendo cœleſtis gloriæ bravio, *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* In hujus militiæ caſtra profundiùs vos poſſem introducere, comparationem promovendo à militaribus caſtris, ſemper ad pugnandum inſtructis, & ad ſtandum in acie diſpoſitis: ſed verò placeat hîc luſtrare Religioſorum caſtra, quæ conſpectui noſtro objicit Odo Tuſculanus ſuper illud Geneſis: *Caſtra DEI ſunt hæc*: ut exinde quivis colligat militiæ humanæ gravitatem, & ex ordinatiſſimis caſtris ſuperandorum hoſtium vires, ac pugnæ continuandæ neceſſitatem.

Gal. 5. v. 17.

2. Corinth. 7. v. 5.

Galat. 5. v. 26.

Iob. 7. v. 1.

Odo Tuſculanus Geneſ. 32.

239. Religioſorum caſtra ornatè ſtatuuntur.

239. Si quid agatur, inquit, in caſtris militantium, conſideremus attentiùs, Inveniemus procul dubio in caſtris noſtris multa ſimilia actitari. In caſtris nihil otioſum, nihil luxurioſum, nihil ſuperfluum, nihil inordinatum. Hæc omnia in caſtris ſanctæ congregationis eſt invenire. Procul ab eis eſt ignava otioſitas, de qua dicitur: *inimica*

mica eſt anima otioſitas; quæ etiam legitur extitiſſe iniquitas Sodomæ & Gomorrhæ. Nihil in eis luxurioſum, quoniam omnibus amica eſt caſtitas; quam etiam profeſſi eſtis? Vnde hæc caſtra? Caſtra non immeritò à caſtrando dicuntur; in quibus nemo dignè militare poteſt, niſi ſeipſum caſtraverit propter cœlorum regnum. Nihil ſuperfluum; quoniam nobis multa neceſſaria deſunt. Nihil inordinatum, quoniam ſecundùm Apoſtolum, *omnia ordinatè, & ſecundùm ordinem fiant in nobis*. Hunc ordinem ſervari in caſtris jubebat Legislator, cùm diceret: *Homo ſecundùm ordinem incedat in caſtris*. Omnia quidem Deus fecit in pondere, numero & menſura, nec aliquid inordinatum reliquit, ſive in cœlo, ſive in mundo: Vnde & beati illi Angelici Spiritus, *Ordines* appellantur. Solus Infernus ſine ordine eſt, ubi umbra mortis, & nullus ordo. In caſtris univerſalis Eccleſiæ ordinem Spiritus Sanctus in Canticis admiratus ait: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?* Et iterum: *Quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum?* Non ſunt hæc caſtra Philiſtinorum, ſed filiorum Iſraël. Et ſicut de caſtris præcepit Moyſes, ut hæc ponerentur ad Orientem, & hæc ad Occidentem, hæc ad Aquilonem, & hæc ad Meridiem; ſic & noſtra poſſumus ordinare. Sunt ergo novitij & noviter profeſſi ad Orientem, quibus de novo incipit oriri Sol juſtitiæ, in quibus rutilare incipit initium quoddam converſationis honeſtæ. Vel ideò ad Orientem; quia ortum Solis & Juſtitiæ, & veri Orientis, de quo dicitur, *vobis timentibus nomen meum orietur Sol Juſtitiæ*. Et, *ecce vir Oriens nomen illi*: in memoria habent, dum aſſertiones noviter converſorum præcipuè circa Chriſti Incarnationem verſantur. Ad Occidentem, ubi dies clauditur, ſint infirmi, quibus jam jámque imminet dies mortis. Ad Aquilonem ſint Converſi, & obedientiales; hi ſunt ſaga cilicina, quæ pluvias & tempeſtates arcent à Tabernaculo: ipſi enim impetus Mundi & tempeſtates ſuſtinent, ut alij liberâ mente Deo vacare poſſint. Ad Meridiem, ubi clarior & ferventior dies, ſint Prælati & clauſtrales, in quibus amplior fidei calor eſſe debet, qui & præ cæteris majore cognitione Dei repleatur.

Vt ut ſit, pugna eſt, & in caſtris ordinata militia, hominis vita ſuper terram. Ergo *ſecus viam*: nam cum hoſte committendum prælium; *In quo non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*. Quiſquis pro bravio Gallum reportare, aut certè immarceſcibilem gloriã in cœlis obtinere intendit, heroicè certare debet, & inſtar Galli palæſtram gladiatoriam ingredi. Quo ergo gradu incedit Gallus? Non plumipes, non formidoloſus, non dejecto capite vel corde; ſed criſtatus, ſed magnanimus, ſed *ſuccinctus lumbos ſuos*. Si pro operarijs conducti ſumus, ut in vinea Domini laboremus; ſuccincti lumbos cingulo indefeſſi zeli perficiamus opus, & dabitur nobis denarius diurnus. Si cum carne & ſanguine luctandum ſit; aut veſtimenta abijciamus, ne ſuccumbamus; *aut lumbos præcingamus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus*. Si miniſtri ſumus & diſpenſatores Myſteriorum Dei, lumbos ſuccingamus charitatis vinculo, & ex ejuſdem motivo ſervitia debita præſtemus. Si peregrini ſumus & advenæ in hoc ſæculo, lumbos ſuccingamus, & ad cœleſtem Patriam properemus; quorſum, cùm ducentæ milliones milliarium, ſecundùm Mathematicorum calculationem numerentur, faciliùs mente, quàm pede, in hoc mortali corpore penetramus: quomodo ille Eremicola; qui jamjam proximum cœleſti portæ adſtare ſe cùm ſibi perſvaderet, ab Angelo repulſam paſſus eſt: *Secus viam* dicente: *Nemo piger huc ingreditur; ite, certate, contemnite vanitates ſæculi*. Si præcones ſumus Divini Verbi, lumbos ſuccingamus zonâ Apoſtolici muneris, juxta illud Apoſtoli, ex Iſaia. *Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona*. Si ad portanda

onera

Margin notes: 140. Pugna Chriſtianorum multiplex & continua fortiter ſuſtinenda. — 2. Tim. 2. v. 5. — S. Gregorius hom. 13. — Ioan. Moſchus in Prato Spirituali. — Rom. 10. v. 15. Iſa. 52.

oneraſumus decreti, lumbos ſuccingamus fortitudine, & patientiâ ad ſupportandum, quidquid pro DEI gloriâ & amore difficile acciderit. Si milites ſumus Chriſtiani nominis, ſuccincti lumbos magnanimitate, fortia bella geramus contra Poteſtates tenebrarum harum; & ſuſtineamus, ſi quis
2. Corinth. 11. v. 20. in ſervitutem nos redigit, *ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem nos cadit*; juxta illud Scævolæ dictum: *Fortia agere, Romanum eſt; ſed fortia pati, Chriſtianum.* D. Petrus, qui & ipſe ſuccinxit lumbos, ut ſuper maria properaret ad Dominum, compendioſâ adhortatione ad hanc moralem pugnam nos concitat ani-
1. Petr. 1. v. 13. moſè. *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrij, perfectè ſperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam, in revelationem JESV Chriſti: quaſi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſiderijs: ſed ſecundùm eum, qui vocavit vos, ſanctum; ut & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis.* Quaſi diceret: Cùm hæreditas incorruptibilis, & cœleſtia bona per Chriſtum nobis parata, eâque tanta ſint, ut Prophetæ & Angeli ad illa aſpirent; quid reſtat, niſi ut terrenis cogitationibus calcatis quaſi ſuccincti lumbos mentis, totis affectibus quaſi plenis paſſibus rendatis ad cœlum, pugnetis pro cœlo! Sectentur avari, quaſi talpæ, terreſtres opes; ambiant ſuperbi, quaſi chamæleontes, auram honoris; inhient guloſi, quaſi porci, eſcis: vos verò cives, imò reges & milites cœli à DEO ſcripti & deſignati, longè ardentiori ſtudio quærite, accincti certate, & expediti contendite ad regnum æternum; ut contemptis omnibus mundi illecebris, opibus, minis, odijs, perſecutionibus, ſperetis, & aſſequamini gloriam revelandam in die Judicij.

141. Gallinadam mirabilem docentur conjugati. A palæſtra ad choreum. *Secus viam*, viti! Nónne videtis victorioſum Gallum nunc ad tripudium properare, & ob devictos adverſarios criſtatum violare ſilentia? Haud ſatis erat Salomoni, *gallum ſuccinctum lumbos* invitaſſe ad ſingulare certamen, niſi etiam talis foret, qui in publicis choreis ad numerum & menſuram, & ad omnem corporis agilitatem ſaltando *bene graditur*. Ecce! quàm ſpecioſè & punctualiter, quàm artificioſè & ornatè ſuas gallinas circumducat in proprio fimo & areâ? Quid non humanitatis demonſtrat ocreatis ſuis pedibus præliminaria exhibendo, eóſque vel retrorſum trahendo, vel antrorſum proijciendo? Quàm exactè ſuis ſaltatricibus cupedias præſentat; dum pede terram ſcalpit, & inde granum frumenti aut vermiculum prolicit; mox omnes amicabili clamore convocat, ut quæ ſit prior tempore, etiam fruatur delicijs potior jure? Ad hoc tripudium etiam vos conjugati comparete; conſors cum conſorte ſaltet, par cum pare. Criſtatus gallinaceus agmē tripudiantium ducat, & ſimul præeat bravium optimè ſaltantibus. *Secus viam*, Spectatores! Chorearum ſymphoniæ hìc variæ ab utriculario luduntur, quæ mirabilia ſunt ſortitæ nomina à melodiæ diſpoſitione, nempe Moriſco, Martacina, Paſſemezo, Salterello, Chiranzana, Chianchara, Paganina, Baldoſa, Imperiale, Ballo de Capello, Florentina, Bergamaſca, Siciliana, Romana, Venetiana, Pianco Caballo, & hujuſmodi. Sed verò *Gallus* noſter maximè amat ſuam *Galliardam*; hanc & gallinæ optimè callent; hinc bona utrinque competentia: ad quamcunque tibiam ſaltant, *Galliardam* ſaltant. Sic & vos, conjugati, ad omnem ſymphoniam oportet benè tripudiare: prout ſupremus Choriveus vobis præcinit, ita ſaltate; & ad omnem ſtropharum contingentiam ita vos accommodate, ut à benigniſſima DEI manu, ſecunda & adverſa, triſtia & jucunda, proſpera & infelicia, pari paſſu, æquo animo ſuſcipiatis. Ad hunc paſſum inſtruxit Deus Ezechielem, exponendo modum, quo regiam civitatem Jeruſalem propter ſuas iniquitates caſtigare cogitârat. *Percute manum tuam, & allide* Ezech. 6. v. 11.
pedem tuum. Legunt Septuaginta, *Plaude manu, ſtrepe pede: & dic. Heu! ad omnes abominationes filiorum Iſraël; quia gladio, ferro & peſte ruituri ſunt.*

Sed

Sed quid Prophetes tripudij moveat ſuper novitate tam lugubri? Nam & ipſe mali particeps erit, quando ex hoc fatali vaticinio ipſius ædes, agri & poſſeſſiones, quibus in civitate non modicis gaudet, diruentur? Idipſum expectat Dominus, ut videat, quàm exactè ad menſuram didicerit concidere Propheta ſaltando?

142. Sympho-niam variam præcinit Deus ad ſaltandum.

Prioribus ſæculis mos agebatur in bello, ut claſſicum caneretur à tibicinibus, & utriculariis, ad menſuram ſymphoniæ militaris. Hoc medio explorabantur militum animi: qui enim egregiè ſaltando invaſerant hoſtem, ſaltibus prodebant palpitantem calore ſanguinem, & ſpiritum heroicum, non ſuccumbendi in prælio aſſvetum; qui verò perdendentim aggreſſi ſunt hoſtem, turpi timore perculſi, internam manifeſtabant formidinem, quæ non niſi ad ingloriam fugam veloces didicit impellere pedes. Sic ergò ſaltando auſpicabantur prælium, ſaltando committebant, ſaltando reportabant victoriam. Et certè Ageſilaus, Spartanorum rex, quotiescunque Thebanos ſaltando aggreſſus eſt, toties victorioſo proſtravit prælio; viciſſim dû vel ſemel intermiſit tripudium, & econtra Thebani ipſum choreizando invaderent, ad confuſionem cæſus eſt; ubi priori integrâ nocte præter morem *criſtati rupêre ſilentia Galli*, & felici auſpicio pomeridianam his victoriã præcinuêre. (Plinius l. 10. c. 21.) Hinc etiam Socrates, qui Apollinis oraculo pro Græcorum ſapientiſſimo celebrabatur, non tantùm non erubuit, in grandæva ætate arti ſaltatoriæ, quam inter graves diſciplinas numerabat, operam dare; ſed etiam id quàm vehemenriſſimè optare ſe aſſeruit, ut ſaltatoriam omnes addiſcerent, corporiſque agilitatem artificioſâ exultatione exercerent. Scilicet artis eſt, ad omnem ſymphoniam poſſe ſaltare, & ad omnem contingentiam poſſe æquo animo ſubſiſtere. Si ſaltatores in choréo ſe invicem exciperent fletibus, ejulatibus, querelis & calumnijs; ſi gemitus, murmura, vel tonitrua funderent; ſi nunc contra tibicines, mox contra coryphæum querularentur; ſi illis una ſymphonia nimis diu, altera nimis breviter protraheretur; ſi nullâ ratione ad menſuram ſaltuum ſeſe poſſent accommodare: putaſne, quòd ſuis choreis reliquos vincerent, & Gallum pro bravio reciperent? Nequaquam. Quia haud poſſunt æquè perfidi mundi numeros ſuſcipere; utpote quibus ita de induſtria luditur, ut diſpliceat ſaltatori: hic enim duntaxat audiuntur querelæ & lamenta; nunc menti obverſatur mordax egeſtas; nunc lucri modicitas premit; nunc mercedis parſimonia angit; nunc exactionum gravitas affligit; nunc prolium multitudo, aut privatio deijcit; nunc æmulorum inſidiæ torquent; nunc damnorum emergentium acrimonia lancinat; nunc odiorum, & adverſitatum amaricatio diſtorquet: in ſummâ, ubi cor amaritudine redundat, quomodo exultatio in pedes exundare poterit? *Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis* (Matth. 11. v. 17.) ad noſtram ſymphoniam? *Secus viam* hiſce intercurſoribus, aut claudicantibus ſalijs! Non ſolet mundus aliter lyrare, nec cuivis ad guſtum delirare: quidquid lyret, ſaltandum eſt; plaudendum manu; ſtrependum pede. Contingit, ut *tremenda mors, horrenda mors, telo minax & arcu*, lugubre tibi canat epicœdium, Der grimmig Todt mit ſeinem Pfeyl/ thuet nach dem Leben zihlen; & à latere tuo abripiat lectiſſimam conſortem, chariſſimam prolem, fideliſſimum amicum: hic exulta, velut caprea, pari pede; & imitare patientiſſimum Jobum, in ſimili melodiâ exclamantem: *Dominus dedit, Dominus abſtulit; Sit nomen Domini benedictum!* (Iob. 1. v. 21.) Contingit, ut paupertate preſſo canat Lazarus familiare mendicis carmen: Arme Leuth/ arme Leuth haben nit vil: Springen nit hoch / vnnd ſchweigen fein ſtill! Iterum exili, & in choream trahe ſeniorem Tobiam, hilariter adijcientem: *Pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & re-* (Tob. 4. v. 23.)

veſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene! Hab ich nit / was ich wolt / hab ich doch / was ich haben ſolt. Mit vilen halt man Hauß: mit wenig kombt man auß. Contingit, ut Tibicen tibi faciat Italicum *Paſſomezo. Così fa il mondo; che no sà natar, va al fondo.* Allerweil/alles weil gehts alſo zu: Der nimbt mir das Kalb/der bringt mich umb Kuhe. Iterum plaude manu, & tibi congratulare, ſi te undique premunt anguſtiæ: nam melius tibi eſt, absque opere iniquitatis incidere in manus hominum, quàm peccare in conſpectu Domini. Contingit, ut univerſale *Saltarello* egenis æquè ac divitibus ludatur. Reich und Arm ſollen frölich ſeyn; wer waiß/wie lang ſie leben: Tunc ita in virtutum ſtadio decurrenda eſt vita, ita timor Domini ſectandus, ita intra modeſtiæ terminum incedendum feliciter, ut ſubſequens ſtropha à cœleſti regno excludens falſo intonet prodigio: Kommens nit ins Himmelreich; Kommens doch darneben. D. Ambroſius, & unà Richardus Victorinus, ad talem nos concitant choream, quæ reliquas omnes videtur ſecuritate & ſanctitate ſuperare. *Saltationem*, aiunt, *à nobis requirit Dominus: non utique ſinuoſi volubilitatem corporis; ſed extollentis ſe fidei ſanctitatem: ſicut enim, qui corporaliter ſaltat, nunc in aëre ſuſpenditur, nunc ad altiora jactatur, nunc alternis ſaltibus loca diverſa colluſtrat; ita & qui ſpiritualiter ſaltat, interveniente fide, modò in aëris ſublimitatem erigitur, modò ad ſiderum altiora tollitur, modò diverſis cogitationum ſaltibus paradiſum cœlúmque colluſtrat.*

S. Ambroſius l. 6. in Lucam. & Rich. Victorinus part. 2. in Pſal. 113.

143. Chorea vitæ inter conjuges ritè perſicienda.

Sed verò etiam inter choreas illud maximè obſervandum venit, ut una pars alteram debitâ obſervantiâ nunc excipiat accurrentem, nunc dimittat fugientem, nunc gyret in circuitu occupatam, nunc trahat ſuaviter elongatam: id ipſum præſtat noſter Gallinaceus, ſuas Gallinas ad omnem partem areæ providè circumducendo. *Bene graditur.* Nempe viri munus eſt, ſaltatricem ſuam ut bene dirigat, bene impellat, ſponſus amaſiam, maritus conjugem, Prælatus familiam Religioſam, Epiſcopus Diœceſin, Princeps Provinciam, Chriſtus Eccleſiam: omnium enim par videtur currere ratio. Hanc directionem paucis complectitur Divus Paulus: *Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet in Domino.* Coloſſ. 3. v. 18. O quàm confunderetur chorearum diſciplina, ſi amaſia ſponſum invitaret ad ſaltandum; ſi vir ſuam fœminam circumageret baculo; ſi ad rixas, & contentiones ſeſe provocarent; ſi ad evellendos capillos invicem irruerent! *Bene graditur* Gallus, pulchro ordine, ornato motu, agili dexteritate, amicabili obſervantiâ, & tam exactâ methodo, ut vir primatum obtineat, nec mulier graviter in ejus manus impingat. Narrat Socrates apud Eraſmum, ſe noviſſe, & vidiſſe virginem tam artificioſè ſaltantem, ut ſimul & duos globos alternatim proijceret in ſublime, & alternatim decidentes exciperet manu, nec tamen quidquam à juſtiſſima ſaltuum remitteret menſurâ: inſuper dum in circumferentia choréi eſſet cincta acutiſſimis gladijs, tam ſecurè agitabat corpus ad omnem motum, tam dextrè ſeſe intra enſium acumina inflectebat, ut & intuentium oculos anteverteret, & omne periculum confixionis declinaret. Idipſum exigit Gentium Doctor, ut in ſuis ædibus Matresfamilias præſtent: laborioſas nimirum eſſe iubet manibus, quêis aliquid utile volvendo bene operentur; veloces pedibus, ut ſint primum mobile in domo, quêis motis domeſtici omnes moveantur ad opus; agiles corpore, ut ſciant ſe ad omnem operationem virtutis & honeſtatis probè inflectere; oculis providæ, ne in mariti juſtè indignantis manus impingant. Sic verificabitur illud Sapientis proloquium: *Sapiens mulier ædificat domum ſuam; inſipiens exſtructam quoque manibus deſtruet.* Prov. 14. v. 1. Ein ſolche Tantzerin im Hauß / iſt ein nutzlicher Haußrath: Ein ſchöner

Eraſmus l. 3. Apopht.

Kachel

Kachelöfen / vnnd häußliche Fraw / ſeynd die ſchönſte Zierden in der Stuben. Ita planè gyrabit ſe conjunx in œconomia adminiſtranda, ut non mereatur caſtigationem viri, ſed ad eundem ſemper debitum exhibeat reſpectum, obſequium, amorem & obſervantiam: nam jus dominandi in paradiſo olim perdidit ex Divinâ ſententiâ: *Sub viri*
Geneſ. 3. v. 16. *poteſtate eris.* Vbi ſeptuaginta Interpretes legunt: *Ad virum converſio tua*, præſertim in chorea proficuæ œconomię. Sed & usque in finem ſtrophæ, ad terminum vitæ, protrahi debet ſalta-
Regula 21 in ſexto. tio; quia juxta regulam Juris: *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non debet.* Sic pugnandum, ſic ſaltandum, ut reporteris coronam gloriæ.

Ego proinde hunc GALLINACEUM GALLUM ex venerabili volatilium collegio ita pro præſenti ſuggeſtu conſtituo, VT PER TOTAM QVADRAGESIMAM DIEBUS DOMINICALIBUS E CATHEDRA CLAMET, *rumpátque ſilentia* perniciosæ obmuteſcentiæ, & formidoloſæ taciturnitatis. O utinam valido ſuo clamore ſæcularia excitet Tribunalia à profundiſſimo ſomno perverſorum judiciorum, ad adorandum ortum Solis Juſtitiæ, & veritatis! Amen.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

GALLUS SUPER PINNACVLVM POSITVS.

Der Haußhann auff dem Spitz deß Thurns.

LEMMA.

Capiant ne Xenia. Alciat. 144. Embl.

THEMA.

Statuit eum ſuper pinnaculum Templi. Matth. 4. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS XVI.

Cùm Tribunalia ut plurimùm muneribus corrumpantur, Gallus ſupra templi pinnaculum poſitus, id unicè Judicibus intonare videtur, & canere: CAPIANT NE XENIA.

144. Gallus ſupra pinnaculum templi varia exercet officia.

CONſcendo ſupremos montium apices, ex congeſtis lapidibus prominentes; conſcendo ſumma turrium faſtigia & templi pinnaculum, ſupra quod hodie tentator Chriſtum maleſvado conſilio poſuit, loco utique acuto, prout Siponrinus arbitratur; de cujus ſententia *Pinnaculum eſt faſtigium & ſummitas ædificij in acumen tendentis*; *ſive quòd veteres pinnam acutam dicebant*; *ſive quòd pinnaculis addi pinna conſuevit, qua facili motu ventorum flatum indicet.* Vbi haud equidem ampliùs invenio Sipontinus.

infernalem Sathanam cum Salvatore de Angelorum miniſterio concertantem, ſed Gallinacci ſignum, clamore ſuo venenatiſſimos Baſiliſcos, & fortiſſimos leones exterrentis. Motiva quidem pulcherrima, quibus Majores noſtri Gallinaceum extulerunt ſupra Templorum, turriumvè pinnacula: tum ut volubilitate ſuâ indicaret tempeſtatum, & ventorum morus: tùm ut aſpicientes excutiendi torporis commonefaceret: tum ut peccatores ad contritionem, & pœnitentiam eo modo excitaret, quo renegantem Petrum trino clamore ad amaras lachrymas provocavit: tum ut animarum Paſtores eâ ſedulitate in nocte hujus ſæculi dormientes peccatores excitarent, ſuóſque proprios inprimis mores caſtigarent, quâ Gallinaceus priùs ſeipſum alarum remigio & verbere ſuſcitat, horas cantu dividit, dormientes excitat, diémque præcinit venientem. Certè ſi quidquam ita, Gallinaceus eſt vigilantiæ ſymbolum; utpote quem ordinatiſſimus *NON DECIPIT SOMNVS*; ſed & dormientem, ad Horizontis pedem rebigans *EXCITAT AVRORA.* Vbi ſe accommodat Alciati Emblema, ſic ſymbolizantis.

Alciatus Embl. 165.

Inſtantis quòd ſigna canens det Gallus Eoi,
Et revocet famulas ad nova penſa manus;
Turribus in ſacris effingitur area peluis,
Ad Superos mentem quod revocet vigilem.

Quaſi nempe eo modo ſit Gallinacei, *CANTV CIERE VIROS*; quali apud Virgilium aſſignabatur munus buccinatoribus, *Ære ciere viros, Martémque accendere cantu.* Appoſitè S. Baſilius vigilantiam Gallinacei proponit. *Ad opera conficienda te familiaris ac domeſtica excitat ales, acutâ inclamitans voce, cantúque ſuo ſolem adhuc è longinquo advenientem prædicens, cúmque viatoribus mane evigilans, & ad ſuos labores atque meſſem agricolas educens adibus.* Dúmque Gallus *SE QVASSV, ALIOS EXCITAT CANTV*, pulcherrimè S. Gregorius id explicat ad Patresfamilias, Prælatos & Prædicatores. *Sancti*, inquit, *cùm verbum prædicationis movent, priùs ſe in ſanctis actionibus exercent, ne in ſemetipſis torpentes opere, alios excitent voce; ſed antè ſe per ſublimia facta excutiunt, & tunc ad bene agendum alios ſollicitos reddunt.* Ob has igitur rationes videtur Gallus in turribus poni: Mea verò intentio *ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi*, ut videret omnia, quæ fiunt ſub ſole inter filios hominum. Et ecce vidit, profundè inſpiciendo in Magiſtratuum rotas, in Tribunalium conclavia, in ſublimiorum Poteſtatum regimina! Nempe vidit *ſub ſole in loco Iudicij impietatem, & in loco Juſtitiæ iniquitatem. Et dixi in corde meo: juſtum & impium judicabit DEVS; & tempus omnis rei tunc erit.* Hæc ipſa olim erat viſio Eccleſiaſtis, quam textus Chaldaicus alio ſtylo proloquitur. *Iterum ſub ſole vidi forum Judicij, in quo conſcripti corrupti Iudices innocuos condemnarent, nocentéſque ſententijs ſuis abſoluerent.* Et ſi *vidiſſe* hòc parum vobis videatur in Gallo, *ſupra pinnaculum templi* conſtituto; clamare etiam poteſt, & per totam Quadrageſimam clamabit fortiter contra Tribunalium iniquitatem; quæ ex quadruplici potiſſimùm fonte jugiter promanare videtur, juxta Gratiani in Decreto ſententiam. *Quatuor modis pervertitur humanum Iudicium: timore, dum metu poteſtatis alicujus veritatem loqui pertimeſcimus: cupiditate, dum præmio animum alicujus corrumpimus: odio, dum contra quemlibet adverſarium molimur: amore, dum amico vel propinquo complacere contendimus.* Placet hodie de corruptione Tribunalium per munera expedire ſententiam, ad quam vel ipſa promiſſio à diabolo facta Christo, *in montem excelſum valde* aſſumpto (*Hæc omnia tibi dabo*) peramanter invitat. Silete interim, & rectè judicate, an de Judicij externi perverſitate, muneribus introductâ, Gallinaceus ſupra pinnaculum templi veridicè decantârit?

Æneid. 6. v. 165.

S. Baſilius hom. 8. hex.

S. Gregorius. l. 30. moral. c. 4.

Eccleſ. 3. v. 16.

C. quatuor modo. cauſa 11. q. 3.

145. Galli vigilias & cantus, unde, & ad quid?

Quantumcunque in ſuo ſterquilinio poſſit Gallinaceus, in eodem tamen exulceratus Jobus conſidens, præ-

præſumpto jure, inquiſitionem inſti-
tuit contra Gallum, qui videbatur plùs
intelligentiæ exercere, quàm criſtata
ejus capacitas de communi Naturæ
Iob 38. v. 36. ordine ſibi amat appropriare. *Quis*
dedit Gallo intelligentiam? inquit, ut
horas cantu diſtinguat, ſiderũ ratio-
nes noſcat, noctu productiorem tollat
vocem, & quaſi caſtrenſi vigiliâ homi-
nes ad laborem excitet. Idipſum in
Plinius l. 10. c. 21. conſiderationem adducit Plinius, de
„Gallinaceis eleganter tractans. [Hi
„noſtri vigiles nocturni, quos exci-
„tandis in opera mortalibus, rumpen-
„dóque ſomno Natura genuit; nô-
„runt ſidera, & ternas diſtinguunt ho-
„ras interdiu cantu: cum ſole eunt
„cubitum, quartaque caſtrenſi vigi-
„liâ ad curas laborémque revocant;
„nec ſolis ortum incautis patiuntur
„obrepere, diémque venientem nun-
„tiant cantu, ipſum verò cantum
„plauſu laterum.] Deus nempe, ſicut
alijs creaturis propria quædam, ita &
Gallo ex vi nativi ſui temperamenti
aërei & ignei indidit, ut ei tali tem-
pore ſolvantur ſenſus; tum quia præ-
calidus eſt, & facilè cibos digerit:
tum quia ſolis appropinquantis in-
fluxum percipit; unde inſtinctu
Phantaſiæ mox in cantum, & alarum
plauſum erumpit. Vltra hoc ſi noſſe
vis, ſolertiſſime Jobe, quis dederit
Gallo intelligentiam? Iniquitas diſ-
ſertum facit Gallum, ut valido ſuo
clamore perverſa judicia mundi ar-
guat; & triplici cantu, tanquam Cano-
nicâ admonitione, vel ad ſeriam re-
vocet pœnitentiam, vel ad juſtitiam
adminiſtrandam inducat illos, quos
Deus *ſuper pinnaculum templi* Prælatos
Eccleſiaſticos, aut ſuper *omnia regna*
mundi conſtituit Judices ſæculares.

146. Judiciorum perverſitas graphicè exponitur. An non iterum iterúmque vehe-
menter repetat Gallus cantum argui-
tivum, & usque ad raucedinem cla-
met contra judiciorum iniquitatem:
quam graphicè conſiderantium ocu-
lis objicit D. Cyprianus, in Epiſtolâ
„quâdam ad Donatum. [Sævit invi-
„cem diſcordantium rabies, & inter
„togas pace ruptâ forum litibus mu-
„git inſanum; haſta illic, & gladius, &
„carnifex præſtò eſt, ungula effodiens,
„equuleus extendens, ignis exurens:
„ad hominis corpus unum, ſupplicia
„plura quàm membra ſunt. Quis in-
„ter hæc verò ſubveniat? Patronus?
„ſed prævaricatur, & decipit. Judex?
„ſed ſententiam vendit. Qui ſedet
„crimina vindicaturus, admittit; &
„ut reus innocens pereat, fit nocens
„judex. Flagrant ubique delicta, &
„paſſim multiformi genere peccandi
„per improbas mentes nocens virus
„operatur. Hic teſtamentum ſubij-
„cit; ille falſum capitali fraude con-
„ſcribit: hic arcentur hæreditatibus
„liberi; illis bona donantur aliena.
„Inimicus inſimulat, calumniator
„impugnat, teſtis infamat; utrobique
„graſſatur in mendacium criminum
„proſtitutæ vocis venalis audacia,
„cùm interim nocentes nec cum in-
„nocentibus pereunt. Nullus de le-
„gibus metus eſt; de quæſitore, de
„judice pavor nullus: quod poteſt re-
„dimi, non timetur: eſſe jam inter
„nocentes, innocuum crimen eſt:
„malos quisque non imitatur, offen-
„dit. Conſenſêre Jura peccatis, &
„*cæpit licitum eſſe, quod publicum eſt.*
„Quis illic rerum pudor? quæ eſſe
„poſſit integritas? ubi qui damnent
„improbos, deſunt? Soli qui damnen-
„tur, occurrunt.] Et quid indignius,
quàm ſi in ſolio Juſtitiæ ſedeat, & præ-
ſideat injuſtitia? ſi in tribunali æqui-
tatis regnet, & dominetur iniquitas?
ſi pietatem opprimat impietas, probi-
tatem improbitas, malitia innocen-
tiam, ſanctitatem ſcelus, humanita-
tem tyrannis & ſævitia? Tam luctuo-
ſam Tribunalium cataſtrophen jam
ſuo tempore invaluiſſe graviter deto-
nat præ mentis vehementiâ Iſaias Iſa. 59. v. 14.
Propheta. *Converſum eſt*, ait, *retrorſum*
judicium, & juſtitia longè ſtetit: quia cor-
ruit in plateis veritas, & æquitas non po-
tuit ingredi. Et facta eſt veritas in obli-
vionem, & qui receſſit à malo, præda pa-
tuit: & vidit Dominus, & malum apparuit
in oculis ejus; quia non eſt judicium.
Optabat ſcilicet juſtitia ſubire ſedem
ſuam, & locum ſibi deſtinatum inire:
ſed Judices, qui videbantur regere

populum, nomen Judicum ementiebantur, & in loco judicij ac juſtitiæ operabantur iniquitatem; repulerunt judicium & juſtitiam, nec ſiverunt appropinquare ad eam plateæ partem, in qua erat judicij exercitium, & veritas cum æquitate corruerat. Non tantùm corruit veritas, & in oblivionem traditur; cùm homo innoxius mendacibus calumnijs opprimitur, & innocentia falſiloquijs conſpurcatur: ſed etiam cùm veritas premitur, & erumpere prohibetur; nec auditur, qui reus prætenditur, nec pro ſe dicere, & indemnem ſe præſtare, permittitur. *Et vidit Dominus, & malum apparuit in oculis ejus, quia non eſt judiciū: & vidit, quia non eſt vir*, valens & volens perrumpere iniquitatem, & quod juſtum eſt, juſtè judicare. *Et aporiatus eſt, quia non eſt, qui occurrat: & ſalvavit ſibi brachium ſuum, & juſtitia ejus ipſa confirmavit eum. Indutus eſt veſtimentis ultionis, & opertus eſt quaſi pallio Zeli, ſicut ad vindictam, quaſi ad retributionem.* Sive ergo ad ultionem paratus ſit Dominus in hac vitâ, ſive poſt obitum; utrobique horrendum eſt incidere in manus DEI viventis, qui abuſionem concreditæ ad judicandum poteſtatis, & judicij perverſionem acerbiſſimè feret: ut meritò ſit à Gallo, ſupra pinnaculum templi poſito, altè occinendum & validè inclamandum judicibus omnibus, quod Epiſcopis judicantibus ingerebat Nazianzenus. [*Vos qui thronos coronatos conſequimini, & ob fluxas eminentias elati eſtis, juſtitiam illam extremam & inevitabilem intuemini; omnino nihil uſquam eſſe, quod illam effugere poſſit, conſiderantes.*]

Iſa. lo. cit.

Nazianzenus orat. de Epiſcopis in fine tom. 2 graecol.

147. Munera excæcant oculos judicum.

Tam ſeriò haud quidpiam DEUS in Deuteronomio caviſſe videtur, quàm id, quod omnem malorum myriadem induxit in mundum, civitates evertit, regna tranſtulit, clades inſtituit, latrocinia ſubornavit, aliena fori publici fecit, Chriſtum & Divinas gratias vendidit, Tribunalia evertit, & juſtitiam venalem expoſuit. *Iudices*, inquit, *& Magiſtratus conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per ſingulas tribus tuas: ut judicent populum juſto judicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies perſonam, nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.* Sciebat nempe, quòd homo ex interno animi impulſu, & inſatiabili habendi cupiditate, plura ſemper & majora appetat; hinc facilè futurum, ut ſi Miniſtri juſtitiæ muneribus ad ferendam ſententiam invitarentur, ſine conſcientia, ſine DEI timore Jutium æquitatem inflecterent & curvitatem delinearent; ſine quibus nec mundus in tranquilla ſecuritate adminiſtraretur, nec regna ſine continuis latrocinijs ſubſiſterent, nec Tribunalia à furtis & rapinis forent incontaminata: *quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.* Hæreo [illegible] tam gravem Spiritûs Sancti ſententiam, contra munera Juſtitiam evertentia intonantem, attonitus; quando vel ipſe hodie tentator factâ promiſſione, *hæc omnia tibi dabo*, Sapientiæ Verbi aperire oculos nitebatur; & munera Sapientum oculos non obtenebrant, quin potiùs aperiant; utpote quòd ferentes nobis munera, blando, ſecundo & benevolo oculo reſpicere ſoleamus: ut proinde Sidonius Apollinaris in quadam Epiſtola ita ſcribat: *Quorum ſi nares afflaverit uſpiam rubiginoſi aura marſupij, confeſtim videbis illic & oculos Argi, & manus Briarei, & Sphingarum ungues*, & perjuria Laomedontis, & Vlyſſis argutias, & Simonis fallacias, & pietatem Pygmalionis. Veruntamen Spiritus Sanctus prædictis verbis non de corporeis oculis, tot ſpecierum receptivis, ſed de oculo animæ, qui eſt intellectus, loqui intendit; hic enim obfuſcatur, & caligine quâdam per munera induitur. Qua ratione Lampridius Severum Imperatorem erga iniquos Judices rigidiſſimum, & præ nimiâ abominatione, quâ illos execrabatur, dicere ſolitum fuiſſe, refert: *Se digitum ſemper habere in promptu, quo oculum eſſet Iudicis illius excavaturus, qui rectam offendere Iuſtitiam non dubitaret*: & ideò, quotiescunque commiſſam

Deut. 16. v. 18, 19.

Sidonius Apollinaris 47. Epiſt. 15.

fuiſſe

fuiſſe aliquam injuſtitiam intelligebat, graviſſimam de illius authore ſemper ſumebat vindictam.

148. *Iudices in portis cur olim ſedebant?*

Nec facili pede tranſiliendum præceptum DEI, manifeſtè jubentis, ut in omnibus portis civitatum conſtituantur Magiſtratus & Judices, qui in Jurium controverſijs ſententias decidant. *Iudices conſtitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum juſto judicio.* Varij porrò à Sacris expoſitoribus adducuntur fines, ob quos Increata Sapientia præceperit erigi Tribunalia in portis civitatis: quorum præcipuos ad juſtitiæ adminiſtrationem firmiorem hìc adducamus. Ven. Beda de muliere illa forti, de qua Sapiens inter cætera air, *Nobilis in portis vir ejus*, ita

Menſ. in Bibliotheca. V. Iudicium. diſſ. 4 n. 9. Beda to. 7. l. de mul forti.

„ſcribit. [In portis ſedere ad judicandum ſolebant, ut venientes ad civitatem aliunde, paratum continuò „reſponſum judicantis acciperent; & „ne ruſticos, vel paſtores, inſolita urbis ædificia ſtupefacerent; nec rurſus „pacem urbis intrinſecùs frequens litigantium controverſia fœdaret.]

S. Hieronym. ſupra Zach. 8 v. 16.

S. Hieronymus ſuper illum textum Zachariæ, *judicate in portis veſtris*, idem dubium his verbis movet. „[Quæritur, quare apud Judæos in „portis locus fuerit judicandi? Et re„ſpondit: Ne cogerentur agricolæ „intrare urbes, & aliquod ſubire di„ſpendium, judices in portis reſide„bant.] DEUS namque ſupremus Judex ſollicitè providebat, ne miſeri & pauperes ruſtici aliquas in civitatibus expenſas facere cogerentur; ideóque judices in portis earum præſtolari eos debebant, ut inde judices intelligerent, curam illis incumbere, ut diſpendia, quæ reſecare poſſunt,

Abulenſis ſupra Deut. 16. q. 4.

à litigantibus avertant. Abulenſis ad loci publicitatem ſe reflectir, inquiens. „[Quia ſicut judex eſt perſona publi„ca, cuilibet juſtum diſtribuens, ita „congruebat ei locus publiciſſimus; „ſcilicet porta civitatis, ad quam ac„cedebant omnes, ſive divites, ſive „pauperes, advenæ & indignæ.] Ven.

Beda in Pſal. 9. v. 15.

Beda ſuper illum locum Pſalmi, *Qui exaltas me de portis mortis*, diverſam à ſuperiori cauſam inſinuat, dum ait. „[Id eſt, de humanis Judicijs, quæ an„tiquitus ſolebant fieri ante portas ur„bium; ut egredientes, & ingredien„tes, videntes damnationem malo„rum, & remunerationem bonorum, „caverent vitanda, & appeterent fa„cienda.] Ratio verò, quam Rabanus adducit, opportuna nobis eſt; quòd ideò DEUS judicibus locum ſuum ad portas urbium deſtinârit? ut ad ipſorum Tribunalia confluentes non ſolùm in publico & manifeſto loco haberent audientiam, ſed etiam ut hæc prompta illis eſſet, nec diu illam præſtolari cogerentur. [*In portis*, ait, *ut advenientes undiq; ſtatim in introitu civitatis judices paratos inveniant, à quibus juſta judicia accipiant.*] Tantâ ſollicitudine DEUS inſtitui judicia mandavit; ut mirum non ſit, quòd de muneribus Tribunalia depravantibus, & Judices excæcantibus, tam rigoroſam fecerit cautelam.

Rabanus l. 2. in Deut. 18.

In horum proinde excæcatorum Judicum gratiam, tres occurrunt cæcorum ſortes; quarum alterutræ inſerti videntur eſſe, quotquot timore DEI poſtpoſito ad evertenda judicia muneribus corrumpuntur. Primò ſunt cæci, qui ſcipione viam ſeu gradum inveſtigant: ſecundò, qui ab avunculo, filio vel amico, diriguntur manu; tertiò, quibus canis prævius viam demonſtrat acceſſibilem. Primi ſunt, qui ad officia & dignitates competendo adſpirant: hi enim, cùm à qualificatâ ratione talentorum, munerum & meritorum ſublimari non valeant, nec aliunde videant, quomodo ſibi fortunam ſuam fabricent; ſcipionibus innituntur, potenéſque Chriſtopheros ac Atlantes ſollicitant, ut certò progrediantur. Secundos inter numerare juvat Prælatos & Antiſtites, qui immodico & cæco amore trahuntur ſuorum liberorum, avunculorum, conſanguineorum, aliâve viciſſitudine propinquorum; dum hos in Reipublicæ damnum evehere ſatagunt *ſuper pinnaculum templi*, ſuper cathedras Moyſis, & ſuper purpureos Salomonis thronos. Reliqui occurrunt cauſidici, qui quidem in Tribunali-

149. *Cæci qui nam à cane ducuntur? Iudices.*

nalibus, Magiſtratibus, & Dicaſterijs pro Juſtitia fortiter certant, validéque latrant, ut canes: quòd ſi verò in præſentatâ pretioſâ phialâ objiciantur argentei aureique boli, ocyùs obmuteſcunt, tacent, diſſimulant; ſicque adeò à cane muto diriguntur. Ex quo tandem conſequitur, ut juſtitia, quæ ab omnibus Gentibus velatis oculis pingebatur, velut luce impedita nullam ſciret differentiam ponere inter litigantium partium conditiones, ſed præciſè æquâ lance jus ſuum cuique reddere, jam planè luminibus privata evadat; utpote quòd frequenter ab excæcatis diſſolvantur controverſiæ, feratur ſententia, Reſpublica adminiſtretur, belli paciſque leges ferantur, & ab hac hominum tyrannide Tribunalia adminiſtrentur. *O cæcas hominum mentes! O pectora cæca!* O cæca judicia, cauſarúmque diſcuſſiones cæcas, ubi Cauſidici ab hoc irritamento laborum, munerúmque corruptelâ ſunt exæcati! Et ut cum Paulo de Palatio exclamem: *O miſera dona, quæ cæcos & mutos faciunt? Audite miraculum. Chriſtus venit aperire oculos cæcorum, & linguas mutorum diſſertas facere: at dona cæcant oculos apertos, mutas faciunt linguas diſſertas; ac proinde ſurdas faciunt patentes aures!* Samſon Iſraëlitici populi Judex, qui unicâ tantùm aſini maxillâ multa mactaverat inimicorum millia, tandem factus eſt hoſtium ſuorum riſus, fabula & ludibrium; atque poſt ambos ei oculos erutos, ad inſtar aſini cuiuſdam, molam vertere coactus fuit. Et unde putatis, hanc ejus mali originem primitùs promanaſſe? Ex eo profectò, quòd Philiſthæi uxorem ejus Dalilam muneribus ſibi devicerant, ut eum traderet. *Venerunt ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt: decipe eum, & diſce ab eo, in quo habeat tantam fortitudinem: quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos.* Quam hiſtoriam S. Ambroſius ponderans, his verbis adversùs avaritiæ crimen exclamat. [Ille, qui rugientem leonem manibus diſcerpſit ſuis, qui vinctus & alienigenis traditus, ſine ullo adiutorio, ſolus diſſolutis vinculis mille ex his peremit viros; is ſuper genua mulieris inflexâ cervice truncatus, invicti crinis ornatum, prærogativam ſuæ virtutis amiſit: influxit pecunia in gremium mulieris, & à viro diſceſſit gratia.] Eheu! quot ſunt noſtro ævo? qui cùm antea pro juſtitiæ defenſione firmi & conſtantes fuerint, tandem nihilominus in ſinu cuiuſdam Dalilæ procumbentes, vel Philiſthinorum argento corrupti, leges convellunt, truncant Codices, & ad imitationem Samſonis cæci evadunt, non corpore, ſed intellectu & animo; *quia munera excæcant oculos ſapientum.* Vt non abs re Latinæ eloquentiæ Princeps, & Romani Senatûs Conſul dixerit: *Nihil eſſe tam ſanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ & muneribus poſſit.*

Paulus de Palatio in Eccleſiaſt.

Iud. 16. v. 5.

S. Ambroſius l. 2. de offic. c. 26.

Cicero in Verrem.

150. Verè ita eſt, quòd etiam viri in ſuſferendis difficultatibus conſtantiſſimi, in ferendis legibus eximij, in juſtitiâ adminiſtrandâ invicti, & ſervandâ omnibus æquitate inconcuſſi, tandem ad Lydium offenſionis lapidem offendant, & pretioſis munerum ſportulis frangantur; ut ampliùs reſiſtendo haud pares evadant, qui olim confringendis gygantum cervicibus erant terribiles. De quodam ſuperiorum temporum Judice refertur, quòd cùm hactenus acerbiſſimo judicio, & ſapientiâ non vulgari conſpicuus, Deúmque timens, à pronuntiatione juſtæ æquiſſimæque ſententiæ dimoveri non potuiſſet; tandem in virum alterum mutatus, & à Juſtitia planè degenerans, cùm de motivo huius mutationis requiſitus fuiſſet, reſponderit: id factum fuiſſe ideò, quòd 4000. cataphractis equitibus, ipſum infeſtantibus, ampliùs reſiſtere minimè potuerit; ad quatuor mille alludens Vngaros, equitem ſibi impreſſum referentes. Sapientiſſimi ſcilicet viri ac timoratiſſimi, in rebus cùm divinarum humanatúmque legum obſervantiâ agendis, validiſſimo hoc munerum ac donativorum ariete impugnantur, ut magnæ Themidis integ-

Munera etiam invictiſſimos vincunt Iudices.

gritatem, virtutem & conſtantiam, penitus depravare non erubeſcant. *Uſque adeò hoc inolevit malum*, queru- latur D. Auguſtinus, *ut jam quaſi ex conſvetudine vendantur leges, corrumpantur jura, ſententia ipſa venalis ſit, & nulla jam cauſa eſſe poſſit ſine cauſa.* Ecquis Davide juſtior potuiſſet inquiri? de quo DEus ipſemet irrefragabile perhibuit teſtimonium, dicens: *Inveni David filium Jeſſe, virum ſecundùm cor meum, qui faciat omnes voluntates meas.* Quique per totum Pſalterium tam frequentes & anxias Tribunalibus pro cauſis decidendis regulas ſtatuit. Et tamen, ſi ad examinis trutinam ponatur factum, quod circa Sibam perpetratum eſt, comperiemus, eum à rectâ Juſtitiæ lance procul declinâſſe. Cùm enim ob Abſalonis filij ſui rebellionem, triſtis omnino, & anxius fugeret de Jeruſalem; obvium ſibi Miphiboſeth ſervum, Sibam nomine, qualiter cum Domino ſuo ageretur, & ubinam degeret, interrogavit: hic quippe, eùm filius Jonathæ filij Saul eſſet, & conſequenter ſtirpis regiæ genuina propago, vel rebellionem fovere, vel ſaltem conjuratis adverſùs Davidem, rebellibus nonnullum potuiſſet imprimere colorem. Huic eùm Siba reſpondiſſet: *Remanſit in Jeruſalem, dicens: hodie reſtituet mihi domus Iſraël regnum Patris mei. Ait Rex Siba: Tua ſint omnia, quæ fuerunt Miphiboſeth.* Poteratne hæc injuſtior ferri à Rege tam ſancto ſententia? Nunquid is, qui ſuper ſenes intellexit, etiam apprehendit id, quod ab ejus poſtero inter Sapientum dicta fuit relatum: *Qui citò credit, levis eſt corde?* Et hine doctiſſimus Abulenſis, injuſtitiam huius ſententiæ ex pluribus capitibus redarguit, dicens. [Condemnavit inauditum, non vocatum, & indefenſum: in notorijs quoque delictis requiritur citatio; ut reus veniat ad audiendam ſententiam, & allegandas excuſationes, ſi quas habet.] Eaſdem quoque Davidis rationes iniuſtas Dionyſius Carthuſianus tetigit, ſuperaddens: Davidem ſoli accuſatori ſine teſte calumnianti haudquaquam debuiſſe eredere, perverſóque judicij ordine ſine examine, ſine ullâ præcedentis deliberationis morâ pronuntiare ſententiam; maximè cùm de fidelitate Miphiboſeth nihil ſiniſtri ne quidem ſuſpicari potuerit. Præterquam, quòd de illo tanquam claudo, adeóque ad militandum inepto, facilè ſibi potuerit perſvadere, hac ſolùm de cauſa illum Davidis caſtra minimè ſecutum fuiſſe. Cur igitur in tam iniuſtam, & præter omnem Juris ordinem prolatam ſententiam prorupit? Reſponſio ad hoc dubium prompta adeſt: quia ſcilicet *apparuit Siba in occurſum ejus cum duobus aſinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis uvæ paſſæ, & centum maſſis palatharum, & utre vini.* Vbi Lyranus in moralitatibus, ſequens documentum producit. *David ſanctus ex verbis & dono, licet modico, hujus adulatoris & detractoris, in tantùm fuit deceptus, quòd ſine verborum ejus examinatione, dedit ei hæreditatem Domini.* Quódque majori admirationi patet, eſt: quod eùm impoſtura Sibæ jam fuiſſet detecta, ideóque ſeverè puniri mereretur; non ſolùm non caſtigaverit ipſum, eáque non repetierit, quæ ex Miphiboſethi bonis iniquè ablata ei donaverat; ſed etiam in pacifica medietatis facultatum Miphiboſeth poſſeſſione reliquerit. Vnde Abulenſis, hiſtoriam hanc accuratè examinans, Davidem etiam in hoc caſu manifeſtæ condemnavit injuſtitiæ, dum ait: *Locutus eſt contra conditionem Iudicis recti, quia Iudex non debet ſequi voluntatem ſuam, ſed ſtatuta Patrum, & leges, & rectam rationem.* At verò de Siba alio loco ait: *Vt captaret Regis favorem, non ſolùm munera ciba & potus, ſed etiam in quibus portabantur, Regi obtulit, dicens: Aſini, domeſticis Regis ut ſedeant.* Hinc provenit, ut, licèt David debuiſſet latam revocare ſententiam, & calumniatori Sibæ non ſolùm adjudicatas ei facultates

Marginalia: S. Auguſtin. ſer. 3. diverſ. — Act. 13. v. 22. — 2. Reg. 16. v. 3. — Eccli. 19. v. 4. — David muneribus corruptus dat injuſtam ſententiam. — Lyranus in moral. — Abulenſis q. 19 in c. 19. 2. Reg. — Idem q. 24 in c. 16. ibid.

tates eripere, ſed etiam proprias ei confiſcare; adhuc tamen, etiam poſtquam Miphiboſeth ab injuſtâ calumnia ſe plenè purgavit, reſponderit: *Quid ultra loqueris? fixum eſt, quod locutus ſum.* Et quid de hac tam manifeſta Davidis iniuſtitia diſquiramus? quomodo hac turpi maculâ ſeſe notavit? Profectò non aliunde, quàm quia adhuc munera ſibi à Siba oblata vivacem memoriam afficiebant: quæ tametſi, ut veriſimile videri poteſt, ex bonis Domini ſui, quæ Siba adminiſtrabat, depromptæ fuerint; attamen ſola munerum illorum memoria Regem, cæteroquin ſanctiſſimum, ad enormiter violandam Juſtitiam efficaciter commovit: *quia munera excæcant oculos ſapientum.*

151. Munera ad mendacium inducunt, & admirationem. Ponderoſa eſt ratio, quam adducit B. Petrus Damiani, contra Giezi diſcipulum Eliſei intimum; quem Eliſeus tenerrimo complectebatur amore. Noverat quidem bene Giezi, quòd Magiſter ſuus Eliſeus offenſo proſequeretur odio munera & xenia, utpote qui excuſſo humanitatis ordine, oblata ſibi munera à Principe Naaman acceptare nullatenus voluit; ipſe tamen ſub ſpecioſi mendacii prætextu eadem à manibus Principis elicuit. 4. Reg. 5. *Dixitque Giezi puer viri DEI: pepercit Dominus meus Naaman Syro iſti, ut non acciperet ab eo, quæ attulit: vivit Dominus, quia curram poſt eum, & accipiam ab eo aliquid. Et ſecutus eſt Giezi poſt tergum Naaman; quem cùm vidiſſet ille currentem ad ſe, deſilijt de curru in occurſum ejus, & ait: Rectène ſunt omnia? Et ille ait: Rectè. Dominus meus miſit me ad te, dicens: modò venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim, ex filijs Prophetarum; da ejus talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices. Dixitque Naaman: melius eſt, ut accipias duo talenta. Et coëgit eum; ligavitque duo talenta argenti in duobus ſaccis, & duplicia veſtimenta; & impoſuit duobus pueris ſuis, qui & portaverunt coram eo. Cùmque veniſſet jam veſperi, tulit de manu eorum, & repoſuit in domo; dimiſitque viros, & abierunt. Ipſe autem ingreſſus, ſtetit coram Domino ſuo. Et dixit Eliſeus: Unde venis Giezi? Qui reſpondit: Non ivit ſervus tuus quòquam.* Rectè mentitus es in collum tuum, Giezi! Et quæ hęc tam mendacis diſcipuli temeritas? Nunquid Eliſeum ſpiritu Prophetico pręfulgere, per tot añorum experientiam ſcire non poteras; ideóque metuere, ne & hoc factum, licet à te procul diſtante commiſſum, à DEO ſibi eſſet revelatum, vel referendum ab aliis? *At ille ait*, ſcilicet Eliſeus: *Nónne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & ſervos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi.* Veruntamen licet hæc omnia rectè debuiſſet prævidere Giezi; nihilominus munera excæcant oculos ſapientum. *Etenim dum argentum, Naaman offerente, perciperet*, inquit Beatus Petrus Damiani, *Domini ſui Spiritum ſuſpicabatur abſentem.* B. Petrus Damiani lib. 1. ep. 2. Meritò profectò quidam huius eiusdam Naaman aliud quoddam factum obſervat, & admiratur. Receptâ namque in aquis Jordanis ſanitate miraculoſâ, non conſtat ex Scripturâ, ipſum vel minimam ſtillam illarum aquarum in grati animi mnemoſinon, & recepti beneficii conteſtationem ſecum aſportaſſe; & tamen conſtat, ipſum de terra Iſraël, haud ſecus, ac de reliquiis, duas magnas ſarcinas impleviſſe, ſecúmque tuliſſe, ut exinde domi ſuæ in Syria poſtea aliquod Altare erigere. Et quid ipſum ad hoc permovere potuit? Sanctiorem ſcilicet iudicavit terram illam, in qua munerum cupiditas ſepelitur; quàm illam aquam, in qua corporum lepra expiatur. Ecce! Naaman nec quidquam miratus eſt Giezi diſcipulum; nec virtutem ſanativam aquæ; Sed verò Eliſeum Prophetam ſanctum videns attonitus remanſit, & portionem terræ illius, quam Eliſeus tam generoſo

roſo animo oblata ſibi reſpuens munera, pedibus ſuis calcaverat, reliquiarum loco ſecum aſportavit.

152. *Etiam Angeli formidant munera, ne ijs corrumpantur.*

Tandem quid dicturus eſſet Naaman, quid Eliſeus, ſi ipſi quoque Angeli reipſa ſe metuere oſtenderent, ne muneribus depravarentur? Id autem verè ſe ita habere, ex eo potiſſimùm patet: poſtquam enim Abraham illos Angelos, qui ad caſtigandam Sodomam juſſu DEI abituri erant, hoſpitio benevolo excepiſſet, tandem eos abeuntes, ad notabile itineris ſpatium eſt comitatus; ſicur ſolet fieri ex humana curialitate, quòd hoſpites per aliquod ſpatium conducantur. Vbi Cajetanus ſuper textum Geneſis, *Abraham ſimul gradiebatur, deducens eos*, addit, eos declinâſſe à via publica; & propterea Abraham comitabatur ipſos, tanquã ad mittendum eos per viam publicam. Ipſi verò, qui ad infames illas ituri erant civitates, ut formarent juridicos proceſſus adversùm criminales Incolas, eóſque ſecundùm æquitatem cauſæ, & rigorem Juſtitiæ punirent, *non declinaverunt neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*: ut eos, quibus judicandi munus incumbit, experimento ſuo docerent, ne quidem per viam in domibus privatis divertant; ut vel ſic ergà nullum ſeſe quâpiam obligatione adſtringant, ſed in exequendo munere liberi procedant. Deinde mox ubi Sodomam appulerunt, in publicâ plateâ demorari, ac pernoctare decreverant; quamvis inde à Loth in ſuas ædes fuerint invitati, & amicè deducti: quas etiam haud dubiè ingreſſi non fuiſſent, niſi illum à Divinâ vindictâ immunem futurum eſſe ſciviſſent. Ex quo apparet, ipſos quoque Angelos formidine quadam percelli, ne munera acceptantes à rectitudine Juſtitiæ propter receptam hoſpitalitatis benevolentiam declinent: ad eruditionem utique noſtram, cùm boni Angeli ex viſione beatifica exiſtant impeccabiles.

Gen. 18. v. 16. Cajetanus ibi.

Vos ergo Tribunalium præſides oculos conijcite in Gallinaceum ſuper pinnaculum templi poſitum, quotieſcunque decidenda occurrit cauſa, & juſta ferenda ſententia; ut vos commonefaciat veſtri officij: quod eſt, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinare, ſed viâ æquitatis rectè procedere, ac munerum corruptelam piè exhorreſcere: alioquin Gallinaceus cantilenam ſuam declamabit ex alto, & publico edicto iniquas truncabit manus,

--- *CAPIANT NE XENIA, nec ſe*
Pollicitis flecti, muneribúsque ſinant.

Amen.

QVADRAGESIMÆ.

PRETIOSA GALLI ALECTORIA.

Der koſtbare vnd krafftreiche Hannenſtein / oder Lockſtern.

LEMMA.

Tantùm ſitis horrida torret. Stat. lib. 4. Theb.

THEMA.

Ecce nubes lucida obumbravit eos. Matth. 17. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS XVII.

Tribunalium transfiguratio, ac Juſtitiæ obumbratio, per Alectorias ſub linguis Judicum poſitas, adſtruuntur à ſollicitantibus Judicij corruptelam; quæ in Tabernaculo Dei habitare non permittitur.

153. Alectoriæ natura & proprietates.

ECquis veſtrûm, Auditores, non ſummoperè deſiderâſſet, hac luce in Montem excelſum Thaborinum conſcendere, Prophetarum apparitionis & Apoſtolorum voti particeps eſſe, transfiguratum Servatorem contueri, & futuræ gloriæ imaginem conſpicari? O cœleſtis Beatitudinis ſublimitas, humanis objecta oculis ad obſtupeſcentiam, mentibus ad conſolationem, & ad ſpem futuræ gloriæ viatoribus præſentata! Sed quid juvat tam operosè ad Transfigurationem Thaboriticam conſcendere, quando etiam Magiſtratuum, Politicorum, & quorumcunque Judicum Tribunalia nube lucidâ obumbrantur, & in *mutatas* rerum *formas* transfigurantur, per mirabilem multiplicis virtutis gemmam, quam *Galli Alectoriam* appellat Autbor de Naturâ rerum. Ferunt enim Naturaliſtæ, quòd ſi Gallus triennis caſtretur, ac tum per quinque vel ſex annos adhuc vivere permittatur; huic capo caſtrato in ventriculo vel hepate creſcat lapis, Alectoria dictus, & ab Agricola cum ſaphyris & onycbinis in pretio ac virtute comparatus. Hæc gemma pollita cryſtallum imitatur; niſi quòd rubricantibus venulis interdiſtincta, ad umbram lucidæ nubeculæ ſimillimam declinet. Virtutes gemmæ ſunt variæ. Primò, ſitim extinguit, non tantùm Capo, quamdiu ab eo geritur in ventriculo; ſed etiam illi, qui Alectoriam ori impoſitam ſub linguâ continet. Secundò, oculis mirificè conducit. Tertiò, hominem facit alteri gratum, amicum, delectabilem. Quartò, facit habentem omnia obtinere & impetrare, quidquid ei arriſerit. Quintò, ad pugnam audacem reddit, & in prælio victorioſum. Sed ad hos ſingulos effectus opus eſt, Alectoriam ſub linguâ continere. Atteſtatur Plinius, & [*Alectorias*, inquit, *vocant in ventriculis Gallinaceorum inventas, cryſtallinâ ſpecie, magnitudine fabæ; quibus Milonem Crotoniten.*

Author de nat. rerum apud Geſnerum.

Agricola de gemmis.

Plinius l. 37. c. 10.

Albertus Mag. l. 2. de virtut. lapid.

nienſem uſum in certaminibus, invictum fuiſſe videri volunt.] Similia ſcribit Albertus Magnus. Cùm ergo Cauſidici & Judices hujuſmodi Alectorias ſummâ induſtriâ ore recipiant, quid inde miraculi concipiatur, ſi muta fiant labia doloſa? ſi ſitibundâ habendi cupido ſaturetur ad jucunditatem? ſi oculi, munerum ſpecioſitate decepti, cauſę æquitatem non conſiderent? ſi comparatę, vel obligatę amicitię, legum vincula diſſolvant? ſi cauſæ etiam iniquiſſimæ triumphent? ſi omnia ad nutum deſideranti obediant? ſi tandem tota Juſtitiæ facies, per attractas munerum Alectorias, transfiguretur in prototypon iniquitatis? *Ecce! nubes lucida obumbravit eos!* Attentos vos eſſe jubeo huic transfigurationi myſticæ; in qua cùm tria ſibi conſtruant tabernacula, accuſator, reus, & Judex; ſi, quo modo nube lucidâ Alectoriæ obumbrentur, revelabo myſterium, & geminæ tam exoticæ vim prolixioris diſcurſûs emphaſi accuratè circumcidam.

154 Oratorem de puppi dicere ſolitum, juxta Demoſthenis eloquentiam & ornatiſſimæ Rhetoricæ regulas, poſt vehementes animi motus, poſt graves manuum actiones, poſt acutè elevatas, modeſtè mitigatas, & graviter depreſſas voces, tandem ſicco afflante vento in raucedinem deficere, linguâ areſcere, & omnino obmuteſcere, quis admiretur? Sufflaminantibus hiſce motibus *Tantùm ſitû horrida torret!* Muſicum vel ab ipſo Apollinis Gynæceo inſtructum, & humoribus ad cantores requiſitis deſtitutum, tandem præ labiorum ſiccitate ſilentium ſibi imponere, nec ampliùs dignari, vel poſſe voci menſuram fingere, ſæpe ſæpiùs contingit: nam linguam, hidraulicâ humorum influentiâ privatam, *tantùm ſitû horrida torret!* Sic pariter, ex quo ad Judicis munus ſpectat proferre ſententiam, ad audientiam benignas præbere difficultatibus aures, litigantes vel reos interrogare, pro rei æquitate jus dicere, ac diſſertâ oratione ſententiam decidere; Judicem, vel pro neceſ-

Siti a munerum torret, & obmuteſcere facit Cauſidicos.

ſitate ſuâ indigum, vel pro cupiditate avarum, ad fovendam juſtitiam obmuteſcere, ut quid ſciſcitamini? Auri ſacra fames tantùm mortalia cogit pectora; & linguas in jure facundas, ad obmuteſcentiam uſque, auri *tantùm ſitû horrida torret!* Eccleſiaſticum huic experientiæ aſſentire video, dum ait: *Xenia & dona excæcant oculos ſapientum, & quaſi mutus in ore avertit correptiones eorum.* Vbi Hugo Cardinalis ſuam expoſitionem adit. [Sicut bolus carnis, vel panis in os canis projectus, obmuteſcere facit eum; ſic Xenia & dona obmuteſcere faciunt judices, ne judicent veritatem.] Adducit authoritatem Strabonis ſuper caput octavum Exodi, qui de certo quodam ranarum genere, quæ Calamitæ appellantur, refert, quòd una illarum ori canis injecta, eundem à latratibus ſuis compeſcat, & mutum efficiat. Sic Xenia, id eſt, *munera obmuteſcere faciunt judices.* Vnde fit, quòd Iſaias ſuo tempore irreparabile hoc damnum in Hebraiſmo deplorans, dicat: *Speculatores ejus cæci omnes; canes muti non valentes latrare.* Albertus Magnus ranarum proprietates deſcribens ait, quòd ſi vel minimum ranæ alicujus oſſiculum ollæ bullienti injiciatur, ſubitò deſinat ad ſuperficiem ejicere bullitus; adeò ut refrigeſcere & gelari videatur. Idem videre eſt in multis judicibus, qui priùs in defenſione Juſtitiæ zeloſos ſe & fervidos exhibebant, protegendo illos, qui à divitibus & potentibus opprimebantur; at verò mox, ut opulentis Alectorijs & muneribus afficiuntur, adeò incipiunt refrigeſcere, ut non ſolùm iſte zelus, & fervor inijs deficiant, verùm etiam leges & ſtatuta pro ſuo prurito interpretando corrumpant; adeóque de tali Judice per munera corrupto, verificatur illud Pſalmiſtæ: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum.* Nam acceptis muneribus, partis quidem adverſæ informationibus aures præbet, ſed ad diſcutiendas difficultates, cauſámque examinandam os ſuum non aperit: & factus eſt

Eccle. 20. v. 31.

Hugo Card.

Iſa. 56. v. 10.

Albertus M. l. 26. de animalibus.

Pſal. 37. v. 14.

Pſal. 37 v. 15. *ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones*; quia *quaſi mutus*, Eccli. 20. v. 31. *in ore avertit correptiones eorum.*

155. Curioſis exemplis probatur obmuteſcentia Iudicum. Vbi curioſam conſiderationem adducit Cornelius à Lapide, quòd loco *mutus in ore* Græco textui idem ſit, quod *bos in linguâ*. Et ratio eſſe poteſt, quòd antiquitus ad hujus animalis effigiem appenderint pecuniam. Enim verò ſi quis bovem in linguâ haberet, linguâ ſuâ utique haud poſſet uti; præterquam, quòd inſtar bovis ignorans futurus eſſet. Hic etenim eſt effectus, quem aurū & argentū operantur in Judice; quòd talis munere corruptus, in defenſione Juſtitiæ os ſuum aperire non poſſit; ſéque ignorantem exhibeat, dum ſententiam profert irrationabilem. Olivetius ſuper Eccleſiaſticum, curioſum refert cuiusdam litigantis factum. Is cùm cauſam in Tribunali controverſam haberet, die pridiano ante ferendam ſententiam, judici bovem dono tranſmiſit; adverſaria pars autem, de hoc dono certior facta, Judicis conjugi vaccam donavit; quæ hoc munere delinita, maritum ſuum (prout ad malum potentes ſunt mulieres) eousque diſpoſuit, ut ſequenti die in favorem donatarij ſui ſententia ab eo fuerit deciſa: & quia is, qui bovem donaverat, certam ſibi promittens victoriam, audivit ſpei ſuæ contrariam pronuntiari ſententiam; coram judice altùm clamare cœpit: *Bos loquere: loquere bos.* Cui Judex, ut ſuam iniquitatem palliaret, reſpondit: *Bos loqui non poteſt, quia vacca non ſinit.* Poteſt huic facto alia experientia attexi non diſſimilis, ex Democrito ridente. Judex quidam à litigante cadum oleo plenum dono acceperat; paulò pòſt adverſarius eius eidem judici præpinguem porcum dono mitrit. Latâ contra priorem ſententiâ, cùm ille judicem tanquam ingratum, & promiſſi parùm memorem, accuſaret: judex, ne, inquit, id mirum tibi accidiſſe videatur; in meas enim ædes porcus irrupit, qui everſo cado, oleum mihi omne perdidit; ex quo factum eſt, ut doni tui planè fuerim oblitus, & tu oleum perdideris omne. Et verò, quia bovis & porci mentionem fecimus, opportunè etiam incidit vitulus ille aureus, in deſerto ad idololatrandum fabricatus, In ignominiam Divini cultûs & Religionis. Et quisnam illum fudit? *Populus congregatus adversùs Aaron, dixit: ſurge, fac nobis Deos, qui nos præcedant. Formavit opere fuſorio, & fecit vitulum conflatilem; dixerúntq; hi ſunt Dij tui Iſraël, &c.* Quis hoc crederet de Aarone, quòd tam iniquis exorbitantis Populi poſtulatis haud ſe oppoſuerit, nec ad vindicandam Dei contumeliam etiam cum manifeſto propriæ vitæ diſcrimine contradixerit, nec in Religionis materiâ tam ſcandaloſâ generoſum animum demonſtrârit? Sed verò percipite Sacræ hiſtoriæ periodum, & cauſam, cur id fecerit Aaron. *Dixitque ad eos Aaron: tollite inaures aureas de uxorum, [illegible] rúmque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus, quæ juſſerat, deferens inaures ad Aaron: quas cùm accepiſſet, formavit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum.* Tantùm nempe cogit mortalia pectora auri ſacra fames! tantúmque ſitis horrida torret! Nam poſtquam Aaron, ſupremus licet Eccleſiæ illius Pontifex, hoc aurum vidit, & manibus ſuis tangere ac contrectare cœpit, factus eſt mutus, ita ut ad iam enorme populi delictum corripiendum, nec ampliùs potuerit aperire os ſuum; ſed potiùs manus in opus projecerit nefandum, & Idolum vituli arte fuſoriâ protraxerit. Sic nempe, ut Euſebius Emiſſenus loquitur, *Auro & argento appetitur veritas, expugnatur integritas, juſtitia vincitur, innocentia proditur, pietas fidéſque violatur*; & tota juſtitiæ facies, quantumcunq; in ſe venuſta & amabilis ſit, in deformem ac turpem larvam transfiguratur.

Olivetius ſuper Eccleſiaſt. 20.

Democritus ridens fol. 30.

Exod. 32.

Euſeb. Emiſ. hom. 4. de Epiphan.

156. In quibus caſibus liceat judici accipere munera. Nolo vos, Auditores, in re tam ſeriâ dantibus, tam aridâ ſitientibus, ſiram horridâ luentibus, eſſe longiùs ſuſpenſos; quin ex communiori Theologorum ſententiâ vos doceam vias, quibus vobis Deum timentibus, & ſacratiſſi-

cratiſſimarum legum cuſtodibus licita, placita, acceptabilis, juſta, & favorabilis fiat munerum acceptatio. Vel enim Judices accipiunt munera, tanquam ſtipendia pro officio; vel tanquam expenſas pro labore; vel tanquam Alectorias pro ferendâ ſententiâ. Et hæ Alectoriæ oblatæ, ſeu oblationes allicientes, per ſportulas & Xenia diſcernuntur. *Xenia* ſunt eſculenta vel poculenta, quæ intra paucos dies, duos videlicet vel tres, conſumi poſſunt: *Sportulæ* verò dicuntur quæcunque munera, quæ vel in cibo, vel in pecuniâ, ultra ſtipendium à litigantibus dari conſveverunt. His ſuppoſitis, Judicibus ſententiam dico primò: quòd Judices jam alias habentes conſtitutum pretium ac juſtum ſtipendium ſuarum actionum (ſive dein id fiat ex lege, ſive ex conventione partium, ſive à Republicâ) non poſſint aliquid ampliùs accipere in pretium pro exercitio ſui muneris. Nam in omni emptione & venditione exceſſus pretij juſti & legitimi eſt injuſtus, ac reſtitutioni obnoxius: ergò ſi aliunde Judex habeat pretium vel à lege, vel à conventione partium, vel à Republica taxatum, quidquid ultra illud accipit, injuſtè accipit; & conſequenter ad reſtitutionem tenetur. Intelliganto hoc de juſto ſtipendio ſuarum actionum, ad quas ex officio obligantur; nemo enim Theologorum adverſatur, quin judex poſſit accipere pretium pro aliqua alia actione, ad quam non ſit adſtrictus ex officio; ut ſi rogetur egredi domo, iter longum conficere, acta antiquiſſima diſquirere, & his ſimilia indebita pręſtare: nam tunc pro hujusmodi labore pretium juſtum ac legitimas expenſas juſtè accipit, ſeeluſo ſcandalo, & ſtatuto locorũ aliter pręſcribente. Deinde etiam, ſi certò conſtet, pretium illud lege taxatum, non eſſe juſtum pro præſenti tempore, quo omnia ad congruam vitæ ſuſtentationem neceſſaria longè cariori pretio comparantur, quàm fuerint comparata antiquo tempore; tunc utique accipere poterit usque ad terminos juſti pretij; præſertim ſi id conſvetudine jam fuerit introductum. Secundò, quidquid datur pro labore per modum mercedis, id validè & juſtè accipitur à Tribunalium ſtipatoribus: quo paſſu currunt impenſæ judiciales, ſolutiones advocatorum, procuratorum, expeditorum, & hujusmodi; de quibus præſumitur, quòd non teneantur operas ſuas fruſtra elocare, & quòd à Republicâ non ſint ordinariâ mercede conducti. Ad hoc collimat Decretum Gratiani. *Non licet judici vendere juſtum judicium, etſi liceat advocato vendere juſtum patrocinium, & Iuriconſulto rectum conſilium.* c. non licet. 71.c.11.q.1. Tertiò, ſicut peccant Judicum famuli, qui aliquibus facilem aditum prębent, alios autem injuſtè differunt & gravant; ita etiam licebit eis dare munera ad redimendam injuſtam vexationem, non verò alio malo fine: famulis verò, aut ipſis Judicibus, non licet accipere hujusmodi munera ad redimendam vexam; & ſi acceperint, tenentur ad reſtitutionem. Aliud eſt, ſi famuli muneribus invitentur pro comparando acceſſu ad audientiam Domini, pro impetrandâ gratiâ aliquâ, vel beneficio, alioquin ex juſtitiâ, aut ſimili titulo non debitis; quanquam omnino non ſit decorum, & Magnatum reputationi conveniens, ſi eorum audientiæ, gratiæ & beneficia, à famulis tam caro pretio vendantur. Quartò, munera quæ non dantur in pretium aut compenſationem laborum, ſed potiùs ad movendum animum Judicis in alteram partem, vel ad tollendas proceſſuum non neceſſariorum inventiones, jure divino & humano graviter prohibentur; imò etiam ſubinde jure naturæ ſunt illicita. De jure Divino jam adducti ſunt plurimi textus, & ſequentur plures: de jure humano contra Judices Laicos produco *L. Plebiſcito. ff. de officio præſidis. L. ſolet ff. de officio proconſulis. Auth. novo jure. C. de pœna Judicũ. Auth. de Judicibus. & Auth. ut Iudices. & L. 4. C. ad L. Iuliam*: In quibus omnibus non ſolùm munera prohibentur, ſed etiam graves pœnæ in-

reci-

recipientes ſtatuuntur. In Jure Canonico Judicibus Eccleſiaſticis eadem ſit prohibitio. *C. cùm ab omni. De vita & honeſtate Clericorum. C. Statutum. De reſcriptis,in ſexto.C. exigit,& C. Romana. De cenſibus, in ſexto.* Quintò, tunc jure naturæ illicita eſt acceptio munerum, quando dantur in ea quantitate, attentis perſonarum & temporum circumſtantijs,ut moraliter loquendo de ſe,& ut plurimùm, inducant perverſionem judicij: humano enim modo impoſſibile eſt,Judicem,qui v. g. pendente lite accipit ab uno ex litiganribus magnum aliquod donum (centum ducatos, peluim deauratam, domum aut vineam) poſtea in decurſu judicii,& prolatione ſententiæ, non multùm propendere in favorem dantis: & licet fortè Judex aliquis reperiretur adeò rectus, ſimul & ruſticus, qui poſt accepta dona condemnaret donantem; id tamen contingere non ſolet communiter. Fateor tamen, munerum acceptionem non ſemper jure naturæ malam eſſe: vel quia munera ſunt exigua,& magis ſpectant ad civilem urbanitatem, quàm ad corruptelam; cùm in Jure, *modicum, & nullum æquiparentur*; vel quia alij ſuppetunt tituli dandi; ut ſi conſanguineus, aut amicus ſit, qui dat: vel quia non dantur ab iis, qui litem habent præſentem, aut proximam: vel quia dantur poſt litem finitam,& ſententiam latam; vel propter alias ſimiles cauſas, in quibus obſervandum eſt antiquorum proverbium apud Vlpianum: *Neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus.* Nam valde inhumanum eſt,à nemine accipere;ſed paſſim, viliſſimum;& per omnia,avariſſimum.

C. licet cauſam. De probat.

Vlpianus in l.6. de officio Proconſulis.

157. Iudiciorum corruptelam per munera, Deus ſibi reſervat judicandam.

Verùm enim verò torridam habendi ſitim Alectoriis ſubtus linguam poſitis extinguere; ſententiam poſt corruptelam ferre; Juſtitiam pari pecuniâ vendere; ſportulis & donariis flecti ante deciſionem cauſæ; æquitati manus pedéſque frangere; jus liquidum ſpecioſâ & *lucidâ nube obumbrare*, & magnæ Themidis fronti Rhinocerotis cornu imponere: hoc nefas eſt tam execrabile, tam tetricum; ut neque torrentes Ægypti, nec Germaniæ Rhenus, Oenus & Menus, ſufficiētes poſſint ſuppeditare lachrymas, dignósve influxus, iſtud probrum deplorandi, hanc maculam abluendi! Quid enim abominationis non introducitur in civilem ſocietatem hominum, ſi juxta Prophetæ lamentabile vaticinium, *Principes tui infideles, ſocij furum; omnes diligunt munera, ſequuntur retributionem*, & Alectoriis faſcinati poſſunt & efficiunt, quæcunque volunt. Quidquid bonorum concernat iniqua Judicis ſententia; ſive agros, ædes, peculium, cæteráſque fortunæ opes; ſive ſanitatem, integritatem, ac vitæ mortalis felicitatem; ſive honorem, famam, ac boni nominis plauſum: tam præſtantia, tam pretioſa poſſidenti hæc ſunt pignora, ut, ſi iniquè rapiantur, mutilentur, aut per ſententiam iniquam diminuantur, plaga irreparabilis innocenti inferatur, & enormis culpa coram DEO contrahatur. Qui proinde indignatione plenus, olim arripiet rectum iudicium,& revelatâ iniquitatis nube manifeſtabit impiorum conſilia, ac contra Potentes procedet fortiter, prænuntians per Pſalmiſtam: *Cùm accepero tempus, ego juſtitias judicabo*, actiones omnes hominum, etiam iuſtiſſimas expendendo, ut pro meritis præmia, pœnáſve diſpenſem. Vt adeò corruptis iudicibus cordis viſcera penetret, & oſſium medullas exhauriat præliminaris illa inſinuatio futuræ executionis, à DEO æquiſſimo Judicum Judice olim aſſumendæ, quã Sapiens tam potenter enuntiavit in ſuis dogmatibus. *Vobis*, inquir, *data eſt à Domino poteſtas, & virtus ab Altiſſimo; qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cùm eſſetis miniſtri ipſius, nõ rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legẽ juſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem DEI ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.* Probatam narrationi fidem facio experientiâ quâdam à Bollando productâ in vita S. Vedaſti

Iſa. 1. v. 23.

Pſal. 74. v. 3.

Sap. 6. v. 4. 5. 6.

Bollandus 10. Feb. 6.

Epi-

Epiſcopi; qui uni ex his amicis poſt mortem apparens, inter alia etiam hoc intulit. Sic & verbum ad Winfridum Judicem edicito meâ ex parte; ut non familiam loci hujus immeritò excruciet; ne fortè eandem, quam Gillebertus olim expendit, qui eodem hic functus eſt officio, habeat pœnam. Nam & ipſe, ut Echardus, præſidio ligni morte tenùs proprium conficit iter. Reddat itaque & nummos undecim, quos ab Ebruino immeritò ſumpſit: qui ſcilicet Ebruinus, quia & ipſe noſtram auſus fuit iniquè proprio ſervitio ſubjugare familiam, intelligat, ſe dextri luminis amiſiſſe virtutem. Sequuntur plura huiusmodi ſupplicia, à Deo iniquis Judicibus illata. De ſanctiſsima vidua Franciſca, cum qua ordinariè verſabatur in viſibili converſatione ſanctus Angelus Cuſtos, ferunt Authores, quòd in ſpiritu aliquando viderit varias infernalium pœnarum ſortes. Inter alios damnatos etiam objiciebantur extatice illi Judices & Magiſtratus, qui ſuper Tribunalia pecunijs corrupti iniquitatem pro æquitate fecerunt venalem: His nempe ignitus cacabus ingens liquabat aurum & argentum, quod receperant: injiciebantur in cacabum præfati Judiciorum depravatores, coronis flammeis redimiti caput; poſtea extracti à tortoribus ita torquebantur in membris, ut tandem nulla ſine acerrimis plagis corporis compages ſuperfuerit, quæ non crudeliſsimè à diabolis mulctaretur. *Potentes potenter tormenta patientur*, qui per Alectorias omnia traxerant ad ſeipſos, in Jurium controverſijs nequiter victorioſi. *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo: propter hoc ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum quaſi favilla erit, & germen eorum ut pulvis aſcendet.* Non eſt hoc loco diſsimulandum factum, à plurimis Authoribus ex noſtris Chronicis acriter declamatum, quo Frater Joannes Parens in virum alterum eſt converſus. Cùm enim is ſæcularis exiſtens, Doctor Legum clariſſimus & Judex eſſet, ac veſpere quodam è domûs ſuæ feneſtra proſpiciens, videret opilionem anxiè laborantem, ut porcos in ſtabulum reduceret, audivit quendam è vicinia illi acclamantem; quòd ſi porcos tuos ſine morâ deſideres ingredi ſtabulum, his verbis ocyùs jubeto: Porci, porci, ita irruite in veſtram haram, ſicut Cauſidici, Doctores, Advocati, Procuratores, & Judices turmatim irruunt in infernum. Vix verba iſta opilio expreſſerat; tum ecce! Porci, qui antea omnibus ejus conatibus erant obſtreperi, ſine morâ impetuosè in haram irruerunt. Quo viſo & audito ſpectaculo, Judex divinæ Juſtitiæ metu compulſus, dimiſſo tribunali, mundóque valedicens, Sancto Franciſco etiamnum vivente, unà cum filio ſuo Ordinem ingreſſus eſt Minorum; in quo tandem factus Generalis, Religionem ſanctitatis, & auſteritatis exemplo mirificè propagavit.

Pratum ſlo- rum. 2. parte. lib. 1. c. 75.

Iſa. 5. v. 23.

Optimè illos comparaveris avi prædatrici, quæ in Canadenſi tractu magnitudinem Gallinæ exæquans, pedem unum vulturibus ſimilem habet, quo piſces capit: alterum verò ſimilem anatibus, quo in aqua natat, dum ſe immittit ad prædas arripiendas. Hanc avem in nova illa Francia ſingularem, nullis alijs terris cognitam, cenſet Champlain in ſuo itinerario. Sed verendum eſt, ne in omnibus Regnis judices & rabulæ reperiantur, qui legum ſeſe amatores ſimulent, & cum aliis moveri ac lætari videantur in mediis juribus; ſed ibi prædas tantùm appetant, & quærant. Jure illis Reges & Principes feralem illam & Reipublicæ fatalem dexteram amputent, ſicut factum eſt Ruffino avariſsimo. Cùm enim Theodoſio Imperatori intimus eſſet, ſibi in Oriente Imperialem dignitatem vendica-

Corrupti muneribus ſeverè à Principibus puniti.

De Champlain in itin. l. 4. c. 4. 8.

S

dicare conatus eſt, & in Occidente filio ſuo Euchetio: ſed occiſus eſt, & caput reſectum, *lapide in os immiſſo* (quod ſcilicet priùs Alectorias ſub linguâ continebat) haſtæ infixum, & in ſublime elatum: dextera verò abſciſſa, per urbem circa opificum tabernas circumlata, his adjectis clamotibus: *date inſatiabili, date inexplebili.* Alexander, Imperij Rom. Cæſar, in caſtigandis ſceleſtis communiter, ſed in hoc potiſſimùm per addidamentum *Severus* dictus, nil intolerabilius ſuſtinere potuit, quàm Juſtitiam vitiari Alectorijs. Si quem Judicem muneribus corruptum, in Imperio deprehendit pro prima executione juſſit oculis privari. Turinum, qui Cæſaris gratias coloratâ praxi pro pecunijs vendidit, fumo è viridibus aut madidis lignis elicito, ſuffocari præcepit, ad executionis locum clamante præcone: *fumo punitur, qui fumum vendidit.* Sæpe ſæpiùs is Alexander indicem Judicibus monſtrabat ſuis; ut qui omni tempore impetuoſus eſſet ad exturbandos eorum oculos, ſi *lucida* Alectoriarum *nube obumbrati* ad falſificanda Jura intendiſſe deprehenderentur. Darſius Æolidis Præfectum malæ furcæ affixit, quia corruptus innocentem condemnavit. Vbi paſſim omnibus nota eſt famoſa illa Cambyſis regis Perſarum executio; qui certior factus, Siſamnem judicem, intuitu ſpecioſo porrecti auri, in ardua quadam cauſa iniquam pronuntiâſſe ſententiam, eundem vivum decoriari, ejúſque pellem in Tribunali, in quo Silemnis filius ejus ſucceſſor judicaturus erat, ſuſpendi & explicari juſſit; ut cæteri etiam ejus exemplo tectam adminiſtrare juſtitiam addiſcerent, ſuperimpoſitâ hâc inſcriptione. *Sit tibi lucerna pellis, ſedéſque paterna. A manibus reſeces munus, ab aure preces.* Memorabile dictu, quod citatus Turlinus de Sancto Annone Archiepiſcopo Colonienſi narrat factum anno 1275. quo tempore maxima Germaniæ civitas Colonienſis Juriſdictioni Civili Sedis Archiepiſcopalis ſubjecta erat. Contigit verò, ut Magiſtratus Civicus cuidam pauperculæ viduæ iniquam tulerit ſententiam. Condemnata ad S. Archiepiſcopum, in Reſidentia Zigenbergenſi commorantem properat, & lamentabiliter appellat; quapropter commotus miſeratione Annon, & Juſtitiæ zelo ſuccenſus, omnes Senatores una cum actis revidendis ad ſeſe evocat: cognitis proinde causâ & ſententiæ iniquitate, cùm interrogarentur, cur pauperculam, & omni aſſiſtentiâ deſertam viduam condemnâſſent; diu tergiverſabantur edicere verum, ſed potiùs ſententiam ſuam in Jure probabili fundatam ediſſerebant: tandem unus & alter urgente conſcientiâ profitentur, ſe ab adverſatiâ parte fuiſſe muneribus, & pecunijs ſollicitatos. Et ecce! acceptâ hâc confeſſione quam non Annon executionem arripuerit in Judices corruptos, toti mundo formidabilem! Protinus omnibus jubet erui ambos oculos, ſolúmque unicum, cui ex fonte baptiſmatis Patrinus levavit filium, monoculon dimiſit; ut cæteris omni lumine privatis ad redeundum poſſet monſtrare viam. Inſuper ad perpetuam memoriam ſuper cujuslibet exoculati Senatoris ædes juſſit poni truncatam è duro lapide ſtatuam, excavatos oculos habentem; ut perpetuis temporibus ſeveriſſimæ executionis memoria ſubſiſteret, & intuentibus iniquorum munerum Alectoriæ fierent exoſæ. Quid putatis, Auditores? Si hodie noſtri Principes ſimili exemplo animadverterent in ſua Dicaſteria, Tribunalia & Magiſtratus; num verificari deberet adagion antiquorum; *Felix Monoculus in terrâ cæcorum*? Neſcio profectò; ſcient conſcij culpæ, delicti complices. Obſervent Innocentium tertium ſuis Clericis ſic præcipientem: *Ideóque mandamus, quatenus ab hujuſmodi exactionibus*

Nicephorus. l.13.c.34.

Epitome Turlini Anno 1240.

Turlinus citatus.

C. cùm ab omni. de vita & hon. Cler.

nibus de cætero abſtinentes, vigorem judicarium gratis ſtudeatis litigantibus impertiri. Cùm nec juſtum judicium judici vendere liceat, & venales ſententiæ ab ipſis etiam ſæcularibus legibus reprobentur.

158. *Quisnam dignus ſit, in Monte ac Tabernaculo Dei transfiguratus habitare?* Tandem pro ultimato Alectoriæ noſtræ decore, in ſublimem Thabor montem reflecto oculos veſtros; & ubi video transfiguratum Juſtitiæ Solem, JESUM Chriſtum Servatorem noſtrum, vobis conſideratâ diſquiſitione expendendum relinquo Regii Pſaltis quæſitum. *Pſal. 23. v. 3.* *Quis aſcendet in montem Domini; aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?* *Pſal. 14. v. 1.* *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Plurimas quidem conditiones exigit ad hoc, ut quis ad hunc tam ſublimem, tam glorioſum & tranquillum apicem conſcendat, & ſibi in monte Thabor tabernaculum ædificet: nempe ut operando Juſtitiam, immaculatam ducat vitam; ut ſit verax in agendis, nullique gravis vel damnoſus; ut dedignetur malos, & proſequatur bonos; ut neminem decipiat, vel circumveniat: tandem ſcalæ huic cœleſti poſitæ ultimum ſuperaddit gradum; qui ſit Juſtitiæ amator perfectiſſimus, ſpernens oblatorum donorum corruptelam. *Qui munera ſuper innocentem non accepit*, ille habitabit in tabernaculo DEI; ille quieſcet in monte ſancto glorioſus, & ſpecioſus: ei verò, qui munera exigit aut oblata acceptat ſuper innocentem, juſtum, humilem & immaculatum, erit impoſſibile aſcendere in montem Thabor. Enim verò ſi oculis careat, quomodo videbit ſaxoſa viarum præcipitia? Atqui munera excæcant prudentes, & tenebras offundunt intellectui, ne videat vias Domini rectas: nam ut Poëta canit, *Vincta eſt etiam ſapientia lucro.* Et ſi voluntatem ligatam habeat, quomodo ſeſe determinabit ad coæquandos Juris apices? Atqui munera voluntatem fortiſſimè trahunt, ut partem unam Bilancis, etiam in juſtiſſimâ & validiſſimâ manu poſitæ, ad ſe deorſum deprimat. Hinc Sanctus Gregorius Nazianzenus, in *S. Greg. Naz.* carmine de vita ſua adducens diſputationem Zorobabelis, ac ſociorum de fortiſſimo, in tertio Eſdræ capite tertio; ſupra vinum, regem, mulierem & veritatem, longè fortius eſſe profitetur aurum: *Ego autem poteſtatem maximam auro aſſignâſſem, quòd arbitrio ſuo omnia convertat*, tanquam occultus tyrannus, cujus crudelis & injuſtus eſt dominatus. Et ſi linguâ doleat anginam, quomodo ſcitu neceſſaria ſciſcitabitur, vel dictu opportuna pronuntiabit? Atqui argentangina linguam mutilat, ac juxta Sancti Petri Damiani confeſſionem, *S. Petr. Dam. lib. 1. ep. 2.* *Acceptis muneribus, ſi contra datorem quid agere volumus, mox in ore noſtro verba molleſcunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quâdam pudoris erubeſcentiâ præpeditur: mens quippe percepti muneris conſcia debilitat judicialis cenſuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem.* Et ſi manus porrigat ad accipiendum apertas, quomodo continebit ſe ad petram ſcandali? Atqui manus eorum ſanguine, & iniquitate ſunt plenæ, & dextera eorum repleta eſt muneribus, *Iſa. 1. v. 23. Pſ. 25. v. 10.* ut non poſſint quærere judicium, ſubvenire oppreſſo, judicare pupillo, ac viduam defendere. Et ſi pedibus claudicat, quomodo rectè incedet; neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinando, ſed jus ſuum cuique tribuendo? Atqui *munera de ſinu impius accipit, ut pervertat ſemitas Judicij*, *Proverb. 17. v. 23.* & à vijs Juſtitiæ declinet, quas Ætius Juriſconſultus *vias Regias, & imperatorias* appellat? *Ætius.* Aurum enim ferro potentius, inter medios ſatellites ut tyrannus incedens, judicum cancellos effringit, & aſylum pauperum in cubile latronum convertit, ac varia iniquitatis diverticula aperit. Et ſi neque in ædibus ſuis ampliùs ſecurè ſubſiſtit, quis tandem erit in poſſeſſione locus eius? Atqui juxta Eliphaz teſtimonium, *Ignis devorabat tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*; *Job. 15. v. 34.*

piunt; & divinam in ſe vindictam concitant, quæ æternis in futurum ignibus devorandos involvet.

Deut. 10. v. 17. Ergo tandem in tabernaculo Illius, qui eſt Dominus DEUS noſter, DEUS Deorum & Dominantium Dominus, DEUS magnus, potens & terribilis, nec perſonam acceptans nec munera, glorioſus & transfiguratus habitabit,

Pſ. 14. v. 5. *qui munera ſuper innocentem non accepit*: requieſcet in monte ſancto cœleſtis Patriæ; *qui ambulat in juſtitijs, & loquitur veritatem; qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere; qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos, ne videat malum. Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus.* Iſa. 33. v. 15.

Amen.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

GALLUS ASSATUS IN BILANCE APPOSITVS.

Der gebrattne vnd auff der Waagſchüſſel auffgeſetzte Haußhann.

LEMMA.

Æqua ſi immota.

ET

- - - *Tantúmne poteſt vis inſita cordi*
Dulcis amicitiæ? Pont.

THEMA.

Si in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo eijciunt? Ideo ipſi judices veſtri erunt. Lucæ 11. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS XVIII.

Affectus & Reſpectus partiales Perſonarum, cùm omnia ſuo pede metiantur, etiam Judicij æquitatem ſibi aſſimilant; & pari indulgentiâ amicorum errores per convexum, adverſariorum verò culpas per concavum intuentur tubum.

159. Cur ſedendo ferenda ſententia? Receptus in Tribunalibus eſt uſus, ut ſententiæ pronuntientur ſedendo: neque uſus iſte ſolennitatis myſterio caret; nam ſeſſio notat in judice tranquillum animum, atque à paſſione minimè agitatum; ac proinde Author Catenæ ſuper illud Exodi, *Alterâ autem die ſedit Moyſes, ut judicaret populum*, ſe reflectens, ita ſcribit. Author catenæ ſuper Exod. 18. v. 13.

„[Quia verò omne judicium „non in motu paſſionis, ſed in rationis tranquillitate exerceri debet, „ideò ſedit Moyſes ad judicium peragendum: & hinc venit, quòd Judi-„ces

„ces pro Tribunali ſedentes ſenten-„tiam proferant: ſeſſio enim corpo-„ris,tranquillitatis mentis figura eſt.] Hos inter animi motus, quantùm ad violandam ac pervertendam juſtitiam non evincere poteſt Paſſio, *Viſque inſita cordi,dulcis amicitia*? Vt non immeritò ex Tullij officijs, is,cui munus judicandi incumbit, amicitiæ legibus penitus renuntiare debeat. Sic Cicero l. 3. off. enim loquitur. *Ponit perſonam amici, cùm induit Iudicis; nam ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint,non amicitiæ tales, ſed conjurationes putandæ ſunt.* Digniſſima igitur conſideratione eſt illa Biantis ſententia; qua dicit, ſe malle interinimicos, quàm inter amicos judicare: nam ex amicis alterum prorſus futurum inimicum, ex inimicis autem alterum fore amicum. Ergo eam partem hodie ampleĉtimur, qua C. quatuor modus, 11. q. 3. Tribunalia corrumpuntur *amore, dum amico vel propinquo complacere contendimus.* Adducit nos fervens Servatoris noſtri in Evangelica hiſtoria cum Hebræis diſputatio; in qua tam efficaciter convincit calumniatores, ut proprios ipſis filios conſtituat Judices, qui non ſanguinis propagatione ducti, non amicitiæ vinculis compediti, non propinquitatis affectu faſcinati, ſine reſpectu carnis, ſine reſpectu ſanguinis, juſtam ferant ſententiam; & profitendo declarent, dæmonia ab eo non ejici in diabolici Beelzebubi,ſed in Dei viventis virtute. *Si in Beelzebub*, inquit, *ejicio dæmonia; filij* Matth. lib. 3. *veſtri, in quo ejiciunt? Ideo ipſi judices veſtri erunt.* Judices erunt, quos *non amicitiæ ſociales, non liberorum charitates*, non cognationis jura ab æquitate propugnandâ avertent. Hoc in propoſito,

Alciatus Emblem. 144. - - *Quia mente graves decet eſſe quietâ Juridicos, animo nec variare levi;* & cùm quietè ſedendo ferenda ſit ſententia, ac quidem ſine paſſionum turbine; conſidére vos jubeo, Auditores, ad menſam,taciturnos & tranquillos; nam *Gallum aſſatum* vobis appono in Bilance,cujus lemma ſit, *ÆQVA SI IMMOTA.* Hunc dum in fruſta concidere & dividere vobis ſatago, videte, ne ocyor Euro è paropſide avolet, & redivivus ſuum Gallicinium altè intonet contra *vim inſitam cordi dulcis amicitiæ*, Tribunalia malignè depravantis; contra quam & ego exclamo fortiter, ut tinniant aures veſtræ, in nomine Domini.

L. Marinæus Siculus, primus, & potiſſimus Author eſt miraculi mirificentiſſimi. In antiquiſſima civitate,ait, quam S. Dominici Calciatenſis vulgus appellat, Gallum vidimus & Gallinam, qui dum vixerunt, cuius coloris fuiſſent, ignoramus: poſteà verò cùm jugulati fuiſſent & aſſi, candidiſſimi revixerunt, magnam Dei potentiam, ſummúmque miraculum referentes. Cuius rei veritas & ratio ſic ſe habet. Vir quidam probus & amicus Dei, & uxor eius optima mulier,cum filio eius, adoleſcentulo magnæ probitatis,ad S. Jacobum Compoſtellam proficiſcentes,in hanc urbem itineris labore defeſſi ingrediuntur; & quieſcendi gratiâ reſtiterunt in domo cuiusdam, qui adultam filiam habebat. Quæ cùm adoleſcentem pulchrâ facie vidiſſet, eius amore capta eſt. Et cùm juvenis ab ea requiſitus atque vexatus, eius voto repugnâſſet, amorem convertit in odium & ei nocere cupiens,tempore quo diſcedere volebant, eius cucullo crateram ſui patris clam repoſuit. Cúmque peregrini manè diſceſſiſſent, exclamavit puella coram parentibus, crateram ſibi fuiſſe ſurreptam. Quod audiens Prætor,ſatellitem confeſtim miſit, ut peregrinos reduceret. Qui cùm veniſſent, puella conſcia ſui ſceleris acceſſit ad juvenem, & crateram protraxit ex cucullo. Quapropter comperto delicto, juvenis in campum productus,iniquâ ſententiâ, & ſine culpâ laqueo ſuſpenſus eſt: miſeríque parentes, cùm filium deploraſſent, poſtea diſcedentes Compoſtellam pervenerunt: ubi ſolutis votis, & Deo gratias agentes, ſubinde redeundo ad locum pervenerunt, ubi filius erat ſuſpenſus; & mater multis perfuſa lachrymis ad filium acceſſit, multùm diſſvadente marito. Cúmque

160. Gallus aſſatus inauditis miraculis redivivus.

Marinæus l. 5. rerum hiſp. Fuſius Marianus die 25. Iulij. Beyrlink. V. peregrinatio, fol. 197.

que filium ſuſpiceret, dixit ei filius: Mater mea, noli flere ſuper me; ego enim vivus ſum: quoniam Virgo Dei Genitrix & S. Jacobus me ſuſtinent, & ſervant incolumem. Vade chariſſima mater ad judicem, qui me innocentem iniquè condemnavit, & dici ei, me vivere propter innocentiam meam; ut me liberari jubeat, tibique reſtituat. Properat ſollicita mater, & præ nimio gaudio flens largiùs, Prætorem convenit in menſâ ſedentem, qui Gallum & Gallinam aſſatos ſcindere volebat. Prætor, inquit mater, filius meus vivit; jube ſolvi, obſecro. Quod cùm audiſſet Prætor, exiſtimans eam, quod dicebat, *propter vim inſitam cordi dulcis amoris* materni ſomniâſſe, reſpondit ſubridens: Quid hoc eſt, bona mulier? Ne fallaris: ſic enim vivit filius tuus, ut vivunt hæ aves. Et vix hoc dixerat; cùm Gallus & Gallina ſaltaverunt in menſâ, *ſtatimque Gallus cantavit*. Quod cùm Prætor videret, attonitus confeſtim egreditur, vocat ſacerdotes & cives; proficiſcuntur ad juvenem ſuſpenſum, & inveniunt incolumem, valdéque lætantem. Eum proinde parentibus reſtituunt; domúmque reverſi Gallum capiunt & Gallinam, ac magnâ ſolennitate transferunt in Eccleſiam: ubi clauſi res admirabiles, ac Dei potentiam ſingulis ſeptennijs teſtificantur. Hunc enim terminum Deus illis conſtituit, ut in fine ſeptennij, antequam obeant, pullum relinquant ac pullam ſui coloris ac magnitudinis, perpetuos patrati miraculi teſtes; de quibus omnes peregrini tranſeuntes plumas capiunt, & per orbem Chriſtianum exhibent videndas; ita tamen, ut hæ plumæ nunquam deficiant, in quacunque copiâ illis evellantur. Hoc ego teſtor, propterea quòd vidi & interfui, plumámque mecum fero. *Hucuſque Marinaus citatus.* Simile quid in genere blaſphemiæ contigiſſe narrat Vincentius: cùm in convivio quodam Bononiæ Gallus aſſatus mirâ arte fuiſſet diſſectus, unus convivarum dixit, D. Petro impoſſibile eſſe, hunc Gallum in integrum reſtituere; alius verò dixit: nec quidem ipſe Chriſtus id præſtare poſſet. Tum ecce! Ad has voces ſtatim Gallus ille proſiliit, & aliis colliſis juſculum in decumbentium ora profudit; blaſphemi autem quantocyùs leprâ hæreditariâ ſunt puniti.

Vincentius l. 25. c. 64.

161. *Hiſtoriæ relatæ circumſtantiæ expenduntur.*

Sed verò miſſo poſteriore ad priorem redeo Gallum, è nidore & aſſaturâ proſilientem; qui vel ſententiæ præcipitantiam, vel inordinatam judicis affectionem, vel denunciantis malitiam, vel crudelem executionem ſuo clamore redarguat. Intendite animos in rei narratæ periodum, tot circumſtantijs ſpectabilem. Deberem profectò hunc caſtiſſimum juvenem erigere ſuper ſolium Ægypti, velut alterum pientiſſimum Joſephum, quem in ſimili tentamine Putiphari uxor adultero affectu ad turpē inſaniam protractura, cùm obtinere haud poſſet, quod amabat, accuſavit iniquè & ad aſperrimos carceres detruſit: deberem Beniamini innocentiam affectuoſiſſimè commendare, cui ignorati ſcyphi impoſtura fatales contulit anguſtias: illa ſumma Dei clementia panegyrico foret evehenda apparatu, quæ innocentiam protegit, & tam prodigioſo auxilio demonſtrat: illa magni Hiſpanorum Apoſtoli foret exhibenda mirificentia, quæ Compoſtellanos ex tam mortalibus fatis eruit peregrinos: Mater illa dolorosa, ille afflictiſſimus genitor paribus lachrymis forent proſequendi, quibus ſumma injuria chariſſimæ proli illata omnem penè ſpiritum extorſerat: ipſemet integerrimus adoleſcens, de furcâ probroſè ſuſpenſus, aut trophæum erigeret, aut laurum exigeret redimendus tempora, ob inſignem victoriam de multiplici virginitatis inimico reportatam. Sed reſuſcitatæ aſſaturæ clamor exoticus ad illud abominabile malum me irritat, quo vel maximè depravantur judicia, Tribunalia evertuntur, Juſtitia corrumpitur, & ipſamet innocentia condemnatur. Inordinata ſcilicet affectio, *viſque inſita cordi Dulcis amicitiæ*, quas vel erga puellam Herodiade

diade ſalaciorem, vel ergà parentes oppidano vicinitatis jure dilectos, iniqu' Judex fovebat, eò latâ detruſerunt ſententiam, ut causâ haud legitimè cognitâ fulminaretur contra inſontem, & denuntiantibus inquilinis deferretur reſpectus contra alienigenam, reclamante Divinâ lege, & præcipiente. *Quod juſtum eſt judicate; ſive civis ſit ille, ſive peregrinus: nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis ut magnum; nec accipietis cujusquam perſonam; quia DEI judicium eſt.*

Deut. 1. v. 16. 17.

162. Efficaciſſimo hoc argumento Chriſtus hodie ſuam cauſam defendit contra impoſtores: *Si in Beelzebub*, inquit, *ejicio dæmonia*, ut me arguiris; *filij veſtri in quo ejiciunt?* Sive per filios intelligat Judæorum Exorciſtas, ut Beda arbitratur; ſive ipſosmet Apoſtolos ſuos, ut ſeries hiſtoriæ innuere videtur. Enim verò ſi filij veſtri dæmones Divinâ virtute (cùm contrarium haud aſſerere poſſitis) ex energumenis ejiciunt; non obſtantibus naturali inclinatione & obſervantiâ, quêis erga vos afficiuntur, ſine reſpectu & acceptatione perſonarum, ſuam ſententiam contra vos proferent, pariter pronuntiando, me Divinâ virtute ejicere dæmones; & *ideo ipſi Judices veſtri erunt*, dicéntque, veniſſe in vos incredulos regnum DEI. Hinc etiam terſiſſimo ſtylo perſequuntur Sancti Patres perſonarum acceptationem, & amicorum colligationem, æquitati Judiciorum ſummè pernicioſas. Præcedat agmen Hieronymus, Tribunalium Præſides penetranter inſtruendo. *Alienum te à perſonis omnium redde in judicio: ac propter juſtitiam in judicio pauperem defendas, nec propter gratiam diviti indecenter aſſiſtas; aut ſi non potes facere, cognitionem reſpue cauſarum.* Idem alio loco fortiùs veritatem hanc canonizat. *Quicunque conſanguinitate aut amicitiâ, vel è converſo hoſtili odio vel inimicitijs in judicando ducitur, pervertit judicium Chriſti, qui eſt Juſtitia.* Petrus Ravennas pari procedit paſſu. *Nihil adeò gloriosè lucet in Iudice, ſicut amare & exhibere juſtitiam ſine omni acceptione perſona. Teſte enim Cicerone, exuit perſonam Judicis, quisquis amicum induit. Æquitas cui Iudex obſequitur, ſiniſtram odij, vel amoris dexteram neſcit. Nam talis eſſe debet juris Miniſter, ut in ejus manu nullius authoritate perſona titubet aut vacillet libra juſtitia.* Acriùs ſtringit calamum Innocentius III. Pontifex maximus: *Vos*, inquiens, *non attenditis merita cauſarum, ſed perſonarum; non jura, ſed munera; non quid ratio dictet, ſed quid voluntas affectet; non quid ſentiat, ſed quid mens cupiat; non quid liceat, ſed quid libeat.* Et infra: *Pauperum cauſam cum mora negligitis, divitum cum inſtantia promovetis. In illis rigorem oſtenditis, in iſtis ex manſuetudine diſpenſatis. Illos cum difficultate reſpicitis, iſtos cum facilitate tractatis. Illos negligenter auditis, iſtos ſubtiliter auſcultatis.* Eodem loco paulò infra. *Clamat pauper, & nullus exaudit: loquitur dives, & quilibet applaudit. Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt: pauper locutus eſt, & dicunt, quis eſt hic? Et ſi offenderet, ſubvertent eum. Clamat vim patiens; & nullus exaudit; vociferatur, & non eſt, qui judicet. Divites dicunt, tu ſede hic bene; pauperi verò, tu ſta illic, vel ſede ſub ſcabello pedum meorum.* Gnomæ Patrum præſtantiſſimæ; quêis appoſitè accreſcit reſponſio Solonis Græcorum ſapientiſſimi. Hic enim rogatus, *quid ſit lex?* pro ſua ingenij ſubtilitate reſpondit, *Aranea tela*: quia ſi quid in eam inciderit debile, retinetur; grave autem pertranſit, telâ reſciſſâ: pauperes enim legem violantes acriter plectuntur; divites impunè agunt, quidquid libet & placet. Accinit Poëta.

S. Hieronym. ep. ad Damaſ.

S. Hieronym. in Amos.

Petrus Rav. in quadam ep.

Innocentius III. lib. de vil. condit. hum.

Vide Coród. ſupra citt. Deut.

Laërtius in Solone.

Curia pauperibus clauſa eſt; dat cenſus honores,
Cenſus amicitias; pauper ubique jacet. Ovid.

Jam verò per conſcientias veſtras vos conteſtor, quid contra rectum judicium molliri non poſſint perſonarum acceptio, *visque inſita cordi* 163.

Affectio Inordinata quantum obſit Tribunalibus.

dulcis

Digitized by Google

dulcis amicitia? Nam utraque in voluntatis affectione cùm conſiſtat, hæc tam impetuoſa ſubinde contingere ſolet, ut velut torrens, rationabilis æquitatis ripas, ac legum vada excedat; hominiſque ingenium ac indolem eò abripiat ad aſſentiendum, quò nulla unquam rationis complexio, nulla diſcursûs inductio, nulla conſequentiæ ordinatio protraxiſſent. Nempe

Iſidorus Pel. l. 2. ep. 146. juxta Iſidori Peluſiotæ apophtegma: *Quod quiſque vult, hoc etiam putat.* Et

Cæſar lib. 3. de bello gall. Cæſaris: *Ferè libenter homines id, quod volunt, credunt.* Dubitabat Syma-

Symmachus lib. 1. ep. 78. chus in quadam Epiſtola, an Heſperius, quem in negotio importante pro arbitrio imploravit, non potiùs amore, quàm æquitate ductus, in favorem ipſius ſeſe inclinârit. Exprimit hanc ſuam dubitationem apertiùs, quàm Heſperij modeſtia poterat expectaſſe: *Niſi fortè*, inquit, *amor mei ſtylum tuum coegit in gratiam: fit enim ſæpè, ut Iudicis ſeveritatem frangat affectio, & amicorum facta dictáque eâ indulgentiâ cenſeamus, quâ plerumque ſinguli etiam vitia noſtra amamus.* Com-

Ariſt. 3. Rhet. c. 9. muniter certa eſt Philoſophorum doctrina, quòd quisque qualis eſt, talis judicet; & juxta velle ſuum, aut nolle ſentiat: cùm ergo ea, quæ nobis ſunt ſanguine, beneficijs, amicitijs, affectione, apprehenſione intima, maximè velimus propria; hinc eſt, quòd de ijs optimè ſentiamus, etiam ubi contrària æquitatis ratio ad aliam ſententiam nos determinare deberet. *Nemo judex in propria cauſa*, quia nemo ſibi vult malè. Videtis, quàm lubricâ ſubſiſtat baſi, quidquid affectioni, vel intereſſato amori innititur! Nunquam adminiſtratur Juſtitia, ubi facti ſpeciem, & legum ſanctiones, inordinata metitur affectio; quæ cùm facilì impulſu ad quamlibet moveatur temporis aut loci differentiam, hinc à Doctoribus acutâ criſi appellatur, *motus improbabilis, vibrans cenſuram lubrico judicio.*

164\. *Affectio inordinata ſolertem agit pictorem.* Profundiùs oſtenſurus *vim inſitam cordi*, affectionem ſcilicet pravam, tam pernicioſam Tribunalibus, tam abominabilem partibus, tam Judici deteſtandam, produco fragmentum ex Pſalmo; in quo Regius Citharœdus felicitatem improbis arridentem longâ inductione perpendit, inter alia ſcelera ex felicitate illâ terreſtri impijs familiaria ſpecialiter hoc præſentando: *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum; tranſierunt in affectum cordis.* *Pſal. 72. v. 7.* Ac ſi diceret: Hæc eorum impietas ex opum ubertate, velut ex adipe, ipſis penè non cogitantibus erumpit; ſuisque ſe cupiditatibus abripi in omnem partem ſinunt, eóque tranſeunt, quò ita, cupiditas, aliæque præcipites paſſiones abſtulerint. *Tranſierunt*, ſcilicet per mutationem moralem, & phyſicam: intellectus enim & voluntas mutantur quodammodo in ea, quæ cogitant & amant. Figuratum id eſt in Nabuchodonoſore, mutato in bovem; & in Teridate, Armeniæ rege, mutato in porcum: quomodo etiam Ovidius varias canit metamorphoſes hominum in beſtias; & Pythagoras tuetur ſuas metempſichoſes animarum tranſeuntium in beſtias. Remedium eſſe poſſet, non cedere ſuis affectionibus & paſſionibus; non eas ſequi, ſed præire ac regere, ut ad nos vocatæ veniant, juſſæ exeant; non verò nos ad illas; idipſum potenter diſſvadente Eccleſiaſtico: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua*, hoc eſt, à *Eccli. 18. v. 30.* tuis affectionibus, *avertere.* D. Hieronymus ſic legit: *Proceſſerunt à pinguedine oculi eorum; tranſierunt in affectum cordis.* Quaſi nempe cæcus ille foret, ac cæco modo ageret, qui cordis ſui affectionibus impellitur & dirigitur, ut videat, quod non eſt, & non videat, quod eſt. O cæcitas affectionum! per quas dum videre ſatagunt omnia, nihil penitus intuentur. Græci Patres aliter ponunt textum: *Has omnia mala ex affectu fecerunt.* Appoſitè ad rem; ſed multò magis Hebraicus ſenſus: *Tranſierunt in picturas cordis.* Quid hoc? In picturas cordis? Adeſte eximij pictoriæ artis Principes. Ecce! hic magnum quendam celeberrimæ veſtræ ſcholæ profeſſorem deprehendimus, dexteritate, inventione, & penicillo peri-

peritiſſimum, rubicundi(ut aiunt) inquilinum *Affectum cordis*. Adeſte & obſervate, ſi diſtributionis puncta, & proportionis lineas rectè obſervet pictor. Vah! mira fingendi & pingendi libertas! Eſt fortè coloribus exhibenda S. Mauritij acies cataphracta, clypeata, ordinata: ex his paucos admodùm quoad omnem corporis ac motuum ſymetriam laborioſè perficit, perfectóſque intuentium oculis objicit; reliquos verò ita incultos poſt priores reprimit, ita minutos exhibet, ut eorum vertices vix ſemicirculato Lunæ cornu colorare dignetur; & conſiderantes imaginem, non niſi arguitivè ex eâ integram ſocietatem conijciant. Subitò quos longè reijcit itinerantes Mopſos, ſine difficili conatu exhibet de monte diſſito deſcendentes ut parvulos, eóſque perficit, dum bis vel ter turgens penicillum in membranam impingit: at verò ſi quos Pumiliones reddit propinquos, quantâ induſtriâ, quâ ſolertiâ & diligentiâ eos in ſingulis elaborat lineamentis, ſublimat coloribus, exprimit artibus? Inſuper pro ſuo pruritu, & libito, turpia tam aſturè conſtituit, ut non videantur; pulchra tam obiter adducit, ut non curentur; obſcura tam ſpecioſè proponit, ut non contemnantur; illuſtria tam remiſsè exornat, ut non ſuſpiciantur; ſubtilia tam tumultuariè perficit, ut non conſiderentur; affectuoſa tam tepidè exprimit, ut non apprehendantur; denique omnia ſuo penicillo tam liberè menſurat, ut non dinumerentur. Talis tantúſque pictor eſt *Affectus cordis*, qui pro habituata ſua dexteritate optimè novit eum, quem placet, vel opacis offundere tenebris, vel ignitis radijs illuminare: novit profectò quacunque tandem amicitiâ, aut reſpectu commendatos tam induſtrioſo pingere penicillo, ut ſi gibboſi ſint, appareant recti; ſi deformes, evadant formoſi; ſi obſcuri, eluceant illuſtres; ſi parvi, emineant magni; ſi improbi, videantur ſancti; ſi culpabiles, excipiantur juſti; ſi tandem plectendi, honorentur præmiandi. Sic judicat pulcherrimum mater filium, tametſi deformior non fuerit Therſites: ſic ſimia, poſtquam peperit, in fœtu ſuo, tanquam ſimulachro defigit obtutus, pulchritudinem admirans: ſic Lyſippus Apellem ad tabellas admittebat, & Apelles Lyſippum: & perinde eſt affectui, eandem rem tubo verſo parvam vel magnam, remotam vel propinquam conſiderare. Et quid putatis, faceret *Affectus cordis*, ſi Juſtitiam pingeret? Nónne aurem unam aperiret propinquo, alteram ignoto peregrino clauderet? nónne ita delinearet, ut amicabili uno oculo blandiretur conſanguineis, clauſo altero inclinationem negaret extraneis? vel authoritate ſuâ ita teneret bilancem, ut cauſæ iniquitas æquitatem ſuperaret, ſuperjecto præſertim benignæ interpretationis, aut favorabilis ſententiæ pondere? Vsque adeò *Iudicis ſeveritatem frangit affectio, ut amicorum facta dictáque eâ indulgentiâ cenſeamus, qua plerumque ſinguli etiam vitia noſtra amamus*. Quod quisque vult, hoc etiam ſpecioſum putat: ſic & Aurelius celeberrimus pictor imaginabatur ſibi, ſe non poſſe fæminam quampiam formoſam pingere, niſi amaſiam ſuam Lucretiã prototypon ſibi conſtitueret, atque in picturas cordis tranſiret.

Porro in celeberrimo hujus pictoris Muſæo ita me ſancta detinet curioſitas, ut nonnulla ipſius opera exactiùs obſervem; & ex ijs, quos ad privata judicia interna adhibet colores, tranſire liceat ad corruptelas, quas publicis Tribunalibus impingit. Plurimas, ut adverto, picturas ſolo humore exhibet conſiderandas; & tali quidem humore, quo objecta ampliora faciat tranſparére. Noluit has fallacias in picturis latitare veraciſſimus Seneca; quin rei magnitudinem æquo circulo expenderet, & inventâ veritate vehementiùs exclamaret: ne credite apparentibus hiſce coloraturis; transfuſæ enim fallunt ſpecies, interjectum fallit medium, & *Quidquid videtur per humorem, longè amplius vero eſt.* 165.

Affectus cordis quidquid videt, longè amplius vero eſt.

Seneca lib. 1. nat. quæſt. c. 6.

Ita pingit *Affectus cordis*, ut rem quamlibet ſeipsâ majorem & apparentiorem exhibeat, vel longè minorem, & quam velit, hanc etiam fingat; haud ſecùs, ac quis per coloratum vitrum immittit viſibiles ſpecies: ſi enim per rubicundum, viride, aut flavum vitrum aſpiciat corpora ſibi objecta, illa planè rubicunda, viridia, aut flava judicabuntur. Paria judicia exercet *Affectus cordis*; ut Angelicus Doctor meritò dixerit: *Dum quis ex ſeipſo malus, talis faciliter de alijs malum opinatur*; & conſequenter ſi bonus, etiam de alijs bene judicabit; ſicut & juxta Ecclesiaſtis ſapientiam: *Stultus in via ambulans, cùm ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos aſtimat.* Sic qui vertigine capitis laborant, omnia rotari arbitrantur; & qui depravato ſunt guſtu, aut debili ſtomacho, ſapidiſſimos etiam cibos nec ſentiunt, nec bene digerunt.

S. Thomas 22. q. 60. art. 3.

Eccleſ. 10. v. 3.

Ita contingit; prout Affectus cordis eſt diſpoſitus, taliter judicat. Exempli gratiâ: audit quis concionem ab oratoris eloquentia facundam, à partium diſtributione ornatam, à conceptuum ſubtilitate delicioſam, à materiarum connexione copioſam, à thematis ſubſtantia gratam, à declamantis ſpiritu penetrativam; ſed verò quia Auditor non bene afficitur Concionatori, hinc inſulſa, vana, inepta, impertinens, truncata, manca, indigeſta, obſcura judicatur, ridetur, cavillatur oratio: ut rectè Divus Hieronymus præmonuerit, difficulter quempiam pulpita, & cathedras conſcendere; nam *qui animum ad ſcribendum applicat vel docendum, tot ſibi judices contra ſe aſſumit, quot lectores, quot auditores.* Item, gerit quis conſulatum in civitate circumſpectè, ut neminem offendat; providè, ut damna avertat; indifferenter, ut juſtitiam adminiſtret; laborioſè, ut bono publico conſulat: & tamen, quia pauci civium illi bene affecti ſunt, non bene audit inter vicinos, traducitur à commeſſatoribus, corripitur ab effrontibus, & ab æmulis accuſatur. Ferè *libenter id, quod volunt homines, credunt & judicant*: Et *quidquid videtur per humorem* inordinatæ affectionis, *longè amplius vero eſt.* Si tam iniquè & pernicioſè privatis judicijs temerantur, qui *tranſierunt in affectum cordis*; quid malorum invehent in Principum dicaſteria, & in Magiſtratuum decretoria carnalis affectio, *viſque inſita cordi dulcis amicitiæ*? Divum noſtrum Bernardinum, reſonantiſſimam illam totius Italiæ Tubam, reſpondere jubeo, & interventorum turbines fortiter intonare contra quatuor ſcopulos, ad quos Juſtitia impingens plurimùm naufragari ſolet.

S. Hieronym.

Affectus cordis quibus turbinibus agitetur contra Iuſtitiam.

Mutari, inquit, *à recto affectus ſolet quadruplici affectione mentali, quæ ſunt, amor & odium, ſpes & timor.* Adducitque illa Danielis verba: *Ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno*; id eſt, ut idem Sanctus proſequitur, in mente Judicis partialis. Difficile quidem eſt, quòd, „cujus intereſt Juſtitiam rectâ lance tenere, aliquâ iſtarum affectionum ad injuſtitiam non flectatur: „nam amor affectum trahit ad ſuum „compartialem, & amicum; odium „ab adverſa parte repellit: de dilectis enim difficulter malè ſentimus, ſicut de non dilectis difficulter bene. Offendit amicus, culpa magna æſtimatur parva; delinquit adverſarius, offenſa parva ſentitur magna. Servit dilectus, ſuper ſydera exaltatur, fidelisque plenis faucibus prædicatur: alter contrariæ partis maxima præſtat commoda, impendit „magna ſervitia; parvi penditur, „eique detrahitur. Ex quacunque causa patratur crimen, pro „ſuo partiali quilibet ſupplex orat, „culpam minuit, aut ipſam negat, aut pro miſericordia inſtat: „Pars verò adverſa offenſam gravat, „juſtitiā poſtulat; adeſt ſpes ſuæ parti „inhærens, & timor contrariam partē pavens,

S. Bernardin. tom. 10. 1. ſer. 15. art. 1. c. 1.

Dan. 7. v. 2.

„pavens. Judicantis intellectus his „mentis turbinibus conquaſſatus, „diſcernere verum neſcit, vix vult, „& ſi fas eſt dicere, nequaquam po„teſt; inde conſequens eſt, quòd reus „juſtificatur, iñocens condemnatur.]

Ioan.8.v.15. Improperabat Chriſtus Judæis: *vos ſecundùm carnem judicatis.* Paucis id amplificat Chryſoſtomus: *Secundùm carnem vivere, eſt malè vivere; ita ſecundùm carnem judicare, eſt malè judicare.*

166. Exempla non acceptantium perſonas in judicio. Tandem ut exempla nos trahant ad imitationem, non deſunt inter profanos & ſacros, qui pro Juſtitia, & æquitate zelaverunt, vim inferendo vi inſitæ cordi, omnémque partialitatis affectum eliminando, ac perſonarum acceptiones tanquam Reipublicæ perniciosas reijciendo. Inter Gentiles quidem celebratur Titus Manlius; qui cùm pertinacem cauſam inter Macedones & proprium ſuum filium decidere deberet, partium juribus ritè cognitis, ita ſententiam tuliſſe fertur: *Cùm probatum ſit, Tilanum filium meum pecuniam accepiſſe, ipſum repudio, & prole meâ indignum reputo.* Tuxon, Papinianus Juriſconſultus, juſſus ab Imperatore Caracallâ ejus parricidium, quo fratrem Getam occiderat, in Senatu diluere, recuſavit, dicens: *Non tam facilè parricidium excuſari poteſt, quàm patrari.* Epaminondas filium coronâ donatum, deinde ſecuri feriri juſſit, quòd paterni præcepti contemptor cum hoſte conflixiſſet, eúmque viciſſet. Brutus Conſul, & M. Torquatus, proprios filios capite mulctârunt, quòd contra patriam cum Tarquinijs conſpirâſſent. Valerius Max. l.6.c.5. Zeleucus Locrenſis cùm legem tuliſſet de adultero excæcando, ejúſque filius in adulterio deprehenſus eſſet, ſe uno, filium altero privavit oculo, ne ob acceptationem perſonæ lex lata violaretur. Cùm Satibarſanes ab Artaxerxe Provinciæ cujusdam præfecturam minimè ſibi convenientem cum tribus millibus daricorum petiviſſet, pecuniam quidem illi donavit, præfecturam verò non permiſit. *Pecunia enim*, inquit, *ſi tantundem, non ob id indigentior; at verò, ſi improbo præfecturam committam, injuſtior ero.* Themiſtocles erat ly. Inter Sacros ex Divinis Paginis in præſens theatrum poſſent magno apparatu produci, Elias liberè increpans Achab regem, Eliſæus Joram, Nathan Davidem, Iſaias Manaſſen, Daniel Nabuchodonoſor & Balthaſarem, Jeremias Joachim & Sedeciam, Joannes Baptiſta Herodem, hodie Chriſtus Scribas & Phariſæos: ſed verò his miſſis, ex antiquorum Patrum ſententijs prodeat Venerabilis Abbas Paſtor, cujus ſanctitatis fama adeò Nomarcham quendam affecerat, ut ſummo ſtudio eum ad ſe invitaret, omni pietatis obſequio tractandum. Lib. fin. Pat. pæneg. 10. Nolebat Paſtor è cellâ ſuâ egredi, ne ſæcularium inceptijs irretitus, à recto religioſæ perfectionis tramite deſciſceret. Ergo aliâ viâ Nomarcha aggreditur: cùm enim juvenem quendam, Paſtoris conſobrinum, ob furti inſimulationem teneret in vinculis, & legitimè convictum ac confeſſum jamjam condemnaret ad furcam; executionis moram Paſtori nunciari jubet, ut veniret, & ſuâ interceſſione conſobrinum à morte liberaret. Sed nec ſic Paſtor commoveri potuit: quapropter ſoror Paſtoris, rei condemnati mater, ocyùs ad cellam ejus in eremum properat, ejulando, ac plorando commiſerationem implorat; ſed reſponſum aliud à Paſtore non evincit, niſi quòd per alium Eremicolam ei nuntiari juſſit: *Paſtor filios non genuit, ideò non dolet.* Redit ad Nomarcham ſoror; deſolationem ſuam deplorat, ex immiti fratris ſui reſponſione ampliùs amaricatam; ita ut vehementer omnes admirarentur Paſtoris laudabilem inclementiam. Propriâ itaque manu eidem litteras ſcribit Nomarcha, omnem offerens gratiam; atque inſuper apertè inſinuans, quòd ſi Paſtor duabus tantùm vel tribus lineis dignaretur pro conſobrino interpellare, in ejus gratiam dimitteretur protinùs liber

reus. Quid tandem ageret Paſtor? maximè quòd vehementiùs reliqui Eremi illius Fratres urgerent, & inſtarent, ut, niſi velit inhumanus, crudelis & immiſericors videri, pro ſuæ conſcientiæ dictamine reſponſorias litteras ad Nomareham dirigeret. Defert ſvadentibus Paſtor; ſcribit Nomarehæ inexpectato hoc tenore. *Jubeat Nobilitas tua diligenter requirere cauſam illius; & ſi quid dignum morte admiſit, moriatur, quatenus in hoc præſenti ſæculo exſolvat crimen peccati ſui, ut evadat æternæ ac perpetuæ gehennæ pœnas: ſi autem nihil dignum morte commiſit, quod juſtum videtur Legi, ita de eo jube diſponere.*

Æmulentur igitur hujusmodi imitationem, & averſentur affectuum partialitatẽ Tribunalium Præſides; ut cùm Juſtitias judicaverit Dominus, non arguantur reſpexiſſe carnem & ſanguinem, ſed inveniantur feciſſe judicium rectum, ac voluntatem Patris, qui in cælis eſt, ut cuilibet retribuat in æquitate. Amen.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

GALLUS OBLIQUE SVSPICIENS.

Der ſchilgende Goggelhann.

LEMMA.

Obliquo lumine cernens. Ovid. 2. Metamorph.

THEMA.

Cùm ſublevaſſet ergo oculos IESVS, & vidiſſet. Ioan. 6. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS XIX.

Obliquus Judicis aſpectus concepti odij & livoris eſt nuntius, palámque ſe profitetur inimicum; & Proceſſum ad depravandam ſententiam, everſo Iuris ordine, iniquiſſimè diſponit.

167. Oculorum ſublevatio in Christo, Gallo, & Judice, quid notent. *Salmeron to. 6. tr. 17. Lucæ, 6, 20.*

NOn tam exigui momenti thema vobis poſui, Auditores, quàm primo obtutu poſſet exiſtimari: nam præclariſſimo Salmerone teſte, *Vbi Chriſtus elevat oculos, ſemper aliquod magnum innuitur myſterium.* Sic quando apud Lucam de Beatitudinibus tractaturus erat, *Elevatis oculis in diſcipulos ſuos, dicebat: Beati pauperes.* Et quando Zachæum convertere voluit, *Suſpiciens IESVS vidit illum.* Item cùm in oratione elevavit oculos ad Patrem: & cùm elevatis oculis Euchariſtiam confecit. Oportuit hodie *Ieſum ſublevâſſe oculos, & vidiſſe turbam* quinquies mille hominum, triduano itinere languentium, & præ pallidâ fame deficientium; ut ſe ſollicitum de paſcendis famelicis exhibeat, *Cujus oculi in pauperem reſpiciunt.* *Pſal. 10. v. 5.*

Imi-

Imitatur hanc liberalem providentiam Gallus; qui œconomico labore in areâ ſuâ nunquam deficit, ſed *totâ die miſeretur & commodat*; inquirit, veſtigat, & unguibus ſuis protrahit, quidquid vel in vermibus ſerpit ſub cœno, vel in ſeminibus jacet ſub fimeto, vel in edulijs vegetatur ſub gramine: mox ubi paravit ferculum conveniens, cœtum ſuum gallinaceum convocat cognito vocis ſigno, & ad prandendum invitat hilariter, ut ſaturentur *de pinguedine terræ*, & bene vivant *in ſaturitate panis*. Sed quod omnium maximè admirationem evocat; dùm Gallus parandæ menſæ continuò allaborat, ita ſuos oculos obliquat, ut ſimul & Aſtronomum & Geometram, aut rectiùs excubitorem caſtrenſem & patremfamilias agere videatur: nam altero plerumque oculo ſurſum elevato, rapaces aves, infeſtiſſimos ſuos & Gallinarum hoſtes, èxactiſſimè obſervat, *ET ASPICIT CREBRO*, ne repentè involent; altero, minutiſſima quæque in locis etiam parùm lucidis diligentiſſimè diſquirit, ut meliora ſeligat, & commenſalibus ſuis apponat: & ſic *obliquo lumine cernens*, rem ſuam domeſticam adminiſtrat ritè. Optarem, ut hanc Galli intelligentiam Cauſidici, legum Executores, & populorum Moderatores, ſtudioſè addiſcerent; primùmque paternâ ſollicitudine ſuos ſubditos proſequerentur; tum verò bina ſua lumina ita diſtribuerent, ut unum ad cœleſtia ſublevent, alterum ad civilia deprimant; uno clementiam, altero ſeveritatem reſpiciant; uno miſericordiam, altero juſtitiam obſervent; uno denuntiatorem, altero denuntiatum dignoſcant; uno culpam, altero innocentiam dignoſcant; uno meritis faveant, altero demeritis indignentur; uno Deum ſuſpiciant, altero hominem non deſpiciant: niſi fortè livor & odium ita malè nervos opticos Judicis afficiant, ut *obliquo* utroque *lumine cernens*, dum intueri innocentiam, panémque iniquè gravatam creditur, animum planè avertat rancore & vindictâ ſævientem, & contra adverſarium peſſima quæque moliatur. Quem obliquum Judicis aſpectum ita noſter Gallus ſuo ſtudio perſequetur, ut graviter contra ipſum pronuntiet, in Judicijs obliquo aſpectu nihil rectè videri. Vos, Auditores, hujus aſſerti arbitros imploro; & ubi me videritis præſenti oratione cum livore, odio, & inimicitijs fortiter colluctantem, dextro oculo me aſpicite, & ſine livore auſcultate.

Plinius l. 10. Geſnerus. Aldrovandus.

Cùm ſublevaſſet ergo oculos IESVS, & vidiſſet. Sunt oculi pars corporis pretioſiſſima, in quibus, teſtante Alberto Magno, maxima amoris & odij exiſtunt indicia. In oculo reſidentes videbis omnes humanos affectus; atque id, quod in corde latet abſconditum, in oculis manifeſtè videtur depictum: adeò, ut juxta animi motuum varietatem, ipſi quoque, velut Proteus quidam, aut Chamæleon, varientur aut commutentur. Vnde Divinæ Scripturæ oculo attribuunt deſiderium, & ſpem; favorem, & vindictam; odium, & compaſſionem; humilitatem, & timorem; vilipendium, & æſtimationem. In ſumma, oculus eſt id, quod animam in facie refert; ſicut è contra omnia objecta viſibilia in animam mirabiliter trajicit. Vnde Plinius non dubitavit aſſerere, quòd anima in oculis manſionem ſuam habeat; & oculos eſſe veluti vaſa quædam, quæ parte animi viſibili plena ſint, quam ipſi recipientes, in proximos ſibi ſpectatores tranſmittunt. Hinc etiam eſt, quòd S. Auguſtinus, pulchrâ quâdam, & valde proportionatâ ſimilitudine, oculos mentis vocet feneſtras. *Oculi membra carnis, feneſtræ ſunt mentis*; ibi nàmque mens noſtra, alioquin inviſibilis, videri ſe ſinit. Et meritò idem Auguſtinus ingentem illorum notavit ſtultitiam, qui oculum habentes impudicum & licentioſum, nihilominus gloriantur animum ſe habere caſtum & continentem: *Ne dicatis vos habere animas pudicas, ſi habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuntius.* Superaddo ego: ne dicatis vos habe-

168

Oculi feneſtræ mentis, & nuntij cordis.

Plinius l. 11. c. 37.

S. Auguſt. in Pſal. 41.

Idem in Reg. Monach.

habere affectus amicos, ſi retorqueatis *oculos obliquos*; quia obliquus oculus, inimici cordis eſt nuntius. Ergo Judex *obliquo lumine cernens*, præſumendus eſt in pectore fovere rancorem, meditari vindictam, livore torqueri, odio agitari, inimicum ſe palam profiteri, & per ſententiam exhibere ſe averſum.

169. Iuſtitiæ ſtatua moraliter expoſita.

Chryſippus Philoſophus venerandam cunctis populis Juſtitiam præſentavit in ſpecie prænobilis, formoſæ, & gravis Virginis; ita ut manu alterâ bilancem teneret, oculis verò ſuis ita ſcintillaret, ut unum versùs aſtra tanquam Aſtræa Virgo ſublevaret, altero verò bilancem reſpiceret. Appoſitè D. Gregorius huic ſtatuæ ſuam gnomam ſubſcriberet. *Omnis, qui juſtè judicat, ſtateram in manu geſtat, & in utroque penſo juſtitiam & miſericordiam portat: ſed per juſtitiam reddit peccatis ſententiam; per miſericordiam verò peccati temperat pœnam.* Aliam Juſtitiæ ſtatuam erectam eſſe, priori pauliſper diſſimilem, Cælius Auguſtus teſtatur; quæ ſcilicet elegantiſſimam Virginem objiceret, ac ſtateram manu teneret, ſed verò capite ita ſuper interjectam nubem emineret, ut de æqui-vel iniquilibrio bilancis nihil prorſus videret, ſicque ab omni ſuſpicione turbatæ paſſionis, aut *obliqui affectûs*, immunem ſe redderet; eò fermè ſenſu, quo Sereniſſimus Elector Bavariæ Maximilianus I. appropriatum ſibi emblema ſubſcripſiſſe dicitur: nempe Solis oculus de ſublimi pingebatur ſuos radios circumquaque diffundere clariſſimos: ſubinde in aëris regione inferiore, denſæ & iratæ nubes ſuos grandines & fulmina in terram detorquebant: totius emblematis ſignificationem ingenioſè explicabat ſubſcriptum lemma, INFRA FERVNTVR: hoc eſt; ſicut ingruente validâ tempeſtate imbres, pluviæ, grandines, fulgura, fulmina diſſipantur in agros, montes & ſylvas, & tamen adhuc ſupra nubes Sol aureus permanet, ac igneo ſuo curriculo ordinatiſſimum iter perficit, nec quidquam per inferiores turbines atrocéſque nubium pugnas à tranquilla ſua ſerenitate deperdit: ita Maximilianus ſupra tot bellorum turbulentiſſimas tempeſtates, hoſtiles armorum ſtrepitus, dubia præliorum pericula, obliquos afflictionum concurſus, & terrifica perſecutorum tonitrua, quæ omnia ad ignobiliores partes *infra feruntur*, in mente ſuâ Divinitatis æmulâ, in Juris ſui æquitate toti Imperio approbatâ, in ſapientiæ ſuæ ſolio per tot feliciſſimos actus illuſtrato, in heroicæ virtutis famâ cum plauſu per Europam divulgatâ, tranquilliſſimus ſemper perſtitit, & Sereniſſimus. *Infra feruntur.* Si ita Tribunalium Præſides caput ſuum, velut inclytam recti Judicij ſedem, ſupra turbulentas paſſionum nubes in ſuâ tranquillitate elevatam contineant; quidquid odij, quidquid livoris vel rancoris eſt, ad ignobilem ſenſationis partem, ad abjectam iniquitatis colluviem *infra feruntur.* Nempe Gallinaceus ſtans ad oppoſitum ſpeculum, & videns propriam imaginem in ſpeculo, excandeſcit quidem irâ, & roſtro in malè opinatum ſuum inimicum impingit; ſed verò impingendo *FRVSTRA CONTVRBATVR.* Noverant hoc magui ferocientis iræ, ac turbidarum paſſionum Domitores; quia *in imagine pertranſit homo; ſed & FRVSTRA CONTVRBATVR.* Non tantùm impediunt charitatem ira, & conturbatio; ſed vel maximè Juſtitiam, & in rebus agendis æquitatem. Hinc pulcherrimè Seneca, *Ira*, inquit, *impotens ſui eſt, decoris oblita, neceſſitudinum immemor, in quod capit, pertinax & intenta, rationi conſiliiſque præcluſa, VANIS AGITATA CAVSIS, ad deſpectum æqui verique inhabilis.* Nec ſolùm vanis cauſis agitatur iracundus, ſed etiam inutiliter, & vanè conturbatur, durúmque ſubit imperium, niſi ipſemet ſibi noverit imperare. Quod Quintus Horatius ſic expendit.

- - - Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit, & mens,
Dum pœnas odio per vim feſtinat inulto.

Margin notes: S. Gregorius in moral. — Cæl. Aug. lib. 1. — Pſal. 38. v. 7. — Senec. l. 1. de Ira, c. 1. — Horat. l. 1. Epiſt. 2.

Ira

Ira furor brevis eſt; animum rege: qui niſi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compeſce catenâ.

170. Odium, perinde ac amor, judicia corrumpit humana.

Sed verò proclivius nihil eſt, quàm ut depravata & tempeſtuoſa voluntas intellectûs ſerenitatem, & mentis tranquillitatem elucificet: exinde ante omnia curandum eſt, ut animi judicium citra damnum vel obliquitatem affectûs proferatur. Rectè enim apud Salluſtium Cæſar admonebat: *Omnes homines, qui de rebus dubijs conſultant, ab ira & odio vacuos eſſe debere. Et haud facilè animum vera providere, ubi illa officiunt.* Neque enim minùs potens eſt affectus odij ad judicij ſeductionem, quàm affectus amoris; ac proinde ſapientis eſt monitum, deponendum eſſe turbidum quemvis affectum, ad hoc, ut judicium ſanum concipiatur, & intellectus voluntati ludibrium non debeat. Deplorat hanc judicij perverſionem, ex livore & odio promanantem, D. Gregorius Nazianzenus præter cæteras etiam hac, non minùs elegante, quàm veridicâ periodo. [Hodie libidinoſus & „ſcortator ille eſt, qui heſterno die „Joſeph erat (huc enim usque con„tentio progreditur, quaſi flamma „quædam per ſtipulam currens, ac fi„nitima comprehendens.) Et Judas „hodie vel Caiphas, qui heri Elias „aut Joannes, aut alius quiſpiam ex „his, qui ad Chriſtum ſe adjunxe„runt, & eâdem zonâ accincti ſunt, „atque eodem vel fuſco vel atro pal„lio contecti, quale vita ſancta & „gravis, meâ quidem lege ac ſenten„tiâ, prætendit. Quin etiam pulchrum „illum ſublimium virorum florem, „hoc eſt, pallorem, aut compoſitam, „& quietam loquendi rationem, aut „inceſsûs gravitatem cum manſve„tudine conjunctam, heri Philoſo„phiam, hodie inanis gloriæ ſtudium „appellamus: atque tandem adver„sùs malos ſpiritus aut morbos po„tentiam, nunc JESU, nunc Beelze„bub adſcribimus; & iniquâ rerum„harum regulâ, hoc eſt, contentione „& iracundiâ utimur. Et quemadmo„dum eadem terra ſanis quidem ac „minimè læſis fixa & ſtabilis eſt, ijs „autem, qui circumaguntur, & verti„gine laborant, movetur, nimirum „*aſpicientium vitio* ad rem aſpectam „tranſeunte: aut ſi mavis, quemad„modum idem columnarum inter„vallum, ijs qui longiùs remoti ſunt, „minùs videtur; aëre nempe ob in„terſtitium velut ſurrepto, ac viſu ea, „quæ craſſiora ſunt, connectente: ad „eundem nos quoque modum, ob „inimicitiam facilè decipimur; *nec „de ijsdem rebus eadem, amantes, & non amantes judicamus.*] Suffragantur alij SS. Patres, inter quos præcellit D. „Chryſoſt. ſic ſcribens. [Diſceptantes „habent inimicitias, non judicantem „veritatem. Et quomodo ſi ſit amici„tia, etiam vera mala videntur falſa, ita „etiam ſi ſint inimicitiæ, etiam falſa vi„dentur vera. Alia eſt mens, aliud ju„diciũ; non ex æquo audiens, ſed cum „magnâ inclinatione, & in alterã par„tem propenſione. Quomodo enim „in librâ plumbum additum, totum „trahit; ita etiam hìc pondus inimi„citiarum, cùm ſit plumbo gravius.]

Salluſtius in bello Catil.

D. Gregor. Naz. orat. 14. n. 8.

S. Chryſoſtom. hom. 12 in Ep. ad Eph.

Hinc ſæculi Juribus, qui noſcuntur odio adversùs aliquem flagrare, aut *obliquo oculo* eum intueri, eo ipſo à judicando repelluntur; cùm ſe manifeſtè ſuſpectos reddant Judices, contra quos digna & legitima fiat exceptio. Quo ſenſu Angelus Peruſinus, & Joannes Crotus, ob ſimilem cauſam demonſtrant, neminem in propriâ cauſâ idoneum eſſe judicem; nec ad diſcernendam conſanguinei cauſam quempiam admitti Judicem, niſi tam probatæ æquitatis fuerit inventus, ut partium conventione in ipſius ſententiam liberè aſſentiatur. Expreſſit hanc fœdam obliquæ paſſionis iniquitatẽ Theodoricus Rex, apud Caſſiodorum ſic edicens: [*Fœdum eſt, inter jura publica privatis odijs licentiam dare.* Nec ad arbitrium proprium judicandus eſt inconſultus fervor animorum. Iniquum quippe nimis eſt, quod delectat iratum. Furentes juſta non ſentiunt; quia dum commoti animo in vindictam ſæviunt, rerum temperan-

171. Contra judicem, niſi odium deponat, excipiendum.

Peruſinus, & Crotus, tr. de teſtimonijs.

Maſcardus de probationibus vol. 2. con. 932. n. 16.

Caſſiodorus ep. 10. lib. 4.

rantiam non requirunt. Hinc eſt, quòd legũ reperta eſt ſacta reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulſu.] Eleganter in rem præſentem cadit, quod de Alphonſo Aragonum rege ab Antonio Panormitano eſt proditum; nimirum eum aliquando dixiſſe, quòd ſi Romanis temporibus vixiſſet, *Jovi Poſitorio* ad Curiam templum fuiſſet extructurus, quo ſententiam dicturis, odij, invidiæ, & cujusvis inconditi affectûs depoſitio exoraretur. Nec alia fuit mens Auguſto, quem Svetonius dixiſſe ſcribit, ut Senatores de re quapiam pronuntiaturi, non priùs ad ferendam ſententiam ſe accingerent, quàm ei Deo, in cujus æde ſacrâ convocatus eſſet Senatus, ſupplicâſſent, exoraturi turbidorum quorumvis affectuum depoſitionem. Adeò vel Ethnicis ipſis perſpicuum erat, obliquari, imò exoculari à turbido affectu judicium; ideóque præpurgandum eſſe oculum mentis, & eâ ſuffuſione liberandum, quam æſtus incompoſiti affectûs immittit; ut judicium feratur rectum, & ad juris ac æqui menſuram dirigatur.

Panormitan. l. 3. de geſtis Alphonſi. c. 3.

172. Hic è veſtigio vos abripio ad Prætorium Pilati; ubi inter forenſes ſtrepitus, inter hoſtiles clamores, inter validos perſecutorum concurſus, omnibus ſpectandus exhibetur Reus; cui à latere aſſiſtit Prætor Romanus, indice ſuos omnes Actores aſpicere jubens huncReum, in loco Lithoſtrotos publicè ad Tribunal expoſitum. *Ecce homo! portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum?* Hoc dixit, quia pecudem excoriatam credidiſſet populus, niſi dixiſſet, *Ecce homo!* Ita enim erat plagis deformis, flagris contritus, lividus pugnis, deformatus ſputis, contuſus alapis, ut in homine homo ampliùs quærendus non fuiſſet. *Ecce homo* imbellis armis, miſer ærumnis, infirmus deliquijs, miſerabilis plagis, pauper fortunis, ridiculus improperijs, non jam formidandus ſed deſpiciendus. Ecce correctum, ſi malefactor; ecce flagellatum, ſi trifur; ecce coronatum, ſi rex. Ecce! an non immaniùs ſic flagellari, quàm crucifigi? S. Joannes Evangeliſta multas, quæ poſt flagellationem & coronationem ex ſpinis acciderunt, ſpecificat circumſtantias, quas alii Evangeliſtæ ſubticuerunt; ſcilicet oſtenſionem Chriſti per verba illa, *Ecce homo!* & effectum contrarium illi, quem ſecuturum Præſes ſperabat; cùm enim is crederet, illos ex hoc ſpectaculo ad compaſſionem movendos eſſe, ipſi è contrario elatâ voce eius crucifixionem poſtulârunt. Sed obſervate hìc emphaſin Evangeliſtæ, circumſtantiæ appoſitæ inſertam: *Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices & miniſtri, clamabant; Crucifige, crucifige eum.* Dæmoniaco ſpiritu repleti, & odij paſſione agitati, communi voce clamabant, & à conſpectu eum tolli petebant, quaſi eum ſuſtinere non valeant: non accuſationem afferunt, non juris ordinem quærunt, non interlocutorios terminos concedunt; ſed furore volunt vincere, & livore judicare, aut omnino de judicio ſufferre: & hoc non in alio rerum ordine, quàm *cùm vidiſſent eum*; utique non amicabili vel placido oculo, non gratioſo affatu, non vultu benignè compoſito, ſed *cùm vidiſſent eum* OBLIQVO LVMINE, torvo aſpectu, nictu inimico; quêis dicere volebant cum impiis apud Sapientem de paupere juſto: *Gravis eſt nobis etiam ad videndum; quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius, & immutatæ ſunt viæ ejus.* Hinc inſtar ferarum viſo flagellati ſanguine, non ad meliorem frugem, ſed ad ferociorem crudelitatem tranſierunt. Doctiſſimus Caietanus prædictam periodum conſiderans, ait. [Verè monſtrant, quòd non ex ira, ſed ex odio (prout JESUS dixerat) perſequebantur eum; odium enim inſatiabile eſt, & propterea viſo JESU dehoneſtato, & flagellato non mitigatur eorum animus; ſed ad turpiora & crudeliora tendit, clamando, *crucifige.*] Toletus ad rabidum hoc, inveteratum, ac furibundum odium exprimendum, duas valde aptas adducit ſimilitudines. [Neſciebat illos diabolico ſpiritu

Odium Iudæorum ex aſpectu Chriſti acuitur usque ad judicij crudelitatem.

Joan. 19.

Joan. 19. v. 6.

Sap. 2. v. 15.

Cajetanus ſupra loco.

Toletus ibid.

„ritu agitatos tales eſſe, qualis is eſt, „qui eos excitabat. Eſt autem Diabolus implacabilis, & nullâ commiſeratione commovetur, nec hominum deſolatione exſatiatur. Viſo „igitur Chriſto, ſicut ignis injecto „oleo exardeſcit, ita inflammati iſti „ſunt; quod Joannes in illa particulâ indicavit: *Cùm vidiſſent ergo.* Quaſi „diceret: Quia viderunt, in majorem furorem provocati ſunt, velut „feri canes, qui ſolo viſu allatrant, inſtanter & ardenter crucifigi petẽtes.] Implacabile hoc Sacerdotum & Eccleſiaſticorum contra DEI Filium conceptum odium, ex aſpectu flagellati acriùs ſtimulatum, tantùm profecerat; ut, cùm tanquam ſpecialiter Divino cultui conſecrati, plus quàm ſæculares obligati eſſent ad Chriſtum adversùs omnem injuſtitiam, quam Præſes Gentilis illi irrogare voluiſſet, defendendum & protegendum: ipſi econtra furioſo odio agitati, & capita conjurationis facti, depoſito omni dignitatis & gradûs Pontificalis decore ac convenientia, pro nihilo habuerint, quòd in publico judicio accuſatorum partes agerent, & manifeſtos ac irreconciliabiles ſeſe perſecutores probarent; tunc maximè, *cùm obliquo lumine vidiſſent illum.*

173. Odia reſtringi, favores convenit ampliari.

Ad deteſtationem huius corruptelæ, ex odio profectæ, & ex atrio Pilati in huius mundi Tribunalia profuſæ, vellem, ut cauſarum Judices ſibi quàm maximè obſervatam demonſtrarent illam regulam, in utroque Jure fundatam (nempe *c. odia. de reg. Juris. in ſexto L. cùm quidam. ff. de libertate. L. finali. C. de edicto D. Adriani. & Inſtit. de Vſucapione.*) & aureis characteribus foribus Curiarum, inſcribendam: *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*: Ecquis odio fræna laxet, ſalvúmque conductum præbeat ad prodeundum ex Tartareó ſuo ſqualore ad honeſtæ lucis uſuram; ſi odium ſit partus Infernalium furiarum, privatæ ac publicæ pacis venenum, fatalium controverſiarum fomentum, civile Naturæ bellum, miſeriarum officina, originalis modeſtiæ peſtilentia, amaritudinis ſtilla, & ſeminarium inimicitiarum: quæ D. Chryſoſtomo teſte, ſi ſemel occupaverint animos; omnia quæ fiunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita accipiuntur & intelliguntur, ut ad maiores & longiores proficiant averſiones: ſi quid enim boni dicatur de inimico, non creditur; ſi quid autem mali, hoc ſolum creditur & confirmatur. *Odia reſtringi, favores convenit ampliari.* Quas enim malorum Syrtes haud aperiet odium, niſi in veſtibulo procaciæ ſuffocetur, & potenti incentivo præmaturè affundatur gelida? Enimverò per frequentem experientiam comperiunt plurimi, quòd ij, qui odio flagrant, difficillimè poſſint iniuriarum abolere memoriam, ex corde parti adverſæ ignoſcere, graviter læſis bene-vel ſatisfacere, & ab inquietiſſimæ vindictæ ſtimulis ſeſe exonerare: quin potiùs in propriis cauſis agant iudices ſimul & actores, ac turpiſſimo proceſſu convertant *in amaritudinem judicium, ac fructum juſtitiæ in abſynthium*; operantes pro æquitate iniquitatem, & pro Juſtitia impietatem ſuam; & conſequenter incurrentes S. Hieronymi cenſuram. *Quicunq; hoſtili odio, vel inimicitijs in judicando ducitur, pervertit judicium Chriſti, qui eſt Juſtitia; & fructum illius vertit in damnationis amaritudinem. Odia reſtringi, favores convenit ampliari.* Quæ enim ſit conventio lucis ad tenebras? aut quæ pars æquitatis ad Belial? Atqui iuxta imperfecti operis Authorem: *Odium, ſpiritus eſt tenebrarum, & ubicunque inſederit, ſordidat pulchritudinem ſanctitatis.* Quisquis in obſcuro ambulat, ita ut nec videre, nec videri poſſit, dum alios percutit, amicum loco inimici percutere poteſt. Idem præſtat error, quem incurrit, qui ſe ab odio permittit ſeduci: hic enim indignè tractat & vulnerat fratrem, credens, quòd iram & malevolentiam ſuam adversùs inimicum evomat. Inimicus quippe diligendus eſt ſicut proximus, & non eſt à generali dilectione proximorum excludendus;

S. Chryſ. [illegible] hom. [illegible]

Amos. 6. v. 12.

S. Hieronym. c. quicunque cauſa 11. q. 3.

Author imperfecti oper. hom. 23.

quia per hoc, quòd factus eſt inimicus, non deſinit eſſe proximus. *Odia reſtringi, favores convenit ampliari.* Vt quid enim ſectaris odia, quæ tibi præcludunt januam Divinæ Miſericordiæ? Nam D. Chryſoſtomo teſte: *Nihil omnium DEVS ita odit & averſatur, ut hominem ultionis avidum: tantùm ejus peccati damnum eſt, ut miſericordiam DEI revocet, nec locum habere ſinat.* Equidem ille decem millium talentorum debitor, Regem ſibi benignum & liberalem, quando ei pro debito dimittendo ſupplicavit, expertus eſt; non enim tunc vel verbum protulit alterationis, aut indignationis, quaſi ſumma nimis eſſet exceſſiva: at verò quando in ſodalem tam enormi efferbuit odio, tunc *iratus Dominus* omni rigore erga hunc ſervum nequam proceſſit, ad reſtitutionem coëgit, incarceravit, & tortoribus tradidit. Addit parabolæ ſuam energiam Chriſtus: *Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis, &c.* Si enim præ odio & livore clàm ſævire, & vos vindicare volueritis, ſeveriſſimam in vitâ ſequenti per omnem æternitatem recipietis vindictam à Deo. Exclamat hic D. Hieronymus: *Formidoloſa ſententia! Si juxta noſtram mentem ſententia DEI flectitur atque mutatur; ſi parva fratribus non dimittimus, magna nobis à DEO non dimittentur. Odia reſtringi, favores convenit ampliari.* Nam ubi nimiùm indulgetur odijs, ibi Spiritus Dei haud poteſt invenire requiem. Et quando putatis Spiritum Sanctum deſcendiſſe ſuper Apoſtolos? Forſan dum altercarentur inter ſe, quis eorum videretur eſſe major? aut dum contendebant, ad dextram & ſiniſtram ſui Magiſtri ſedere? aut certè dum odijs & invidijs ſe invicem perſequebantur? Minimè quidem. Nam aliud obſervat tempus Laurentius Juſtinianus: *Deſcendit Spiritus Sanctus ſuper unanimes ſedentes: diligit hic Spiritus unitatem, amat pacem, diligit concordiam: hunc ſi ſuſcipere cupis, noli diſſidere eum fratribus, noli diviſus eſſe in te.* Et quomodo Spiritus Domini, qui lucem habitat inacceſſibilem, in te poſſit habitare? cùm ſecundùm D. Joannis ſententiam, *qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat; quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.*

D. Chryſoſt. hom. 17. in Geneſ.

Matth. 18. v. 35.

S. Hieronym. ſupra Matth.

Laur. Juſtin. ſerm. de Pent.

1. Joan. 2. v. 11.

174. De vultu Dei Præſidum Iudicia promanent.

Quidquid tandem ſit de odijs reſtringendis, ſive in diſtributionibus, ſive in denuntiationibus, ſive in controverſijs Juris aut facti, ſive in cauſis perſonalibus aut realibus, ad Servatorem meum me converto, *qui oculos ſuos elevavit, & vidit turbas.* Rupertus Abbas Tuitienſis de oculorum Salvatoris elevatorum ſalutaribus influentijs ita ſcribit: *Sublevati oculi IESV feneſtra ſalutis, & patentes miſericordiæ janua ſunt, per quas gratia & veritas emittitur: ſublevatio oculorum IESV præſens miſerorum compaſſio eſt.* Quo ſuppoſito optarem ego, ut, quotquot conſtituti ſunt Judices ſuper electum populum Iſraël, ex intimis cordis viſceribus in publicis votis gerant, & legitimis actibus demonſtrent id, quod Regius Pſaltes de Divinæ Majeſtatis Throno ſibi promanare optavit: *De vultu tuo judicium meum prodeat, & oculi tui videant æquitates.* Quaſi diceret: benigno faventíque vultu, qui trepidanti mihi fiduciam aſpiret, cauſam meam diſcepta, oréque juſto ſententiam profer: nullâ potentiâ Saulis, & aliorum hoſtium, meæque tenuitatis habitâ ratione, in unam æquitatem oculos intende. Vt Judices juſtè judicent, illis ſit aſſiſtens Juſtitia, quæ ab eorum latere & conſpectu prodiens omnes cives recreet, atque exteros adventantes illuſtret: imò ita judicibus ſit veluti incorporata Juſtitia, ut in eorum oculis, ore, totóque appareat vultu, & inde prodeat atque emicet. Innocens ubi Judicem aſpexerit, in ejus facie benignitatem, charitatem, miſericordiam, protectionem legat; impius verò ibi conſpiciat ſeveritatem, minas, triſtitiam, condemnationem & ſupplicia. Rex bonus & ſapientiâ inſignis, eſt veluti centrum regni ſui, omnes ejus partes ſuſtentans, & inter ſe uniens; ea ratione, qua Ariſtoteles docet, terræ & corporibus omnibus, quæ

Rupertus Abbas lib. 6. in Joan.

Pſal. 16. v. 2.

Ariſtot. l. 1. de cœlo.

ad

ad centrum tendunt, à centro triplex conferri beneficium, ſcilicet unitatem, conſervationem, & quietem: ita Rex per juſtitiam, quam omnibus unam eandémque reddit, primò ſubditos omnes in ea ſibi unit; ſecundò in concordia, extinctis odijs & diſſenſionibus, conſervat; tertiò à bellis externis & hoſtibus, quos excludit, quietem affert. Itaque de vultu DEI regis juſtitia prodeat, velut à ſole radius! exinde juxta Proverbiaſtis aſſertum, *Rex, qui ſedet in ſolio judicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Vertunt Septuaginta: *Cùm rex juſtus ſederit ſuper thronum; non adverſatur omne malum in oculis ejus.* Quis enim impius regi virtutibus fulgenti, & juſtitiâ armato reſiſtat? Quis verò pius ad ejus contuitum ſecundum, & amicabilem, non recreetur? Plutarchum audite, de recto Judicum oculo diſſertè moraliſantem. *Sicut DEVS*, inquit, *in cælo pulcherrimum ac jucundiſſimum ſibi ſimulachrum conſtituit ſolem; ſic in Republica principem, qui prudentiâ, juſtitiâ, benignitate ſe erga omnes repræſentet;* qui non ſit ſuarū paſſionum incatenatus ſclavus, nec in diſcernendo ſe gerat lividè, nec in judicando odioſè.

Proverb. 20. v. 8.

Plutarchus in moral.

Claudo ſermonem de odio pertractantem; & ubi vos, Auditores, adverto, injurioſum ac ſummè pernicioſum hoc odium, tam in privatis, quàm publicis judiciis velle averſari; imò ad Tartareos detrudere convictus, aut infernalibus Furijs pro dote legare: jubeo vos unicè, ſi non ambobus, altero certè oculo, cum Salvatore noſtro, cœlum *CREBRO ASPICERE*, atque eò ſublevare mentem, ubi *Juſtitia de cælo proſpexit.* Psal. 84. v. 12. Certè Epicteti huc trahi poteſt gnoma, ad infinitam DEI Bonitatem conſiderandam elevantis animum in ſuo Enchiridio. *Si luſcinia eſſem, luſciniæ munus fungerer; ſi olor, oloris. Nunc cùm rationale ſim animal, DEVS mihi laudandus. Hoc meum munus eſt, hoc facio. Neque ſtationem hanc deſeram, quoad licuerit, vòsque ad eandem cantilenam hanc exhortor.* Dicat Judex; ſi Gallinaceus eſſem, Gallinacei munus fungerer, & *crebrò aſpicerem* cœlum; nunc Judex cùm ſim, hoc ipſum faciam ad obſervandam DEI Juſtitiam, quę olim, cùm tempus acceperit, odia & iniquitates noſtras judicabit. Neque deſeram ſtationem meam, quoad licuerit; ſed cantabo cum Gallinaceo veritatem, tametſi veritas odium pariat; & ad eandem cantilenam hanc exhortor: *Diligite Juſtitiam, qui judicatis terram.* Amen. Sap. 1. v. 1.

Epictetus in Enchiridio.

PASSIONIS.

GALLINACEUS FORMIDOLOSUS.

Der gefahrſchühe Goggelhann.

LEMMA.

Sollicitum timor anxius urget. Virg. lib. 9. Æneid.

THEMA.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8. v. 46.

SYNOPSIS CONCIONIS XX.

Excuſſo humano metu pro Juſtitiæ veritate viriliter, & potenter agant, nec timeant alium probi Judices, quàm ſolum Deum cœli & terræ.

175. Judices rectè agentes non timeant capiti.

IN Gallo lepidum obſervare morem, Auditores. Per omnia quidem audax eſt Gallinaceus, & ſeſe ſuo adverſatio viriliter opponit: omnes invadit, ſerpentes, canes, catos, etiam equos & boves, & quisquis eum ad choleram provocat: imò ſeipſum aggreditur, & roſtro ſuammet impetit imaginem, ſi eam viderit in ſpeculo rejectam, arbitrans, alium ſibi adverſarium Gallum ſecum pugnare; ut meritò ſibi encomium pugnacis apud omnes promereatur. Et hæc quidem generoſitati Galli ſunt adſcribenda argumenta. Sed verò, quod ipſimet vos frequentiùs notâſſe potuiſtis, usque adeò Gallum *ſollicitum timor anxius urget*, ut ubicunque per januam, quantumvis altam & amplam, ingreſſus fuerit, profundè ſatis ſeſe inclinet, *NE* in limine poſtis criſtatum ſuum *IMPINGAT* caput. Simile quid fertur de Græcorum Imperatore Conſtantio, homine puſillo & modico, quòd ubicunque per ampliſſimas ad Triumphi ſolennitatem erectas portas glorioſus victor intravit, ſeſe anxius contraxerit, ne caput impingeret. Non ita ſibi, non ita capiti ſuo timuit in hodierno Evangelio Servator; qui conſtanter & fortiter contra adverſarios per quamcunque portam erectus intravit, ac in ſpecie eos objurgavit dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Diſquirite vitam meam, verba & opera mea diſcutite; nihil omninò, quod jure redarguere poſitis, improperare mihi poteritis. Operæ ſcilicet pretium, imò neceſſarium eſſe duxit, ut ſe de confictis adverſùs innocentiam ſuam calumnijs, & impoſturis juſtificaret; tum ne prædicatio ejus fidem apud Auditores amitteret; tum ut omnes miniſtros Evangelicos inſtrueret, curam illis honoris & bonæ famæ habendam eſſe, ut deinceps Dei gloriam, & animarum curæ ipſorum commiſſarum ſalutem, tantò efficaciùs promovere poſſint. Simili generoſitate procedere debent Juris dicendi Præſides; qui, cùm moribus & vitâ ſeſe probatos omnibus exhibeant, non inveniunt, cur quempiam expaveſcant: ſi enim nullius iniquitatis ſibi ſunt conſcij, ut quid *ſollicitos timor*

anxius

anxius urget, ne rectè judicando capita impingant, aut de plagato ulcere graviter doleant? Penetrent in limine hujus orationis Judices illam Gratiani ſententiam, ut excuſsâ formidine ſecundùm rei veritatem & æquitatem generosè procedant: *Quiquis metu cujuslibet poteſtatis veritatem occultat, iram DEI ſuper ſe provocat; quia magis timet hominem, quàm DEUM.* Hoc negotium in præſenti diſcurſu ita pertractabo, ut videar in me ſuſcepiſſe illud ſupremi Numinis præceptum: *Provide autem viros potentes, & timentes DEUM, in quibus ſit veritas.* Nempe excuſſo humano metu potenter agant pro Juſtitiæ veritate, nec quempiam alium timeant probi Judices, quàm ſolum DEUM cæli & terræ; qui & mihi potenter dicenti benignus aſſiſtat, in nomine ſuæ Sanctiſſimæ Trinitatis.

C. Quicquid C. 11. q. 3.

Exod. 18. v. 21.

176\. Fæminæ in decoris laudem vertitur prædicatum *maſculinum*: viro in opprobrium accipitur prædicatum *muliebre*. Virilis fæmina; fæmineus mas: *Virilis fæmina*, quæ generoſo ſpiritu, heroicâ fortitudine, prudentiæ maturitate, & diſquiſitâ in rebus agendis dexteritate inter Amazones numeranda, procul & de ultimis finibus dignum ſibi comparat pretium. *Fæmineus Mas*, qui animo puſillus, artubus delicioſus, voce tenuis, prudentiâ immaturus, motibus levis, formidoloſus & inconſtans, omnium cavillatur judicio, & ſupercilio deſpicitur: contra quem æquè ac contra fæminas leges Divinæ & humanæ exciperent, ne ſacris Ordinibus initietur; ne altari deſerviat; ne publicæ prædicationi Divini Verbi inſtet; ne coram tribunali teſtem, vel advocatum agat; ne in judicio ſententiam ferat; & ne alijs publicis functionibus præſit. Quòd ſi enim *fæminei mares* Tribunalibus præſint, nunquid æquè facile ac mulieres corrũpuntur munuſculis, affectionibus depravantur, odio ac paſſionibus agitantur, & vel maximè timore anxio ab æquitatis lineâ deterrentur, *NE IMPINGANT.* Quare inter alias conditiones requiſitas in ijs, qui Tribunalibus præeſſe debent, Jethro Moyſi hanc neceſſariam eſſe dixit: *Provide autem ex omni plebe VIROS*, non fæminas, aut effæminatos: quippe ut Judex aliquis ſeſe malis opponat, juſtitiámque à potentum oppreſſionibus illæſam ſuſtineat, pectore virili opus eſt. Et ideo Eccleſiaſticus ſalubriter monet: *Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* Occurrit hìc Seraphicus Doctor, ſeſe ingerens in Tribunalia inter Angelicos ſpiritus, qui Virtutes appellantur, propter fortem & immutabilem virilitatem, ad ſuſceptionem Divinarum illuminationum nullatenus infirmã, ſed viriliter in DEI imitationem reductam: quæ omnia figurativè intellecta eſſe ait ad illos, qui judicandi recipiunt poteſtatem. Quàm verò Judicibus neceſſaria ſit virtus virilis, paucis proſequitur: *In his virilitas, ſive Angelica virtuoſitas requiritur, ut nec benedictione nec maledictione à rectitudine Juſtitiæ moveantur.* Quo quidem motivo ſapiens illa Thecuitis iratum Davidem cum fratricida Abſolone reconciliavit, inſigni hoc encomio ad commotionem regij pectoris utens: *Tu autem Domine mi Rex, es ſicut Angelus Dei, qui nec benedictione, nec maledictione movetur.* Hoc proſequor argumentum.

Judices ſint viri, & quidem viriles.

Eccli. 7. v. 6.

S. Bonavent. de 7. act. eccleſ. Hierarch. p. 2. c. 3.

2. Reg. 14. v. 17. & 20.

177\. Et quis veſtrûm cauſam penetrare poterit, cur DEUS, poſtquam ambos fratres Moyſen & Aaron ſimul deſtinâſſet pro legatione ad Pharaonem, ut populi ſui ab eo expoſcerent libertatem, virgam tamen prodigioſam ſoli concrediderit Moyſi, non Aaroni? *Virgam quoque hanc ſume in manu tua.* Nempe Moyſes generoſo ac virili animo ſeſe ſemper oppoſuit Pharaoni, nec theſaurorum, nec dignitatum, ſed nec vitæ propriæ jacturam ſubire timens; imò etiam rigorosè requiſitus, *negavit* audacter *ſe eſſe filium filiæ Pharaonis*; quam negationem ſi diſſimulâſſet, ad apicem fortunæ evolare potuiſſet. At verò Aaronem *ſollicitum timor anxius urſit* frequen-

Viriliter agentes à Deo honorati.

Exod. 4. v. 17.

Hebr. 11. v. 24.

quenter, formidoloſiùs egit, iniquæ populi petitioni de aureo vitulo fundendo facilè detulit, *NE IMPINGAT* apud Magnates Tribuum; & ideo indulſit iniquitati, virgâ potiùs caſtigandus ipſemet, quàm alios caſtigaturus. Alij duo Viri fortes, pari generoſitate, è primordiis novæ Legis prodeunt, qui Sacerdotum & Phariſæorum injuſtirijs viriliter ſeſe oppoſuerant. Horum primus Nicodemus ſe totum ad innocentiſſimi Chriſti defenſionem profudit, iniquiſſimo Judæorum proceſſui leges ſacratiſſimas objiciens.
Ioan. 7. v. 51. *Nunquid lex noſtra judicat hominem, niſi priùs audierit ab ipſo, & cognoverit quid faciat?* Alter Ioſephus ab Arimathæa, nobilis decurio, virilem ſuam virtutem probavit, dum determinationib⁹, adversùs Salvatorem promulgatis,
Lucæ 23. v. 51. fortiter reſtitit. *Hic non conſenſerat concilio, & actibus eorum.* Sed verò etiam revelatâ facie manifeſtè ſe ejus declaravit eſſe diſcipulum, dum à Pilato exangue Chriſti corpus, inæſtimabilem theſaurum, dono ſibi dari poſtulavit. Et quo honore utriusque generoſus animus dignus eſt habitus! Nempe hi viri fortes ad eam dignitatem ambo ſunt evecti, ut terrore perculſis Diſcipulis, furore frementibus Iudæis, compaſſione lugentibus elementis, ſacratiſſimum Chriſti corpus de cruce deponerent, ſindone involuerent, unguentis oblinirent, ac honorificentiſſimè ſepelirent.

178. Iudices potentes ſint contra faciem cujuscunque iniqui.

Nec ſufficit, ut viros agant, viriliterque ſe gerant Iudices, niſi etiam potentes ſint ad irrumpendam iniquitatem: *Provide autem de omni plebe viros POTENTES*; adeóque viros valentes animo, ſtrenuos & magnanimos; qui Magnorum & Magnatum vultum non expaveſcant, ut perſonas in judicio accipiant, & rectum judicium pervertant. Potentiâ igitur & authoritate opus eſt, ut juſtitia defendi, & debiliores cùm opprimuntur, protegi poſſint. Et hoc eſt, cur S. Iob, qui tantorum in Oriente ſubditorum principatum gerens, rectam illis & intemeratam adminiſtrabat juſtitiam, de ſe gloriari ſit auſus:
Iob. 29. v. 17. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Sub metaphora beſtiæ alicujus ſanguinariæ ex rapto viventis, & prædam dentibus dilacerantis, deſignat hominem in alios injurioſum, qui fortunas diripit alienas, vel famam lædit, vel corpus mutilat, vel vitam abſcindit, vel quoquo modo alium divexat; cui infeſtum ſe fuiſſe dicit, ut pauperibus & infirmis opem ferret. Quod maximè decet potentes, ac eos præſertim, qui Magiſtratibus & Tribunalibus præſunt; quibus illud Pſalmi negotium faceſſendum
Pſal. 81. v. 4. incumbit: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Similis eſſe videtur cauſa, cur DEUS Ezechieli, divina oracula promulgaturo, tam duram & validam frontem indulſe-
Ezech. 3. v. 9. rit: *Vt adamantem, & ut ſilicem dedi faciẽ tuam.* Ecquæ inter utrumque lapidem comparatio, vel paritas? Durus uterque; ſed unus nobilis, alter ignobilis. Adamas pretio carus, & virtute ſummè æſtimabilis, annulis ſponſorũ inſeritur, ut uniat; Prælatorum pectoralibus, ut adoretur; regum ſceptris & diadematibus, ut terreat: econtra ſilex pedibus calcatur, luto fœdatur, plateis imprimitur, in calcem crematur, vilipenſus omnibus. Quâ igitur ratione increata Sapientia duos hoſce tam diſpares lapides in facie prophetizantis conjungit, dicendo: *ut adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuã?* Nempe ad injuncti mandati prolegominam inſtructionem reflecti nos oportet: nam paulò antè dixit DEUS ſuo miſſionario: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Quaſi graviter inſinuaret Prophetæ: Ecce! animum tibi generoſum ſuggeſſi; quo mediante juſtitiam tam adversùs Magnates, per adamantem figuratos; quàm adversùs populares, ſignificatos per ſilicem, tueri valeas ac propugnare. *In ſilice duro*, inquit S. Bonaventura,
S. Bonavent. ibid. *& adamante ſolido, omnis ferri ſuperativo, ſignificatur Iudicis conſtantia & fortitudo.* Quem proinde Eccleſiaſticus

zelan-

Eccli. 4. v. 33. zelantiſſimè adhortatur: *Pro juſtitia agoniʒare, & uſque ad mortem certa pro juſtitia*: ſi tamen pauperum pater, non perſecutor; ſi pupillorum & viduarum tutor, non deſtructor; ſi Juſtitiæ Miniſter, non depravator; ſi Reipublicæ amator, non inimicus velis exiſtimari. *Vt adamantem, ut & ſilicem dedi faciem tuam.* Si in judicio verſaretur aut Catilina Rempublicam turbans, aut Verres Siciliam exſpolians, aut Sertorius Imperium dilacerans, aut Adonias in regem conſpirans, aut Diotrephes Evangelium vitians, aut Neſtorius ſchiſmata ſeminans, aut Dioſcorus hæreſes docens, aut Abſolonius regium thronum invadens, aut Balaamus dæmones invocans: tunc in crimina publicæ rei tam pernicioſa, Religioni tam periculoſa, tam contraria DEO, potenter animadvertat Judex, ſceleratos rigidè capiat, flagitia ſtudioſiſſimè inquirat, rebelliones ac defectiones rotarum ac ignium ſtrepitu exemplariter caſtiget; viriliter agat, omnémque excutiat formidinem, *NE IMPINGAT.*

179. Iudex ſufficientem habeat legum ſciẽntiam & experientiã. Non tantùm potentes viribus, & armis aut perfringendi magnanimitate, decet eſſe Judices; ſed etiam *POTENTES*, hoc eſt, *SAPIENTES*, viros valentes ingenio, ſcientes exactè Jura, & in ferendâ ſententiâ legitimum proceſſum, maturo judicio præditos ad rectam Juſtitiam diſcernendam; maximè quando hæc à variarum opinionum probabilitate ambiguâ ventilatur. Quare etiam alia translatio legit: *provide tibi viros ſapientes.* Siquidem ſapientia, ſtudium & intelligentia, ſunt partes Judicis eſſentiales; ſine quibus errabit velut oculus ſine luce, vel ſicut cæcus in turri vigilias agens, vel ſicut paſtor ſuum gregem à lupis defendere neſciens. Et ideo Pſalmiſta monet: Pſal. 2. v. 10. *Erudimini, qui judicatis terram.* Huc inſeruit præceptum, quod DEUS impoſuit legiſlatori Moyſi, de Propitiatorio diſſerens: Exod. 25. v. 18. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies, ex utraque parte oraculi.* Cùm omnia ſingulares ſignificationes & figuras ſecum ferebant, mirantur interpretes, cur non potiùs duos Seraphinos, tanquam Spiritus DEO propinquiores, fieri præceperit DEUS? Nempe Cherubinis ſapientia attribuitur, Seraphinis amor: Propitiatorium autem velut cathedra quædam erat, è qua DEUS velut Judex ſupremus pronuntiabat ſententias, eáſque tanquàm infallibile quoddam oraculum promulgabat. Ac proinde longè à Judicijs abſint Seraphini cum ſuo amore, amicis favente, & bonæ Juſtitiæ integritatem corrumpente; quin potiùs oraculi locum, è quo ſententiæ promanent, Cherubini cingant, quos, cùm ſint ſcientiâ, doctrinâ & eruditione potentes, *ſollicitos timor anxius* non *urget*, *NE* in legibus aut debito proceſsûs ordine *IMPINGANT.* C. [illegible] Extra de Elect. Vt adeò utraque pars legitimè audiatur, Jura debitè diſquirantur, dubia intercurrentia reſolvantur, probabiles rationes menſurentur, & Juſtitia canonicè adminiſtretur. D. Hieronymus hoc argumentum approbat, ſuper Iſaiam commentans, & dicens: *Non eſt omnium rectè judicare, ſed eorum, qui ſunt prudentes.* S. Hieronym. ſupra Iſaiam. Sed & in Jure Canonico cavetur, quòd non quælibet cauſa per quemlibet Judicem ſit expedienda; *ſed per Iudices diſcretos, qui poteſtatem habeant judicandi, & ſtatuta Canonum non ignorent.* C. ex literis: extra. de conſang. & affinitate. Panormitanus etiam ex profeſſo demonſtrat, accuſatum poſſe ac debere excipere contra Judicem legum ignorantem, aut aliàs de prava affectione ſuſpectum. Panormitanus ſupra c. ſeſſiatantor. de reſcriptis.

Et hæc legum peritia, atque in agendis rebus ſapiens dexteritas Judicem centoculum facit, ut culpæ ſubſtantiam, gravitatem, cauſas, fines, occaſiones, omnéſque alias concomitantes circumſtantias bene conſiderare poſſit; ratione quarum tam cautè, circumſpectè ac ſanctè procedat, ut omni adverſario poſſit improperare: *quis ex vobis arguet me de peccato*, quod commiſerim contra Principum ſanctiones, Patriæ conſvetudinem, æquitatis regulas, & litigantium jura? Magnâ in omnibus opus prudentiâ, ut cum proportione cauſæ inquiratur 180. Prudentia practica in Judicijs adhibenda.

rur

tur in complices, & juxta gravitatem delicti infligantur pœnæ. Gravis animadverſio in gravibus culpis adhibita, judicantem coronat, & coram mundo celebrat commendandum: at verò illa eadem in conſvetis vel ambiguis culpis adhibita, cenſuræ æſtimationem adimir, & Iudicis authoritatem diſſolvit. Curæ inuſitatæ, & pœnæ ultra modum conſvetum dictatæ, fimo non ſunt abſimiles: quem quò ampliorem in agris ſpargit agricola, eò patronum ſibi magis conciliat, & maiorem frugum percipit copiam: quòd ſi eundem fimum domûs præfectus in conclavibus. & atriis ſterneret, riſum promereretur, imò reprehenſionem & pœnam incurreret. Conceptus hic D. Auguſtini eſt, plùs mille antè annis ſuo populo annuntiantis: *Stercus non loco ſuo poſitum, immundam facit domum; loco ſuo poſitum, fertilem facit agrum.* In gravibus delictis, graves inveſtigationes, & magni ſtrepitus: in erroribus aut mediocribus, aut momenti non nexij, cautela mediocris, & moderati rumores. Imò etiam in graviſſimis & portentoſis criminibus, cùm examen & agendi ratio pervenerunt ad terminum humanæ prudentiæ & uſitatæ inquiſitionis, finienda ſunt, nec ulteriùs promovenda; ne Juſtitia deficiat in barbariem, examen in crudelitatem, & judicium in cruciatum illius, qui recuſat arceſſere ſibi infamiam, & tradere ſe malignæ calumniæ, aut avaræ rapacitati. Examina in accuſatis inſtituenda, videntur mihi ſimilia limis & ſcalpris in efformandis ſimulachris. Quamdiu rude & impollitum eſt marmor, ſcalpit ſaxum, qui percutit; & qui ſcalpris ſecat, is ornat & perficit. Econtra qui abſolutâ ſtatuâ, reſumeret inſtrumenta Romani Phidiæ architecti celebris, iisque ſignum ſculperet aut expoliret, figuram corrumperet, artémque infamaret. Idem contingere exiſtimate, ſi quando in Judicijs prætereuntur limites, aut præſcripti, aut conſveti; nec adhibetur cautela prudentiæ practicæ conſecrata.

S. Auguſtin. ſerm. 131. de tempore.

Excuſſâ humanâ formidine, maximè reſpiciendum eſt Judici ad timorem Dei: hanc enim conditionem Jethro requirebat: *Provide tibi viros potentes, & TIMENTES DEUM.* 181.

Timor Dei Iudicibus ſummè neceſſarius.

Circa quæ verba Cajetanus commentatur. [Prima animi virtus, eſt timor „Dei Judicis: oportebat jus dicen„tem alijs, rationem habere ſuperio„ris Judicis, ut ſic judicet alios, tan„quam certus, quòd redditurus eſt „rationem Deo de ſuis judicijs, & ra„tione judicandi; & quòd puniendus „eſt, ſi peccat, & quòd timeat puniri à „Deo.] Ac tandem optimè concludit, quòd ad conſervandam in judicijs integritatem plurimùm officiat humanus reſpectus: quia cùm Judices plerumque in ſupremæ authoritatis munere ſint conſtituti, ſæpè nullos habent ſuperiores, quibus actionum ſuarum reddere teneantur rationem; ideóque ſubdit: *Si enim ſolus timor humanus in animo regnat Iudicis, innumerabiles injurias faciet.* Simili argumento hodie Chriſtus videtur uſus contra calumniantes Judæos, quos ad ſuperiorem Judicem citare non dubitavit. Ad refutandam graviſſimam calumniam *Reſpondit IESUS: ego dæmonium non habeo; ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, &* defendat gloriam meam, *& judicet* graviſſimam veſtram calumniam, quam in me congeſſiſtis. Theophylactus hìc ſubſiſtit, ac ſenſum latentem clariùs exponit. Eſt qui quærit gloriam meam, qui & ipſe poteſt judicare & condemnare eos, qui me injuriâ afficiunt: ſæpè enim quis quærit ulciſci, & nequit ipſe judicare: propterea dixit: *Eſt qui quærat & judicet.* Hoc timore Dei muniti Aulici, & duces Chriſtiani, contempſerunt juſſa Principum; & ſuis Imperatoribus, idolorum cultum ac ſacrificia mandantibus, reſtiterunt usque ad mortem, usque ad martyrium: quos inter S. Sebaſtianus reſtitit Diocletiano, S. Euſtachius Adriano, S. Theodorus Licinio, S. Gallicanus Juliano, S. Mauritius & Thebæi Martyres Maximiano.

Cajetanus ſuper Exod.

Ioan. 8. v. 49. & 50.

Theophylactus ſuper Ioan.

miano. Quid non faciant boni ac probi Judices, *ſollicitos*, quos *timor anxius urget* ſupremi Numinis, ut faciant judicium & juſtitiam in terrâ? Certè Fridericus Imperator tertius, interrogatus, quos è ſuis haberet chariſſimos: *Eos*, inquit, *qui non magis me, quàm DEVM timent.* Sic enim per ſuos miniſtros rectè adminiſtrari Rempublicam, & ſubjectas Nationes, ſciebat Imperator, ſi in ſuis Dicaſterijs præſentiam Numinis venerarentur, & ejus timore perculſi æquitatis lancem obſervarent: eo modo, quo Athenienſes Judices in Areopago, tanquam ſupremo & incorrupto Tribunali, decretoriam in cauſis pronuntiabant ſententiam; ubi ducentorum & duodecim Deorum erigebant præſentiam, ut vel ſic per horum venerationem, ſacrúmque timorem, juſtitiæ ſuæ incorruptibilitatem toti mundo facerent publicam, & conteſtatam; ſéque eò maximè attendere, *NE* apud immortales ſuos Deos, rerum æquiſſimos arbitros, *IMPINGANT.*

S. Hieronym. l. 3. trad. Hebr.

182. Munus Iudicum honorificum.

Vnde magnopere timendum eſt, ne hi Areopagitæ Judices, innumerabiles aliquando condemnaturi ſint Judices Chriſtianos; qui in pronuntiandis ſuis ſententijs, non Deum, ſed genium ſuum, ſed intereſſe propriúm, ſed certè ſanguinis affectum, ſed amicitiæ legem, ſed alios ſimiles humanos & execrabiles fines ſuis oculis præfigunt. Nec poſſunt Judices temporales fortiori fræno adigi ad juſtitiam rectè adminiſtrandam, quàm ſi ob oculos judicium illud ſtatuunt ſupremi Numinis; quod in omni negotio tremebundi formident, ne de æquitatis tramite deviando concidant. Quando Deus Judicibus terræ ſuas improperabat injuſtitias, in Tribunali tanquam magnifico Majeſtatis throno ſeſe conſpiciendum exhibebat: *DEVS ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat: uſquequò judicatis iniquitatem?* Synagoga Dei nihil aliud eſt, quàm conventus Iudicum à Deo conſtitutorum; quibus etiam nomen ſuum impertivit, quia communicavit cum illis authoritatem judicandi, quæ ipſius eſt propria, dicente S. Iacobo: *Vnus eſt legiſlator, & judex.* Subſiſto coram tam formidabili concilio, & quid magnarum rerum hic agatur, profundiùs obſervo. *DEVS ſtetit in Synagoga Deorum*, in medio Judicum cœtu, ut eos honoret, populiſque honorabiles reddat, à quibus pendet bonum regimen, & felix totius Reipublicæ adminiſtratio: ut ſciant populi, omnem eorum authoritatem à Deo emanare, ſententiam Dei calculo approbari; eóſque ſecundarios quoſdam eſſe Deos, qui exerceant vitæ & necis poteſtatem; prout in Exodo dicitur: *Si latet fur, Dominus domûs applicabitur ad DEOS*; Id eſt, ad judices, qui ſunt loco Dei. Et clariùs in eodem libro, dum Deus Moyſen, quem populo ſuo Principem & Iudicem conſtituerat, ſceleríumque Pharaonis vindicem, ſub qualitate Dei ad Regem Ægypti delegat: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Cognoverat hanc Iudicis dignitatem Eumenes, unus ex ducibus Alexandri Magni; qui, ut Ducum & militum animos ſibi magis devinciret, & in exequendis imperatis promptiores ac conſtantiores redderet, poſt mortem Alexandri thronum vacuum poni jubebat, eo ipſo in loco, ubi ad Conſilium Duces congregabantur; quaſi Alexander in vacua illa ſede eorum deliberationibus præſideret: Simili ratione, qua in Apocalypſi cum magna majeſtate apparent Iudices congregati, & Deus in medio eorum. *DEVS ſtetit in Synagoga Deorum*, in medio Iudicum, ut eos dirigat in dubijs, corroboret in arduis, in adverſis & triſtibus conſoletur. Salomon natus annos duntaxat viginti, juxta Lyranum; aut viginti quatuor, juxta Torniellum, regnare cœpit; qui pondus tanti regni expaveſcens, ac præſertim judicandi neceſſitatem ac difficultatem formidans, ait: *Ego ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum & introitum meum. Et ſervus tuus in medio eſt populi, quem elegiſti,* popu-

Pſal. 81. v. 1. — *Iacob. 4. v. 12.* — *Exod. 22. v. 8.* — *Exod. 7. v. 1.* — *Apoc. 4. v. 4.* — *3. Reg. 3. v. 7.*

populi infiniti, qui numerari & ſupputari non poteſt præ multitudine. Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum tuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum. Quis enim poterit judicare populum iſtum, populum tuum hunc multum? Hac oratione commotus Deus dedit illi cor ſapiens & intelligens, in tantùm, ut nullus ante eum ſimilis illi fuerit, nec poſt illum ſurrecturus ſit; quod ſtatim patuit in ſententiâ contra meretrices litigantes de filio uno publicatâ. Itaque ad Deum recurrant Judices, lucémque recipiant; Reges præſertim, qui ſunt Juſtitiæ fontes, & æquitatis ſoles in regno ſuo. Valentinianus Imperator frequenter
Zonaras. dixiſſe fertur: *A principe inprimis Juſtitiæ curam flagitari.* Rex Benomotapa duo regiæ Majeſtatis portabat inſignia; nempe ligonē cū eburneo manubrio,
Maffeus. & duo jacula non ita magna: altero ſubditos ad agriculturam hortabatur, altero ſe vindicem ſcelerum denotabat, & hoſtium externorum repreſſorem.

183. Munus Iudicum terribile & formidoloſum. Placita quidem, & multùm Judicibus favens eſt hæc interpretatio: ſed verò ſive placitum ſit, ſive moleſtum, quod dicturus ſum; *DEUS ſtetit in Synagoga Deorum*, non tantùm honorans & informans, ſed etiam *in medio Deos dijudicans.* Vbi Pagninus vertit: *In medio Judices judicabit*, præſertim ſi Tribunalia jam non ampliùs ſint Juſtitiæ altaria, ſed furoris valla, ſed ferarū latibula, ſed voragines avaritiæ, ſed Scyllæ cupiditarum, ſed laquei & muſcipulæ miſerorum. Hinc Joſaphat Rex Iuda hortabatur Iudices à ſe con-
2. Paralip. 19. v. 6. ſtitutos: *Videte, quid faciatis: non enim hominis exercetis Iudicium, ſed Domini: & quodcunq; judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite. Non eſt enim apud Dominum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.* Audite Prælati Catholici, audite Reges & Principes: ſi Miniſtri veſtri ſubditorum veſtrorum ſunt Iudices, Deus illorum & veſter Iudex erit: nec ulla eſt potentia, quæ non ſubmiſſa ſit inexorabili inquiſitioni Dei, qui ſupremus eſt Iudex vivorum & mortuorum: cujus in throno literis aureis hoc lemma ſcriptum legite: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7. v. 2. Audite reges, & intelligite: diſcite Iudices finium terræ; aperite occluſas aures, qui continetis multitudines, & placeris vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino Sap. 6. v. 4. poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo; *qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur*: quoniam cùm eſſetis miniſtri illius, non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis: *Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Ib. v. 6. Anno 1402. Thieleti civis Alexander Spierincus, Margaritæ tertiæ, ejúſque viro Philippo Audaci charus, ſupremúſque Flandriæ Ballivus, quendam capitis damnavit; à reo morituro, injuriámque ſibi fieri aſſerente, ut intra octiduum Dei conſpectui ſeſe & judicio ſiſteret, citatus eſt: octavo die, cùm pilâ Thieleti luſiſſet, inter fabulandum, Eram, inquit jocabundus, ab illo reo intra octo dies vocatus ad Dei Tribunal. Vix hæc locutus, ſubitò in morbum incidit, tam præcipitem & exitialem, ut ante octavi illius diei, & vadimonij terminum, vitam finierit. Quod ex- Marchantius lib. 1. com. Flandriæ. Pag. 82. emplum neque ridiculum eſt, neque Ferdinando quarto Caſtellæ, Petro Ceremonioſo Aragoniæ regibus; & Franciſco Britanniæ Duci, ad eum modum citatis, extinctiſque, incompertum. Tunc, tunc! ſi non noviſti, quis te de peccato arguiturus ſit, Deus te arguet. *In medio Deos dijudicat.*

Quod reliquum eſt, ad veritatem 184. pertinet; nempe Iudices ſint ita qua- Veritas graphicè deſcripta à Iudice inveſtiganda. lificati, ut ſint viri potentes, timentes Deum, *in quibus ſit veritas. VERITAS* illa ab Hippocrate depicta, quaſi mulier pulchra, magna, ſimpliciter ornata, illuſtris ac ſplendida, nitentibus Hippocrates ad Philopem. oculis ac aſtrorum ſcintillas imitantibus. *Veritas*, qua ſolâ, cùm cæteris omnibus abundet, in ſuâ aulâ egere ſe profeſſus eſt Ludovicus XI. Galliarum Rex. *Veritas*, quæ à Romanis filia

filia temporis,& virtutis mater eſt habita; à Democrito verò è putei profundo ſublimata. *Veritas*,quam juxta D. Auguſtini confeſſionem, homines amant lucentem,oderunt redarguentem. *Veritas*, quam Ægyptiorum Iudicum Præſes, æquitatis tenaciſſimus, in imagine ex Sapphiro confectâ ſuper pectus geſtabat. *Veritas*, cui juxta Platonem ſummum bonum, ſicut lux ſoli, adhærere dicitur; nec affinius,aut familiarius quidquam eſſe Sapientiæ, quàm veritas. *Veritas*, quæ juxta Livium ſæpè quidem laborat, ſed verò nunquam extinguitur; quia *tandem bona cauſa triumphat*. *Veritas*,quæ juxta Ciceronem, multorum improbitate depreſſa emergit, & innocentiæ defenſione intercluſa reſpirat; quæve contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contráque fictas omnium inſidias, facilè ſe per ſeipſam defendit. *Veritas*, quam omnibus alijs ſplendoribus D. Auguſtinus incomparabiliter præfert: *Incomparabiliter pulchrior veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum. Pro iſta enim fortiùs noſtri Martyres adversùs hanc Sodomam, quàm pro illa mille Heroës adversùs Troiam dimicaverunt*. *Veritas*, quæ omnibus comunis, nec multitudine audientiū conſtipata ſecludit venientes,nec peragitur tempore, nec locis migrat, nec nocte interciditur, nec umbrâ intercluditur, nec corporis ſubjacet temperamento. *Veritas*, quam ſapiens Vates inſcripſit loco ſacratiſſimo, eâ parte veſtis Pontificiæ, ubi eſt principalis vis animæ, ut Sacerdotem & Iudicem hoc ornamento auguſtiorem efficiat. Hanc, inquam,tam ſanctam, tam pretioſam, tam præclaram, tam fortem & invincibilem *Veritatem* Iudex gerat in pectore, exhibeat in Tribunali, inquirat in partium cauſis, proferat cum ſententiæ deciſione; ut juxta allegata & probata ritè & rectè procedat, atque acutiſſimo ſuo ingenio, & eorum qui loquuntur, facundiam, & eorum quæ dicuntur, probabilitatem ac veriſimilitudinem miſſa faciens, ſenſa ipſa introſpicere, & utrinque expiſcando, veritatem extrahere queat. Si cæcus ſit Iudex, ſi luce indigeat ad videndum, duce ad procedendum, dicat cum Regio Pſalte, & aſcenſurus Tribunal dicat: *Emitte lucem tuam,& veritatem tuam: ipſa me deducent*, & introducent *in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.*

S. Auguſt. lib 10 Confeſſ. c. 23.

Ælianus l. 14. var hiſt. c. 34.

Plato de Republica l. 6.

Cicero orat. pro Cluentio.

S. Auguſtin. ep. 9. ad S. Hieron.

Philo lib. de Iudice.

Pſal. 42. v. 3.

Redeo tandem ad propoſitionem meam: redeo ad Gallinaceum ſub limine portæ ſeſe inclinantem, *NE IMPINGAT*, perorantem *UT MOVEAT*; quem tamen Germanicus Imperator ex naturali averſione nec audire poterat clamantem, nec intueri gradientem. Ego,quem nullus, ut Gallinaceum, *timor anxius urget*, vos peramicè obteſtor, Auditores; ſi vera locutus ſum vobis, *quis me arguet de peccato*? Si meas ſententias ratione & authoritate firmavi, *quis me arguet de peccato*? Si contra abominationem in Sæculi Tribunalia introductam ſine fuco, ſine reſpectu, in communi intonui, *quis me arguet de peccato*? Si nihil locutus ſum contra Magiſtratuum authoritatem, nihil contra Præſidum famam,ſed omnia pro Iuſtitia & æquitate, *quis me arguet de peccato*? Si generoſitatem requiro in viro, potentiam in Iudice, timorem DEI in judicio, veritatem in ſententiâ, *quis ex vobis arguet me de peccato*? Amen.

DOMINICA PALMARVM.

GALLINACEUS TRIUMPHANS,

Der ſighaffte Haußhann.

LEMMA.

Canunt noſtra de plebe triumphum. Claudianus.

THEMA.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS XXI.

Ad imitationem Salvatoris Triumphantis Judicibus plùs cordi eſſe debent Rei defenſio, quàm accuſatio: plùs abſolutio, quàm condemnatio: plùs Miſericordiæ exhibitio, quàm Juſtitiæ executio: plùs Clementia in diſſimulando, quàm ſeveritas in inquirendo.

185. Galli victi ſilent, canunt victores.

PAlladis caſſidi inſidet Gallinaceus, qui pugnax eſt avis: enimverò ſi Gallos Gallinaceos ſuis caveis emittam, quos anteà Græci datis in eſcam piperis granis reddiderant iracundiores, quid ijs bellicoſius in pugnis & duellis? Vt caput criſtatum, ut caudam erectam & falcatam gerunt, cùm in certamen progrediuntur, invicem provocantes? Acuunt calcaria pedum, quos iterum iterúmque terræ attentant, quaſi firmiter ſtaturi: concurrunt acriter; impellunt ſe invicem; roſtris impetunt & lancinant, *mori potiùs quàm cedere parati.* Tandem poſt cruentam luctam victor roſtro terram percutit, alis ſeſe verberat, & ſibi victori altâ ac glorioſâ voce triumphum cantat: qui verò victus fuerat, nec cantare audet, nec ſuum ampliùs erigere caput; ſed ex confuſione verecundus ſe abſcondit, ſuámque ignominiam ſilendo celat: contingit ſæpiùs ex pugnantium generoſitate, ut neuter alteri cedat, quouſque in loco certaminis corruat confectus. Experientiam hanc Plinius conteſtatur; quam firmiorem reddit Ciceronis authoritas, ſic dicentis: *Galli victi ſilere ſolent, canere victores.* Video Ieroſolymorum hodie plebem cum ramis palmarum occurrere Victori, & Triumphatori ſæculorum; audio concinere Hebræorum pueros: *Gloria, laus, & honor, tibi ſit Rex Chriſte Redemptor:* obſtupeſco feſtivam pompam, quâ cœli Dominus, ſedens ſuper vile jumentum, glorioſus ingreditur Ieroſolymam. O Regia Palæſtinæ Metropolis, antiquiſſima Progenitorum humanæ ſtirpis Patria: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus!* cui etiam ardentiſſimi affectus *canunt noſtra de plebe triumphum*, mortis Triumphatori. Ego nec victi Galli ſilentio inſolens, nec victoris cantu obmuteſcens, hoſce inter publicos aggratulantium plauſus, hujus ſæculi Iudices fortiter compello; ut & ipſi unacum Hebræo-

Plinius l. 10. c. 21. Cicero l. 2. de Divinat.

rum

Digitized by Google

ſuis pueris olivarum ramos ſternant in via Iudiciorum ſuorum, clementiam & manſvetudinem ſectentur; imitando manſvetiſſimum hunc Regem, qui olim venturus eſt univerſalis Iudex omnium viventium, ut in ſtaterâ Iuſtitiæ reddat *cuique mercedem* pro bono malóve opere. Hac ego manſvetudine Servatoris noſtri invitatus, obſervo hodiernas ejusdem actiones; quibus omnibus ita ſuam demonſtrat clementiam, ita miſericordiam cum Iuſtitiæ rigore temperat, ita ſecurè & cautè ſuper aſinam ſedens procedit, ut exinde dominetur iniquitati, vincat malitiam, & ſartam conſervet mortalium ſalutem. Si quis reſtat inter clamores triumphales, inter publicos plauſus, & cantus glorioſos ſilentio locus; concedatur auſcultationi, indulgeat peroranti.

186. *Ecce Rex tuus venit tibi manſvetus.* Varia eſt Doctorum diſtinctio inter Clementiam & Manſvetudinem; quarum omnium optimè placet D. Thomæ, quòd manſvetudo in ſuperiore ſit refrænatio internæ iræ, à qua ſuperior ad inferendam pœnam impellitur; Clementia verò ſit ipſiusmet externæ vindictæ moderatio. Cùm Conſtantinus urgeretur ad vindictam eorum, qui ſtatuam ejus lapidibus impetierant, ingereréntq; nonulli Aulici, caput ipſi confractum; reſpondiſſe placidiſſimè fertur: *At mihi caput integrum perſtat, nec ullum in fronte vulnus adverto; ſed & univerſa mihi facies ſana.* Vbi in repreſſione iræ ad tantam contumeliam, manſvetudo; in pœnæ verò debitæ remiſſione, apparet clementia. Nullibi tam arctè conjungi debent manſvetudo & clementia, quàm in Iudice, poteſtatem habente ſuper alios ſibi ſubditos ferendi ſententias, promulgandi leges, exequendi Iuſtitiæ ſanctiones: in hoc enim niſi compeſcatur immoderatæ iræ præſumptio, & exequendæ vindictæ appetitus coërceatur, atque intra Clementiæ cancellos conſtringatur; ſæviet ut urſus raptis catulis, qui clementiâ & manſvetudine deberet balare ut agnus.

Manſvetudo & Clementia à Christo docentur.

Obſervârunt ſacri Doctores, & maximè Theologorum ſummus Auguſtinus, Iesum magnum Pontificem & Eccleſiæ inſtitutorem, non commendaſſe Tribunalium Præſidibus ſuorum vel miraculorum, vel jejuniorum, vel orationum aut aliarum ſublimium virtutum, quas exercuit à Nativitatis tempore usque ad plagatæ mortis momentum, imitationem; ſed contentum ſe fore, ſi æmularentur ſuæ mentis humilitatem, & ſui ſermonis benignitatem. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo:* Attamen illa tam multa nihil ad vos pertinent; quoniam potentiæ tam univerſalis capaces non eſtis; neque hæc neceſſaria eſt ad regimen ſubditorum, aut ad litigantium compoſitionem: ſed potiùs *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Invecti his duabus alis, per omnem terram volabitis, in omnium animis regnabitis, & juſtitiam ſine perturbatione adminiſtrabitis. Et hanc clementiam, hanc animi manſvetudinem proſecutus eſt ſemper; usque dum poſt longam & difficillimam luctam, qua contra vindictam peccatis noſtris debitam, contra mortem ex radice pravitatis noſtræ promanantem decertabat, conſummavit omnia, ac velut Gallus victus in Cruce obmutuit: ita ut Sancta Romana Eccleſia huic Triumphatori vincenti peccatum, & victo à moderatione vindictæ æquiſſimæ, in Solennitate glorioſæ ipſius in cœlos Aſcenſionis cum plauſu accinat,

Quâ victus es Clementiâ,
Vt noſtra ferres crimina,
Mortem ſubires innocens,
A morte nos ut tolleres.

Matth. 11. v. 27.

Ib. v. 29.

Clementiſſimus Deus in omnibus ſuis proceſſibus, quos contra criminales cauſas humani generis inſtituit, eò ſemper connitebatur, ut judicium juſtum mitigaret ſuâ invincibili miſericordiâ. Quam quidem ſui proprietatem per Prophetam Michæam ita vult Tribunalibus appoſitam, ut miſericordiâ & Judicio fulciantur eorum baſes, ſubſiſtant epiſtylia: *Indica-* 187.

Deus miſericordiam & Iuſtitiam ſemper conjungit.

Mich. 6. v. 8.

dicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, & diligere miſericordiam. Nempe puniendi ſunt impij quodammodo coactè & repugnanter, ut miſericordia ſuperexaltet judicium, & clementia cum manſvetudine triumphet. Hæc mixtio juſtitiæ & miſericordiæ Dei figurabatur in Iride, thronum Dei cingente, & varijs coloribus

Apoc. 4. v. 1. picturante: *Et iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* Smaragdus ſuâ viriditate oculos mirè recreat, mentémque erigit tanquam Spei ſymbolum: ubi licet viridem ſolùm emicuiſſe in Iride colorem, putet Alcazar;

Alcazar.

meliùs tamen videtur alijs, omnes Iridis colores tunc rutilâſſe, ſed viridem præ reliquis eminuiſſe. Viegas,

Viegas.

clariſſimus interpres, in hoc variegato mirabilique arcu exiſtimat Dei „miſericordiam repræſentari. [Maxi„mè omnium, ait, literalis ea nobis „videtur expoſitio, ut per Iridem Di„vina nobis miſericordia deſignetur: „cùm Iris fœderis & clementiæ ſit „ſymbolum, qua undique Dei thro„nus ambitur; quia ubique, & omni„bus eam præſtat.] Ratio huius vobis duplex afferri poteſt: nam ſicut Iris variorum colorum, & quidem pulcherrimorum refert ſpeciem, ut dicat Poëta de illo, quòd

Mille trahit varios adverſo Sole colores; Ita Dei miſericordia multiplex eſt, eáque pulcherrima: ubi cæruleum licet agnoſcere in fide, quæ tota cœleſtis eſt: in ſpe, viridem; in charitate, rubicundum: intermedios colores in reliquis donis gratiarum, quæ Deus juſtis liberaliter impertit. Deinde ſicut Iris gerit ſpeciem arcûs adversùs cœlũ intenti; ita arcus noſter & arma ad Deum promerendum, & quodamodo vincendum, unâ Dei miſericordiâ continentur. Argumentũ explano ex illo Jacob promiſſo, aut potiùs donationis mortis causâ contractu, quem fecit ad Joſeph filium ſuum: *Do tibi*

Gen. 48. v. 22.

partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. Quisquis hæc audiviſſet enuntiari, concepiſſet utique de arcu, quo emittuntur ſagittæ in hoſtem, & in fugientes cervos eiaculantur. Sed verò per gladium & arcum Paraphraſtes Chaldæus divinam intellexit miſericordiam; per quam Deus orationem Jacob exaudivit; nam ita vertit locum: *Quam tuli de manu Amorrhæi oratione meâ, & deprecatione meâ.* Dicamus ad rem noſtram accommodatiùs; in colore viridi ac cæruleo Iridis, figurari miſericordiam; in rubicundo autem cæteriſque intermedijs, juſtitiam. Ac licèt Iris ſit ſignum fœderis, arcus tamen eſt, qui denotet facili ad terras inflexione, poſſe ipſam Divinæ Iræ ſagittas immittere, ut per Clementiam victa de pœnis irrogandis ſileat, ac de exequendâ vindictâ planè obmuteſcat. Nempe S. Hieronymo reſte: *Arcus ſignum eſt Clementiæ, & Teſtamenti DEI, quod fecit cum hominibus; ut quando apparuerit in nube, ſciamus, nos ſecundùm antiquitatis exemplum nequaquam perituros eſſe diluvio.* Vt rectè non nemo Iridi in roridâ nube à ſole poſt procellas & tempeſtates formatæ ſubſcripſerit: *MEDIIS PAX FVLGET IN ARMIS.*

S. Hieronym. in cap. 1. Ezechiel.

188\. Innumeras ſacræ Scripturæ ſententias transgredior, uno càlculo in rem noſtram collimantes; & pergo in vijs Domini, quæ, teſte Regio Pſalte, *univerſæ ſunt miſericordia, & veritas* judicij. Appoſitè Auguſtus Imperator dicebat: *Duo brachia Imperatoris ſunt miſericordia & Iuſtitia,* ut ſcilicet ſibi mutuũ præſtent auxilium. Ita percutit Deus, ut ſervet; ita ſervat, ut putredini non parcat; miſeretur pœnitentium & contritorum per Clementiam, obduratos in ſcelęribus & impœnitentes judicat ac confodit per Juſtitiam; ſicut apoſtema Chirurgus, quod fomentis ſanare & ſolvere haud poteſt. Vt & hæc omnia, & ſingulos Divinæ Juſtitiæ criminales proceſſus, profundâ admiratione penetrans exclamet Chryſoſtomus: *ſingula pœnarum ſpecies, benignitate plena ſunt.* Enimverò Adamus è paradiſo eijcitur; quid ſeverius? & tamen veſtes illi providet Deus; quid benignius? Terra germinat ſpinas & tribulos; quid juſtius? & tamen

Proceſſus Dei per miſericordiam & Iudicium; Pſ. 24. v. 10.

S. Chryſoſt. homil. 18. in Geneſ.

tamen eadem culta, fructus ac ſegetes profundit; quid ſuavius? Cain velut maledictus, à facie Dei eijcitur; quid terribilius? & tamen pœna interfectori ejus taxatur graviſſima; quid clementius? Aquarum eluvione ſtatuit Deus ob hominum peccata terram obruere; quid dignius? & tamen dat tempus pœnitentiæ centum annis; quid indulgentius? Vniverſam Pentapolim decernit cœleſti igne exurere; quid ardentius? & tamen per Angelos totam familiam Loth ſalvat, ac educit; quid amantius? Iſraëlitis de die ſuſpenſa nubes parabat refrigerium; quid miſericordius? ſceleratis de nocte ignea columna minabatur vindictam; quid juſtius? Pius IV. Pontifex Maximus in ſentario ſuæ gentis typo lauros, & virgas curavit appingi, adjecto hoc lemmate: *Pœna, & præmium*; indicans, à Deo victores eſſe laureâ coronandos, virgâ impios percutiendos. Hinc & ſcitè D. Baſilius commentatur, miſericordiam ſemper adſtare Divino Tribunali, ut mitiget Juſtitiæ rigorem, ſi fortè in exequendâ vindictâ æquum arriperet furorem. Sic loquitur S. Pater. [Si „per ſe judicium Dei ſatis eſſet, ac ſe„verè & præcisè pro meritis eorum, „quæ geſſimus, nobis rependeret, quæ „nobis ſpes reliqua eſſet? quis ex o„mnibus ſalvus fieret? Nunc autem „diligit miſericordiam & judicium, „velut aſſiſtrice ſibi conſtitutâ miſe„ricordiâ, & regio judicis prælatâ „& præſtitutâ Throno, ſi quemlibet „in judicium adducit. *Si iniquitates „obſervaveris Domine; Domine quis ſu„ſtinebit?* Neque enim miſericordia „ſine judicio, neque judicium ſine „miſericordia. Ante judicium miſe„ricordiam diligit, & poſt eam præ„rogatam ad judicium venit. Hæc „enim inter ſe conjuncta ſunt, miſeri„cordia cum judicio: ne miſericor„dia ſola ſupinitatem, & lentorem „animabus ingeneret; nève judicium, „ſi per ſe conſideretur, in eiſdem de„ſperationem operetur.]

S. Baſilius in Pſal. 32.

489. *Ecce, rex tuus venit tibi manſuetus*: Chriſtus, qui eſt verus Melchiſedech, Rex Juſtitiæ; ſed & idem Rex Salem, hoc eſt, pacis. Quid enim adeò decet Reges, quàm ut ſolium ſuum clementiâ & manſvetudine firment; & ubi Juſtitiam adminiſtrant, etiam miſericordiæ non ſint immemores. Auguſti Imperatoris apud Senecam auguſtiſſima vox eſt: *Pietate & Iuſtitiâ principes Dij fiunt.* Sed verò Xenophontis illuſtre ac pretioſum arbitrium: *Ego arbitror, Regibus & Principibus nullas eſſe opes pulchriores & honeſtiores, quàm virtutem & Iuſtitiam.* S. Auguſtinus ex Platone refert, tum demum Reges in beatis eſſe numerandos, ſi quod durè judicant, beneficijs & miſericordiâ compenſent; unde ipſis hoſtibus admirationi, & devotioni fiunt. Darius, Rex Perſarum ultimus, auditâ Alexandri erga uxorem ſuam miſericordiâ, elevatis in cœlum manibus dixiſſe fertur. *Dij Patrij, primum mihi ſtabilite regnum: deinde ſi de me jam tranſactum eſt, precor, ne quis potiùs Aſia Rex ſit, quàm iſte tam juſtus hoſtis, & miſericors victor.* Si quodlibet regnum ſit comparabile cœlo, producat ibi Rex duo luminaria magna, quorum unum præſit diei, alterum nocti. Miſericordiam ubi Solem eſſe dixeris, qui amænâ luce ſubjectos populos recreet, virtutibus, velut floribus, urbes veſtiat; cœleſti ardore cunctos afficiat. Juſtitiam verò eſſe Lunam, quæ in medijs ſcelerum tenebris lumen cœleſte effundat, ut tenebricoſi graſſatores internoſcantur, & deprehenſi ſecuras pietatis vias repetant. Solem & Lunam cætera virtutum aſtra conſequentur, ſicque regnum erit cœlum, in quo ipſemet ſibi complacebit Deus; & Rex tunc in ſuo principatu, vel imperio, velut quidam honorabitur Deus. Sopater ſuum germanum Fratrem Hemeterium pluribus inſtruit documentis de ratione bene adminiſtrandi Magiſtratum, & omnem ubique differentiam ad unam recti atque æqui rationem connectendi. Neque enim irâ in ſubditos utendum eſt, neque peccantibus inſtitutum ſuum ſine reprehenſione relinquendum: nam ira

Miſericordiæ & Iuſtitiæ mixtio Regibus eſt decora & neceſſaria.

Xenophon in Cyropedia.

S. Auguſtin. l. 5 civit. c. 25.

Sopater in Epiſt.

iracundia, principem ab inſanis nihil differre, ſignum eſt; hoc verò facilitatem ad peccandum in ſubditis gignit. *Prabe teipſum*, inquit, *& clementem, & malis infenſum: lentè quidem puniendo, clementiam; malis autem indignando, improbitatis odium prateferens: ut hoc quidem, fugienda eſſe mala; illud autem, non minùs implacabilem ijs, qui peccaverunt, eſſe fortunam, documento ſit.* Rectè quidam, Elephantem magnum inter parva pecora placidè paſcentem videns, conſideravit feliciſſimum ſtatum Principis, clementem ſeſe erga ſubjectos populos exhibentis, cum additâ ſubſcriptione: *REGNI CLEMENTIA CVSTOS.* Ad quem ſenſum Juſtus Lipſius in quadam diſſertatione appoſitè adducit Senecam ſic loquentem: *Illius Principis magnitudo ſtabilis, fundatáque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe, ſciunt: cujus curam excubare pro ſalute ſingulorum, atque univerſorum, quotidie experiuntur. Quo procedente non, tanquam malum aliquod aut noxium animal è cubili proſilierit, diffugiunt, ſed tanquam ad clarum & beneficum ſidus advolant.*

Lipſius diſſert. ad Albertum.

190. In gratiam Regum Regis, qui hodie totus manſvetus, clemens & miſericors, ſuper aſinam ſedens intravit cum plauſu publico Palæſtinæ Metropolim; abs re non erit, illud Tribunal erigere, quod Ferdinandus Mendeſius Pinto refert auguſtiſſimum ſe vidiſſe in palatio Præſidis Sinenſis, quem Chaem vocant. Hujus ad dexteram ſtabat decem circiter annorum puer, terſo denſóque veſtitus ſerico, cui Phrygio opere inſperſæ rutilabant aureæ roſæ: collum triplici unionum monili cingebatur: longo fœminarum in morem capitilitio; quod aurea fibula, & intortum bombycinum colligabat, atque amiculum margaritis dives exornabat: ſandalia erant aurea, unionibus plurimis decora: manu ramum prætendebat, ſerico, filo aureo, & lapillis pretioſis implexum; cubito innitebatur Præſidis cathedræ. Atque hoc puero comico *Miſericordiam* exprimebant. Alter ad ſiniſtram ſtabat, ſimili propè veſtitu: brachium dextrum liquato minio usque ad cubitum rubeſcebat; manúsque ſtrictum gladium, & veluti ſanguine ſtillantem oſtentabat: caput coronâ in modum mitræ efformatâ, & exiguis novaculis, quæ ſcalpellis chyrurgicis non erant abſimiles, ſuccinctâ, decorum. Et hic puer *Iuſtitiam* ornatu ſuo referebat. Sinæ enim dicunt, Judicem locum tenentem regis, qui DEI Imago eſt, juſtitiâ & miſericordiâ uti debere; niſi Tyranni, non Judicis prædicatum ſortiri velit. Sic nempe Sinæ miſericordiæ cum Juſtitia connexionem in Judice repræſentant. Ponamus hanc Sedem (ſive Thronum, ſive Tribunal malueritis appellitare) Regi noſtro manſveto, & à clementiâ victo; ut in ſilentio ſedeat, & auſcultet, qua potiori ratione ejusdem actionibus Pueri Hebræorum, aut certè Viri Gentilium, *canant noſtra de plebe triumphum.*

Regum Sinenſium thronum quâ ratione cultus?

Ferd. Mend. in Itinerario. c. 103.

Duas enim ex Evangelico contextu obſervo actiones: unam, quæ præcedebat univerſalem plauſum, exhibitum in ingreſſu Jeroſolymitano glorioſo Triumphatori mortis: alteram, quæ ſequebatur poſt finitum plauſum in atrijs Templi. Prima actio conſiſtit in abſolutione; altera in condemnatione, ſed & terrificâ executione. Prima ex hodierno Evangelio aperitur: *Tunc miſit IESVS duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea; ſolvite, & adducite mihi.* In eodem capite, immediatè poſt abſolutum ſolenniſſimum triumphum, *Intravit JESVS in templum DEI, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo; & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.* Hæc poſterior manifeſta eſt vindicatio, ſeu punitio exceſſuum, ex motivo Juſtitiæ. Illa verò prior eſt ſymbolizata abſolutio animæ peccatricis, per aſinam alligatam ſignificatæ; & quidem ex motivo miſericordiæ: dum enim præcipit JESUS, *ſolvite & adducite mihi*, ait Gloſſa Interlinearis: *Solvite à peccatis.* Dionyſius Carthuſianus legit: *abſolvite à vinculis*

Duas actiones Chriſti appoſitè ventilare.

Matth. 21. v. 2.

Ibid. v. 12.

Gloſſa. Dion. Carth.

Orig. *culis errarum,& peccati.* Origenes addit: *Aſcendens cælum juſſit diſcipulis,ut ſolverent peccatores, dans eis Spiritum S.* Nimirum triumphum ſuum aſſociatum eſſe voluit liberatione,& abſolutione animatum ligatarum à vinculis peccatorum; ad denotandum, nobis,quòd in eo victoriam,trophæa, & triumphos ſuos habeat repoſitos, in quo peccatoribus eorum remittit culpas,& condonat. Vbi proinde Apoſtolus quærit: *Vbi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum eſt. DEO autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum IESVM Chriſtum.* Hanc enim victoriam,id eſt,virtutem ſuperandi mortem peccati, per Chriſtum,& pretioſiſſimum ejus effuſum ſanguinem obtinuimus. Sit nobis hæc actio ſolvendi prior tempore,potior jure,cui feſtivum *canant noſtra de plebe triumphum.*

1. Corinth. 15. v. 56.

191. Sapientum ſententiæ in favorem Iuſtitiæ rigoroſæ.

Jam id in quæſtionem adducamus, quid potiùs competat Judici; an plùs ei debeat eſſe cordi *Rei defenſio*, quàm ejusdem *accuſatio*? plùs Rei *abſolutio*, quàm ejusdem *condemnatio*? plùs *Miſericordiæ* exhibitio, quàm *Iuſtitiæ* executio? plùs in diſſimulando *Clementia*,quàm *Severitas* in inquirendo? Si quidem Sapientum ſententiæ audiantur, eximiæ illæ ſunt, & proutraque parte in claſſes diviſæ. Pro Juſtitiæ rigore,ac rei denuntiati condemnatione certant, qui leges & jura indiſpenſabili calculo metiuntur. Collegio Sapientum auſcultate; quorum ſenior Pythagoras inquit: *Qui de malis pœnas non ſumunt, bonos affici volunt injurijs.* Plutarchus ſua volumina producit,in quibus libro ad imperitum ducem: *Tot*, ait, *tantorúmque bonorum, quæ Dij largiuntur, nullus eſt fructus, aut uſus rectus, ſine lege, jure,& principe. Jus finis eſt legis: Principis opus lex: Princeps autem Imago DEI, cuncta adminiſtrantis & exornantis in mundo.* Lyſias, prætorum expertiſſimus, dicit: *Iudices eâdem mente præditos eſſe, quâ Legiſlatores.* Platonis gnoma: *Maximi criminis pœnas dare, à malitia liberari eſt; facit enim modeſtiores, juſtioréſque ipſa pœna,& improbitatis medicina eſt.* Chæremonis effatum: *Sapientum virorum eſt, diligenter & rectè judicare.* Hyperidis cautela: *Incipientibus malis obſtruenda eſt via; cùm enim ſemel radices egerit, & inveterata fuerit malitia, tanquam congenita ægritudo difficilis extinctu eſt.* Antiphon ſic intonat: *Si peccandum ſit, injuſtè reum abſolvere, quàm injuſtè perdere, meliùs fuerit: illud enim quidem peccatum eſt, hoc autem impietas.* Euſebij inſtructio: *Inter inimicos judex conſtitutus, jus examina, & ſententiam ad ejus momentum inclina; Iuſtitia enim,& præfectus ei genius, digniores ſunt, majoriſque haberi merentur, quàm ut inimicitia gratificeris.* Bias damnaturus ad mortem, lachrymatus eſt. Et cùm dixiſſet quidam: quid eſt, quòd fleas, cùm penes te ſit condemnare hominem? Reſpondit: *Quia neceſſarium eſt, natura affectum legi ſuffragium reddere.* Vt cæteros mittam.

192. Studium miſericordiæ præfertur Iuſtitiæ.

Mitiùs ſentit altera Claſſis, ideóque plauſibiliùs ſubſcribit Clementiæ; docendo Principes, Prælatos, Magiſtratus & Judices, ſtudium miſericordiæ & benignitatis exercendæ; nam conclamata eſt totius Humanitatis ſententia: *Vbi ſummum Ius, ibi ſumma injuria.* Architas Pythagoreus hic prodit, & paucis complectitur multa. *Oportet*, inquit, *verum Principem non rectè tantùm imperare ſcire ac poſſe, ſed etiam humaniter: turpè enim fuerit, paſtorem oves odiſſe, & pecoribus ſuis infenſum eſſe.* Sopater inter alias inſtructiones, quas Hemeterio fratri ſuo ad regendos ſubditos evecto præſcripſerat, etiam ſubſequenti, noſtro ſuffragatur propoſito.[Impetandi modum
„ſingulorum moribus decenter accomodato, cum probis moderatè, cum
„ſupinis vehementiùs, cum audacibus
„acerbè, cum cautioribus denique le-
„niter agens. Oportet, à peccatis at-
„cete per neceſſitatem ſuadelæ con-
„junctam; his verò, qui deliquerunt,
„moderatam Juſtitiæ caſtigationem
„inferre, ita ut parva quidem & vulga-
„ria peccata diſſimulentur: nec enim
„conducit, & quælibet, & omnia ſim-
„pliciter punire, neq; cognoſcentem
„negligere. Quia verò jam ingrave-
„ſcunt, ijs cura ſecundùm leges ad-
„hibeatur.] Cicero efficaciſſimè pro Ligu-

Architas lib. de lege & juſt.

Sopater citatus.

Cicero in orat. pro Ligario.

Ligurio ſic loquitur: *Nec ullâ re propiùs homines ad DEVM accedunt, quàm ſalute hominibus dandâ.* Philippus Macedo dicere quod ſolebat, etiam noſtro ſe accommodat conſilio; ſcilicet, *oportere Regem meminiſſe, hominum è numero ſe eſſe, ac per miſericordiam fieri ſimilem DEO.* Innumerus futurus eſſem, ſi vel ſacræ Scripturæ Canones, vel SS. Patrum potentiſsima placita afferrem; quibus omnibus *Miſericordia ſuperexaltat Iudicium*, Clementia anteponitur rigori; & priùs commendatur Rei defenſio, quàm accuſatio; ejus abſolutio, quàm condemnatio. Quando & hodie Chriſto placuit priùs ſolvere, quàm condemnare: ut potiùs ipſi debeatur triumphi plauſus ob Clementiam, utpote *cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere*; quàm ob rigoris acrimoniam, ad quam non niſi ab extrinſecâ gravium peccatorum violentiâ incitatur.

Franc. Patrit. Senenſis lib. de regno.

Iacob. 2. v. 13.

193. Jam verò quid eſt aliud, ſolvere aſinam alligatam, quàm denuntiatis, vel etiam in vincula conjectis, dare libertatem, ut poſsint ſe defendere & purgare. Hæc eſt una ratio comprobandi axioma Philoſophi, qui aſſerit, eas pœnas admitti ut juſtiſſimas, quas cogente ratione, ij qui plectuntur, accipiunt, & collaudant populi: *Scias, ea demum fulmina eſſe juſtiſſima, quæ etiam percuſſi colunt.* Ad eum cultum, tam honeſtum judicantibus, nunquam ſe damnati ſubijcient, niſi & plenè audiantur, & amicè, dum ſe purgant à crimine. *Galli victi ſilere ſolent, canere victores.* Quemadmodum bono publico foret offenſiſsimus, qui erectis noxijs violentarum commendationum, aut iniquarum defenſionum aggeribus, placidum cohiberet Juſtitiæ curſum; cùm Orbis Chriſtianus nec frui poſsit pace, nec publicâ ſecuritate ſuos motus agere, niſi facinoroſis erigantur cataſtę, ponantur furcę, & delinquentes alligentur vinculis. Ita probaretur innocentiæ hoſtis, cui grave eſſet, audire captivorum defenſiones; qui perturbaretur, cùm adverteret, aut non probari allata in judicium crimina, aut accuſationes falſas poſt examẽ manifeſtari. Tunc enim inſidioſæ forent viæ, itinera latronibus clauſa, maria obſeſſa prædonibus; maderet Orbis fuſo ſanguine; in multiplices pugnas diſperſâ terra gemiſceret; ſpectacula vel cruenta, vel turpia impunè exhiberentur: valerent libidinum probra, vel lupanaribus proſtituta, vel domeſticis parietibus obſepta; quorum quò ſecretior culpa, eò major eſt audacia. Tunc calamitoſa Herodis revolverentur tempora, qui, Hegeſippo teſte, lætabatur, cùm in carceris tabulis duorum filiorum nomina legebat, quibus erat infenſior, ut hæredem Diadematis diceret ſibi ex ſecundo matrimonio progenitum. Idem mœrore afficiebatur, ſi adverteret poſtea, argumentis diffluentibus crimen evaneſcere; ita ut nullus Procerum mutire auderet contra manifeſtum dolum, & exitioſum regis odium, domeſticum ſanguinem ſitientis: qui quidem in convocato Judicum conſilio, ad diſceptandam miſerorum adoleſcentiũ causã, per impiam ſimulationẽ affirmabat, ſe ita juſtitiam flagitare, ut pariter reis nocere nollet, ſi non eſſent noxij, nec flagitium condonare, ſi eſſent impij; jactans potiùs ſe æquum judicem, quàm clementem aut miſericordem patrem. Et ſic *nemo diſcutiebat, nemo examinare audebat, quod à Patre arguebatur, à Rege imperabatur. Præjudicabat pietatis ſpecies, terrebat jus poteſtatis, interrogabat ſententias ſecurus victoria.* Tunc Decij, tunc Valeriani, aut Galieni, Chriſtianum nomen perſequentium, crudelia redirent ſęcula, ſi lectiſſima Chriſti portio, Sacerdotes, Antiſtites, Religioſi, eò quòd pro Sanctuarij indemnitate generosè ſtarent, procul à Gregibus divinitùs cõcreditis extorres facti, pro ſe dicendi facultatẽ non obtinerent, ac ne noxarũ quidẽ, quarũ inſimulantur, juſtâ defenſione potirentur. *Flumen eſt, ubi cum poteſtate habitat iracundia*, dicebat Narbodus apud Hildebertum. Ipſe Spiritus Sanctus per Siracidem, judicij proceſſum violentum, rapidum & truculentiæ plenum, *ictum fluvij* nominavit. Et congruentiſſimè profectò: ſunt enim Tribunaliũ Præſides adeò impotentis

Clementia maximè exhibenda Reo audiendo, & legitimè defendendo.

De conſol. ad Polyb.

Hegeſippus l. 1. de Excid. urbis

Narbodus Ep. 80.

Eccli. 40. v. 16.

ſubin-

ſubinde dominatûs, ſunt tam vehementis ferociæ, ut cum fluvij incitatiſſimi impetu, quo vehementiſſimus labitur, componi meritò poſſint. Nimirum ſicut fluvius præceps & rapidus omnia ſternit, & nullo diſcrimine læta ſata ac ſegetes, in quas incurrit, vel prata ridentia, amœnos hortos, palatia, & quidquid denique lectum, dominisve charum dixeris, evertit, & cæco abripit impetu; ſic iſti effrænes nullo delectu æquant, & in idem commune excidium convoluunt omnia. Sicut ictus fluvij non plùs ſubingreſſum improvidè Fridericum Auguſtum reveritus eſt, quominus eum perderet, quàm ſi vilis lixa, vel unus quiſpiam ex infima calonum fœce, eius violentiæ atque ferociæ fuiſſet permiſſus. Id ipſum præſtat Judiciorum corruptela, damnandi non convictos, nec debitè auditos, nec legitimè aut ſufficienter defenſos: tunc jura famæ, fortunarum commoda, mentis tranquillitas, propinquorum familiaritas, vitæ pretium, ſoſpitatis emolumentum, & quidquid bonorũ numerare poteſt reus, improbo & exceco impetu conglomerantur, atque ad infimum exterminium deprimuntur. Quanquam & ipſa *fluminis* ratio in cognitionem clementiæ deberet Principes, & Magiſtratus adducere. Nam multa flumina dum ſeſe in mare exonerant, longo tractu retinent ſimul & colorem & ſaporem ſuum nativum; quouſque tandem fluctibus amari maris ſuperata, congenitam dulcedinẽ dimittere cogantur. Sic ergo fluvius dulcis in maris amaritudinem expulſus, bene notatur: *IN AMARO DVLCIS.* Liquidum Clementiæ ſymbolum in Magiſtratu, ſupplicia delictis debita cum profuſione ſuæ gratiæ mitigante. Certè Baſilius Imperator ſolebat dicere: *Natura humana valde ad labendum eſt proclivis, & ad cadendum prona. Eſto ergo errantibus lenis, & juſtitia admiſce humanitatem.*

Neque eſt, quòd putet ſe quiſquam in ſua dominari Provincia, aut in Legatione præſidere, aut in Tribunali ſanum conſiſtere, diverſum ab hiſce monſtris eruentis, & odioſis tyrannis; qui quidem admitteret ad audientiã reorum patronos, & datâ dicendi facultate auſcultaret; ſed verò vel cum riſu ironico, vel obductis ſupercilijs ac fronte rugoſâ, vel ſevero vultu, oculisve converſis ad tecti laquearia, & ad artificioſa ſcrinia corporis habitum diſponeret. Etiam qui tali pacto audiret innocentium defenſores, juſtitiam irrideret, non adminiſtraret; & tandem contra DEI leges, contra jus Naturæ & Gentium, contra poſitivas Legiſlatorum æquiſſimorum conſtitutiones, condemnaret inauditum, nec legitimè convictum, nec iuridicè defenſum. Et ut dicam, quod veriſſimum eſt: qui Chriſto non aſſimilatur in purgationibus benevolè auſcultandis, nec in ſolvendis reorum compedibus, nec in adducendis ligatis; ſimilis fiat Herodi, cæterisque nefandi imitatoribus Tyranni, qui inimici veritatis, ſitientes ſanguinem, & alienarum cupidi facultatum, mundi Tribunalia in aperta converrunt latronum proſtibula. *Gemitus Columba Regnandi.*

Pauliſper ampliùs digreſſus, quàm ſtatueram, ad Clementiſsimum meum Dominum Regémque manſvetiſsimum me reflecto, qui tum demum feſtivos Hebraicæ plebis ſuſcepit applauſus, quando ſuper ſolutam, & ſuis vinculis expeditam aſinam ſedens, ingreſſus eſt Jeroſolymam. *Ecce Rex tuus venit tibi manſvetus!* Et tu, ô Princeps, ô Magiſtratus, ô Judex, manſveto triumphum canes, ſi immutabilem animi ſtatum in omni bonorum & contumeliarum fortunâ conſervaveris, & illiſos æſtuantis iræ fluctus velut immora rupes diſſolveris, confregeriſque; ſieque adeò clementiâ tuum thronum, tuúmve Tribunal firmaveris. Sed & Ipſe olim in cœleſtem Civitatem mirabiliter te deducet victorem dexterâ ſuâ, inter partium à te ſanctè & legitimè iudicatarum encomia laudis feſtiva, *Propter veritatem, & manſvetudinem, & Juſtitiam.* *Pſal. 44. v. 5.*

Amen.

COENÆ DOMINI.

GALLUS GALLINACEVS DEPILATVS.

Der gerupffte Haußhann.

LEMMA.

- - - *Scelus ſcis te patràſſe nefandum*. Remaclus.

THEMA.

Nunc Iudicium eſt mundi. Ioan. 12. v. 31.

SYNOPSIS CONCIONIS XXII.

Coram Tiberio Cæſare, cæteriſque conſcriptis Romani Senatûs Patribus, gravi oratione perſtringuntur Proceſſus, Judicium, & Sententia iniquiſsima à Pontio PILATO Palæſtinæ Præfecto lata, & executioni mandata contra IESUM CHRISTUM, magnum Prophetam in Iſraël.

194. Gallinacei deplumatio de Pilato energicè applicatur. SI unquam per tot Quadrageſimales orationes veridicus noſter Gallinaceus contra Tribunalium & Judiciorum corruptelas fortiter exclamavit; hodie vel maximè exclamandum & intonandum ei reſtat, qui validiſſimo ſuo cantu venenatiſſimos Baſiliſcos enecat, & invictiſſimos leones præ terrore faciat contremiſcere; ut Mundum profundâ ingratitudine ſopitum ad recollectionis vigilias excitet, & adeſſe nũtiet illam iniquitatis horam; quâ *aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus. Convenerunt enim verè* (ut cum diſcipulis Domini loquar, poſt lethales Judæorum minas ad orationem collectis) *in civitate iſta Jeruſalem adversùs ſanctum puerum tuum IESVM, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cum Gentibus & populis Iſraël, facere quæ manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri.* Adverto, ad illud momentum ſalutis noſtræ negotium devolvi, quo verificetur ardentiſſimum Salvatoris mei vaticinium: *Nunc judicium eſt mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Quodnam ergo hoc Judicium? Reſpondet devotiſſimus Rupertus Abbas: *Vtique præſens paſſio ipſius, qui hæc loquitur, Domini noſtri IESV Chriſti, judicium eſt mundi.* Ah! depravatum Tribunal, iniquum judicium! Totus proceſſus crudelitate inſtructus, ſpirat injurias & calumnias, ſitit ſanguinem, meditatur plagas & vulnera! Vbi nullus Advocatus patrocinatur Iuſto, ubi Innocentia ad turpiſſimam condemnatur mortem, ubi eliminato æquitatis ordine ad cædes armata ſqualleт iniquitas; ego Apologeticus contra Tribunalium corruptelas Orator Gallinaceum noſtrum non ita ſuis plumis depilem, ut vobis & deplumatus appareat, & de *Pilatus*? Ego non loquar potenter contra Pontium Pilatum, natione *Gallum*, patriâ Lugdunenſem, Judicem Romanum,

Act. 4. v. 27.

Rupertus ſuper Ioan.

Judææ

Judææ Præſidem, ſceleris nefandi Patratorem? Ego non ſim juſtiſſimæ cauſæ patronus, innocentiſſimi clientis advocatus, ſanctiſſimi Jesu defenſor? Ego contra turbatiſſimum proceſſum, & nefariam mortis ſententiam, ad ſupremum magnæ Themidis Tribunal non appellem? *Depilabo* certè *Pilatum*, &, ſi Gallus eſt Gallinaceus, ita *deplumabo*, ut nuda omnibus appareat patrati ſceleris veritas: & tametſi poſt factum non proſit conſilium, innocentiam tamen tuebor acriter, & inviolatam Orbi demonſtrabo, ad æquiſſimam condemnationem ferentis ſententiam. Sed verò ubi flagrantem agam cauſam meam? coram quo Tribunali legitimè conceptam appellationem exponam? Omninò properandum eſt Romam, ut coram Tiberio invictiſſimo Cæſare, cæteriſque Romani Senatûs conſcriptis Patribus, me ſiſtam pro juſtiſſimâ causâ mei Jesu, magni Prophetæ & Filij Altiſſimi, contra ſententiam iniquiſſimè latam à Pontio Pilato, Romano Palæſtinæ Præfecto. Ad tantam operis molem, Juriſque tuendi propoſitum, veſtram, ornatiſſimi Auditores, imploro aſſiſtentiam; ut &, ſi opus fuerit, teſtimonium exhibeatis veritati; & mihi coram Cæſare peroranti animum vireſque addatis, ſi quo modo fortè coram tanta Romani Imperij Majeſtate conciderent.

195. Appellatio ad Tiberium Cæſarem contra Pilatum. Ingreſſus Curiam Romanam, & poſitus coram throno invictiſſimi Tiberij Cæſaris, conſiſtens ante Tribunal ſapientiſſimorum *Patrum* in Senatu *conſcriptorum*, priuſquàm dicere exordior, robur animi dimitto tremebundus. Quanta etenim Majeſtas reſplendet ex illa Vrbe, quæ per divitias, ſapientiam, artes, arma, & in agendis maximis rebus dexteritatem *caput Orbis* evaſit? Ex illo Senatu, qui ſuæ dominationis ſceptra Europæ, Aſiæ, Africæque, venerabundo oſculo honoranda porrexit? Potentiſſime Imperij Domitor, tametſi veſtra Cæſarea Majeſtas terrifico ſuo aſpectu mihi linguam exanimet, & intenta propoſitionis elocutionem ſuffocet; ejuſdem tamen Clementia, vaſtiſſimo Orbi celebratiſſima, collapſam erigit tremefacto mentem, ut pro neceſſitate dicam, quæ cauſæ aſſumptæ æquitas poſtulaverit. Appello equidem ad Tribunal veſtræ Majeſtatis; appello contra Pontium Pilatum, natione Gallum, patriâ Lugdunenſem, conſtitutum à vobis Præſidem ſuper populoſos Regni Judææ terminos; quos Majorum veſtrorum victricia arma Romão Imperio ſubjugaverant. Is cùm ideò in Judæam eſſet expeditus, ut jura cuivis illæſa conſervaret, & pro reputandâ famâ Cæſareæ veſtræ Majeſtatis, totiúſque Senatûs Romani, ſeſe ſtrenuum exhiberet, in ferendâ quâdam capitis ſententiâ enormiter deliquit, & tali quidem temporis circumſtantiâ, quo in regia Jeroſolymorum Metropoli ad Paſchale Judæorum feſtum, tam de alienigenis, quàm de indigenis, ultra trecenta millia hominum confluxerant; ut proinde patratum facinus ad gravem infamiam Romanæ Juſtitiæ per omnes Mundi plagas fuerit divulgatum.

Speciem facti hoc brevi compendio expono, qua par eſt, ſubmiſſione, & reverentiâ. Jesus Propheta à Nazareth, communi opinione habitus pro filio Fabri lignorum, operabatur inaudita miracula per Galilæam, & Judæam. Ex omni ejus actione Divinum quidpiam elucebat; nec poterat aliquis laudabilem ejus converſationem improbare, aut doctrinam de veritate ſuſpectam reddere: & ideo ab omni populo celebrabatur fama ejus, qui derelictis ædibus ac oppidis ſuis turmatim ſequebatur eum, ad audiendam doctrinam, & excipienda miracula ejus. Sed verò tantam virtutem ſequebatur invidia comes; quæ Sacerdotum Ordinem, Phariſæorúmque ſectam, & populi Primates contra ipſum malè concitaverat; cùm enim ſibi lividè perſvaſiſſent, huius famâ ſuis derogari juribus, multâ callíditate inſidiati ſunt illi; uſque dum proditione cuiuſdam perfidi diſcipuli triginta argenteis emptum, opportunâ turbulentiâ apprehende- 196. Epitome Paſſionis Chriſti.

 runt,

runt, & intempeſtâ nocte crudeliter ad Tribunalia ſummorum Synagogæ Pontificum detulerunt, accuſantes eum Annæ & Caiphæ, duobus practicatæ malitiæ veteranis capitibus. Vnanimiter per fas nefásque conſpiraverant, ut captivum Prophetam morti traderent, ac Crucis ſententiæ adjudicarent: ſed verò hoc ſanguinis condemnandi jure privati, ut conceptum explerent furorem, ſummo mane ad Romani Præſidis Prætorium importuniſſimi concurrerunt. Interrogati proinde à veſtro Præſide Pilato, quamnam accuſationem adferrent *adversùs hominem hunc*? In tribus eum potiſſimè punctis denuntiârunt reum; quæ quàm difficulter fuerant probanda, tam effronter probationis periculo ſubmiſerant. Primò denuntiabant, quòd JESUS Nazarenus populum Hebræorum ſuâ doctrinâ depravârit, & ad rebelles commotiones incitaverit. Secundò, quòd prohibuerit, tributum dari Cæſari. Tertiò, quòd ſeſe pro Filio DEI, & promiſſo in Lege Meſſiâ, reverendum expoſuerit. Et licèt Præſes pro ſuo munere multùm conaretur, probationum ſubſiſtentiam penetrare; haud aliud tamen in rei veritate comperit, quàm quòd nec Actores ſuis probationibus ullatenus ſubſiſterent, nec Reus de ullo crimine legitimè convictus ad propriæ confeſſionis ſupplementum ſe inclinaret. Queîs tamen haud obſtantibus, Romani Tribunalis Præſes, poſt longas & inutiles verborum concertationes, minis & promiſſis territus, Actorum importunitati improbitatique detulit; & ad eorum placitum, juxta allegata nullo modo probata, virum innocentem non tantùm virgis inhumaniſsimè caſtigavit, ſed totaliter etiam nefariæ eorum voluntati tradidit: iniquiſsimam proinde mortis ſententiam promulgavit, & ad infame Crucis ſupplicium hunc meũ Clientem crudeliſsimè condemnavit.

197. Accuſationes contra Chriſtum

Hactenus facti diſputandi ſeries; quam liquido verborum apparatu breviter, & fideliter expoſui cognoſcendam. Vos æquiſsimos Judices, Patrésque conſcriptos dum compello, (Fortiter refutantur.) veſtrorum Numinum ſimulacra, quæ in magnifico hujus Curiæ Palatio copiosè conſita pro Dijs immortalibus colitis, ita diſpoſita adverto, ut allatas Actorum accuſationes primò enervare, deinde contra cæcum aut malignum Judicis proceſſum me totum conſurgere atque invehere præcipiant. Audite cœli, & obſtupeſcite! Penſate, ô magni magnæ Themidis Miniſtri, accuſationem gravem, quam grandævus quidam Actorum Antiſtes, velut tertius de cœlo Cato, elato vocis clamore coram Romani Prætoris Tribunali audacter profudit: *Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram.* (Lucæ 23. v. 2.) Facinus utique horrendum, ſi actor in probando haud defecerit! Itáne verò Hebræorum gentem ſubvertit, qui tot fatales eorum hoſtes usque ad internecionẽ extinxit, præſertim verò Ægyptiorum Tyrannũ unacũ exercitu ſuo mari rubro ſubmerſit? Itáne verò fuit ſcandalum in Iſraël, qui Iſraëlem fugientem ſicco pedum veſtigio per conſiſtentes undas maris, & anguſtas deſerti vias, ſicut oves, deduxit in Terram lacte & melle fluentem? Itáne verò conturbavit Judæos, qui olim per Angelum eorum Duci in fumigante Sina tradidit Legem; & nuper per vicos ac plateas reſtituit infirmos, ignorantes docuit, mortuos ſuſcitavit, ad virtutem & ſanctitatem fortiter omnes inſtruxit? Qui ut omnes vel in ſuo contineret officio, vel ad illud redigeret, diu noctúque non quievit, evangelizando per Galilæam & Judæam? Judicate, Patres conſcripti, an colligere plebem ſit conturbare, an convertere ſit ſubvertere, an ædificare ſit deſtruere? Nec altera ſubſiſtit accuſatio, quam potens Sacerdotum Archipræpoſitus coram Præſidis Tribunali produxit: *Invenimus*, loco omnium inquit, *hunc prohibentem tributa dare Cæſari.* (Ibidem.) In condemnationem mei Clientis vobiſcum totus exardeſcerem, ſi vel minima veritatis umbra adhæreat denuntianti. Obteſtor Romanæ Curiæ

in

In Galilæâ & Iudæâ Officiales, ut candidè profiteantur, an condemnatus quidpiam inſolentiæ contra tributariam Cæſaris legem tentârit? Quinimò tentabatur ab æmulis, doloſè eum interrogantibus, an liceat, deceâtque tributum dare Cæſari? Ille verò denarium ſibi adferri juſſerat; quo exhibito, & bene conſiderato petebat, *cujus ſit hæc Imago?* Cùm verò reponerent, eſſe Cæſaris; protinus decidit ſententiam: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt DEI, DEO.* (Matth. 22. ver. 21.) Aliâ vice cùm ab eo exigeretur didrachma, & ob paupertatis neceſſitudinem non haberet, unde præſtaret; hamum mitti juſſit in mare prope Capharnaum, & occurrentem extrahi piſcem, ex cujus viſceribus protractum ſtaterem exactori Cæſareo ſolveret. Iudicate, an non Actor in probando deficiat, & manifeſtâ contra Clientem laboret calumniâ? Succedit tertius, magnus legis zelator, Sacerdotum Mandrita, qui graviſſimam producit querelam, quaſi condemnatus meus Cliens regem ſe fecerit Hebræorum, ac jura regia iniquiſſimè uſurpaverit; ſicque adeò peſſimâ fide invaſerit Cæſareæ Majeſtatis in Iudæa Thronum, ad graviſſimum præjudicium Romani Dominij. O plene omni dolo, quid falſitatis effutis contra illum, cui totius Plebis ſuffragatur teſtimonium? quæ cùm propter incomparabiles ipſius dotes, & admirabilem converſationem, ſanctámque prædicationem eum vellet evehere, & proclamare in regem; tantùm obtinere trinâ vice haud potuit, quin ſe eorum zeloſæ commotioni clàm ſubtraheret, & regij Nominis ſplendore longè abalienaret. Confitebatur quidem veſtro Præſidi, ſe eſſe regem; at verò non eſſe ſe regem de hoc terreſtri regno, ſed regem alicujus cœleſtis regni, cujus notitia ad veſtram Curiam hactenus non penetravit. Et verò ſi rex fuiſſet de hoc Mundo, an non ſtipatorum exercitus, ac regiæ Aulæ apparatus, eum è vinculis ac infami captivitate potentiſſimè ſubripuiſſent? Nihil ergo ſive contra publicam Populi tranquillitatem, ſive contra Cæſaream Majeſtatem, ſive contra municipalia Iura peccavit IESUS, quem falsò & iniquè accusârunt Sacerdotum cohortes, ac turbæ Seniorum. Nec interim inficias ibo, quin revera ſe Filium DEI eſſe dixerit, prout erat. Et quis prudentum virorum de hoc dubitaret? utpote quòd tot, & tanta patrârit miracula: quæ, cùm longiſſimè omnem naturalis ordinis ſuperent conditionem, haud alium ſibi auſpicabantur Authorem, quàm Divinum, & quidem verè DEI Filium. Palinodiam certè ipſi accuſatores cecinerant, quando ſub morientis in Cruce momentum viderant tenebreſcere diem, diſſilire petras, tremere terram, æſtuare fluctus, prodire è ſepulchris defunctos, ac tam horrenda prodire portenta; ut propriâ confeſſione ſuæ cauſæ æquitati officerent, exclamando: *Verè filius DEI erat iſte!* (Matth. 27. v. 54.) An non hæc omnia ſigna Divinitatem ejus demonſtrabant, quando confœderati veſtri Athenienſes, impares quidem imperio, ſed ſapientiæ famâ illuſtres, unanimi ſententiâ in ſuo Peripato conclamârunt: *aut DEVS naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur?* Et quid portendebat veſtrorum Numinum, in Panthei circumferentiâ, cæteriſque fanis, circa executionis punctum propitiatoria oblata in communi victima; quàm ut Numina veſtra propitium ſibi redderent hunc DEI Filium, ne ex tremenda concuſſione Orbis Vrbs tota cum Imperio corrueret?

198\. Sed quid anxius fatigor pro juſtificanda mei Crucifixi Clientis cauſa, ac Innocentia, ſive coram conſcriptis Patribus, ſive coram arbitro mundo defendenda? Tametſi omnes linguæ obmutèſcerent, & ipſa æquitas eclipſaretur, & aures ſurdorum propoſitioni meæ inſultarent; adhuc tale ſuppetit teſtimonium, quod omnium arbitrorum animos in ſe validè convertet. Non producitur hoc teſtimonium à Patre, aut Spiritu mei Clientis, ne laboret ſuſpicione: neque ab

(Teſtimonium latronis pro Chriſto adducitur.)

amicis

amicis in fidelitate conſtantibus; nam tales non audirentur: neque ab ejus Diſcipulis, & ad Apoſtolatûs dignitatem evectis creaturis; nam contra hos fortè arriperetur exceptio: neque ab extraneis & alienigenis, qui fortè à teſtando repellerentur: ſed producitur à teſte, de cujus fide nemo dubitabit, qui ſanæ mentis fruitur præſentiâ. Latronem adduco veritatis teſtem; qui vel ideò reprobandus non erit, quòd in cruce pendens inter doloroſas vitalium ſpirituum convulſiones, & acutiſſimas nervorum lancinationes, brevì moriturus ſuper æquitatem cauſæ Crucifixi JESU ſeſe reflexerit, & pro ejus innocentiâ ſententiam audacter pronuntiârit, increpans convitiantem ſocium: *Neque tu times DEUM, quòd in eadem damnatione es: & nos quidem juſtè; nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali geſſit.* Quid hoc auditis? Ergóne injuſta eſt Synagoga? erravit Pilatus? Ergóne latro arguet Annam, Caipham, & cæteros Pontifices? Accuſabit Scribas, Phariſæos, Rabbinos, tam clara illa Synagogæ oracula? Siccine univerſos condemnabit Sacerdotum choros? Totam regni Metropolim inſimulabit criminis? Totus natus in peccatis, & in peccatis moriens, æquiſſimos mundi Judices condemnabit? *Hic nihil mali geſſit.* Unica totius Jeroſolymæ vox erat: *Reus eſt mortis.* Et nunc prævaleat vox teſtantis latronis: *Hic nihil mali geſſit?* Audiant totius terræ plagæ, ab ortu ſolis uſque ad occaſum; audiant Judæi & Gentiles, ac tota rerum Univerſitas: *Hic nihil mali geſſit.* O Teſtem vel inter opprobria præclarum, qui JESUM inter tam multos reprobos palàm conteſtatus eſt innocentem! Fugerant Apoſtoli, latebant diſcipuli, tacebant amici, illudebant Judæi, crucifigebant Romani; nondum apparebant tremenda in elementis, & ſphæris cœleſtibus prodigia. Totus videbatur condemnare mundus, quem unicus abſolvebat latro, omnium accuſando malitiam, unius excuſando innocentiam: *Hic nihil mali geſſit!* Objiciat quiſpiam inſtantiam Juris, & facti, contra productum unicum crimino ſum teſtem; & quidem unicum, cujus teſtimonium pro nihilo habetur à Jure in quâcunque cauſâ. Præterquam quòd & ego excipiam contra Actorum ſubornatos, & pecuniis corruptos teſtes; ſuppetit mihi Juris remedium, ut cùm veritas aliter haberi non poſſit, adhuc per unicum teſtem à me probetur, qui verbis diſtinctè id exprimat, quod contra torrentem malignantium elingues fatentur Cœli, & muta loquuntur Elementa: ut meritò unicus latro totius Naturæ exhorreſcentis loco deponere videatur.

Lucæ 23. v. 41.

199\. Innocentia Chriſti iniquiſſimè condemnata.

Adverto, æquiſsimi Judices, veſtra arbitria ex hac cauſarum refutatione in tantùm excreſcere, ut ex clariſsimâ Veritatis demonſtratione penitùs inclinent, JESUM Crucifixum DEI Filium, propter eximium virtutum ſplendorem, ac Innocentiæ gratiam, pro veriſſimo Numine colere & adorare. Sed verò dilatat animum meum hæc veſtra avita in judicando æquitas, ut imperterritus Pontium Pilatum, Romani Tribunalis in Judæa Præſidem depilem, & enormes ejus in Proceſſu contra Innocentem exorbitantias pronuntiando exagitem. Dicite, quæſo: nam ſic ego vos per Superos, Superáſque veſtras, & per quidquid vobis charum aut pretioſum eſt, ſubmiſſiſſimè appello. Dicite, quid in re judicatâ contingere poſſit turpius Judici, Tribunali perículoſius, pernicioſius partibus, quàm mortis ſententiam pronuntiare in accuſatum, qui nullum confeſſus crimen, nec debitè auditus, nec ullâ probatione legitimè ſit convictus? An non ſic contremiſceret magnæ Themidis ſtatua, ut lapſu graviore ruat, & veſtra palatia, totúmque Imperium opprimat? Sed verò ſic eſt, quòd JESUS meus Cliens, nec ullo actu facinoroſum ſe geſſerit, nec ulli unquam probro, aut delicto vel minimo, aut morali obliquitati potuerit ſubjacere; utpote qui propter Unionem hypoſtaticam, & redundantiam Divinitatis in Humanam ejus naturam, per nullam poten-

tiam

tiam ad delinquendum nunc poterat inclinari: ex quo de Jure nec poterat denuntiari facinoroſus, nec accuſatus convinci, nec reus condemnari. Opera ejus à ſæculis inaudita, & vitæ integerrimæ converſatio, quæ glorioſiſſimè pro ipſius pugnant Innocentia, usque adeò famâ volante toti innotuêre Orbi, ut etiam ſupremi Imperij culmen, ac Vrbis faſtigia, celebratiſſimo pulsârint nuntio: ut mirum ſit, iniquũ hunc Judicem, contra fas & æquũ, tam turpiter enormibus erroribus ſubſcripſiſſe.

200. Ficti conatus Pilati pro liberando Christo. Fateor quidem, quòd aliqualem adhibuerit conatum pro dimiſſione Innocentis: ſed hic conatus plurimùm aggravat illatam injuriam. Primò etenim Barabbam ſceleſtiſſimum latronem, ſimul & innocentiſſimum JESUM produxit, & expoſuit liberæ prælectioni inimiciſſimorum Actorum: Matth. 27. v. 17. *Quem vultis, vobis dimitti*, ait, *Barabbam, an IESVM?* Non hunc, non hunc, ſed Barabbam, clamabant unanimiter ſinguli. Videtis, ad quantam malitiam devenerit Pilatus, ut dimiſsâ *Juſtitia* viâ, Innocenti talem offerret *gratiam*, quam prudenter conijcere poterat, ipſi nunquam obventuram. Deinde conabatur redimere vexam, & flagellandũ tradebat tortoribus: ſed hæc caſtigatio crudeliſſima erat illi quidem contra Juris ordinem inflicta, qui acerbiſſimę mortis tyrannidem non eſſet declinaturus. Inſuper ſic caſtigatum (laceratum, aut planè excoriatum rectiùs dixero) producit foras, loquens publicâ Ioan. 19. v. 38. voce: *Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoſcatis, quia in eo nullam cauſam invenio*; ſperans, tanto ejus ſupplicio, factum fore ſatis ad verſantium deſiderio. Sic enim eſt caſtigatus, ut dignior ſit miſericordiâ, quàm invidiâ. *Nullam invenio in eo cauſam*, vel Romani Imperij læſi, vel publicæ Rei perturbatæ, vel alterius ſceleris admiſſi. Audivi, quæcunque contra eum protuliſtis teſtimonia, quæcunque ei objeciſtis crimina; & quidem exactiſſimè ſingula ad trutinam Juſtitiæ ponderavi: totam adhibui induſtriam meam, ut excogitarem, an ſalvâ æquitate poſſem quidquam invenire morte dignum: quæſivi, & non inveni. Iniquum autem eſt condemnare ad mortem, qui nihil commiſit morte dignum. Hoc ergo proteſtor coram cœlo & terrâ, & vobis omnibus teſtibus; poſt ſingula & univerſa contra eum allegata, & maturè expenſa, *nullam invenio in eo cauſam*. Ita quidem conabatur Pilatus; & inſuper videns, *quòd nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret; acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens: innocens ego ſum à ſanguine Iuſti hujus: vos videritis*. Matth. 27. v. 24. Verùm omnia hæc ficte egit Prætor, & ſimulavit proteſtationem facto contrariam. Effectus probavit, quid animo molliretur vulpes doloſa.

Ab initio quidem, quando cauſam mei Clientis per viam Juris ac Juſtitiæ cœpit examinare, nullam in eo inveniebat cauſam, per quam conſtitueretur reus. At verò quando malitioſi clamabant Hebræi; *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*; pluris faciebat Imperatoris gratiam, quàm Juſtitiam: quâ ſublatâ quid ſunt Imperia, quàm magna quædam latrocinia? Ergò tunc planè loquendi ordinem invertit, & qui priùs de dimittendo Innocente ficte certaverat, jam de occidendi poteſtate palàm diſputare non dubitat: *Neſcis*, inquit, *quia habeo poteſtatem dimittendi te, & poteſtatem habeo crucifigendi te*. Tuâ, Pilate, voce conſtringeris, tuâ damnaris ſententiâ; pro poteſtate igitur, non pro æquitate, crucifigendum Dominum tradidiſti: per poteſtatem abſolviſti latronem, authorem verò vitæ interfeciſti. Vidit populum Pilatus, vidit Sacerdotes & Synagogæ Principes tumultuosè agere, vidit ſolâ invidiâ, non autem æquis aut fundatis rationibus agitari; & ideò generoſo animo debuiſſet violentiam perfringere, potenter ſeſe opponere, & innocentem defendere: ille verò formidoloſus, & iniquus, *adjudicavit fieri petitionem eorum*. Lucæ 23. v. 24. Lavit manus Pilatus, ſed facta non diluit: judex enim nec invidiæ cedere debuit, nec timori; ut ſanguinem innocentem à crudeli mortis ſententiâ vindicaret. Imò quando veri-

201. Pilatus condemnaſſe Ieſum convincitur pro poteſtate, non pro æquitate.

tatis fieri audivit mentionem, haud ſecùs, ac ſi peregrinum aliquod & ignotum nomen audiviſſet, attonitus interrogavit Jesum: *Quid eſt veritas.* (*Joan.18. v.38.*) Judices veritatis indagandæ causâ, Tribunalia conſcendunt: ipſe verò nec intellexit veritatem, nec interrogationis propoſitæ expectavit reſponſum; ſed *cùm hoc dixiſſet* Pilatus, *iterùm exivit ad Iudæos*: quò ipſum ſuæ impulit inſtabilitas, deduxit puſillanimitas, tam indecora Romano Tribunali, quàm meo Clienti præjudicioſa. *IESVM ergo tradidit voluntati eorum*, hoc eſt, Judæis: tradidit Agnum Dei voraciſsimis lupis, ut devoretur; rabidiſsimis canibus, ut mordeatur; immaniſsimis leonibus, ut diſcerpatur. Tradidit illum, & cum illo omnia ipſius. Totum ejus, nullâ parte exceptâ, tradidit; honorem, famam, valetudinem, robur, ſanguinem, caput, oculos, aures, manus, pedes, totum corpus; ut cum illo facerent, quidquid quocunque modo diriſsimo vellent, aut poſſent. Non attendit merita cauſarum, ſed perſonarũ; non vitam, ſed munera; non Juſtitiam, ſed gratiā; non jus, ſed pecuniam; non quod ratio dictet, ſed quòd voluntas affectet; non quod lex ſanciat, ſed quod mens cupiat: non inclinavit animum ad juſtitiam, ſed juſtitiam ad animum; non ut quod licet, hoc libeat, ſed ut hoc liceat, quod libet. Et ideò plenus temeritate, ſententiam tulit iniquiſsimam; & ſine morâ mandavit executioni dari, per formam, quæ ſequitur. (*Adrichomius in deſcript. Ieruſ. n. 115. & Scaliger. lo.3. c. 7.*) *IESVM Nazarenum, ſubverſorem Gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam (ut Majorum ſuæ Gentis teſtimonio probatum eſt) educite ad communis ſupplicij locum; & cum ludibrio Regiæ Majeſtatis, in medio duorum latronum, cruci affigite. Iictor; expedi cruces.*

202\. (Errores graves Pilati contra jura exagitantur) Accedunt his omnibus graviſſimi errores, quos vel commiſit temerariè, vel diſſimulavit fraudulenter, vel ignoranter in totum ſententiæ proceſſum induxit. Nunquid licet Jus dicere in ſubditum non ſuum? Hoc fecit Pilatus; nam cùm ſola Judæa ipſi adminiſtranda obtigiſſet, uſurpavit jurisdictionem, & in Galilæam extendit: meus enim Cliens Galilæus erat, de Nazareth. Et hoc quidem non ignoranter, ſed petulanter fecit; nam agnovit ſuæ jurisdictionis defectum, quando accuſatum Jesum ad Herodem Galilææ Regem, tunc Jeroſolymis verſantem, tanquam legitimum ſuum Judicem, remiſit. Deinde cùm ex Actoribus intelligeret accuſationem gravem, quòd Reus denuntiatus Filium Dei ſe fuerit profeſſus, an non de rei veritate prudenter dubitare debuit, & totum cohibere proceſſum; ne fortè jus diceret mortalis ſuper immortalem, ſubditus ſuper ſuperiorem, homo ſuper Deum? Deinde ubi unquam æquiſſimæ veſtræ leges tantum facultatis concedunt Prætori, ut partium cauſæ non per Juris ordinem, ſed per poteſtatis violentiam decidantur? condemnentur innocentes, & abſolvantur rei? audiantur calumniatores, & defenſores repellantur? Quòd ſi hæc practica à vobis ratificata ſubſiſtat, jam magnorum Principum dicaſteria declinabunt in publica innocentum virorum latrocinia. At verò, quantò magis hoc ſummum veſtrum Tribunal præcipit, ut Jura contra vim, non vis contra Jura prævaleat, tantò apertiùs Prætor æquiſſimas veſtras ſanctiones infregit: quandoquidem non tantùm verbis ſeſe talem erga meum Clientem exhibuerit, quòd habeat poteſtatem dimittendi eum, & condemnandi; ſed etiam ipſo actu, convictum ac confeſſum dimiſerit latronem, econtra innocentem condemnārit Jesum. Sciebat inſuper, Actores odio, invidiâ, & vindictâ torqueri contra meum Clientem; non verò ex Juſtitiæ, aut boni publici zelo, moveri ad exemplarem caſtigationem denuntiati. Sciebat teſtes adductos ſeſe ultrò obtuliſſe, nec acceſſiſſe rogatos, vel advocatos; contra manifeſtũ duodecim veſtrarũ Tabularũ textum, jubentiũ, ut *teſtis ultrò accedens repellatur.* Et tamen Prætor non repulit tot vitijs laborantes Actores, nec

nec teſtes iniquiſſimos excluſit. Ecquæ tandem malorum Syrtes civili Societati teſtabunt ſuperandæ, ſi Tribunalia invidiæ & livori ambas aperiant aures, utraſque claudant imbelli Innocentiæ? Quæ omnia vel ex ijs literis efficaciſſimè demonſtrantur, quas ipſemet Prætor pro informatione ad veſtram Romanam Curiam direxit; ita ut propria confeſſio ſit omnium manifeſtiſſima probatio. Longior forem, ſi literarum copiam producerem; quas cohibeo, ne importunior ſim tam clementi ac honorabili Auditorio.

203. Variorum Iurium violatio à Pilato facta in condemnatione Chriſti.

Inſuper gravitatem cauſæ exaggerat, quòd Prætor meo Clienti nullum prorſus poſuerit vel admiſerit terminum, quo juſtæ defenſionis arma arripiat, & ea producat argumenta, quibus ejus Innocentia condignè probaretur. Quàm effronter illud ſanctiſſimum decretum infregit, quod veſtra Majeſtas Cæſarea elapſis antè duodecim circiter annis, & quidem ſexto ſui feliciſſimi Imperij, maturâ deliberatione totius Senatûs, Populique Romani conſenſu promulgavit, & obſervari mandavit, tenoris ſequentis: *Factum Senatus Conſultum, ne decreta Patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur; idque vitæ ſpatium damnatis prorogaretur?* Tam parùm Prætor laudabilem hanc conſtitutionem obſervavit, ut non ſolùm eodem adhuc ſole, ſed & eâdem adhuc horâ, primæ Accuſatorum inſtantiæ deferret, omnem interlocutorium terminum elideret, mortis ſententiam ocyùs præcipitando decideret, & immani crudelitate per ſuos carnifices executioni diriſſimæ commendaret. Et hic ſit legitimus terminus, quem omnium Gentium Jura, ipſúmque adeò Naturæ lumen, pro juſtâ ſui defenſione indulſerunt denuntiatis? Eccui Juri tandem hanc mortis ſententiam accomodavit? Fortaſſis Hebræorum Levitico? At verò hic blaſphemos, & impoſtores prophetas, obrui jubet lapidibus, Aut certè præſtantiſſimis Romanorum conſtitutionibus? Sed contra latrones, & homicidas, determinant furcas & cruces. Quo ergò jure Pilatus Clientem meum condemnavit ad crucem, qui nec de blaſphemia, nec de homicidio convinci potuit? Nec poteſt ſe defendere, quòd Jesum condemnârit ad furcam, eò quòd regem Judæorum ſe proclamâſſet. Fateor, debuiſſe Prætorem Judæorum regnum Romanis armis expugnatum ita adminiſtrare, ne quiſpiam illud dolo aut vi invaderet, ac ſibi appropriaret: ſed verò ut quid ſolenni inſcriptione fatetur id ipſum, dum titulum poſuit ſuper caput ejus, *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum*, non obſtante etiam Hebræorum proteſtatione? Debuiſſet certè importunos & malevolos accuſatores virtute infringere, vi repellere, & ſub gravi mulctâ à ſuo Prætorio abigere, tanquam paſſionatos, improbos, & vindictæ cupidos Actores: ſed verò à fori competentiâ ipſemet fuit rejectus timore, mox ubi de comminatione Cæſareæ diſgratiæ advertit inſtantiam. Sperabat avariſſimus homo pretioſum munus, ſi iniquiſſimæ denuntiantium voluntati ſatisfaceret; & ideo ſui ipſius ac ſupremi Numinis oblitus, orbatus intellectu, alienus à ſenſu, *JESVM tradidit manibus nocentium.* Nec rarum, aut inſolitum erat Prætori, Juſtitiam pecunijs venalem exponere: ſæpiùs nempe latronibus, ac prædonibus colluſit; ſæpiùs cruentas tulit ſententias in capita innocentium. Multorum facinorum gravatam gerebat conſcientiam, quæ minis & terroribus non difficulter flecteretur ad tam enormem ſententiæ deſideratæ ac promulgatæ executionem.

Tacitus 3. Annal. Baronius anno Chriſti, 12.

[illegible]

204. Epilogus orationis.

Quæ cùm ita ſint, prout contra iniquiſſimum Judicem Pilatum pro innocentiſſimo Jesu probavi luculenter, tuæ Cæſareæ Majeſtatis, ô Tiberi, veſtrorúmq; Patrum conſcriptorum æquiſſimo arbitrio, ac circumſpectæ providentię diſquirendũ committo; quid ærumnarum tandem in ampliſſimis veſtris Provincijs ſit proditurum, ſi Prætoria & Tribunalia

veſtra tot cædibus madeant, tót corruptelis inundent: quid tandem obſcuritatis in glorioſiſsimam veſtram famam, & æquiſsimum otdinem Romanæ Curiæ ſit ſuperinducendum, etiam apud Batbaros & Garamantes; ſi judiciorum depravationes tam clamoroſæ, & nefariæ, ſine exemplari caſtigatione foveantur impunè. *Integer vita, ſceleriſque purus* meus Cliens Jesus, verus Dei Filius, & totius mundi Salvatot, ab hoſtibus ſuis iniquiſsimè captus, calumnioſiſsimè denuntiatus, ctudeliſsimè dilaniatus, & à Pilato per ſummam injuriam ad mortem probroſiſsimæ crucis eſt condemnatus. *Nunc judicium eſt mundi*, Auguſtiſsime Cæſar, Patréſque conſcripti, ad quos viâ jutis appello, ut quod juſtum & æquum eſt, judicetis; prout pto Cliente meo contra Judææ Prætorem, quâ par eſt, reverentiâ ac ſubmiſsione dixi.

205\. Potuiſſet, ornatiſsimi Auditores, hæc oratio Tiberium Cæſarem, ac Romanum Senatum ad indignationem contra Pilatum provocare actiter, ſi cum tantâ energiâ coram tam Auguſto Tribunali fuiſſet declamata. Sed verò quod ego diſſertâ oratione nunc expoſui, jam olim itinerantium rumor graviter diſquiſivit, & publica fama Romanis auribus prolixè ingeſſit. Hinc quamprimùm Cæſat Tiberius certior tedditus eſt de condemnato Innocente ad crudeliſsimam mortis ſententiam, protinùs Pilatum Iudææ Prætorem ad comparendum Romam citavit; ut & ſuatum actionum exhibeat rationem, & conſequentet de facinore condignam recipiat mercedem. Iraque Pilatus, prout ſibi plutimorum ſceletum etat conſcius, Romam petit; & inconſutili tunicâ Salvatoris noſtri, quæ ipſi à ſuis militibus dono obtigerat, ſub extrinſecis veſtimentis indutus cotam Cæſare ſe ſiſtit. Statuerat animo Tiberius, tractare & increpate Pontium Pilatum in judicio, qua poſſet, indignatione, iracundiâ & furioſitate: ſed verò ubi vix ad ejus conſpectum is venerat, ſubitò mutatus Cæſar quàm humaniſsimè ſuſcepit citatum, gratioſè audivit, & impunè abſolutum, de causâ triumphantem juſsit abire cum plauſu. Vix dum è Cæſaris conſpectu diſparuit Prætor, mox iterum reſuſcitatâ indignatione graviſsimâ revocari eum jubet Tiberius, ut contra ipſum conceptum formaret proceſſum; & hoc iterum, iterúmque factum: ſed quoties Pilatus reintravit, toties Tiberius iram abjecit. Tandem competto, quòd tunicâ ſanctiſsimi Prophetæ pro interulâ indutus eſſet Pilatus, eam exuere jubetur, ac ad conſpectum Cæſarei Tribunalis reverti. Tum tota mutata ſcæna, & Cæſar contra præſentem iniquiſsimum Iudicem graviter infremuit; nec poterat Pilatus validis, aut apparentibus rationibus, graviſsimas ſuas exorbitantias defendere. Ergò tandem juſtâ Cæſaris ſententiâ, Iudææ Præturâ privatur, Cæſaris gratiâ exuitur, & Viennam Galliæ in perpetuum exilium deportatur: ubi haud diu infamem ſuſtinuit maculam, ſed paulò pòſt ſuæ infelicitati compendioſum terminum poſuit, vitámque ſibi pugione per guttur immerſo impotenter abſcidit. Idipſum Nicephorus de Anna, Caipha, cæteriſque ſummis Pontificibus, Scribarum & Phariſæorum primatibus, qui expreſsè ad innocentis Jesu condemnationem fuerant cooperati, luculentâ inductione teſtatur; quòd cultris, laqueis, ſubmerſionibus, præcipitijs, venenis, ac ſimilibus deſperatiſſimis medijs, ſui ipſius juguli executores carnifices non ita multò pòſt evaſerint.

Pilati, & aliorum Pontificum mors deſperatiſſima.

Didacus Vega in Pſal. 4. pœnitent. Michael Angelius in Pſal. 37. Peſquier.

Nicephorus l. 1. c. 10. & alij.

Abſcindo & ego filum de corruptione Judiciorum humanorum, ac civilium Ttibunalium; ſed non interrumpo Gallinacei clamorem, peccantem Petrum ad lachrymas provocantis; quem ubi in craſtini diei luctuoſum diffeto diluculum, cum S. Papa Leone finalitet exclamo, cordialiter ſuſpiro: *O ineffabilis gloria paſſionis; in qua & Tribunal Domini, & judicium mundi, & poteſtas eſt Crucifixi.* Amen.

S. Leo ſerm. 8. de Paſſione.

FERIA

PARASCEVES.

GALLINACEUS CANTANS.

Das bewögliche Hannengeſchrey.

LEMMA.

Excubitórque diem cantu prædixerat Ales. Virg. in Moret.

THEMA.

Et continuò Gallus cantavit. Matth. 26. v. 74.

SYNOPSIS CONCIONIS XXIII.

Lamentabilis Petri negantis caſus, mira reſpicientis Jesu potentia, validus Galli excubantis clamor, & amaræ Petri pœnitentis lachrymæ, luctuoſo ſimul ac doloroſo exhibentur ſpectaculo.

206. Galli cantus honorificè ab omnibus Evangeliſtis relatus.

NOn eſt myſterium tam ſubtile intellectu, tam ſcitu neceſſarium, tam ſcrutatione profundum, ſive in Pentateucho Moyſis, ſive in Regum voluminibus, ſive in Canonicis Prophetarum vaticiniis, ſive in Sapientiæ Salomonicæ libris, quod tam conſtantem & conformem ſuæ veritatis promerebatur atteſtationem, tam candidam & unanimem ſibi conciliabat deſcriptionem, quàm prodigioſus Galli cantus, luctuoſæ Dominicæ Paſſionis hiſtoriæ interveniens. Enimverò ſinguli Evangeliſtæ, dum ſpecialiſſima etiam Chriſti Domini dicta & facta vel ſingulatim referrent, vel certè non conjunctim omnes plenè enumerarent; ita conſtanter Galli cantum Paſſioni Dominicæ inferendum judicârunt, ut omnes expreſſis profiterentur terminis, cantâſſe Gallum. Matthæus quidem ait: *Et continuò Gallus cantavit.* Marcus: *Et Gallus cantavit; & ſtatim Gallus iterum cantavit.* Lucas commemorat: *Illo loquente, cantavit Gallus.* Joannes addit: *Et ſtatim Gallus cantavit.* Grande myſterium, penetrantiſſimus Galli cantus, tam uniformi Canonicorum Scriptorum atteſtatione indigens! Galli cantus; utique non ad lætitiæ, ſed lachrymarum ex corde profuſionem; non ad voluptatem, ſed acerrimorum dolorum compaſſionem provocans, & invitans! Occurrit in fronte pulcherrimus D. Ambroſii locus, omnia in compendio complectens, quidquid ad diei excubitorem Gallum poſſet laudis & encomii accreſcere. [Galli „cantus, inquit, ſuavis eſt in noctibus; „nec ſolùm ſuavis, ſed etiam utilis: qui „quaſi bonus cohabitator, & dormientem excitat, & ſollicitum admonet, & iter facientem ſolatur, „preſſum noctis canorâ ſignificatione „proteſtans. Hoc canente, latro ſuas „relinquit inſidias; hoc ipſe Lucifer „excitatus oritur, cœlúmque illuminat. Hoc canente, mœſtitiam trepidus nauta deponit; omniſque crebrò veſpertinis flatibus excitata „tempeſtas, & procella miteſcit. Hoc

Matth. cit. Marci. 14. v. 68. & 72. Lucæ. 22. v. 60. Joan. 18. v. 27. S. Ambroſius l. 5. Hexaem. c. 24.

„canente, devotus affectus exilit ad „precandum; legendi quoque mu„nùs inſtaurat. Hoc poſtremò canen„te, ipſa Eccleſiæ Petra culpam ſuam „diluit, quam priusquàm Gallus can„taret, negando contraxerat. Iſtius „cantu ſpes omnibus redit, ægris le„vatur incommodum, minuitur do„lor vulnerum, febrium flagrantia „mitigatur, revertitur fides lapſis, „JESUS titubantes reſpicit, errantes „corrigit.] Hucusque Ambroſius. Ecquid non poteſt Gallinaceus ſuo cantu? B. Torellum, tertiæ regulæ S. Franciſci Eremitam, interrogate, quid ab hac alite domeſticâ didicerit. Hic adoleſcens patre orbatus, laſcivam duxerat vitam: ſed cùm Gallus Gallinaceus ex feneſtrâ in ejus humeros evolâſſet, térque decantâſſet, ad bonam frugem, rigidámque vitam converſus eſt; opinatus, trino Galli cantu ſe, velut alterum Petrum, ad pœnitentiam invitari. Et vos invito, pientiſſimi Auditores, ut unà ſimul compareatis Solymis in atrio Principis Sacerdotum: ſomnia enim excuſſit, & diem illum lugubrem adeſſe cecinit *nuntia lucis Avis*, quo Tragœdia exhibetur orbi, cœlitibus & terrigenis inaudita, tremenda, luctuoſa. Perſonam in hac Tragœdia agit Petrus humanam, miſeram, lugubrem, pœnitabundam: Gallinaceus Petro non tam accinit, quàm impropetat. Vtriusque conditionem hodie vobis lamentabilis Actor in ſcænam adduco, Petrum ſcilicet negantem, & Gallinaceum pro revocando Petro ad pœnitentiam intonantem. Terreat nos Petri negantis lamentabilis caſus, ut agnoſcamus propriam peccandi miſeriam: confortet mira reſpicientis JESU potentia, ut de infinitâ DEI miſericordiâ non deſperemus: excitet validus Galli excubantis clamor, ut ad vocem inſpirantis Domini non obduremus corda noſtra: ſtimulent amaræ Petri pœnitentis lachrymæ, ut propter iniquitates noſtras contrita, & humiliata coram Altiſſimo corda effundamus.

Waddingus an. 1282. num. 3. Martyrol. Franc. 16. Martij.

207. Negantem primò obſervate Petrum. O quàm facilè inhærent vel optimis, depravati Aulæ mores! Vix ingreſſus eſt in illam ſimplex piſcator, cùm illic ſine magiſtro prævio & ſimulare didicit, & mentiri. Nam negavit in tali loco, ubi ignorabant omnes, quid eſſet veritas: & ille quidem negavit, qui cognoviſſe haud potuit Veritatem, quàm viderat ſputis conſpurcatam. Culpâ tamen non caret negatio: nam & aulam intravit liberè, in quam JESUS vix poterat funibus trahi; & quidem JESUM *ſecutus eſt à longè*. Ingreſſus eſt quidem & Joannes cum JESU, ſed non ſequebatur à longè ut Petrus. Bonum factum: cum hoc enim duce vel ipſam inferorum aulam, æternæque mortis prætorium, quivis ſecurus ingreditur: modò ſit cum JESU, quocunque ingrediatur, ubicunque agitet, non curo, non requiro; nusquam illi malè erit, qui cum JESU introierit. Vt agnoſcatis, quantùm interſit inter Petri & Joannis ingreſſum, utriusque etiam obſervate exitum. Hic à Chriſti latere non declinat, nec quisquam illi faceſſit negotium: ille à ſatellitibus, & ancillis per ludibrium vexatur, & ſubitâ timoris procellâ deijcitur. Quid hoc rei eſt? Ioannes Galilæus erat, notúsque familiæ Pontificis, nec tamen interrogatur à quoquam de Chriſto: Petrus homo ibi novus in ea ſatellitum ac militum turbâ varijs ſtatim ſciſcitationibus vexatur, & unde illi ſecuritas favet, huic periculum accreſcit? Ille nimirum cum IESU, hic longè ab eo ſtat ad oſtium foris. Rapiebatur mens Petri alterno æſtu: nunc amore, nunc timore: quantùm, ut iret, incitabat amor; tantùm, ne iret, retardabat timor. Vnde hoc luctante, illo reluctante, cœpit claudicare, qui antè exultabat ut gigas ad currendam cum Chriſto duriſsimam viam: cœpit longè recedere; & cujus ſolebat eſſe ſtipator lateris, jam nec ſpectator eſt corporis; cujus ſolebat audire vocem, jam nec intuetur faciem. Prænovit hoc olim in fimeto invictus DEI Athleta Iobus, qui quidem auſus eſt quemcunque ad pugnam laceſſere hoſtem,

A longè ſequi Chriſtum, quia periculoſum.

hoſtem, ſed juxta Deum, non longè à Deo. Sic enim audacter loquitur ad Deum: *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me*; tecum ſecurus ero, & armatas legiones imperterritus penetrabo. Iuxta Chriſtum non eſt ullius, etiam fortiſsimi, pertimeſcenda manus; longè à Chriſtò cujusvis, licèt infirmiſsimi, timenda eſt lingua. O Petre, exitio proximus es, ſi vel ad jactum lapidis à Chriſto ſis elongatus: juxta Chriſtum perſiſtes fortiter, licèt in te impreſsionem faciat armata militum caterva; longè à Chriſto eades, ſi tecum congrediatur vel inermis ancilla. Quia in horto eras juxta Chriſtum, hinc quidlibet audebas feliciter: minacem militum cuneum non tantùm non fugiebas, ſed fermè etiam machærâ tuâ fugabas; fulminis inſtar vibrabas enſem, promptus omnia vel cum Chriſto, vel pro Chriſto aggredi: at verò nunc quomodo torpes? ut palles? ut tremis? quàm non ſanguinis tibi propè conſtringitur gelu? ut ſollicitos undique pavidos circumfers oculos? Vides, quantùm interſit intrare aulam, & ſequi à longè! Quàm pauci ſunt hodie, qui Principum aulas cum Chriſto ingrediantur; tam paucos reperies, qui ſæpiùs ſpe, aut timore victi, eum ſe noſſe factis non pernegent. Vſus eſt aulæ familiaritate Ioannes, *qui erat notus Pontifici*; ſed verò ut etiam in aulâ Dominum ſuum non derelinqueret; facto planè imitando ijs, quos ſanctioris ſeverioriſque vitæ profeſſos videmus per Principum aulas volitare, & de illorum familiaritate magnificè ſe circumſpicere. Dic enim, Religioſæ converſationis ſectator, quid agis in aulâ? quid ea te juvat familiaritas, ſi te non juvat ſimul adhærere Chriſto? Dic, quid rei ſit, Chriſtianæ demiſsionis diſciplinam palàm vili pallio profitentibus, in illâ effuſiſsimæ ambitionis academiâ? quid negotij, quietem vitæ inſtituto ſectantibus, in illo perturbationum Euripo; favore atque odio, veluti ventis, ſemper immanè agitantibus turbulentiſsimo Oceano? quid occupationis, cœleſtia contemplaturis, quibus puriſsimis ac maximè acutis animi luminibus eſt opus? Quid, inquam, ſvave eſſe poteſt, ubi ambientium, invidentium, ſéque mutuò fallentium, & majora meritis ac virtutibus audentium, atque mollientium fumo omnia obſidentur, & obſcurantur? Vna tantùm cauſa tutos in aulâ (à qua tamen eos vetus Poëta coërcuit: *Exeat ex aulâ, qui velit eſſe pius*) pietatis cultores poteſt reddere; ſi nempe utantur aulâ, ut cum Iesu ſint. Optimè enim Principum favorem gratiámque tum collocamus, cùm ad præclara pro Dei gloriâ patranda ijs utimur; & cùm ad perrumpendas difficultates, abſterrendóſque adverſarios instructi, hoc motivo procedimus. Verbo dicam; ſi cum Iesu ſumus.

Iob. 17. v. 3.

Aulæ pericula Religioſis cavenda.

Sedentem in atrio ad ignem Petrum à Chriſto elongatum, una ex ancillis intuita ſimul interrogat, ſimul indicat alijs, coram quibus primò negat Petrus: illâ jam digreſsâ, cùm ſe inde vellet evolvere, ut ex uno atrio exiret in aliud, iterum vidit illum alia ancilla, oſtendítque circumſtantibus; à quorum uno interrogatus, & Galilæâ dialecto, qua ipſe utebatur, veluti oppreſſus, iterum negat, & quidem cum perjurio. Hoc gemino lapſu perturbatum Petrum, regreſſúmque fuiſſe, conjectura eſt; nam poſt horam demum à Malchi cognato agnitus, ac plurimorum interrogationibus fatigatus, tertia vice pernegat, additâ etiam dirâ in ſuum caput exectratione: quæ omnia collatis invicem Evangeliſtis liquidò apparent. Fuit nempe Petrus initio plùs, quàm vir; in fine minùs, quàm fœmina: ignem amoris, quem erga Chriſtum inter undas conceperat, extinxit ad prunas; quem adoravit in aqua, negavit in terrâ. Ex rebus bene geſtis naſcitur negligentia: hinc & Petrus ex hortenſis victoriæ præſumptione ingreſſus eſt atrium fortis, ut exeat captivus. Febribus, ad inſtar ſuæ ſocrûs, frigidiſsimis laborat: quærit ab igne remedium; ſed fruſtrà: nam nec tantum inde luminis accepit, ut videret

208\.

Petri trina negatio circumſtantionatè diſquiritur.

finem;

runt, & intempeſtâ nocte crudeliter ad Tribunalia ſummorum Synagogæ Pontificum detulerunt, accuſantes eum Annæ & Caiphæ, duobus prædicatæ malitiæ veteranis capitibus. Vnanimiter per fas nefaſque conſpiraverant, ut captivum Prophetam morti traderent, ac Crucis ſententiæ adjudicarent: ſed verò hoc ſanguinis condemnandi jure privati, ut conceptum explerent furorem, ſummo mane ad Romani Præſidis Prætorium importuniſſimi concurrerunt. Interrogati proinde à veſtro Præſide Pilato, quamnam accuſationem adferrent *adverſùs hominem hunc?* In tribus eum potiſſimè punctis denuntiârunt reum; quæ quàm difficulter fuerant probanda, tam effronter probationis periculo ſubmiſerant. Primò denuntiabant, quòd JESUS Nazarenus populum Hebræorum ſuâ doctrinâ depravârit, & ad rebelles commotiones incitaverit. Secundò, quòd prohibuerit, tributum dari Cæſari. Tertiò, quòd ſeſe pro Filio DEI, & promiſſo in Lege Meſſiâ, reverendum expoſuerit. Et licèt Præſes pro ſuo munere multùm conaretur, probationum ſubſiſtentiam penetrare; haud aliud tamen in rei veritate comperit, quàm quòd nec Actores ſuis probationibus ullatenus ſubſiſterent, nec Reus de ullo crimine legitimè convictus ad propriæ confeſſionis ſupplementum ſe inclinaret. Queîs tamen haud obſtantibus, Romani Tribunalis Præſes, poſt longas & inutiles verborum concertationes, minis & promiſſis territus, Actorum importunitati improbitatique detulit; & ad eorum placitum, juxta allegata nullo modo probata, virum innocentem non tantùm virgis inhumaniſsimè caſtigavit, ſed totaliter etiam nefariæ eorum voluntati tradidit: iniquiſsimam proinde mortis ſententiam promulgavit, & ad infame Crucis ſupplicium hunc meũ Clientem crudeliſsimè condemnavit.

197. *Accuſationes contra Christum* Hactenus facti diſputandi ſeries; quam liquido verborum apparatu breviter, & fideliter expoſui cognoſcendam. Vos æquiſsimi Judices, Patréſque conſcriptos dum compello, *Fortiter refutantur.* veſtrorum Numinum ſimulacra, quæ in magnifico hujus Curiæ Palatio copioſè conſita pro Dijs immortalibus colitis, ita diſpoſita adverto, ut allatas Actorum accuſationes primò enervare, deinde contra cæcum aut malignum Judicis proceſſum me totum conſurgere atque invehere præcipiant. Audite cœli, & obſtupeſcite! Penſate, ô magni magnæ Themidis Miniſtri, accuſationem gravem, quam grandævus quidam Actorum Antiſtes, velut tertius de cœlo Cato, elato vocis clamore coram Romani Prætoris Tribunali audacter profudit: *Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram.* *Lucæ 23. v. 2.* Facinus utique horrendum, ſi actor in probando haud defecerit! Itáne verò Hebræorum gentem ſubvertit, qui tot fatales eorum hoſtes uſque ad internecionẽ extinxit, præſertim verò Ægyptiorum Tyrannũ unacũ exercitu ſuo mari rubro ſubmerſit? Itáne verò fuit ſcandalum in Iſraël, qui Iſraëlem fugientem ſicco pedum veſtigio per conſiſtentes undas maris, & anguſtas deſerti vias, ſicut oves, deduxit in Terram lacte & melle fluentem? Itáne verò conturbavit Judæos, qui olim per Angelum eorum Duci in fumigante Sina tradidit Legem; & nuper per vicos ac plateas reſtituit infirmos, ignorantes docuit, mortuos ſuſcitavit, ad virtutem & ſanctitatem fortiter omnes inſtruxit? Qui ut omnes vel in ſuo contineret officio, vel ad illud redigeret, diu noctúque non quievit, evangelizando per Galilæam & Judæam? Judicate, Patres conſcripti, an colligere plebem ſit conturbare, an convertere ſit ſubvertere, an ædificare ſit deſtruere? Nec altera ſubſiſtit accuſatio, quam potens Sacerdotum Archipræpoſitus coram Præſidis Tribunali produxit: *Invenimus*, loco omnium inquit, *hunc prohibentem tributa dare Cæſari.* *Ibidem.* In condemnationem mei Clientis vobiſcum totus exardeſcerem, ſi vel minima veritatis umbra adhæreat denuntianti. Obteſtor Romanæ Curiæ

in

In Galilæâ & Iudæâ Officiales, ut candidè profiteantur, an condemnatus quidpiam inſolentiæ contra tributariam Cæſaris legem temeriè? Quinimò tentabatur ab æmulis, dolosè eum interrogantibus, an liceat, deceatque tributum dare Cæſari? Ille verò denarium ſibi adferri juſſerat; quo exhibito, & bene conſiderato petebat, *cujus ſit hæc Imago?* Cùm verò reponerent, eſſe Cæſaris, protinus decidit ſententiam: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt DEI, DEO.* Matth. 22. vers. 7. Aliâ vice cùm ab eo exigeretur didrachma, & ob paupertatis neceſſitudinem non haberet, unde præſtaret; hamum mitti juſſit in mare prope Capharnaum, & occurrentem extrahi piſcem, ex cujus viſceribus protractum ſtaterem exactori Cæſareo ſolveret. Iudicate, an non Actor in probando deficiat, & manifeſtâ contra Clientem laboret calumniâ? Succedit tertius, magnus legis zelator, Sacerdotum Mandrita, qui graviſſimam producit querelam, quaſi condemnatus meus Cliens regem ſe fecerit Hebræorum, ac jura regia iniquiſſimè uſurpaverit; ſicque adeò peſſimâ fide invaſerit Cæſareæ Majeſtatis in Iudæa Thronum, ad graviſſimum præjudicium Romani Dominij. O plene omni dolo, quid falſitatis effutis contra illum, cui totius Plebis ſuffragatur teſtimonium? quæ cùm propter incomparabiles ipſius dotes, & admirabilem converſationem, ſanctàmque prædicationem eum vellet evehere, & proclamare in regem; tantùm obtinere trinâ vice haud potuit, quin ſe eorum zeloſæ commotioni clàm ſubtraheret, & regij Nominis ſplendore longè abalienaret. Confitebatur quidem veſtro Præſidi, ſe eſſe regem; at verò non eſſe ſe regem de hoc terreſtri regno, ſed regem alicujus cœleſtis regni, cujus notitia ad veſtram Curiam hactenus non penetravit. Et verò ſi rex fuiſſet de hoc Mundo, an non ſtipatorum exercitus, ac regiæ Aulæ apparatus, eum è vinculis ac infami captivitate potentiſſimè ſubtripuiſſent? Nihil ergo ſive contra publicam Populi tranquillitatem, ſive contra Cæſaream Majeſtatem, ſive contra municipalia Iura peccavit IESUS, quem falsò & iniquè accuſàrunt Sacerdotum cohortes, ac turbæ Seniorum. Nec interim inficias ibo, quin revera ſe Filium DEI eſſe dixerit, prout erat. Et quis prudentum virorum de hoc dubitaret? utpote quòd tot, & tanta patrârit miracula: quæ, cùm longiſſimè omnem naturalis ordinis ſuperent conditionem, haud alium ſibi auſpicabantur Authorem, quàm Divinum, & quidem verè DEI Filium. Palinodiam certè ipſi accuſatores cecinerant, quando ſub morientis in Cruce momentum viderant tenebreſcere diem, diſſilire petras, tremere terram, æſtuare fluctus, prodire è ſepulchris defunctos, ac tam horrenda prodire portenta; ut propriâ confeſſione ſuæ cauſæ æquitati officerent, exclamando: *Verè filius DEI erat iſte!* Matth. 27. v. 54. An non hæc omnia ſigna Divinitatem ejus demonſtrabant; quando confœderati veſtri Athenienſes, impares quidem imperio, ſed ſapientiæ famâ illuſtres, unanimi ſententiâ in ſuo Peripato conclamàrunt: *aut DEUS naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur?* Et quid portendebat veſtrorum Numinum, in Panthei circumferentiâ, cæteriſque fanis, circa executionis punctum propitiatoria oblata in communi victima; quàm ut Numina veſtra propitium ſibi redderent hunc DEI Filium, ne ex tremenda concuſſione Orbis Vrbs tota cum Imperio corrueret?

198. Teſtimonium latronis pro Chriſto adducitur. Sed quid anxius fatigor pro juſtificanda mei Crucifixi Clientis cauſa, ac Innocentia, ſive coram conſcriptis Patribus, ſive coram arbitro mundo defendenda? Tametſi omnes linguæ obmuteſcerent, & ipſa æquitas eclipſaretur, & aures ſurdorum propoſitioni meæ inſultarent; adhuc tale ſuppetit teſtimonium, quod omnium arbitrorum animos in ſe validè convertet. Non producitur hoc teſtimonium à Patre, aut Spiritu mei Clientis, ne laboret ſuſpicione: neque ab amicis

tiam ad delinquendum nunc poterat inclinari: ex quo de Jure nec poterat denuntiari facinoroſus, nec accuſatus convinci, nec reus condemnari. Opera ejus à ſæculis inaudita, & vitæ integerrimæ converſatio, quæ glorioſiſſimè pro ipſius pugnant Innocentia, uſque adeò famâ volante toti innotuêre Orbi, ut etiam ſupremi Imperij culmen, ac Vrbis faſtigia, celebratiſſimo pulsârint nuntio: ut mirum ſit, iniquũ hunc Judicem, contra fas & æquũ, tam turpiter enormibus erroribus ſubſcripſiſſe.

200. Ficti conatus Pilati pro liberando Chriſto.

Fateor quidem, quòd aliqualem adhibuerit conatum pro dimiſſione Innocentis: ſed hic conatus plurimùm aggravat illatam injuriam. Primò etenim Barabbam ſceleſtiſſimum latronem, ſimul & innocentiſſimum JESUM produxit, & expoſuit liberæ præelectioni inimiciſſimorum Actorum: *Quem vultis, vobis dimitti*, ait, *Barabbam, an IESUM?* (Matth. 27. v. 17.) Non hunc, non hunc, ſed Barabbam, clamabant unanimiter ſinguli. Videtis, ad quantam malitiam devenerit Pilatus, ut dimiſsâ *Juſtitia* viâ, Innocenti talem offerret *gratiam*, quam prudenter conijcere poterat, ipſi nunquam obventuram. Deinde conabatur redimere vexam, & flagelliandũ tradebat tortoribus: ſed hæc caſtigatio crudeliſſima erat illi quidem contra Juris ordinem inflicta, qui acerbiſſimę mortis tyrannidem non eſſet declinaturus. Inſuper ſic caſtigatum (laceratum, aut planè excoriatum rectiùs dixero) producit foras, loquens publicâ voce: *Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoſcatis, quia in eo nullam cauſam invenio*; (Ioan. 19. v. 38.) ſperans, tanto ejus ſupplicio, factum fore ſatis adverſantium deſiderio. Sic enim eſt caſtigatus, ut dignior ſit miſericordiâ, quàm invidiâ. *Nullam invenio in eo cauſam*, vel Romani Imperij læſi, vel publicæ Rei perturbatæ, vel alterius ſceleris admiſſi. Audivi, quæcunque contra eum protuliſtis teſtimonia, quæcunque objeciſtis crimina; & quidem exactiſſimè ſingula ad trutinam Juſtitiæ ponderavi: totam adhibui induſtriam meam, ut excogitarem, an ſalvâ æquitate poſſem quidquam invenire morte dignum: quæſivi, & non inveni. Iniquum autem eſt condemnare ad mortem, qui nihil commiſit morte dignum. Hoc ergo proteſtor coram cœlo & terrâ, & vobis omnibus teſtibus; poſt ſingula, & univerſa contra eum allegata, & maturè expenſa, *nullam invenio in eo cauſam*. Ita quidem conabatur Pilatus; & inſuper videns, *quòd nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret; acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens: innocens ego ſum à ſanguine Iuſti hujus: vos videritis.* (Matth. 27. v. 24.) Verùm omnia hæc fictè egit Prætor, & ſimulavit proteſtationem facto contrariam. Effectus probavit, quid animo molliretur vulpes doloſa.

201. Pilatus condemnaſſe Ieſum convincitur pro poteſtate, non pro æquitate.

Ab initio quidem, quando cauſam mei Clientis per viam Juris ac Juſtitiæ cœpit examinare, nullam in eo inveniebat cauſam, per quam conſtitueretur reus. At verò quando malitioſi clamabant Hebræi; *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris*; pluris faciebat Imperatoris gratiam, quàm Juſtitiam: quâ ſublatâ quid ſunt Imperia, quàm magna quædam latrocinia? Ergò tunc planè loquendi ordinem invertit, & qui priùs de dimittendo Innocente fictè certaverat, jam de occidendi poteſtate palàm diſputare non dubitat: *Neſcis*, inquit, *quia habeo poteſtatem dimittendi te, & poteſtatem habeo crucifigendi te.* Tuâ, Pilate, voce conſtringeris, tuâ damnaris ſententiâ; pro poteſtate igitur, non pro æquitate, crucifigendum Dominum tradidiſti: per poteſtatem abſolviſti latronem, authorem verò vitæ interfeciſti. Vidit populum Pilatus, vidit Sacerdotes & Synagogæ Principes tumultuosè agere, vidit ſolâ invidiâ, non autem æquis aut fundatis rationibus agitari; & ideò generoſo animo debuiſſet violentiam perfringere, potenter ſeſe opponere, & innocentem defendere: ille verò formidoloſus, & iniquus, *adjudicavit fieri petitionem eorum.* (Luc. 23. v. 24.) Lavit manus Pilatus, ſed facta non diluit: judex enim nec invidiæ cedere debuit, nec timori; ut ſanguinem innocentem à crudeli mortis ſententiâ vindicaret. Imò quando veri-

tatis fieri audivit mentionem, haud ſecùs, ac ſi peregrinum aliquod & ignotum nomen audiviſſet, attonitus interrogavit Jesum: *Quid eſt veritas.* Joan. 18. v. 38. Judices veritatis indagandæ cauſâ, Tribunalia conſcendunt: ipſe verò nec intellexit veritatem, nec interrogationis propoſitæ expectavit reſponſum; ſed *cùm hoc dixiſſet* Pilatus, *iterùm exivit ad Iudæos*: quò ipſum ſua impulit inſtabilitas, deduxit puſillanimitas, tam indecora Romano Tribunali, quàm meo Clienti præjudicioſa. *IESVM ergo tradidit voluntati eorum*, hoc eſt, Judæis: tradidit Agnum Dei voraciſsimis lupis, ut devoretur; rabidiſsimis canibus, ut mordeatur; immaniſsimis leonibus, ut diſcerpatur. Tradidit illum, & cum illo omnia ipſius. Totum ejus, nullâ parte exceptâ, tradidit; honorem, famam, valetudinem, robur, ſanguinem, caput, oculos, aures, manus, pedes, totum corpus; ut cum illo facerent, quidquid quocunque modo diriſsimo vellent, aut poſſent. Non attendit merita cauſarum, ſed perſonarū; non vitam, ſed munera; non Juſtitiam, ſed gratiā; non jus, ſed pecuniam; non quod ratio dictet, ſed quòd voluntas affectet; non quod lex ſanciat, ſed quod mens cupiat: non inclinavit animum ad juſtitiam, ſed juſtitiam ad animum; non ut quod licet, hoc libeat, ſed ut hoc liceat, quod libet. Et ideò plenus temeritate, ſententiam tulit iniquiſſimam; & ſine morâ mandavit executioni dari, per formam, quæ ſequitur. Adrichomius in deſcript. Jeruſ. n. 115. & Scaliger. to. 8. c. 7. *IESVM Nazarenum, ſubverſorem Gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam (ut Majorum ſuæ Gentis teſtimonio probatum eſt) educite ad communis ſupplicij locum; & cum ludibrio Regiæ Majeſtatis, in medio duorum latronum, cruci affigite. I lictor; expedi cruces.*

202. Errores graves Pilati contra jura exagitantur. Accedunt his omnibus graviſſimi errores, quos vel commiſit temerariè, vel diſſimulavit fraudulenter, vel ignoranter in totum ſententiæ proceſſum induxit. Nunquid licet Jus dicere in ſubditum non ſuum? Hoc fecit Pilatus; nam cùm ſola Judæa ipſi adminiſtranda obtigiſſet, uſurpavit jurisdictionem, & in Galilæam extendit: meus enim Cliens Galilæus erat, de Nazareth. Et hoc quidem non ignoranter, ſed petulanter fecit; nam agnovit ſuæ jurisdictionis defectum, quando accuſatum Jesum ad Herodem Galilææ Regem, tunc Jeroſolymis verſantem, tanquam legitimum ſuum Judicem, remiſit. Deinde cùm ex Actoribus intelligeret accuſationem gravem, quòd Reus denuntiatus Filium Dei ſe fuerit profeſſus, an non de rei veritate prudenter dubitare debuit, & totum cohibere proceſſum; ne fortè jus diceret mortalis ſuper immortalem, ſubditus ſuper ſuperiorem, homo ſuper Deum? Deinde ubi unquam æquiſſimæ veſtræ leges tantum facultatis concedunt Prætori, ut partium cauſæ non per Juris ordinem, ſed per poteſtatis violentiam decidantur? condemnentur innocentes, & abſolvantur rei? audiantur calumniatores, & defenſores repellantur? Quòd ſi hæc practica à vobis ratificata ſubſiſtat, jam magnorum Principum dicaſteria declinabunt in publica innocentum virorum latrocinia. At verò, quantò magis hoc ſummum veſtrum Tribunal præcipit, ut Jura contra vim, non vis contra Jura prævaleat, tantò apertiùs Prætor æquiſſimas veſtras ſanctiones infregit; quandoquidem non tantùm verbis ſeſe talem erga meum Clientem exhibuerit, quòd habeat poteſtatem dimittendi eum, & condemnandi; ſed etiam ipſo actu, convictum ac confeſſum dimiſerit latronem, econtra innocentem condemnârit Jesum. Sciebat inſuper, Actores odio, invidiâ, & vindictâ torqueri contra meum Clientem; non verò ex Juſtitiæ, aut boni publici zelo, moveri ad exemplarem caſtigationem denuntiati. Sciebat teſtes adductos ſeſe ultrò obtuliſſe, nec acceſſiſſe rogatos, vel advocatos; contra manifeſtū duodecim veſtrarū Tabularū textum, jubentiū, ut *teſtis ultrò accedens repellatur.* Et tamen Prætor non repulit tot vitijs laborantes Actores,

nec

nec teſtes iniquiſſimos excluſit. Ecquæ tandem malorum Syrtes civili Societati reſtabunt ſuperandæ, ſi Tribunalia invidiæ & livori ambas aperiant aures, utraſque claudant imbelli Innocentiæ? Quæ omnia vel ex ijs literis efficaciſſimè demonſtrantur, quas ipſemet Prætor pro informatione ad veſtram Romanam Curiam direxit; ita ut propria confeſſio ſit omnium manifeſtiſſima probatio. Longior forem, ſi literarum copiam producerem; quas cohibeo, ne importunior ſim tam clementi ac honorabili Auditorio.

203. Inſuper gravitatem cauſæ exaggerat, quòd Prætor meo Clienti nullum prorſus poſuerit vel admiſerit terminum, quo juſtæ defenſionis arma arripiat, & ea producat argumenta, quibus ejus Innocentia condignè probaretur. Quàm effronter illud ſanctiſſimum decretum infregit, quod veſtra Majeſtas Cæſarea elapſis antè duodecim circiter annis, & quidem ſexto ſui feliciſſimi Imperij, maturâ deliberatione totius Senatûs, Populique Romani conſenſu promulgavit, & obſervari mandavit, tenoris ſequentis: *Factum Senatus Conſultum, ne decreta Patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur; idque vita ſpatium damnatis prorogaretur?* Tam parùm Prætor laudabilem hanc conſtitutionem obſervavit, ut non ſolùm eodem adhuc ſole, ſed & eâdem adhuc horâ, primæ Accuſatorum inſtantiæ deferret, omnem interlocutorium terminum eliderer, mortis ſententiam ocyùs præcipitando decideret, & immani crudelitate per ſuos carnifices executioni diriſſimæ commendaret. Et hic ſit legitimus terminus, quem omnium Gentium Jura, ipſúmque adeò Naturæ lumen, pro juſtâ ſui defenſione indulſerunt denuntiatis? Eccui Juri tandem hanc mortis ſententiam accomoda vit? Fortaſſis Hebræorum Levitico? At verò hic blaſphemos, & impoſtores prophetas, obrui jubet lapidibus. Aut certè præſtantiſſimis Romanorum conſtitutionibus? Sed contra latrones, & homicidas, determinant furcas & cruces. Quo ergò jure Pilatus Clientem meum condemnavit ad crucem, qui nec de blaſphemia, nec de homicidio convinci potuit? Nec poteſt ſe defendere, quòd Jesum condemnârit ad furcam, eò quòd regem Judæorum ſe proclamâſſet. Fateor, debuiſſe Prætorem Judæorum regnum Romanis armis expugnatum ita adminiſtrare, ne quiſpiam illud dolo aut vi invaderet, ac ſibi appropriaret: ſed verò ut quid ſolenni inſcriptione fatetur id ipſum, dum titulum poſuit ſuper caput ejus, *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum*, non obſtante etiam Hebræorum proteſtatione? Debuiſſet certè importunos & malevolos accuſatores virtute infringere, vi repellere, & ſub gravi mulctâ à ſuo Prætorio abigere, tanquam paſſionatos, improbos, & vindictæ cupidos Actores: ſed verò à fori competentiâ ipſemet fuit rejectus timore, mox ubi de comminatione Cæſareæ diſgratiæ advertit inſtantiam. Sperabat avariſſimus homo pretioſum munus, ſi iniquiſſimæ denuntiantium voluntati ſatisfaceret; & ideo ſui ipſius ac ſupremi Numinis oblitus, orbatus intellectu, alienus à ſenſu, *JESVM tradidit manibus nocentium.* Nec rarum, aut inſolitum erat Prætori, Juſtitiam pecunijs venalem exponere: ſæpiùs nempe latronibus, ac prædonibus colluſit; ſæpiùs cruentas tulit ſententias in capita innocentium. Multorum facinorum gravatam gerebat conſcientiam, quæ minis & terroribus non difficulter flecteretur ad tam enormem ſententiæ deſideratæ ac promulgatæ executionem.

204. Quæ cùm ita ſint, prout contra iniquiſſimum Judicem Pilatum pro innocentiſſimo Jesu probavi luculenter, tuæ Cæſareæ Majeſtatis, ô Tiberi, veſtrorúmq; Patrum conſcriptorum æquiſſimo arbitrio, ac circumſpectæ providentię diſquirendũ comitto; quid ærumnarum tandem in ampliſſimis veſtris Provincijs ſit proditurum, ſi Prætoria & Tribunalia

Variorum Iurium violatio à Pilato facta in condemnatione Chriſti.

Tacitus 1. Annal. Baronius anno Chriſti 22.

[illegible]

Epilogus orationis.

veſtra tot cædibus madeant, tót corruptelis inundent: quid tandem obſcuritatis in glorioſiſsimam veſtram famam, & æquiſsimum ordinem Romanæ Curiæ ſit ſuperinducendum, etiam apud Barbaros & Garamantes; ſi judiciorum depravationes tam clamoroſæ, & nefariæ, ſine exemplari caſtigatione foveantur impunè. *Integer vitæ, ſceleriſque purus* meus Cliens Jesus, verus Dei Filius, & totius mundi Salvator, ab hoſtibus ſuis iniquiſsimè captus, calumnioſiſsimè denuntiatus, crudeliſsimè dilaniatus, & à Pilato per ſummam injuriam ad mortem probroſiſsimæ crucis eſt condemnatus. *Nunc judicium eſt mundi*, Auguſtiſsime Cæſar, Patréſque conſcripti, ad quos viâ juris appello, ut quod juſtum & æquum eſt, judicetis; prout pro Cliente meo contra Judææ Prætorem, quâ par eſt, reverentiâ ac ſubmiſsione dixi.

205. Pilati, & aliorum Pontificum mors deſperatiſſima.

Potuiſſet, ornatiſsimi Auditores, hæc oratio Tiberium Cæſarem, ac Romanum Senatum ad indignationem contra Pilatum provocare acriter, ſi cum tantâ energiâ coram tam Auguſto Tribunali fuiſſet declamata. Sed verò quod ego diſſertâ oratione nunc expoſui, jam olim itinerantium rumor graviter diſquiſivit, & publica fama Romanis auribus prolixè ingeſſit. Hinc quamprimùm Cæſar Tiberius certior redditus eſt de condemnato Innocente ad crudeliſsimam mortis ſententiam, protinùs Pilatum Judææ Prætorem ad comparendum Romam citavit; ut & ſuarum actionum exhibeat rationem, & conſequenter de facinore condignam recipiat mercedem. Itaque Pilatus, prout ſibi plurimorum ſcelerum erat conſcius, Romam petit; & inconſutili tunicâ Salvatoris noſtri, quæ ipſiâ ſuis militibus dono obtigerat, ſub extrinſecis veſtimentis indutus coram Cæ- *Didacus Vega in Pſal. 1. panitent. Michaël Angelius in Pſal. 37. Poſquest.* ſare ſe ſiſtit. Statuerat animo Tiberius, tractare & increpare Pontium Pilatum in judicio, qua poſſet, indignatione, iraeundiâ & furioſitate; ſed verò ubi vix ad ejus conſpectum is venerat, ſubitò mutatus Cæſar quàm humaniſsimè ſuſcepit citatum, gratioſè audivit, & impunè abſolutum, de causâ triumphantem juſsit abire cum plauſu. Vix dum è Cæſaris conſpectu diſparuit Prætor, mox iterum reſuſcitatâ indignatione graviſsimâ revocari eum jubet Tiberius, ut contra ipſum conceptum formaret proceſſum; & hoc iterum, iterúmque factum: ſed quoties Pilatus reintravit, toties Tiberius iram abjecit. Tandem comperto, quòd tunicâ ſanctiſsimi Prophetæ pro interulâ indutus eſſet Pilatus, eam exuere jubetur, ac ad conſpectum Cæſarei Tribunalis reverti. Tum rota mutata ſcæna, & Cæſar contra præſentem iniquiſsimum Iudicem graviter infremuit: nec poterat Pilatus validis, aut apparentibus rationibus, graviſsimas ſuas exorbitantias defendere. Ergò tandem juſtâ Cæſaris ſententiâ, Iudææ Præturâ privatur, Cæſaris gratiâ exuitur, & Viennam Galliæ in perpetuum exilium deportatur: ubi haud diu infamem ſuſtinuit maculam, ſed paulò pòſt ſuæ infelicitati compendioſum terminum poſuit, vitámque ſibi pugione per guttur immerſo impotenter abſcidit. Idipſum Nicephorus de *Nicephorus l. 1. c. 10. & alij.* Anna, Caipha, cæteriſque ſummis Pontificibus, Seribarum & Phariſæorum primatibus, qui expreſsè ad innocentis Jesu condemnationem fuerant cooperati, luculentâ inductione teſtatur; quòd cultris, laqueis, ſubmerſionibus, præcipitijs, venenis, ac ſimilibus deſperatiſſimis medijs, ſui ipſius juguli executores carnifices non ita multò pòſt evaſerint.

Abſcindo & ego filum de corruptione Judiciorum humanorum, ac civilium Tribunalium; ſed non interrumpo Gallinacei clamorem, peccantem Petrum ad lachrymas provocantis; quem ubi in craſtini diei luctuoſum differo diluculum, cum S. Papa Leone finaliter exclamo, cordialiter ſuſpiro: *O ineffabilis gloria paſſionis; in qua & Tribunal Domini, &* *S. Leo ſerm. 8. de Paſſione.* *judicium mundi, & poteſtas eſt Crucifixi.* Amen.

PARASCEVES.

GALLINACEUS CANTANS.

Das bewögliche Hannengeſchrey.

LEMMA.

Excubitorque diem cantu prædixerat Ales, Virg. in Moret.

THEMA.

Et continuò Gallus cantavit. Matth. 26. v. 74.

SYNOPSIS CONCIONIS XXIII.

Lamentabilis Petri negantis caſus, mira reſpicientis JESU potentia, validus Galli excubantis clamor, & amaræ Petri pœnitentis lachrymæ, luctuoſo ſimul ac doloroſo exhibentur ſpectaculo.

206. Galli cantus honorificè ab omnibus Evangeliſtis relatus.

NOn eſt myſterium tam ſubtile intellectu, tam ſcitu neceſſarium, tam ſcrutatione profundum, ſive in Pentateucho Moyſis, ſive in Regum voluminibus, ſive in Canonicis Prophetarum vaticinijs, ſive in Sapientiæ Salomonicæ libris, quod tam conſtantem & conformem ſuæ veritatis promerebatur atteſtationem, tam candidam & unanimem ſibi conciliabat deſcriptionem, quàm prodigioſus Galli cantus, luctuoſæ Dominicæ Paſſionis hiſtoriæ interveniens. Enimverò ſinguli Evangeliſtæ, dum ſpecialiſſima etiam Chriſti Domini dicta & facta vel ſingulatim referrent, vel certè non conjunctim omnes plenè enumerarent; ita conſtanter Galli cantum Paſſioni Dominicæ inſerendum judicârunt, ut omnes expreſſis profiterentur terminis, cantâſſe Gallum. (Matth. citat.) Matthæus quidem ait: *Et continuò Gallus cantavit*. (Marci. 14. v. 68. & 72.) Marcus: *Et Gallus cantavit; & ſtatim Gallus iterum cantavit*. (Lucæ. 22. v. 60.) Lucas commemorat: *Illo loquente, cantavit Gallus*. Joannes addit: *Et ſtatim Gallus cantavit*. (Joan. 18. v. 27.) Grande myſterium, penetrantiſſimus Galli cantus, tam uniformi Canonicorum Scriptorum atteſtatione indigens! Galli cantus; utique non ad lætitiæ, ſed lachrymarum ex corde profuſionem; non ad voluptatem, ſed acerrimorum dolorum compaſſionem provocans, & invitans! Occurrit in fronte pulcherrimus D. Ambroſij locus, omnia in compendio complectens, quidquid (S. Ambroſius l. 5. Hexaem. c. 24.) ad diei excubitorem Gallum poſſet laudis & encomij accreſcere. [Galli „cantus, inquit, ſvavis eſt in noctibus; „nec ſolùm ſvavis, ſed etiam utilis: qui „quaſi bonus cohabitator, & dormientem excitat, & ſollicitum admonet, & iter facientem ſolatur, „preſſum noctis canorâ ſignificatione „proteſtans. Hoc canente, latro ſuas „relinquit inſidias; hoc ipſe Lucifer „excitatus oritur, cœlúmque illuminat. Hoc canente, mœſtitiam trepidus nauta deponit; omníſque crebrò veſpertinis flatibus excitata „tempeſtas, & procella miteſcit. Hoc

„canente, devotus affectus exilit ad „precandum; legendi quoque mu„nùs iuſtaurat. Hoc poſtremò canen„te, ipſa Eccleſiæ Petra culpam ſuam „diluit, quam priusquam Gallus can„taret, negando contraxerat. Iſtius „cantu ſpes omnibus redit, ægris le„vatur incommodum, minuitur do„lor vulnerum, febrium flagrantia „mitigatur, revertitur fides lapſis, „Jesus titubantes reſpicit, errantes „corrigit.] Hucusque Ambroſius. Ecquid non poteſt Gallinaceus ſuo cantu? B. Torellum, tertiæ regulæ S. Franciſci Eremitam, interrogate, quid ab hac aliæ domeſticâ didicerit. Hic adoleſcens patre orbatus, laſcivam duxerat vitam: ſed cùm Gallus Gallinaceus ex feneſtrâ in ejus humeros evolâſſet, térque decantâſſet, ad bonam frugem, rigidámque vitam converſus eſt; opinatus, trino Galli cantu ſe, velut alterum Petrum, ad pœnitentiam invitari. Et vos invito, pientiſſimi Auditores, ut unà ſimul compareatis Solymis in atrio Principis Sacerdotum: ſomnia enim excuſſit, & diem illum lugubrem adeſſe cecinit *nuntia lucis Avis*, quo Tragœdia exhibetur orbi, cœlitibus & terrigenis inaudita, tremenda, luctuoſa. Perſonam in hac Tragœdia agit Petrus humanam, miſeram, lugubrem, pœnitabundam: Gallinaceus Petro non tam accinit, quàm improperat. Vtriusque conditionem hodie vobis lamentabilis Actor in ſcænam adduco, Petrum ſcilicet negantem, & Gallinaceum pro revocando Petro ad pœnitentiam intonantem. Terreat nos Petri negantis lamentabilis caſus, ut agnoſcamus propriam peccandi miſeriam: confortet mira reſpicientis Jesu potentia, ut de infinitâ Dei miſericordiâ non deſperemus: excitet validus Galli excubantis clamor, ut ad vocem inſpirantis Domini non obduremus corda noſtra: ſtimulent amaræ Petri pœnitentis lachrymæ, ut propter iniquitates noſtras contrita, & humiliata coram Altiſſimo corda effundamus.

Waddingus an. 1282. num. 3. Martyrol. Franc. 16. Martij.

207. Negantem primò obſervate Petrum. O quàm facilè inhærent vel optimis, depravati Aulæ mores! Vix ingreſſus eſt in illam ſimplex piſcator, cùm illic ſine magiſtro prævio & ſimulare didicit, & mentiri. Nam negavit in tali loco, ubi ignorabant omnes, quid eſſet veritas: & ille quidem negavit, qui cognoviſſe haud potuit Veritatem, quàm viderat ſputis conſpurcatam. Culpâ tamen non caret negatio: nam & aulam intravit liberè, in quam Jesus vix poterat funibus trahi; & quidem Jesum *ſecutus eſt à longè*. Ingreſſus eſt quidem & Joannes cum Jesu, ſed non ſequebatur à longè ut Petrus. Bonum factum: cum hoc enim duce vel ipſam inferorum aulam, æternæque mortis prætorium, quivis ſecurus ingreditur: modò ſit cum Jesu, quocunque ingrediatur, ubicunque agiret, non curo, non requiro; nusquam illi malè erit, qui cum Jesu introierit. Vt agnoſcaris, quantùm interſit inter Petri & Joannis ingreſſum, utriusque etiam obſervate exitum. Hic à Chriſti latere non declinat, nec quisquam illi faceſſit negotium: ille à ſatellitibus, & ancillis per ludibrium vexatur, & ſubitâ timoris procellâ deijcitur. Quid hoc rei eſt? Ioannes Galilæus erat, notúsque familiæ Pontificis, nec tamen interrogatur à quoquam de Chriſto: Petrus homo ibi novus in ea ſatellitum ac militum turbâ varijs ſtatim ſciſcitationibus vexatur; & unde illi ſecuritas favet, huic periculum accreſcit? Ille nimirum cum Iesu, hic longè ab eo ſtat ad oſtium foris. Rapiebatur mens Petri alterno æſtu: nunc amore, nunc timore: quantùm, ut iret, incitabat amor; tantùm, ne iret, retardabat timor. Vnde hoc luctante, illo reluctante, cœpit claudicare, qui antè exultabat ut gigas ad currendam cum Chriſto duriſsimam viam: cœpit longè recedere; & cujus ſolebat eſſe ſtipator lateris, jam nec ſpectator eſt corporis; cujus ſolebat audire vocem, jam nec intuetur faciem. Prænovit hoc olim in fimeto invictus Dei Athleta Iobus, qui quidem auſus eſt quemcunque ad pugnam laceſſere hoſtem,

A longè ſequi Chriſtum, quàm periculoſum.

hoſtem, ſed juxta DEUM, non longè à DEO. Sic enim audacter loquitur ad DEUM: *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me*; tecum ſecurus ero, & armatas legiones imperterritus penetrabo. Iuxta Chriſtum non eſt ullius, etiam fortiſsimi, pertimeſcenda manus; longè à Chriſtô cujusvis, licèt infirmiſsimi, timenda eſt lingua. O Petre, exitio proximus es, ſi vel ad jactum lapidis à Chriſto ſis elongatus: juxta Chriſtum perſiſtes fortiter, licèt in te impreſsionem faciat armata militum caterva; longè à Chriſto cades, ſi tecum congrediatur vel inermis ancilla. Quia in horto eras juxta Chriſtum, hinc quidlibet audebas feliciter: minacem militum cuneum non tantùm non fugiebas, ſed fermè etiam machærâ tuâ fugabas; fulminis inſtar vibrabas enſem, promptus omnia vel cum Chriſto, vel pro Chriſto aggredi: at verò nunc quomodo torpes? ut palles? ut tremis? quàm non ſanguinis tibi propè conſtringitur gelu? ut ſollicitos undique pavidos circumfers oculos? Vides, quantùm interſit intrare aulam, & ſe-

Ioh. 17. v. 3.

Aulæ pericula Religioſis cavenda.

qui à longè! Quàm pauci ſunt hodie, qui Principum aulas cum Chriſto ingrediantur; tam paucos reperies, qui ſæpiùs ſpe, aut timore victi, eum ſe noſſe factis non pernegent. Vſus eſt aulæ familiaritate Ioannes, *qui erat notus Pontifici*; ſed verò ut etiam in aulâ Dominum ſuum non derelinqueret; facto planè imitando ijs, quos ſanctioris ſeverioriſque vitæ profeſſos videmus per Principum aulas volitare, & de illorum familiaritate magnificè ſe circumſpicere. Dic enim, Religioſæ converſationis ſectator, quid agis in aulâ? quid ea te juvat familiaritas, ſi te non juvat ſimul adhærere Chriſto? Dic, quid rei ſit, Chriſtianæ demiſsionis diſciplinam palàm vili pallio profitentibus, in illâ effuſiſsimæ ambitionis academiâ? quid negotij, quietem vitæ inſtituto ſectantibus, in illo perturbationum Euripo; favore atque odio, veluti ventis, ſemper immanè agitantibus turbulentiſsimo Oceano? quid occupationis, cœleſtia contemplaturis, quibus puriſsimis ac maximè acutis animi luminibus eſt opus? Quid, inquam, ſuave eſſe poteſt, ubi ambientium, invidentium, ſéque mutuò fallentium, & majora meritis ac virtutibus audentium, atque mollientium fumo omnia obſidentur, & obſcurantur? Vna tantùm cauſa tutos in aulâ (à qua tamen eos vetus Poëta coërcuit: *Exeat ex aulâ, qui velit eſſe pius*) pietatis cultores poteſt reddere; ſi nempe utantur aulâ, ut cum IESU ſint. Optimè enim Principum favorem gratiámque tum collocamus, cùm ad præclara pro DEI gloriâ patranda ijs utimur; & cùm ad perrumpendas difficultates, absterrendóſque adverſarios inſtructi, hoc motivo procedimus. Verbo dicam; ſi cum IESU ſumus.

208. Sedentem in atrio ad ignem Petrum à Chriſto elongatum, una ex ancillis intuita ſimul interrogat, ſimul indicat alijs, coram quibus primò negat Petrus: illâ jam digreſsâ, cùm ſe inde vellet evolvere, ut ex uno atrio exiret in aliud, iterum vidit illum alia ancilla, oſtendítque circumſtantibus; à quorum uno interrogatus, & Galilææ dialecto, qua ipſe utebatur, veluti oppreſſus, iterum negat, & quidem cum perjurio. Hoc gemino lapſu perturbatum Petrum, regreſſúmque fuiſſe, conjectura eſt; nam poſt horam demum à Malchi cognato agnitus, ac plurimorum interrogationibus fatigatus, tertia vice pernegat, additâ etiam dirâ in ſuum caput execratione: quæ omnia collatis invicem Evangeliſtis liquidò apparent. Fuit nempe Petrus initio pluſ, quàm vir; in fine minùs, quàm fœmina: ignem amoris, quem erga Chriſtum inter undas conceperat, extinxit ad prunas: quem adoravit in aqua, negavit in terrâ. Ex rebus bene geſtis naſcitur negligentia: hinc & Petrus ex hortenſis victoriæ præſumptione ingreſſus eſt atrium fortis, ut exeat captivus. Febribus, ad inſtar ſuæ ſocrûs, frigidiſsimis laborat: quærit ab igne remedium; ſed fruſtrà: nam nec tantum inde luminis accepit, ut videret finem;

Petri trina negatio circumſtantiarū diſquiritur.

finem ; deſtruit enim hic ignis viſum, non acuit : ſi ferreus eſt, obediet ancillæ : ſi palea eſt, abibit in fumum : ſi Salamandra eſt, refrigeſcet in eo charitas ; ſiétque ad hunc ignem ex Petro latro, ſicut in Cruce fiet ex latrone Petrus. Ah ! ibi coaluit *ex calore gelu*, & ex foco frigus ; pari modo, quo juxta Meteoriſtas apud Ariſtotelem vapor calidiſſimus à ſole elevatur ad ſecundam aëris regionem, ex naturâ ſuâ frigidam ; ubi propter antiperiſtaſin congelatur vapor, & conduratur in grandinem, cum impetu depluentem in ſegetes matureſcentes ; ſiétque ſublimato *EX CALORE GELU*. Erat autem Petri cor calidum, atque paratum in mortem cum Chriſto ſeſe exponere : at verò ubi elevatum eſt in atrium Principis Sacerdotum, & quidem ad ſecundam regionem atrij interioris : at verò propter oppoſitum temperamentum, reſultavit *EX CALORE GELU* ; & qui procul à foco erat totus *Calor*, nunc propè ad ignem factus eſt totus *gelu*, totúſque *grando*, cum impetu decidens, & ſuâ negatione frigidâ juveneſcentem Eccleſiæ agrum devaſtans. Ariſtotel. 1 meteor. c. 12.

Quantumvis peritus tractare retia, hamum tamen imperitus piſcator non fugit, è piſcatore factus ipſe piſcis ; utinam mutus ! timidus certè ! nam qui non timuit cohortem, fugatur à fœmina, & dementatur vir ſapientiſſimus. Ita etiamnum dæmon per Evam primos hominum decipit, per ſerpentem fœminam, per fœminam viros. Fecit una mulier confuſionem in paradiſo, confuſionem in domo David, in regno Salomonis, & quod caput eſt, in Collegio Chriſti. Vel una mulier ſatis fuiſſet evertendo Petro, qui totus obriguerat, ac ſi Medeæ veneficæ illius ſtatuariæ aſpexiſſet faciem. Quid jam fiet, cùm ab una fugiens in aliam incidit ? Quaſi verò atrium illud eſſet Tartari, in cujus veſtibulo ſtabulant monſtra, Poëtarum fabulis celebrata ? Miſerum Petrum, quem duæ iſtæ cornices vellicant, diróque cantu terrent, infauſto omine ! Quæ fuit illa ſylva immanium ferarum, in qua à leænâ, quæ contra illum vocem dederat, fugiens Petrus in urſam incidit, vel fremitu perterrefacientem ? Fugiebat ille, preſſo veluti colubro, à primâ ; cùm, ecce ! in ſecundam, quaſi in regulum, incidit. Vna Petrum introduxit ancilla, gemina nunc exire volentem moratur ; creſcunt enim mala noſtra : & qui unâ ſæpius objectâ voluptate peccamus, ne pedem retroferre audeamus, nō unâ, ſed multiplici difficultate impedimur. Qui medias in ſpinas ridentis roſæ purpurâ illectus ſe penetravit, hærentibus undique vepribus retinetur, & quacunque ſe ex parte commovet, pungitur ; apprehenſáque laciniâ, atque ſi conetur, dilaceratâ retineri ſolet. Nec jam duæ tantummodo ancillæ, ſed è miniſtris unus, mox alter, deinde plures, Petro negotium faceſſunt : ita enim comparatum eſt à naturâ, & conſvetudine, ut ruentem impellant plurimi ; nullo quidem proprio odio, ſed libidine quadam vulgò inſitâ cum pluribus nocendi : quaſi ideò in acervum Mercurij lapidem mitti nollet ſapiens, eò quòd illo jactu reliqui commoti, facili ſtrepitu, periculóque corruerent. Proverb. 26. v. 8.

209. Sed verò jam ad multiplicem hunc Petri negantis lapſum, adeſte gemitus & lachrymæ ; & quotquot tepido flumine rigatis genas, adeſte threni ! Concutite aërem mœſtifici ſingultus, & viri fortiſſimi caſum deplorate ; deplorate humani generis plorandam debilitatem ! Eheu ! Quis dabit capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontes aquarum ; quia cecidit corona capitis noſtri ! Quando terræ motu concuſſa eſt Eccleſiæ Petra ; quando dux ille gregis Dominici à lupis eſt abreptus ; & illa columba, quæ ante omnes illectâ columbarij ſuaveolentiâ volabat, ab accipitricibus diſcerpta ! Petrus ille noſter, noſter ille Petrus, quo Chriſtum ardentiùs amavit nemo : noſter, inquam, ille Petrus, ſui oblitus, totúſque in alium mutatus, negat & pernegat eum ſe nôſſe, pro quo paulò antè vel cum ipſa morte con- Negatio Petri quoad circumſtantias graviter agitatur.

congreſſurum ſe gloriabatur. Videte abjectum animo Petrum, dejectum fronte, oculis pudorem & conſcientiam ſceleris teſtantibus, voce timidâ & imbecilli, deprehenſum; timidum; hærentem! O quàm mæſtam præſefert totius oris dejectionem! quàm exhibet confuſi animi notas; intuentibus animadvertendas! Quàm pallidè profitetur ſemel, iterum, ac tertiò ejus ſe hominis ignarum, pro quo mori paratus erat! Quàm abjectè loquitur: *Mulier, neſcio quid dicis. O homo, non ſum!* Quàm effronter jurat, atque anathematizat: *quia neſcio hominem iſtum?* Videtur, ex Petro diſcipulo Chriſti factus frater; ſed Cain. Vbi eſt Abel frater tuus, ô Petre? *Neſcio*, inquis; tantò cum majore mendacio, quò magis eum præ cæteris noveras eſſe Filium Dei vivi; & hoc non ex carnis & ſanguinis, ſed ex Patris æterni revelatione. *Neſcio*, inquis? Ergóne illum poſt beneficia ignoras, qui te noverat, & ſanctificaverat, ô Petre; hoc eſt, in grande illud Apoſtolici miniſterij opus ſegregaverat, antequam exires de utero matris tuæ? Quænam eſt hæc tam repentina oblivio, ut illum neſcires, ô Petre, qui cùm primò te vidit, præclaro hoc nomine actum ornatúmque jam tum ſuper alios extulit? Siccine neſcis iſtum hominem, qui copioſam piſcium multitudinem in tua retia compulit? qui periculoſam in lacu tempeſtatem verbo compeſcuit; quando tu, nauta ſcilicet egregius, cum reliquis pertimeſcebas naufragium, & clamabas, *Domine, ſalvâ nos, perimus?* Siccine eras tunc Corallus, qui in undis fluctuat mollis, & inter duriſſimos homines dureſcit ut petra? Ergóne neſcis hominem, qui à tuâ ſocru febrem æſtuantem abegit verbo, ô Petre? qui te magnis ſemper auſis minorem, protensâ manu eripuit periculo, cùm fallente fidei veſtigio in illo aquatico itinere jamjam mergi cœperas? Ignoras eum, qui te ſibi effecit parem, cùm pro ſe & te juſſit ſolvi tributum ex illo ſtatere, quem piſcis à te hamo extractus inſolito quæſtu gerebat in ore? Siccine oblitus es illius, ô Petre, qui te ſuæ olim Eccleſiæ elegit fundamentum, vicarijs ſuis vicibus, cœlorum clavibus, & ſupremo illo ligandi atque ſolvendi arbitrio inſigniens! Nónne huic ad confluentem turbam concionaturo piſcatoriam tuam cymbam adaptaſti, ut ex eâ, tanquam ex cathedrâ, ad ſtantem in littore populum verba ſalutis faceret? Nónne is ipſe eſt, qui te importuniùs interpellantem, atque ab oppetendâ morte revocantem ſeverus increpuit; exemplum ſequi, non Magiſtro præire juſſit? Nónne hic ante paucas horas tibi reluctanti incredibili modeſtiâ pedes lavit; & vel ideò tui animi languorem debilitatémque diſertâ prænuntiatione exhibuit, ut prædictum prævisúmque periculum vel cautiùs vitares, vel certè ſuperares fortiùs? Et hunc dicis, te neſcire? Et ne tantùm videar, accepta tibi exprobrare beneficia, hic ille homo eſt, quem tu magnis cultum officijs, majoribus adhuc colendum ſtatueras: quem verbo vocantem, navi retibúsque relictis, ſecutus es: quem ſapientior omnibus evectus, verum olim Dei Filium nunquam ſatis laudatâ eloquentiâ ſalutaſti: pro quo te mori paratum, non ita multò antè coram ſocijs confirmaſti, ac demum, cuius tu vitam, ac libertatem evaginato gladio defendere non dubitaſti? Tot tantiſque mutuis officijs confirmatam amici, Magiſtri, Dominique ſuaviſſimi, atque indulgentiſſimi Præceptoris memoriam tam ſubita delevit oblivio? *Non novi hominem iſtum: Neſcio, quid dicis? O homo non ſum?* Simplex quædam negatio videtur eſſe; & prima quidem, quanquam indigna vox Petro, exigua illi videri poterat, & aliquâ interpretatione molliri. Paulò pòſt diſertè ſe Chriſtum noviſſe negat, additóque ju-

Matt. 26. v. 70.

Luca 22. v. 60. Marci 14. v. 71.

 ramen-

ramento confirmat. Ad extremum execrans ac dejerans, furere jam videtur atque inſanire: ut qui per ardua atque abrupta montium anguſtiſſimâ ſemitâ gradiuntur, ubi primò veſtigium fefellit, excidunt; per acclivia mox ruunt; demum immani lapſu ſuo ipſimet pondere, aut alieno impulſu, devoluuntur in præceps. Nemo repente fit peſſimus, & pudor paulatim abit: timidè primùm peccatur; mox confidenter; poſtremò impudentiſſimè: & *peccator, cùm in profundum venerit, contemnit*, nec ullam ſalutis curam, utpore deſperatæ, arripit.

Prov. 16. v. 3.

210. Solvite lachrymas, & exitus aquarum deducite vos, ô vos, oculi mei! ut defleatis illum, qui non ſuâ tantùm, ſed etiam noſtrâ deflendus eſt causâ. Quis labente Petro de ſuâ ſibi complaceat fortitudine? Quis illo tam leviter de ſuæ fidei gradu dejecto, ſe repromittat in ſtatione perſeveraturum? Hóccine nos ſumus, ut flante levi aurâ proram circumagamus, ac mutatâ feramur rapiamúrque velificatione? Tam citò mutatur optimus viri color, & in degenerem ac plebeium abit pallorem? Erat ſanè Petrus vertex Apoſtolorum, baſis immobilis, petra firmiſſima, Princeps Eccleſiæ, portus inexpugnabilis: nunc tamen talem ac tantum, in Eccleſiæ Paſtorem electum, impingere, ac in teterrimum abnegati Chriſti peccatum ruere, permiſit Deus. Contremiſcit Divus Auguſtinus ſuper hunc Petri lapſum, & exclàmat obſtupeſcentiâ plenus: *Ecce columna firmiſſima ad unius aura impulſum tota contremuit! Ecce caput illud aureum, ad unius lapilli contactum in parte fictili comminutum eſt, & corruit!* A ventis Aquilonaribus auulſæ ſunt Cedri Libani; quâ igitur ratione paluſtres arundines non contremiſcent? Nón à manu, & coronâ militum obſidetur Petrus; nondum ejus cervici gladium ſubdunt; nondum aggrediuntur, nec invadunt armati homines; ſed muliercula quædam, & quidem non libera, ſed ancilla, proſternit in fide gygantem! Divus Ambroſius hunc Petri lapſum ab infallibili Dei Providentia permiſſum fuiſſe arbitratur, ut per ejus exemplum omnes alios conſervaret; ait enim: *Error Petri doctrina juſtorum eſt, & titubatio Petri omnium Petra eſt. Denique ſuper undas titubat, ſed dextram porrigit Chriſtus.* Et ut ſciatis, quid nos doceat lamentabilis Petri lapſus, varios excipite Patres, quos paucos refero. Ex his doctiſſimus Salmeron ſic arguit: *Quòd ſi Angelus de cœlo cecidit, & Adam de Paradiſo, & Petrus Eccleſia columna, in Apoſtolico throno exiſtens Chriſtum negavit; quid nobis cogitandum eſt, niſi hoc unum, quod ſalutariter & opportunè ſuadet Apoſtolus. In fide ſta, noli altùm ſapere, ſed time.* Divus Laurentius Juſtinianus ex hoc lapſu ſexum muliebrem caveri ſuadet, & cum ipſo Paſchaſius.: *Sexus hic muliebris ſemper ſuſpectus eſt; illo frequentiſſimè abutitur diabolus. Quantos robuſtiſſimos telis fœmineis proſtravit viros? Unius muliercula lingua Chriſtiana militia devicit ducem!* Seraphicus Doctor Bonaventura Petri errorem in malam refundit ſocietatem ſic: *Iterat Petrus negationem, quia malorum non deſeruit ſocietatem. Unde Auguſtinus. Quàm noxia ſunt pravorum colloquia, qua cogunt Petrum negare Dominum, vel hominem ſe noſſe, quem inter diſcipulos confeſſus fuerat eſſe filium DEI: unde verificatur illud; corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Nec bonus ſecurè cum malis habitat. Hugo Cardinalis ait, quòd quia Sanctus Petrus aulæ Caiphæ Pontificis pedem inferendo cum aulicis contraxit familiaritatem, ideò lapſus eſt. Et tamen valde modicum fuit ibi; quid ergò feciſſet, ſi diu permanſiſſet? S. Chryſoſtomus ideo permiſſum

Prin-

Lapſus Petri, multiplex doctrina juſtorum eſt.

S. Auguſtin. tract. 113. in Ioan.

S. Ambroſ. l. 10. in Luc.

Salmeron. to. 10. tr. 13.

B. Laur. Juſt. de triumph. Chriſt. agon. c. 8.

Paſchaſ. in Matth.

S. Bonavent. in Lucam.

Hugo Card. in Marc.

Principi Apoſtolorum lapſum expendit, ut dediſceret ſævire, & naturalem deponeret auſteritatem. Sic autem loquitur: *Ideo Petrus lapſus, quia ejus fidei populus multus committendus erat, ne ſi eùm ſeverus eſſet, & jam à peccatis abeſſet, in fratres implacabilis fieret. Prolapſus eſt igitur in peccatum, ut ſuum ipſe peccatum, ac Domini benignitatem cogitans, clemens erga conſervos fieret. Sic namque ex divina quadam diſpenſatione permiſſum eſt, ut ille peccaret, cui erat gubernatio Eccleſiæ credenda. Columna illa Eccleſiarum, fidei portus, Petrus; ille magiſter Orbis terrarum ut peccaret, permiſſum eſt, ut hujus permiſſio, clementia erga alios exhibenda fieret occaſio.* Mitto alias multas rationes, in Petri negationem diſcurſivas, quando Lucas Burgenſis pro complemento efficaciſſimam prodit: *Paſſus eſt hoc Chriſtus in Apoſtolo ſuo ſelecto, ne quis, quamvis graviter lapſus, deſperaret, modò reſipiſceret, & animi maculas lachrymis ablueret.*

S. Chryſ. apud Theophil. Raynaud. in Philologicis fol. 319.

S. Chryſoſt. homil. 80. etiam in Matth.

Lucas Burgenſis in Matth.

211. Itaque omni ex parte inquietus Petrus, loca vitæ ac conſcientiæ ſuæ infeſta deſerturus, *exiit foras ante atrium.* Sedebat, ibat, ſtabat, revertebatur, homo Euripo ſimilis, & arundo agitata ventis. Metus unus Petrum abire cogebat, ne graviùs delinqueret, aut omnino interiret: metus alius redire cogebat Petrum, ne fugâ vel ſolitudine ſuſpectum ſe ſervis redderet. It ergo & redit viam toties, quoties ipſum pellit anxietas & repellit. Interim tot inter animi motus, plùs quàm gallicos, *cantavit Gallus, CLAMOSIOR NOCTE PROFUNDA*: nam ut Hugo de S. Victore ait, *Profundioribus horis, valentiores ac productiores edere cantus ſolet.* Erat denſiſſima & profundiſſima nox Petri, propter graviſſimum perfidiæ peccatum; & ideo validiùs, ac clamoſiùs *cantavit Gallus.* Nempe opus erat altis & magnis vocibus ad excitandum tam profundè ſopitum, tam miſerè dejectum, tam anxiè ſomniantem, & tam periculosè in ſomno, atque in tenebrosâ nocte ambulantem. Surge Petre, qui cecidiſti: ſurge qui dormis, & exurge; nam ecce Gallicinium eſt! Sed Petrus ita ſopitus erat anguſtijs, ut præ nimia perplexitate Galli cantum non obſervaret. Nempe ſurdo canebat Gallus. Tandem rurſum canente Gallo, quaſi ſigno dato, ventum eſt ad Pontificis ſatellites, qui decretorijs illum interrogationibus urgent, terrent, conſternunt, & argumento claro convincunt: *Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit.* Hic ictus jugulì, & fluctus decumanus. Vbique periculum, nuſquam effugium. Actum eſt de cute, de capite Petri. Perſtandum eſt in gradu, perſeverandum in mendacio; ut ſervetur vita, tertiò negetur Auctor vitæ. Et jam Petrus induratus ut petra, perſiſtit in negando; mendacijs mendacia accumulat, juſjurandum interponit; & quod gravius eſt, DEUM in teſtem ſui deteſtandi criminis implorat, milléque diris ſe devovet. Convocatis proinde omnibus ingenij ſui viribus, audaciæ machæris, temeritatis inventionibus: *Cœpit deteſtari, & anathematizare, & jurare, quia neſcio hominem iſtum, quem vos dicitis.* Vt igitur admonitio eſſet legitima, trina debuit per inſtantias reiterari. In tam ferventi negationis actu, *continuò adhuc illo loquente cantavit Gallus*, clamoſior nocte profundâ;

Triplex Galli cantus Petrum commonefacit.

Hugo de S. Victore, l. 1. de beſt. c. 36.

Marci. 14. v. 71.

Excubitórque diem cantu prædixerat ales.

212\. Cecinit ſanè Gallus hic canticum novum, quod nemo præter Petrum intellexit: ubi longa ſuſpiria, breves pauſæ, menſura ſine modo, auditor DEUS; qui ut Petrum alto jam ſcelere oppreſſum excitaret, Gallinacei utitur cantu. Ecce jam non intonuit de cœlo Dominus? An non ſatis digna erat cauſa, Principem ſuæ Eccleſiæ ad mentis ac fidei revocare ſani-

Cur potiùs Galli cantu, quam alio ſigno, Petrus reſipuerit?

 tatem,

tatem, non quidem valido Galli cantu, ſed ingenti cœli clangore? Quoties non ita magnâ de cauſâ olim mugiêre tonitrua? Vt peroranti Samueli fides haberetur à Populo, non conſvetum æſtivis menſibus Palæſtino cœlo auditum eſt murmur: at Samuele major aliquantò futurus olim Petrus, & jam Pontifex deſignatus, vel hac ſola deſignatione antiquum Sacerdotem dignitate antecellit. Cur non cœleſtis alicujus tubæ clangore admonuit? Non erant, ut puto, ſitu aut rubigine obſitæ, quibus olim inflatis in Sinai monte tanta Dei Populum cœpit reverentia, ut ultrò Divinæ legis jugo colla ſubjecerit: neque æneatores illi Angeli minùs validè nunc inflaſſent, ſi ab Altiſſimo id mandati obtinuiſſent. Quòd ſi excitandis olim à mortis ſomno mortalibus tubæ clangor in cinerum ſepulchris eſt audiendus; cur ab hoc lethali ſomno, quo Petri fides oppreſſa corruit, non ſimili excitatur voce? Certè magnificentius aliquid haberemus, & Petro glorioſius, & nobis terribilius. Gallinacei nocturno, conſvetóque cantu admonere quàm vile ſit, nemo non videt. Accedit, quòd Auguriorum inſaniæ authoritatem, & pondus addere videtur iſte Galli cantus; quaſi oſcinis avis, cujus prompta & vaticinio vicina vox eſt. Gallinacei, non luſciniæ, non Canarinæ aviculæ cantu admonitus reſipuit Petrus: habemus domi virtutum magiſtros; & formicis, quibus atria ebulliunt, non novi Orbis ignotis, nos in diſciplinam tradere jubemur à Sapiente. *Prov. 6. v. 6.* Nempe illud ſibi ſemper retinuit Dominus, ut ex obvijs rebus vel maximarum adhiberet rerum ſimilitudines, vel medicinam provideret animorum: nam & per ea, quæ nobis cognata veluti ſunt, facilius proficimus, & ingentem de Magiſtri ſapientia excitamus opinionem; qui res maximas, adeóque à nobis remotas, domeſticâ nobis explicat facilitate, & obvijs argumentis animum ad rerum altiſſimarum contemplationem inducit. Potuit Petrus excitari cantu, humanas in voces efformato; potuit Angelo de cœlo minaciter inclamante converti; potuit Gallo canente ſalubriter excitari: maluit hoc Deus, ut gratiæ ſuæ dignitas atque excellentia non tam exornaretur miraculis, divinæ Omnipotentiæ argumentis, quàm levioris momenti operibus demonſtraretur. Anſeribus olim clangentibus arcem illam, Romani nominis atque Imperij Capitolium, dejectis, qui eam occupaverant, Gallis, ſervatam fuiſſe legimus: nunc Gallo canente, depulſo qui occupaverat hoſte, rupes Variana ſtabilitur, ut inconcuſſa ab hac deinceps horâ æternùm maneat, Orbique ſuperincumbenti ſuâ ſtabilitate ſufficiat.

213. *Oculus Domini quàm potens convertendum.*

Verè Solatis, larvis inimica, & *nuntia lucis avis*, hæc fuit Petro; quæ appropinquantem diem ſalutis, in qua oriri debebat Petro Sol Juſtitiæ, clarámque ejus fidem, cui Oriens nomen eſt, enubilavit. Abiêre jam larvæ, longéque abſcedunt, non tam Gallinacei unius cantu (licèt inimicum nocturnis ſagarum ſceleribus eſſe plerique fabulati ſint) quàm oculorum Chriſti conjectu, quos verè ſuper Auroram & Solem multò eſſe lucidiores, magno ſuo bono expertus eſt Petrus: *Continuò adhuc illo loquente cantavit Gallus. Et converſus Dominus reſpexit Petrum.* *Lucæ 22. v. 60. 61.* Quî enim usquam ſurgere potuit Sol tam lucidâ aurorâ præeunte, quæ diram illam negationis noctem, teterrimis alis animo Petri incubantem, ſuo lumine diſijceret, tenebráſque pigræ, ac ſuis damnis mœſtiſſimæ noctis diſſiparet? Sed enim *ſedenti in tenebris, & umbra mortis, lux orta eſt Petro*, cùm converſus Dominus illum reſpexit. O dulciſſime Jesu: ô amor, & deliciæ humani cordis! Avertiſti pauliſper tuam faciem, & ideo conturbatus eſt Apoſtolus: opus hic eſt tuo oculo. Tuus enim oculus ſtanti eſt baſis, ne cadat; cadenti eſt manus, ut reſurgat; naviganti eſt cynoſura, ut ad portum pertingat; pugnanti eſt claſſicum, ut vincat; periclitanti eſt perfugium, ut evadat; currenti eſt ſtimulus, ut non deficiat,

Si

Si oculum tuum claudis, tum ſtantes cadunt, vincuntur pugnantes, deficiunt currentes, jacentes deſperant, merguntur navigantes, denique pereunt omnes. Cùm Victor Amadæus, Dux Sabaudiæ, dextrè compoſuiſſet differentias, quæ inter Ludovicum XIII. Galliæ regem, & Mariam Medicæam reginam matrem verſabantur; quidam ejus honori pinxit orientem ſolem, ad cujus aſpectum nebuloſa caligo diſſipatur, ſubſcripto lemmate, *SOLVIT DVM VIDIT.* Non aliter Chriſtus, Sol pietatis, ubi poſuit oculos ſuper Petrum, diſſolvit tenebras cordis ejus, & denſas infidelitatis nebulas abſterſit. *Converſus Dominus reſpexit Petrum.* Subdit S. Lucas: *Et egreſſus foras Petrus flevit amarè.* Ad quem locum S. Ambroſius commentatur: *Quos IESVS reſpicit, plorant delictum.* O unice ſalutis Auctor! dum Prætoria vitæ tuæ crudeli obortâ tempeſtate, vicinóque quatitur naufragio; tantum tibi ſupereſt amoris, ut alacriùs pericula videas, & viſu ipſo diſcutias! Siccine è vinculis inter miniſtrorum injurias, ac ſatellitum verbera, in tanto tui capitis periculo, oblitus quodammodo tui, transfugæ ac negatoris diſcipuli revocandi curâ tangeris? Nimirum Sol iſte aureis ſuis radijs non minùs lucet, cùm minacis ſagittarij, aut venenati Scorpionis, aut frigida Piſcium ſpatia decurrit; quàm cùm blandiſſimas Virginis, ac Geminorum luſtrat regiones: nihil ille terrifico obſtantium ſignorum decurſu de ſua luce deperdit: nec Chriſtus monſtrifico ſcelerum noſtrorum incurſu de ſuâ miſericordiâ, qua genus humanum maximè luſtrat, quidquam amittit; & tunc potiſſimùm totam ſuam explicat ſvavitatem erga filios hominum, etiam cùm illi minimè merentur, ac hoſtili animo factiſque ſeſe objiciunt, ne benefaciat: *Nam cùm inimici eſſemus, pro nobis omnibus ſeipſum tradidit.* Non fuiſſet converſus à viâ ſuâ malâ, quam ſtrenuiſſimis paſſibus Petrus ingrediebatur, niſi ad miſericordiam converſus fuiſſet Dominus.

Lucæ 22. v. 61.

S. Ambroſius ſuper Luc.

Non reverſus fuiſſet ab infidelitatis regione, in quâ tam turpiter verbis peregrinari cœperat, niſi illius diſperſionem congregâſſet Dominus. Converſus eſt Dominus, ut averſus non periret ſervus; converſus eſt, & animam eripuit, ne lapſu adhuc graviore rueret; eripuitque de foveâ, in quam ſe præcipitem ultrò dederat: converſus eſt, ut Paſtorem olim omnium Gentium futurum, lupinâ tunc pelle indutum, & lupino ululatu ovibus formidoloſum, Paſtor ille æternus non deſereret; ſed valido oculorum conjectu revocaret, dum in inferiores ædium partes (ut piè credi poteſt) per reliquum noctis aſſervandus, vexandúſque deponeretur Chriſtus. Horum oculorum vim nemo poterit dignâ oratione complecti. Struthionum oculos fovendis in arenâ ovis, pulliſque excludendis, efficaci pollere virtute qui ſcribunt, magnificè fabulantur, & legentium credulitate abutuntur; cùm ea ſolis duntaxat, qui unicus totius mundi ac Naturæ eſt oculus, beneficio foveantur, ac vivant. O oculos Domini mei, ſuper ipſum Solem lucidiores, & potentiores! qui mortuos pullos ad vitam revocant; cujus palpebræ ſimul & interrogant, & erudiunt filios hominum! O te felicem, Petre, Patientem, cui ore peccanti tacita oculorum offertur medicina, ut verbo te non corriperet, nec fœdifragum, ingratum, vilem, aut perjurum increparet Dominus, qui oculis ſolis reprehendit, ne diſcipulum hoſtibus voce prodere videretur! O te felicem, Petre, reum, cujus momento ita peracta eſt accuſatio, ut cauſas teſtium produceret *Galli cantus*, ſententiam dictaret amor, ſubſcriberet dolor, & in oculis Chriſti luculenter exaratam legeret Conſcientia rei! Plura dixit Chriſtus breviſſimo illo oculorum conjectu, quàm Petrus ſuis potuit mœroribus explicare. Fuit Petro hæc oculorum Chriſti converſio Gymnaſium doloris, fidei Curia, Tribunal delicti, pœnitentiæ Areopagus! Fuit lancinati ſpeculum

animi, Divinæ commiſerationis arrha, purpureæ aurora Clementiæ, receptæ felicitatis diluculum!

214\. Recordatio Petri quàm fuerit laborioſa & difficilis. *Matth. 26. v. 75. Luca. 22. v. 61.*

Et quid tam facilè fuit, quàm ad repetitum Galli cantum denuntiationis tam luculentæ, qua Chriſtus Petro defectionem fuerat vaticinatus, recordari? *Et recordatus eſt Petrus Verbi Domini.* Fruſtra tamen nocturno plauſu ſolem ad nos redeuntem ſalutat Gallus: nihil adhuc ſentit Petrus, niſi Domino oculis ſuis diem illi afferente. Luna, niſi aureus circulus Solis aſpiciat, nullo induitur argento: flores, niſi idem ſuâ viderit luce, languida, & nocturno rori non ſufficientia demittunt capita: non liqueſcunt montes, congelatis nivibus candeſcentes, niſi feriantur à ſolis radijs: omnis terræ virtus à cœlo eſt, cujus ſi lumina claudantur, nubéſq; nō pluât, hujus omnis clauditur ſinus, atque informi ſterilitate damnatur, antiquæ oblita felicitatis. Oblivioſum reddiderat Petrum inſolens ille perturbati animi timor; adeò illi malè ſemper convenit cum officio, dum omnem animi vigorem unus exhaurit. Sed verba Domini profundâ quâdam perturbationum tempeſtate in Petri animo demerſa jacebant, ut nunquam extarent. Hæc ex aſpectu in memoriæ portum revocavit, in quo merces ſuas, hoc eſt, propriæ cognitionis, & intimi doloris vim, in bonâ animi luce proponeret. Scribit Plinius de aliqua planta, *Lutum* dicta, *Eſt autem eodem nomine & herba*, quæ ex ſuâ naturâ in paluſtribus locis, præſertim in vadis Euphratis creſcit, hujuſce mirabilis proprietatis; quòd quando Sol in Orientis horizonte proſpicit, etiam herba Lutum ſeſe ex aquis versùs ſolem erigit: & quando Sol elevatur ad Meridiem, etiam directè Lutum ſequitur: & quando iterum ad Occaſum vergit ſub aquas, etiam Lutum ſe tardè cum occidente ſole iterum ſub aquas abſcondit. Subſcribo huic herbæ prodeunti: EMERGO LVCENTE SOLE. Soli autem ita mirabiliter trahenti herbam, competit nota: *VT RESPEXIT, EREXIT.* Gratioſum ſymbolum Petri, qui emergens de paludoſo vado ſui erroris, ad radium Divini aſpectûs erexit ſe, ut ſequeretur conſtanter Solem: *Converſus Dominus reſpexit Petrum; & egreſſus foras flevit amarè.* Ad quod factum noſter P. Nicolaus de Lyra in ſuâ Gloſsâ Ordinariâ ſe reflectit, dicens: quòd Salvator *intuitu provocavit ad lachrymas, quaſi in mentem ei reducens, quoties negaverat; quod ei prædixerat: NEC POTVIT IN TENEBRIS REMANERE, QVEM LVX MVNDI RESPEXIT.* Æquè appoſitè rem conſiderans Leo Papa: *Dominus IESVS*, ait, *qui intra pontificale Concilium ſolo corpore tenebatur, trepidationem diſcipuli forìs poſiti divino vidit intuitu, & paventis animum mox VT RESPEXIT, EREXIT.*

Plin. l. 13. c. 17.

Lyranus in Gloſſa ſuper Lucam.

S. Leo ſer. 9. de paſſ. Dom.

Quàm citò nos miſeri Divinorum verborum oblivíſcimur? Et miramur, nos omni vento, ſi non doctrinæ, at certè perturbationum ita circumferri, ut perpetuò in quodam naufragij periculo verſemur; & continenter jactati, minimè tamen navigemus. Si Petro malus error animum, conſiliúmque non abſtuliſſet, viſo Chriſto familiares olim ſibi voces uſurpare debuerat: *Domine, ſalva nos, perimus.* Olim cùm vidiſſet ventum validum venientem, & lubrico illo in itinere, quod grandi cœperat fide, iſtáque vel ſolo venientis hoſtis timore debilitatâ, minùs jam revertentibus fluctibus uteretur, ac veſtigia vorarentur; clamavit, & exaudivit eum Dominus, factúſque eſt ei in ſalutem. Nunc tantùm non profligatâ fide, graviſſimè certè vulneratâ, jam naufragus, opem non implorat, auxilium non quærit, non clamat de profundis, & demerſus tempeſtate metúque mortis, tanquam immaniſſimi Ceti ventre hauſtus, abſtruſúſque, ſaltem cum Jona non orat; non implorat auxilium, non invocat DEUM; ſed præcisè recordatur Verbi Domini, quod dixerat; quòd priuſquam Gallus cantaret, ter ipſum eſſet negaturus.

Matth. 8. v. 25.

215\. Cur Petrus potiùs flevit, quàm negationem revocaverit.

Tandem quid ſupereſt medij, niſi ut præ dolore ſolitudinem quæreret, locum

locum lachrymis opportunum; flante Spiritu Domini fugeret, & confeſtim ex illo atrio egrederetur; quod meliùs cubile leonum, aut antrum draconum deberet appellitari, in quo collectis ſuis catulis, vetus & obſtinata leæna adversùs Chriſtum Dominum dederat vocem ſuam. Certè paulò diutiùs ibi morari non licuiſſet Petro: exoneratis enim Senatorum comitatu ædibus, & domeſticis in ſua cubicula dilabentibus, claudi fores, & ignota eijci capita, erat neceſſe. Itaq; captis ſimul & animi reſolutione, & temporis opportunitate, *egreſſus foras flevit amarè.* Abeamus & nos, egrediamur, erumpamus cum Petro; ut ejus pœnitentiæ magiſterio plorare diſcamus. Sed egredietes nos, cū D. Ambroſio moleſta retinet cogitatio; cur Petrus, antequam inde abeat, propalàm haud profitetur, ſe noſſe Chriſtum? cur non proteſtatur contra turpem, & nefandam ſuam negationem? cur non præfert facem ijs, quos primò timidos, & nec ſatis ſuæ fidei conſtantes, mox verò incredibili quâdam fortitudine confirmatos in ejusdem confeſſione verſari viderunt Gentiliū olim Judicū tribunalia? Quid opus eſt lachrymis reſarciendo honori Jesu mei, quem turpiſſimâ negatione enormiter Petrus læſerat? Non lachrymis delenda eſt infamiæ nota, quæ verbis contrahebatur. Vulnus quod lingua impoſuit, non didicerunt ſanare oculi: nec bene ad ſatisfactionē lachrymis ſolvuntur numaria creditorū debita; fugientē è pugnâ militem non fœminarū more lachrymari, ſed redire, ſed hoſtē ferire, ſed fortiter agere, ſed acceptum in fugâ dedecus ferro jubet abolere Imperator. Verùm, licet in ſpeciem hæc aptè opponi videantur, importuna tamē hæc Petro fuiſſet confeſſio, nec ſuo admodùm opportuna Magiſtro. Ponamus enim, Petrum *ad Galli cantum* palam vociferari, mentitū ſe eſſe perfidè, imò ſe illius eſſe diſcipulum, aut amicorū intimū, paratúmq; pro illo mori; quis hæc tandē audiret? Jam aliò ſe receperant, qui in illa nocturna converſatione teſtes negationis fuerant; nec quid Petrus egiſſet, ampliùs penſi habebant, alijs intenti. Deinde quid utilitatis Chriſto attuliſſent illæ voces proteſtationis? Ob unius Galilæi piſcatoris obſervantiam non egiſſent mitiùs cum illo, quē Dei Filium ſe profeſſum indignis usq; modis habebant. Tametſi etiam ad recuperandam Chriſti famā illa negationis revocatio potuiſſet pertinere, *iſtud* tamen *piſcator ſapit*; nec tantùm præpoſterę tribuit confidentiæ, ut graviori caſu afflictus, periculum ſubiret omninò non reſurgendi. Nec bonus Imperator ſauciatum militē jubet redire in prælium: curanda priùs ſunt vulnera, antequā revertatur ad pugnam; ne alioquin vulneratus in eodē veſtigio cędatur, ac tandem ob debilitatem corruat. Sic & muſtelas aiunt, ſi cum ſerpentibus, à quibus capitali odio diſſident, pugnantes vulnerentur, ad rutā caprariam illico recurrere, ejúsq; attritu vel eſu venenum expellere, ac rurſum cum ſerpentibus acriter præliari. Subjungo his omnibus liquidiſſimum D. Ambroſij reſponſū: *Lachrymæ lavant delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Lachrymæ veniā non poſtulant, ſed merentur. Invenio, cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plùs offenderet: ante flendum eſt; ſic precandum.* Et nonnullis interjectis: *Doce nos Petre*, ait, *quid tibi profuerint lachrymæ tuæ? Sed docuiſti illico; nam qui lapſus es, antequam fleres; poſtquam fleviſti, erectus es, ut alios regeres, qui teipſum antè non rexeras.* Et verbo, ſuperiùs idem D. Ambroſius totam hanc quæſtionē paucis diſſolvit: nolite ſciſcitari ampliùs, cur Petrus potiùs amarè fleverit, quàm negationem ſuam revocaverit: In promptu cauſa eſt: *Quos IESUS reſpicit, plorant delictum.*

S. Ambroſius in cap. 22. Luc.

S. Ambroſius de lapſu Petri.

Quis mihi nunc Petri referat voces? 218.
Quis ſuſpiria pandat & gemitus, quibus plerunq; cordialis perorat dolor? Tacitum aliquamdiu fuiſſe dolorē arbitror, nec prorupiſſe palam, quousq; viciniam frequenti adhuc à domo Pontificis abeuntium agmine ferventem pertranſiret: at poſtquam ſe vel in cœnaculum montis Sion, vel opportunam ſolitudinem recepit, tum exun-

Dolor Petri vehementiſſimus, ſuccreſcente amore in lachrymas ſolvitur.

exundanti dolori fræna laxare; gemitus ac ſuſpiria, vocéſque interruptas affatim effundere, cordiſque afflicti rugitus edere; voces item addere pœnitentiæ indices, doloris teſtes, accuſationis plenas, & amoris non indigas. [Petre, quid feciſti? quid „miſelle,& infirme deliquiſti?Quàm „levi tentatione periclitabatur animus, corruebat fides? fides illa tua; „tot aſſertionibus confirmata? Ergóne Dominum, & Magiſtrum tuum „perfidè negaſti? improbè ejuraſti? „Siccine defeciſti ab eo, pro quo & „in mortem, & in carcerem ire, paulò „antè te jactaveras? *Quis dabit capiti* Ierem. 9. v. 1.
„*meo aquam, & oculis meis fontem la-* „*chrymarum? & plorabo die ac nocte.* „Plorabo in amaritudine animæ „meæ; quia, eheu! perfidè negando „peccavi.] Nemo dubitet, qui Petrum novit mediocribus nunquam contentum, ſed magna ſemper aggredi amantem; ab illo uſurpatos eſſe tales gemitus, quicunque vehementiſſimè, & impatientiſſimè ſolent dolentibus eſſe ſolennes. Nox profunda, languentes tenebræ, lachrymabunda ſolitudo, hærens adhuc oculis proditi Domini aſpectus ille mæſtiſſimus; & dolor tunc maximè exoriens, nihil ſvadebant mediocre, nihil moderatum ſuſtinebat amor: ille in exordio, hic in complemento: ille ut Aquilonaris ventus; cujus è vicinis regionibus Orientis cùm vis ſit principio intoleranda, paulatim tamen miteſcit, ac plerumque mitiſſimè ſe ponit: hic verò ut ventus Auſtralis, qui maris tractu lenior accidit, paulatímque ferventiùs increbreſcit. Vtadeò communi proverbio dicatur: *Aquilone deficiente, & Auſtro ſurgente, commodiſſimè navigari lembis.* Aquilo dolor eſt; Auſter amor eſt: uterque ingenio, & patriâ diſſidet. Dolemus initio acerrimè, recenti adhuc vulnere plagati, aut ejus certè memoriâ ſaucij; quæ tamen ipſo temporis tractu obſoleſcit. Vtendum impetu eſt, qui non ſolet eſſe diuturnus. Amoris lentiora plerumque obſervamus incrementa: illi vehementiſſimè amant, qui diutiſſimè: addit ſibi vires amor, tractúque creſcit. Vtriuſque vim geminâ voce complectitur Sponſa, cùm utrumque affectuosè invitat: *Surge Aquilo, & veni* Cant. 4. v. 16.
Auſter. Impetum habet primus, tractum & progreſſum indicat ſecundus. Quanta igitur Petrum abſtulerit doloris vis, & hoc deficiente quanta rapuerit ſuccreſcens amoris vehementia, diu quærendum non eſt, quando lachrymarum pluviæ obortæ tempeſtatis demonſtrant periodum. Sic, ſic nempe peccator nivi frigidæ & rigidæ comparatur; quæ exoriente COELESTI LVMINE LANGVET, & in decidua reſolvitur ſtillicidia tecti. Erat Paulus totus frigidus, & obrigeſcens in peccatis: at ubi *cir-* Act. 9. v. 3.
cumfulſit eum lux de cælo, ſtatim cœpit colliqueſcere, & fluere in dulcem animi reſolutionem: *Domine, quid me vis* Ibid. v. 6.
facere? Similis effectus practicatus eſt in Petro, qui ob peccatum perfidiæ totus in nivem & glaciem obduruit; ſed ubi Sol Divinæ gratiæ, Chriſtus negatus, eum dignatus eſt ſuo calefaciente obtutu, protinus cœpit in teneriimas lachrymas colliqueſcere, *& egreſſus foras flevit amare.*

Flevit amarè. Amarè flere tam rarum eſt, ut maximè debeat laudari. 217. Amaritudo lachrymarum Petri expenditur.
Non quæro ſaporem lachrymarum, ſed animi fontem, unde promanent: non cupio ſcire, quantæ ſint lachrymæ, ſed quàm amaræ? *Amarè flere* dolentis eſt. Flent homines præ gaudio; & flos ille humani oris pulcherrimus tunc maximè vernat, quando lachrymis quibuſdam velut rore perfunditur. Flent eruditi ad lachrymas mulierum oculi, amoris vel odij ſimulatione promptiſſimâ, ac tunc maximè fallaci. Sed quamquam hi amaras etiam lachrymas exprimant, amarè tamen flere quis credat? Cùm hoc de Petro audis, animum advertis ingenti amaritudine & dolore obrutum, & amaris lachrymis effuſum in conſpectu Domini. Scilicet ex Sponſæ voto fluunt aromata: quæ autem pretioſiora mittat Arabia, aut ultima Orientis plaga, quàm lachrymas? Non invidemus probatiſſimæ myrrhæ, quam

arti-

Digitized by Google

artificioſi Sulamitis digiti diſtillant: nam & *abjetes nigra* ſuos etiam exundant ſuccos, vulneribus animorum ſuper omnes Orientis gummis lachrymas ſalutares. Hoc eſt abjetinum oleum, quod inciſo elicitur corde: & quicunque cogitant, quæ ſunt Chriſti, abjetibus nigris componuntur; *Capilli tui ut abjetes nigra.* Nigras porrò dixit, vel quia denſum triſtium cogitationum nemus lætitiæ lucem non admittit; vel quòd caſus marinos viſuræ picentur: nam & Petrus, cujus nutu tota Eccleſia navigat, nigris pœnitentiæ operibus priùs eſt probè obliniendus, ne rimis amplis inimicum invaleſcat mare. Ille ergò totus in lachrymas reſolvitur, & quidem *egreſſus foras flevit amarè. Flevit amarè* præpoſteram ſui confidentiam, aliorum deſpectum, minùs promptè Chriſti Domini dictis habitam fidem, quibus ille greſſibus ad præcipitium properabat. *Flevit amarè*, hoc eſt, implacabiliter; quia exitus aquarum deduxerunt oculi ejus, & quidem quæ fluunt impetu de Libano. *Flevit amarè*, hoc eſt, jugiter, & perenniter vim, copiámque profudit lachrymarum; quæ tamen nõ torrentiũ more in momento defluant, ſed quæ fontium inſtar nunquam ſiccentur. In ſicco olim torrente aquas momento inundâſſe ad Eliſæi vota, & ſupplicationes, ſacræ tradunt Hiſtoriæ; ſed quamvis magnis agminibus fluerent, & ſitim exercitûs levarent, brevì tamen defluxerunt; quippe quæ à nullo fonte derivatæ, ſed liquefactis à montibus, aut aliâ ratione defluerent; econtra Siloë, rivus cum ſilentio vadens, perenniter à fonte fluebat. Petrus hunc impetum habuiſſe dicitur illâ voce, *amarè*; qui enim ex animo doloris pleniſſimo flet, impetu plorat. Eundem per totam deinceps vitam ſingulis noctibus audito *Galli cantu* in genua procidiſſe, peccati licèt jam remiſſi iterùm veniam à Deo, & Chriſto flagitaſſe, lapſum inſuper compenſâſſe auſterè uſque ad mortem vivendo, & lupinos tantùm commedendo, varij Sanctorum Patrum tradiderunt. Apud quos etiam legimus, nunquam Petrum ſine lachrymis fuiſ-

S. Clemens. S. Gregorius Naz. de amore pauperum. Nicephorus l. 2. c. 37.

ſe, tam aeri perennitate fluentibus, ut in ipſis genis alueos & canales, per quos defluerent, ſibi excavârint. *Flevit amarè*, quia ſui propoſiti, & promiſſionis Chriſto factæ fuit oblitus; ut meritò longè pòſt apparens S. Brigidæ, & ſui lapsûs cauſam in hanc oblivionem refundens, ei ſvaſerit hoc tentationis remedium; *Surge per humilitatem ad Magiſtrum memoriæ, & pete ab eo memoriam. Flevit amarè*; ut olim amaræ iſtæ lachrymæ in dulcedinem matureſcerent, & Petro dulciores fierent, quàm theatrorum gaudia, & mundi totius ſolatia; quando præſertim miſericordiam Domini in æternum cantabit; quam quidem nunc invocat, cytharâ exultationis de amariſſimis ſuſpensâ ſalicibus, & fluvium ex oculis proliciente, Babylonicis parem. Si totus in amariſſimas lachrymas abeat Petrus, nihil ille plùs faciet, quàm rei graviſſimæ poſtulat neceſſitas. Qui de ſalſedine maris philoſophantur, quòd eam ab immenſis quibuſdam ſalis montibus, quos aquæ perpetuò lambunt, ſentiant provenire; nî omnino falſum proferant, aliquid tamen dicunt, quo Petri lachrymantis amaritudinem explicemus. Quis enim vetat, ſalis montibus pœnitentiæ dolorem comparare? Amaro animo, quis unquam non flevit amarè? Et quæ major uſquam amaritudo, quàm animum peccati conſcium, imbuit? Haud eſſe poteſt homini pacem in ſuis ſubſtantijs habenti tam amara mortis memoria, quàm illud commiſſi peccati abſynthium, quo anima infeliciſſimè amaricatur, quando peremptoriâ illâ interrogatione ruminatur, *quid feciſti?* Tunc enim intolerabilem ſentimus amaritudinem; ut mirum non ſit, Petrum à Chriſto Domino conventum, ideóque jam ſibi malè conſcium, tam amarè fleviſſe.

4. lib. revel. S. Brig. c.

218. Semel peccavit Petrus, ſemper flevit. Quàm diſpar noſtra hîc eſt ratio, qui ſæpiùs peccantes vix unquam indulgemus lachrymis? Quæ ſalutis ſpes tam frequentibus infirmitatibus, per pharmaca adeò rara? Quotidiana vulnera, quæ plurima per diem acci-

Lachrymæ Petri imitandæ.

pimus, cur ſaltem noctu non abluimuſ, ne ſordeſcant, & corrupta tabo fluant? An putamus, ſemel ac leviter abluta illicò ſanari? Perennitate opus eſt, & amaritudine; nam acidularum cura, ſi ſtillis guttisque rarò fieret, nullo fieret valetudinis emolumento. Petrus per omnem deinceps vitam cor quotidie lachrymarum rivulis abluit, certâ quâdam diei horâ, quâ ſcilicet fuerat vulneratum, ſub *Galli cantum*: quaſi verò arcanâ quâdam temporis lege felicior eo maximè tempore operaretur medicina, quo per certas periodos ſolent exacerbari vulnera. Suis marinus æſtus cietur temporibus, ut Petri lachrymæ ſuis horis fluant, tanquam ex jugi fonte promanantes; *Plorans plorabat in nocte, & lachryma ejus in maxillis ejus.* Thren.1.v.2. Bene noctu ſemper flebat, qui tenebras ſuas deflebat. Benè *lugens & contriſtatus* ingrediebatur, qui ſedens ad ignem adversùs proximum ſuum, Dominum ſuum, malè fuerat locutus. Nempe etiam vitis, lignum alioquin debile, quando putatur à vinitore, paulò pòſt incipit ſuperfluos humores tanquam lachrymas expellere; ut ſic meliorata, & magis diſpoſita, producat nobilem abundantiam ſvaviſſimi & delicatiſſimi fructûs. Viti ſic exſudanti ſubſcribo, quòd ſit *IN LACHRYMIS FERACIOR*. Haud abſimili modo anima peccatrix, quando tangitur usque ad medullam cordis, & ſcinditur cultello contritionis, tunc incipit ſtillare lachrymas, & pullulare in virtuoſiſſimas operationes; quêis germinat ſvaviſſimos pœnitentiæ fructus, & matureſcit in uvas, Angelis DEI delicioſas, *de uno peccatore pœnitentiam agente magis gaudentibus, quàm ſuper nonaginta novem Iuſtis.* Luc.15.v.4. Sic certè Petrus, ſic Magdalena, ſic Auguſtinus *in lachrymis feracior*; ſic alij graves peccatores poſt lapſum diſtillaverunt guttas contritionis, in conſolationem gratiæ ac remiſſionis delictorum. In quo propoſito S. Petrus Damiani aptè loquitur: *Mox ut lachrymæ, ex munere intimi Inſpectoris, eruperint, protinus anima revireſcit, torporis ignavi frigore ſolvitur, & tanquam arbor verna, Auſtri fomite recaleſcens, redivivo virtutum ſuarum flore veſtitur.* Petrus Damiani opuſ. 13.c.11.

Sed quid nobis fiet, qui nec peccata noſtra ſcimus flere, nec deflere doloriſſimam Chriſti Paſſionem? Quid fiet nobis, quorum oculi punicei ſunt, & plumbeum cor? quorum anima ſicut terra ſine aqua tibi, ô Domine JESU, tam crudeli morte, tam dirâ Paſſione pro nobis mulctate! Hæccine ſine lachrymis loquentem, ſine lachrymis auditis? O me nimiùm infelicem! O ſi totus in lachrymas diffluerem! O ſi peccatorum meorum dolore colliqueſcerem! O ſi flante Domini Spiritu fluerent aquæ, ut Nilus de montibus Congi! Agite oculi, plorate, exitus aquarum deducite. Petrus *Galli cantum* ſuarum lachrymarum habebat monitorem, quia illâ unâ horâ peccaverat: nos, qui omnibus peccavimus, omnibus plorare debemus. Nec ſine lachrymis eſſe poteſt verus dolor, nec ſine dolore pœnitentia: nec amor unquam fuit, qui amati JESU incomparabiles non doleret injurias, plagas non deploraret: Amen.

DO-

PASCHATIS.

GALLINA OVA EXCVBANS.

Die lögende Pruedhenn.

LEMMA.

- - - - - - *In ſpem*
Venturæ ſobolis. Strozius.

THEMA.

Surrexit. Marci 16. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS XXIV.

Beatorum Reſurrectio, corporis animæque gloria, gaudium ac reliquæ dotes, ex Ovi Paſchalis anatomiâ jucundè & affectuosè exhibentur.

219. Chriſtus Gallinæ comparatus. AVſcultatum Galli cantibus ſatis; nunc & audiendi clamores glocitantis Gallinæ; quæ ferventi amore diligit pullos ſuos, & eximiam circa eos providentiam ac protectionem exercet. Hinc aſſiduè gemit & glocitar, ut etiamſi pullos non videas, matrem tamen ex voce & ſingultu agnoſcas; cùm paſſeres, hirundines, ciconias, cæteráſque aves non agnoſcas eſſe matres, niſi dum pullis in nido incubant. Nam ut ait S. Auguſtinus: (S. Auguſtin.) *Mirus eſt amor omnibus ferè avibus ad confovendos & protegendos pullas, ſed præcipuè Gallinis, quæ pullos colligunt ſub alas, id eſt, ſummo cum deſiderio & ſollicitudine eos fovent.* Vnde ſollicitudinis, & ſedulitatis eſt ſymbolum, quatenus conſtanter ovis, non tantùm ſuis, ſed etiam alienis incubat ad excludendos pullos, & *in ſpem Venturæ ſobolis.* De Chriſto loquor, Auditores, qui ipſemet Gallinæ ſe comparat, dum Palæſtinæ Metropoli ſuam crudelitatem improperat: (Matt. 23. v. 37.) *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos ſuos ſub alas; & noluiſti.* Nempe Chriſtus ſummo amore dilexit nos, *factus ipſemet tandem quaſi terrena & domeſtica avis*, ait S. Hilarius; aſſiduè per omnem vitam pro nobis ſollicitus, docens, dolens & gemens, ut nos ſalvaret. Ibi eſt ſecura defenſio, & felix protectio, quæ pullos ſub alis congregatos *SERVAT IMMUNES.* Quod pulchrè per opera Divinæ Sapientiæ, & Bonitatem Chriſti Servatoris, in nos derivat S. Auguſtinus, dicens: (S. Auguſtin. l. 1. quæſt. Evangel. q. 36.) *Hoc genus animantis, alis ſuis filios protegens, contra miluum pugnat. Sic & Sapientia DEI protegit infirmitatem noſtram, & reſiſtit diabolo, ne nos rapiat. In qua defenſione, quod illa adverſùs miluum conatur affectu, hæc adverſùs diabolum perficit poteſtate.* Idem non nemo exprimit in ſuis emblematibus ſic.

Gallina ut teneros alis tegit anxia pullos, (Giorgetta Embl. 84.)
Ex alto accipiter cùm facit inſidias:

Sic quoque curabit Chriſtus, contraria nobis,

Ne ſceleratorum facta nocere queant.

Nec paſſeres, nec turdi, nec anates, nec aliæ aves ſic infirmantur cum ſuis pullis, ſicut Gallina: in qua, Auguſtino teſte, [raucescit vox, fit hiſpidum to„tum corpus, demittuntur alæ, laxan„tur plumæ, & vides circa pullos ne„ſcio quid ægrorum; & ea eſt mater„na charitas, quæ eſt infirmitas, &c. „Sic Chriſtus congregavit omnes gen„tes, tanquam Gallina pullos ſuos: „qui infirmatus eſt propter nos, acci„piens carnem à nobis, id eſt, à „genere humano; crucifixus, con„temptus, alapis cæſus, flagellatus, „ligno ſuſpenſus, lanceâ vulneratus. „Ergò hoc maternæ infirmitatis eſt, „non amiſſæ majeſtatis, ut ex eo, „quòd nobiſcum communicavit in„firmitatem, ſolveret noſtram ini„quitatem.] Et *ut mater criſtata ſolet, quo tempore milvus inſtruit inſidias*, ita amans noſtri Chriſtus noſtros tulit languores; pro nobis ſeſe eneruavit; nos protexit ſub alis, & contra rapacem illum ex Acheronte vulturem defendit. Et quanto cum amore, cum quantâ affectûs teneritudine, poſuit *in arduis nidum ſibi*? In arduâ ſcilicet Crucis arbore, ubi purpureũ ovũ cruentæ ſuæ Paſſionis poſuit. Hoc ovum, quod deinde in ſepulchrum tranſtulit *in ſpem ventura ſobolis*, poſt trium dierum incubationem pullum excluſit; qui perfractis mortis carceribus glorioſus prodivit, & redivivus *ſurrexit*, ac toti Eccleſiæ cum gaudio & exultatione Paſchale *Alleluja* intonuit; ut meritò in hujus rei memoriam purpurea ova ovali die benedicantur. Conſilium ſequor, quod ſuggerit D. Auguſtinus de ovo Paſchali: *Spes nondum pervenit ad rem; & ovum eſt aliquid, ſed nondum eſt pullus. Ovum ergò noſtrum, id eſt, ſpem noſtram ſub alis illius Gallinæ ponamus*, utique non aliam ſpem, quàm univerſalis Reſurrectionis, in qua omnes tanquam pulli ex ovo, velut Chriſtus ex ſepulchro, redivivi prodibimus: prout ſequenti diſcurſu, per ovi Paſchalis conſiderationem anatomicam, gratioſè & affectuosè demonſtrabo.

S. Auguſtin. in Pſal. 58.

Iob. 39. v. 19.

S. Auguſtin. de Verbo Dom. ſer. 29.

220\. Ælius Lampridius inter reliqua Imperij omina, quæ Alexandro Severo contigerant, etiam illud extitiſſe ſcribit; quòd ovum purpurei coloris eâdem die, qua ipſe natus eſt, in Regiâ ſit poſitum. Id cùm matri eius eſſet oblatum, aruſpices divinârunt, infantem natum futurum Imperatorem. Quod poſtea probavit eventus; nam ob eximiam ſuam virtutem, cui ovum regij coloris regios ominabatur honores, ad totius Romani Imperij ac ſceptri ſublimitatem eſt evectus. Ecquid eſt, quòd Eccleſiæ Filij Paſchali hoc tempore ova varijs pingant coloribus, ornent, benedicant, ac ſibi invicem dono offerant? An ideo, ut mundi exordium, aut regenerationem hominis ſymbolizemus? Nam & Concinenſium Populorum, versùs Solis occaſum habitantium, inepta erat opinio, hunc mundum magnum ex ovo reſultâſſe; ex cujus candidâ teſtâ in immenſum protenſâ cœlum reſultârit; ex albo liquore aura, & ex vitello ignis prodierit; quæ ambo etiam ex parte inter ſe commixta, terræ molem effecerint. Verùm nec probabilis, nec rationabilis eſt hæc Concinenſium opinio. Fortè poſt exantlatas Quadrageſimalis obſervationis inedias Athænei legem reparare ſatagimus; ut ſcilicet cum illo noſtram cœnam ab ovis incipiamus, & in pomis finiamus, illúdque teneamus Proverbium: *Ab ovo uſque ad mala*. Verùm in Paſchate liberalior debet inſtrui menſa, quàm ut ſolis ovis aut malis ſaturemur. Vt innumera hujus ovi myſteria aliis relinquam diſquirenda, duas ovi Paſchalis expono rationes. Primò, ad ſignificandum regenerationis effectum: nam plùs negotij eſt in ijs, quæ ex ovo prodeunt, quàm in reliquorum animalium ortu. *Bis debet generari, totieſque naſci; ovum ab aluo, ab ovo pullus*, inquit Puteanus. Sic & homo bis generatur, ac bis naſcitur; ſemel ſecundùm carnem; alterâ vice ſecundùm ſpiritum, & virtutes in Baptiſmo. Vnde & *regenerati*, & *re-*

Cur fideles ſibi invicem ova Paſchalia offerant.

P. Borri in relat. anno 1613.

P. Georg. Stengelius in ovo Paſchali.

Puteanus trat. 10.

& *renati* dicimur; quomodo Paulus Tit. 3. v. 5. ait: *Salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs Sancti.* Et Baptiſmus Græcis dicitur παλιγγενεσία, *iterata generatio*; quia antè ex matre genitos ſecundùm carnem, quaſi de novo regenerat, & renovat per gratiam Spiritûs Sancti; novóſque homines, id eſt, ſanctos, juſtos, Dei filios & amicos efficit. Deinde pingitur, & offertur ovum Paſchale, ad ſignificandam aliam regenerationem, Matth. 19. v. 28. de qua Chriſtus: *In regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, &c.* Ad hanc regenerationem qui aſpirant, pullo ſunt ſimiles intra corticem concluſo, & pipienti, atque exire cupienti. Quomodo D. Paulus Rom. 7. v. 24. cum gemitu dicebat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Liberari à corpore mortis*, addit S. Augustinus, S. Auguſtin. l. contra duas Epiſt. Pelagi. *eſt omni ſanato languore concupiſcentia carnis, non ad pœnam recipere corpus, ſed ad gloriam. Non enim à corpore mortis impij liberabuntur unquam, quibus in Reſurrectione eadem corpora ad æterna tormenta reddentur.* Itaque in ſpem Reſurrectionis, qua olim regenerandi ad cœleſtem purpuram ex ſepulchro prodibimus, ſicut pullus ex ovo, ovi Paſchalis celebratur ſpecioſitas.

221. Reſurrectionis univerſalis veritas probatur. Non moramur in primâ, ſed de ſecunda, univerſali ſcilicet Reſurrectione, potiſſimùm occupamur; quam naturale lumen, Scripturarum lectio, Spiritûs Sancti oracula, & antiquæ traditionis ſuperſtites, luculenter humanæ capacitati poterant ingenerare. Tria potiſſimùm recenſentur ſalutis noſtræ myſteria, Sanctiſſimæ ſcilicet & Individuæ Trinitatis, Incarnationis præterea ac Sacramentorum, tandem etiam Reſurrectionis mortuorum, in extremo judicij die inſtituendæ: nullum tamen Deus tam claris explicavit per ſuos Scriptores Canonicos textibus, quàm ultimum de Reſurrectione. Priora duo in figuris veteris Teſtamenti duntaxat declarantur; poſterius actu exhibuit, etiam ante ſuum in carnem Adventum; quando Elias & Eliſeus defunctos potenti virtute Dei reſuſcitàrunt ad vitam. In Lege Naturæ pientiſſimus Jobus hoc argumentum non in dubium aut probabilitatem revocat, ſed aſſertivè pronuntiat: *Scio,* Iob. 19. v. 25. *quòd Redemptor meus vivit; & in noviſſimo die de terrâ ſurrecturus ſum; & rurſus circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo DEUM Salvatorem meum.* In Lege Moſaica quid clarius Deus per Prophetam poterat vaticinari? *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris.* Ezech. 37. v. 12. Hac ſpe fulciti Machabæi, diriſſima quæque pro Patrijs legibus ſuſtinere non expaveſcebant. Non ingrediar Peripateticorum Collegia, aut antiquiſſimorum Philoſophorum Muſæa, ut naturalibus rationibus demonſtrem propoſitam theſin; quando efficaciſſimè Reſurrectionis poſſibilitas vel ex defectu repugnantiæ confirmari poteſt, vel adſtrui ex naturali immortalis animæ inclinatione ad corpus, quam non decet eſſe in æternum fruſtraneam, aut à primo Motore nunquam reduci ad actum. Omnis inſuper natura, S. Greg. 14. moral. c. 30. S. Cyrillus Catech. 18. in ſolatium noſtri, futuram meditatur Reſurrectionem. Sol occidit, & renaſcitur; aſtra labuntur, & redeunt; flores langueſcunt, & reviviſcunt; poſt ſenium arbuſta frondeſcunt; ſemina non niſi corrupta reviviſcunt. Ita corpus in ſepulchro, ut arbores in hyberno, occultant virorem ariditate mentitâ. Et quomodo Ethnicus, admittens Phœnicem naturaliter reſurgentem, negare poterit Divinæ Potentiæ hominis reſurrectionem. Non ſunt tamen arbitrati Theophil. Raynaud in Theol. nat. diſt. 3 q. 4. art. 6. Patres, reverà Phœnicem reſurgere; cùm conſtet, quæ de illa ave narrantur, aut omnino eſſe falſa, aut plurimâ ex parte conficta. Sed verò quicunque contra hanc doctrinam cavillantur, apud D. Auguſtinum, & S. Auguſtin. 22. civ. c. 18. S. Cyrillus Catech. 18. „Cyrillum ſimilia [dicunt ad nos „tam Græci, quàm Samaritæ: Occi„dit homo, mortuus eſt, & compu„truit, & totus in vermes reſolutus „eſt, atque ij quoque vermes interie„runt. Putrefactio tanta & corruptio

„corpus excepit; quomodo igitur re-
„ſurget? Navigatores à piſcibus de-
„vorati ſunt, & ipſi quoque comeſti
„ſunt. Eos qui cum beſtijs pugnave-
„runt, urſi & leones unacum oſſibus
„comminuerunt. Vultures & corvi
„mortuorum humi projectorum cor-
„pora comederunt, & in univerſum
„mundum diſperſi ſunt; unde con-
„gregabitur corpus? Nam avium, quæ
„illud comederunt, aliam quidem in
„Indiâ mori contingit, aliam in Perſi-
„de, aliam in Gothia igne comburi;
„& ipſius cinerem ventus diſperſit.
„Vnde id corpus congregabitur?]
Hiſce tamen nugarum catenis ſatisfieri uno verbo poteſt, recurrendo ad Divinam Potentiam totius hujus negotij adminiſtram. Nam ut exactiſſimè Tertullianus Ethnicum alloqui-
„tur, [Recogita quid fueris, antequam
„eſſes? Vtique nihil: meminiſſes
„enim, ſi quid fuiſſes. Qui ergo nihil
„fueras, priuſquam eſſes, idem nihil
„factus, cùm eſſe deſieris, cur non poſ-
„ſis eſſe rurſus de nihilo ejuſdem Au-
„thoris voluntate, qui te voluit eſſe
„ex nihilo? Quid novi tibi eveniet?
„Qui non eras, factus es; quum iterum
„non eris, fies. Redde ſi potes ratio-
„nem, qua factus es; & tunc require,
„qua fies.]

222. Hac veritate Reſurrectionis futuræ ſuppoſitâ, ad ovum Paſchale revertor, & nobiliſſimas in excluſione pulli obſervo ordinationes. Inter quas Petrus Gregorius Toloſanus ponit: *Mirabile magnum; quia non planè comprehenditur virtus & omnipotentia DEI, ut pullus intra ovi corticem concluſus, antè, quã vel putamen effringat, pipiat; ales factus intra concluſus, poſt undevigeſimum diem ab incubitu Gallinæ in ova.* Quis non miretur, ex teſtâ ovi per calorem incubantis, aut certè ipſius pulli fricatione fracti, animal vivum, ac ſpecioſum Phaſianum prodire? Hodie Chriſtus poſt ruptam corporis ſui in Paſſione teſtam, tandem ex nido ſepulchri prodivit glorioſus; & nocte occultæ vitæ excuſsâ, tenebriſque doloroſæ mortis ſuperatis, velut ſol ex obſcuris relucens nubibus, Reſurrectionis ſuæ majeſtatem ac lucem Chriſtiano orbi annuntiavit. Par eſſe videtur ratio de homine reſuſcitando, quem DEUS ex putrefacto corpore efformabit novum, de terreno cœleſtem, de mortuo viventem, de mortali immortalem & glorioſum. *Et quid per ova*, inquit Hugo de S. Victore, *niſi tenera adhuc proles exprimitur, quæ diu fovenda eſt, ut ad vivum volatile perducatur. Ova quippe inſenſibilia in ſemetipſis ſunt; ſed tamen calefacta, in viva volatilia convertuntur* Pipit pullus intrà concluſus, & exire de ovi carcere laborat: roſtello teſtam pertundit, & pipiendo quodammodo gemit, quòd incluſus conſtringatur, & incolatus ejus ſit prolongatus. Simili ratione exire de corpore Sancti optant, pullúmque pipiendo ac pertundendo imitãtur; & cum Apoſtolo, ex hoc miſero ac mortali corpore, ad beatam & cœleſtem vitam anhelante ſuſpirant. Animam ſuam alloquitur Hugo Victorinus apud S. Auguſtinum, & motiva exaggerat, quibus meritò ad æternam illam beatitudinem aſpirare debeat. *Audi, ô anima, qualis ſis. Onerata es peccatis, irretita vitijs, capta illecebris, affixa membris, confixa curis, diſtenta negotijs, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, ſuſpicationibus inquieta, ſollicitudinibus anxia, advena in terrâ inimicorum, coinquinata cum mortuis, deputata cum ijs, qui in inferno ſunt.* Et paulò antè ſic inquiens. *Quando veniam & apparebo ante faciem Domini, ad videndum eum in bonitate Electorum ſuorum, ad lætandum in lætitia gentis ſuæ, ut laudetur cum hæreditate ſua? Quando videbo civitatem illam, de qua dictum eſt, plateæ tuæ Jeruſalem ſternentur auro mundo, & in te cantabitur canticum lætitiæ, & per omnes vicos tuos ab univerſis dicetur Alleluja? O civitas ſancta, civitas ſpecioſa, de longinqua te ſaluto, ad te clamo, te requiro; deſidero enim videre te, & requieſcere in te: ſed non ſinor carne retentus. O civitas deſiderabilis, muri tui lapis unus, cuſtos tuus ipſe DEUS, cives tui ſemper læti; ſemper enim gratulantur in viſione DEI, &c.* Ad hanc Beatitudinis lucem anima de corpore exire

fata-

Animæ inclinatio ad Beatitudinem, ex pulli maturitate.

Petrus Greg. Toloſ. l. 23. de Rep. c. 15. n. 4.

Hugo de S. Victore l. 1. de beſt. c. 37.

S. Auguſtin. lib. de ſpiritu & anima, c. 3. c. 61.

Ibidem. c. 60.

ſatagit, & totus homo per Reſurre- ctionem ad cœlos evolare. Hæc ſors ſanctorum eſt: at verò impij nec pipiunt, nec gemunt, quia cœlo maturi non ſunt; ſemper in corpore, & carne manſuri, niſi lex omnibus hominibus ſtatuta obnuntiaret. Obſtetrice ergo indigent, &, velut Gallinâ matre corticis ruptionem adjuvante, Ecclesiâ corpus eorum per jejunia, per pœnitentiam, per correptiones frangente & affligente. Ita enim & Gallinæ ſubinde pullos in lucem producunt.

223. Beati erunt agiliſſimi, & omni dote ornati. Fractâ teſtâ prodit ſoboles; non ex equo miles Trojanus, non ex dolio Diogenes, non ex ſpelunca leo, non ex latebra anguis, neque ex voragine piſcis; ſed ex ovo pullus: avicula, inquam, libera, volitans per aërem, acutis oculis, lætabunda, canora, & ad omnem cœli plagam cum plauſu vagabunda. Haud minor eſt ratio Beatorum, qui in Reſurrectione è ſepulchris & latibulis ſuis provolabunt velut alites cœleſtes, tanquam Angeli Dei; terrena calcabunt omnia, auráque Elyſiâ vivent puriſſimâ, & affluent cœli bonis lætabundi; celerrimo quaſi volatu totam cœli peripheriam perluſtrabunt, & ſine labore, ſine defatigatione in momento erunt, ubicunque voluerint exiſtere. Alacriter illudent morti: *Vbi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?* (1. Cor. 15. v. 55.) Improperabunt peccato, inferno, carni, mundo; & de ſua felicitate lætabuntur, ſicut qui lætantur in meſſe. *Tunc qui ſperant in Domino* (Iſa. 40. v. 31.) (utique Electi ex ovo ſpei gignendi) *mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* (Raymundus in Eucharistico Arathiſio, parag. 8.) Nec eſt, cur ſentiant aliqui, Beatos in cœlis ſeſſuros immotos cum Chriſto ad dexteram Patris: nam Beati annuente Deo ſedent, cùm allubeſcit ſedere; tametſi pro voluntate identidē mutant ſitum, & nunc ſedent (ut ferunt multæ Scripturæ) nunc ambulant, & diſcurrunt velut ſcintillæ in arundineto. Contrà quàm accidet corporibus redivivis damnatorum, quæ hærebunt fixa ſemper in eodem loco: idque eſt, quod Matthæus ait, (Matth. 22.) reprobos ligatis pedibus mittendos eſſe in tenebras exteriores. Beati autem redivivi pro ſua voluntate nunc ſtabunt, nunc ſedebunt, nunc progredientur ad vitæ fontes aquarum; mutato ſubinde ſitu, non ad medicamentum, ſed ad exercitium progreſſivæ facultatis, ſubordinatę ad voluntatem optimè compoſitam, ſuapte naturâ ſubinde verſatilem, & ejus oblectationis appetentem. Adeóque *aſſument pennas ut Aquilæ*: ubi S. Hilarius ſuper illud Pſalmi, *ſi ſumpſero pennas meas diluculo*, has pennas, ait, pertinere ad demutationem terrenorum corporum in ſpiritualem naturam: *Pennigerabunt tanquam aquilæ, naturam evolandi in cœlum in Reſurrectionis demutatione ſumpturi.* (S. Hilarius in Pſalm. 138.) Si aquila tam acuti ſit viſûs, ut irretortis oculis in ſolem intendat; non eſt acies ſuper arduam & intentam Beatorum contemplationem, qua in Deum, Solem verum, ac omnis luminis fontem figunt mentem. Aquila non tangitur fulmine, mortalibus omnibus fatali; Beati non timent damnationis ſententiam aut gehennam, quæ tanto viatoribus eſt terrori. Aquila amat excelſa: Beati in cœlo Empyreo, in ſublimiſſima gloria ac vita, quietis ſibi nidum ſtruunt. Aquila non captat muſcas; nec Beati res terrenas, & viles curant; ut appoſitè inter adagia ponatur: *Ne ſuſtineas, ô homo, primas tenere inter graculos, ſi aquila eſſe poſſis.* Aquila ſenex ſe renovat, & juveneſcit; ita & Sancti in Reſurrectione juveneſcent, & pro mortali corpore accipient immortale ac glorioſum, cum eóque quaſi aquilæ rapientur obviam Chriſto in aëra. Ibi non erit labor, non tædium, non laſſitudo, non dolor, non gemitus, non infirmitas, non ſenectus; ſed quies, alacritas, lætitia, vigor, jubilus, ſanitas, & juventa perpetua. Et ut nihil de Beatitudinis dotibus deſit, eas quadruplici antitheſi explicat Paulus: *Seminatur* corpus *in corruptione*, (1. Corinth. 15. v. 42. 43 44.) multis infirmitatibus objectum; *ſurget in incorruptione*, impaſſibile, & omnis doloris expers. *Seminatur in ignobilitate*, obſcurum, immundum, defectuoſum;

ſurget

„corpus excipit; quomodo igitur re„ſurget? Navigatores à piſcibus de„vorati ſunt, & ipſi quoque comeſti „ſunt. Eos qui cum beſtijs pugnave„runt, urſi & leones unacum oſſibus „comminuerunt. Vultures & corvi „mortuorum humi projectorum cor„pora comederunt, & in univerſum „mundum diſperſi ſunt; unde con„gregabitur corpus? Nam avium, quæ „illud comederunt, aliam quidem in „Indiâ mori contingit, aliam in Perſi„de, aliam in Gothia igne comburi; „& ipſius cinerem ventus diſperſit. „Vnde id corpus congregabitur?] Hiſce tamen nugarum catenis ſatisfieri uno verbo poteſt, recurrendo ad Divinam Potentiam totius hujus negotij adminiſtram. Nam ut exactiſſimè Tertullianus Ethnicum alloquitur, [Recogita quid fueris, antequam „eſſes? Vtique nihil: meminiſſes „enim, ſi quid fuiſſes. Qui ergo nihil „fueras, priusquam eſſes, idem nihil „factus, cùm eſſe deſieris, cur non poſ„ſis eſſe rurſus de nihilo ejusdem Au„thoris voluntate, qui te voluit eſſe „ex nihilo? Quid novi tibi eveniet? „Qui non eras, factus es; quum iterum „non eris, fies. Redde ſi potes ratio„nem, qua factus es; & tunc require, „qua fies.]

222. Hac veritate Reſurrectionis futuræ ſuppoſitâ, ad ovum Paſchale revertor, & nobiliſſimas in excluſione pulli obſervo ordinationes. Inter quas Petrus Gregorius Toloſanus ponit: *Mirabile magnum; quia non planè comprehenditur virtus & omnipotentia DEI, ut pullus intra ovi corticem concluſus, antè, quàm vel putamen effringat, pipiat; ales factus intra concluſus, poſt undevigeſimum diem ab incubitu Gallinæ in ova.* Quis non miretur, ex teſtâ ovi per calorem incubantis, aut certè ipſius pulli fricatione fracti, animal vivum, ac ſpecioſum Phaſianum prodire! Hodie Chriſtus poſt ruptam corporis ſui in Paſſione teſtam, tandem ex nido ſepulchri prodivit glorioſus; & nocte occultæ vitæ excuſsâ, tenebriſque doloroſæ mortis ſuperatis, velut ſol ex obſcuris relucens nubibus, Reſurrectionis ſuæ majeſtatem ac lucem Chriſtiano orbi annuntiavit. Par eſſe videtur ratio de homine reſuſcitando, quem DEUS ex putrefacto corpore efformabit novum, de terreno cœleſtem, de mortuo viventem, de mortali immortalem & glorioſum. *Et quid per ova*, inquit Hugo de S. Victore, *niſi tenera adhuc proles exprimitur, quæ diu fovenda eſt, ut ad vivum volatile perducatur. Ova quippe inſenſibilia in ſemetipſis ſunt; ſed tamen calefacta, in viva volatilia convertuntur.* Pipit pullus intrà concluſus, & exire de ovi carcere laborat: roſtello teſtam pertundit, & pipiendo quodammodo gemit, quòd incluſus conſtringatur, & incolatus ejus ſit prolongatus. Simili ratione exire de corpore Sancti optant, pullúmque pipiendo ac pertundendo imitātur, & cum Apoſtolo, ex hoc miſero ac mortali corpore, ad beatam & cœleſtem vitam anhelante ſuſpirant. Animam ſuam alloquitur Hugo Victorinus apud S. Auguſtinum, & motiva exaggerat, quibus meritò ad æternam illam beatitudinem aſpirare debeat. *Audi, ô anima, qualis ſis. Onerata es peccatis, irretita vitijs, capta illecebris, affixa membris, confixa curis, diſtenta negotijs, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, ſuſpicationibus inquieta, ſollicitudinibus anxia, advena in terrâ inimicorum, coinquinata cum mortuis, deputata cum ijs, qui in inferno ſunt.* Et paulò antè ſic inquiens. *Quando veniam & apparebo ante faciem Domini, ad videndum eum in bonitate Electorum ſuorum, ad lætandum in lætitia gentis ſuæ, ut laudetur cum hæreditate ſua? Quando videbo civitatem illam, de qua dictum eſt, plateæ tuæ Jeruſalem ſternentur auro mundo, & in te cantabitur canticum lætitiæ, & per omnes vicos tuos ab univerſis dicetur Alleluja? O civitas ſancta, civitas ſpecioſa, de longinquo te ſaluto, ad te clamo, te requiro; deſidero enim videre te, & requieſcere in te: ſed non ſinor carne retentus. O civitas deſiderabilis, muri tui lapis unus, cuſtos tuus ipſe DEUS, cives tui ſemper læti; ſemper enim gratulantur in viſione DEI, &c.* Ad hanc Beatitudinis lucem anima de corpore exire

Animæ inclinatio ad Beatitudinem, ex pulli maturitate.

Petrus Greg. Toloſ. l. 13 de Rep. c. 23. n. 4.

Hugo de S. Victore l. 2. de beſt. c. 37.

S. Auguſtin. lib. de ſpiritu & anima, n. 5. c. 62.

Ibidem c. 60.

fata-

ſatagit, & totus homo per Reſurre-ctionem ad cœlos evolare. Hæc ſors ſanctorum eſt: at verò impij nec pipiunt, nec gemunt, quia cœlo maturi non ſunt; ſemper in corpore, & carne manſuri, niſi lex omnibus hominibus ſtatuta obnuntiaret. Obſtetrice ergo indigent, &, velut Gallinâ matre corticis ruptionem adjuvante, Eccleſiâ corpus eorum per jejunia, per pœnitentiam, per correptiones frangente & affligente. Ita enim & Gallinæ ſubinde pullos in lucem producunt.

113. Fractâ teſtâ prodit ſoboles; non ex equo miles Trojanus, non ex dolio Diogenes, non ex ſpelunca leo, non ex latebra anguis, neque ex voragine piſcis; ſed ex ovo pullus: avicula, inquam, libera, volitans per aërem, acutis oculis, lætabunda, canora, & ad omnem cœli plagam cum plauſu vagabunda. Haud minor eſt ratio Beatorum, qui in Reſurrectione è ſepulchris & latibulis ſuis provolabunt velut alites cœleſtes, tanquam Angeli Dei; terrena calcabunt omnia, auràque Elyſiâ vivent puriſſimâ, & affluent cœli bonis lætabundi; celerrimo quaſi volatu totam cœli peripheriam perluſtrabunt, & ſine labore, ſine defatigatione in momento erunt, ubicunque voluerint exiſtere. Alacriter illudent morti: *Vbi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?* Improperabunt peccato, inferno, carni, mundo; & de ſua felicitate lætabuntur, ſicut qui lætantur in meſſe. *Tunc qui ſperant in Domino* (utique Electi ex ovo ſpei gignendi) *mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Neque eſt, cur ſentiant aliqui, Beatos in cœlis ſeſſuros immotos cum Chriſto ad dexteram Patris: nam Beati annuente Deo ſedent, cùm allubeſcit ſedere; tametſi pro voluntate identidē mutant ſitum, & nunc ſedent (ut ferunt multæ Scripturæ) nunc ambulant, & diſcurrunt velut ſcintillæ in arundineto. Contrà quàm accidet corporibus redivivis damnatorum, quæ hærebunt fixa ſemper in eodem loco: idque eſt, quod Matthæus ait, reprobos ligatis pedibus mittendos eſſe in tenebras exteriores. Beati autem redivivi pro ſua voluntate nunc ſtabunt, nunc ſedebunt, nunc progredientur ad vitæ fontes aquarum; mutato ſubinde ſitu, non ad medicamentum, ſed ad exercitium progreſſivæ facultatis, ſubordinatę ad voluntatem optimè compoſitam, ſvapte naturâ ſubinde verſatilem, & ejus oblectationis appetentem. Adeóque *aſſument pennas ut Aquila*: ubi S. Hilarius ſuper illud Pſalmi, *ſi ſumpſero pennas meas diluculo*, has pennas, ait, pertinere ad demutationem terrenorum corporum in ſpiritualem naturam: *Pennigerabunt tanquam aquila, naturam evolandi in cœlum in Reſurrectionis demutatione ſumpturi.* Si aquila tam acuti ſit viſûs, ut irretortis oculis in ſolem intendat; non eſt acies ſuper arduam & intentam Beatorum contemplationem, qua in Deum, Solem verum, ac omnis luminis fontem figunt mentem. Aquila non tangitur fulmine, mortalibus omnibus fatalis Beati non timent damnationis ſententiam aut gehennam, quæ tanto viatoribus eſt terrori. Aquila amat excelſa: Beati in cœlo Empyreo, in ſublimiſſima gloria ac vita, quietis ſibi nidum ſtruunt. Aquila non captat muſcas; nec Beati res terrenas, & viles curant; ut appoſitè inter adagia ponatur: *Ne ſuſtineas, ô homo, primas tenere inter graculos, ſi aquila eſſe poſſis.* Aquila ſenex ſe renovat, & juveneſcit; ita & Sancti in Reſurrectione juveneſcent, & pro mortali corpore accipient immortale ac glorioſum, cum eóque quaſi aquilæ rapientur obviam Chriſto in aëra. Ibi non erit labor, non tædium, non laſſitudo, non dolor, non gemitus, non infirmitas, non ſenectus; ſed quies, alacritas, lætitia, vigor, jubilus, ſanitas, & juventa perpetua. Et ut nihil de Beatitudinis dotibus deſit, eas quadruplici antitheſi explicat Paulus: *Seminatur* corpus *in corruptione*, multis infirmitatibus objectum; *ſurget in incorruptione*, impaſſibile, & omnis doloris expers. *Seminatur in ignobilitate*, obſcurum, immundom, defectuoſum; *ſurget*

Beati erunt agiliſſimi, & omni dote ornati.

1. Cor. 15. v. 55.

Iſa. 40. v. 31.

Raynaudus in Eucharistiam Arathiſto. parag. 8.

Matth. 22.

S. Hilarius in Pſal. 138.

1. Corinth. 15. v. 42. 43. 44.

ſurget in gloria, clarum, ſplendidum, illuſtre. *Seminatur in infirmitate*, grave, moleſtum & debile; *ſurget in virtute*, agile, penetrabile, & ad omnem loci differentiam ſine impedimento mobile. *Seminatur corpus animale*, more brutali; *ſurget ſpirituale*, modo Angelico & ſubtili.

224. Beati ex animæ Reſurrectionem corporum Deum in cælo ſemper vident. Inſuper pulli ex ovis prodeunt, vivi quidem, ſed implumes & nudi, tenui cum lanugine albicante, aureo colori mixtâ: brevi tamen plumeſcunt; interim ſub alis matris contenti, & ſecuri degunt. Ita Beati poſt mortem, corporis tegumento carent usque ad communem Reſurrectionem; ubi demum plumas, id eſt, veſtem immortalium, & glorioſorum corporum accipient: interim tamen aureâ quaſi lanugine albicante micant, gloriâ ſcilicet animæ in conſpectu DEI. Viſionem huius rei eximiam proponit Joannes, dum recenſet: Apoc. 6. v. 9. 10. 11. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum DEI, & propter teſtimonium, quod habebant; & clamabant voce magnâ, dicentes: uſquequo Domine (ſanctus, & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra? Et data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres.* Hæc viſio concernit vota Eccleſiæ perſecutionibus preſſæ, ut iis DEUS imponat terminum, martyres coronet, perſecutores puniat, & ad tartara detrudat. Sicut autem ante Chriſtum animæ dicebantur eſſe in Limbi *promptuariis*, expectantes Chriſtum, & beatam Reſurrectionem; ita poſt Chriſtum dicuntur eſſe ſub Altari, hoc eſt, *thymiamatis* in cœlo. Quia enim ſunt animæ interfectorum pro Chriſto, hinc ſicut corpora eorum dicuntur eſſe ſub altari holocauſtorum, in quo immolata & ſepulta ſunt in terra; ita & animæ eorundem dicuntur eſſe ſub altari thymiamatis in cœlo, expectantes unionem eum corpore: ut illo veſtitæ, ſuper altare quaſi eleventur ſimul ad perfectam gloriam, & conſummatam beatitudinem; ſicque corpore glorioſo donatæ, ſeſe, ſuámque gloriæ ſtolam, & martyrii lauream publicè toti mundo oſtentent. De fide autem eſt in Conciliis Florentino, ac Cornelius à Lap. ſuper citat. locum. Tridentino, item à Benedicto XII. & Innocentio III. in Decretalibus hac de re editis definitum, animas plenè à peccatis purgatas, ſtatim à morte videre DEUM, & eſſe beatas. *Et dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum.* Sed quantum durationis importat hoc modicum tempus? In ſequenti capite octavo, poſtquam Joannes rerum venturarum ſeriem per apertionem ſeptem ſigillorum explicuiſſet, addit: *factum eſt ſilentium in cœlo, quaſi mediâ horâ*; Apoc. 8. v. 1. donec ſcilicet ſeptem Angeli cum ſeptem tubis mitterentur ad denuntiandum diem Judicii, ac momentum Reſurrectionis. Hoc ſilentium denotat quaſi verecundiam, & gratitudinem animarum ſanctarum in cœlo, quæ viſo improborum ſupplicio, propriæ vilitatis ac ſuorum delictorum reminiſcuntur, ac cum pudore ſeſe gratos exhibent DEO, qui abjectis & damnatis aliis, illos in ſortem Electorum vocavit. Hoc proinde ſilentio, ceu modeſto plauſu & jubilo, Divinæ Juſtitiæ integritatem & æquitatem tacitè approbant, & collaudant, perfectáque ejus viſione perfruuntur. Sed ais: quomodo tot anni, qui usque ad diem Judicii reſtant, modicum tempus, & quaſi media hora poſſunt enuntiari? Reſpondetur, tanto interim gaudio animas beatorum in cœlis affluere, ut non tantùm hujus moræ oblitæ, eam breviſſimam eſſe reputent; ſed etiam mille, aut plures annos reſpectu æternitatis, quam ſunt ingreſſæ, non plùs æſtiment, quàm diem heſternum, quæ præteriit. Quod colligere licet ex illius Monachi extaſi; qui trecentis annis unius aviculæ cantu demulſus, tandem ſibi redditus, arbitrabatur, ſe paucis horis aviculæ auſcultâſſe; non correcturus opinionis ſuæ errorem, niſi à ſæculo poſteriore, quod poſt extaſin invenerat, inveſtigâſſet veritatem. Nempe *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor homi-* 1. Cor. 2. v. 9.

nis

nis aſcendit; quanta præparaverit DEUS diligentibus ſe.

225. Diverſa claritas Beatorum, juxta diverſitatem meritorum.

Quod verò de ſtolis additur, *Data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ*, non utiq; ſtolę ex auro, byſſo, vel purpurâ contextæ; ſed ſtolæ innocentiam, ſanctitatem, & fortitudinem ſpirantes: ſtolæ puritate, quiete ac certâ felicitate redundantes: ſtolæ luminis gloriæ, viſionis ac fruitionis DEI; & conſequenter Humanitatis Chriſti, B. Virginis, Sanctorum Angelorum, ac Beatorum omnium: ſtolæ mirâ luce ſpecioſæ, ſplendidæ & candicantes: ſtolæ, quas Chriſtus vincentibus pro-
Apoc. 3. v. 5. miſerat: *Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Stolæ immortalitatis, claritatis, & gloriæ; ut par ſit ſtolæ, & laboris conditio: neque enim eſt glorioſa victoria, niſi ubi fuerint laborioſa certamina. Et quidem datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: nam Beati in Reſurrectione accipient binas ſtolas, quando gloriæ animæ addetur etiam corporis gloria; ita tamen, ut juxta rationem meriti una ſtola ſit alterâ excellentior, nobilior, ſplendidior, præſtantior. Etiam pulli ex ovis prodeuntes differunt nobilitate, formâ, magnitudine, pennarum pulchritudine, canendi arte: nec unquam in animantibus ita ludit Natura, quàm volatilium, quantumvis ſpecie convenientium, extrinſecâ varietate, ac delectabili plummarum differentiâ. D. Paulum huic
1. Cor. 15. v. 41. 42. propoſito alludentem produco: *Alia*, inquit, *claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum: ſtella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* Sicut Sol reliquis aſtris excellit in claritate, & ſtellæ fixæ in apparentiæ magnitudine Lunari corpori cedunt, & omnia Aſtra ſuas ſibi exigunt magnitudines; ita pariter proprium, & pro meritis diſpar, DEUS cuique Beato dabit corpus beatum ac glorioſum. Aptiſſimè Beati comparantur ſtellis: nam ſicut una ſtella alteri, ita & unus Beatus alteri, uti gratiâ & meritis, ita gloriâ & præmijs præfulget, atque

- - - Micat inter omnes
Virginis ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

Quod de Simone Pontifice, Oniæ filio,
prædicatur apud Eccleſiaſticum: *Qua-* Eccli. 50. v. 6.
ſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet: & quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in templo DEI. Id ipſum appoſitè Beatiſſimis cœli incolis confertur, quos vel in hâc vitâ degentes DEUS frequenter quodam ſiderum fulgore clarificavit: quando & B. Dominicus adhuc puer, luculentam ſtellam in fronte gerens, & immodico ejus ſplendore totum mundum irradians, cuidam nobili matronæ in viſu apparuit: quando B. Ignatius, Soc JESU Fundator, in oratione totus circumfuſus radijs illuxit: quando B. Petri de Alcantara Albuquercæ civitati pendulo per octiduũ in aëre phænomeno fuit præſentia demonſtrata: quando in communi apud
Matthæum, *fulgebunt juſti ſicut Sol in* Matth. 13. v. 41.
conſpectu DEI: quando & ipſe Chriſtus victoribus hujus ſæculi verificè pro-
mittit: *Qui vicerit, dabo illi ſtellã matuti-* Apocal. 2. v. 28.
nam; id eſt, gloriã & viſionẽ beatificam: quæ *ſtella* dicitur propter claritatẽ luminis ac viſionis: & quidem *matutina*; tum quia datur poſt hujus ſæculi noctem; tũ propter beatitudinis inchoationem, quæ in corporũ reſurrectione complebitur: quando deniq; in cõmuni de viris doctis, juſtitiæq; ac ſancti-
tatis doctoribus, vaticinatur Daniel: Daniel. 12. v. 3.
Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Ut de alijs laureolis taceam; queîs quælibet Beata anima, ſine invidia & æmulatione, pro ſui meriti capacitate diverſâ, glorioſè eluceſcet.

226. Felicitas Beatorum pura, & malis impermixta.

Vitellus ovi teſtâ ſeptus haud poteſt inſici veneno, vel manu coquentium inquinari: puritate ſuperat omnes; non vitiatur fumo, non amareſcit fuligine, non conſpergitur cinere; à cacabo vitium non trahit. Non invenitur bonum aliquod in terris, quod ſit imperuium malis, impermixtum amaritudine, & rubigine intactum. Eſt vir quiſpiam illu-

ſtris ſanguine, ſed marſupio pauper, vel preſſus infirmitate: alius dives auro, ſed abjectus famâ; formoſus, ſed ægrotus; doctus, ſed contemptus; felix, ſed æmulatione preſſus; ſuâ ſorte contentus, ſed multis offenſus. Rachel erat pulchra, ſed ſterilis: Lia fœcunda, ſed lippa; Naam dives, ſed leproſus; Eliſeus, qui eum ſanavit, ſanus ſed pauper; Aſa Rex deliciosus, ſed podagricus. Scilicet nunquam ſolida, & pura mundus gandia confert: ubique vanitas, & afflictio ſpiritûs. At verò in cœlo poſt generalem mortuorum Reſurrectionem erit gaudium Beatis puriſſimum, pleniſſima conſolatio. *Tunc abſterget DEUS omnem lachrymam ab oculis eorum; & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor.* Felix pœnitentia, quæ tam purum Cœlitibus contulit præmium; prout Seraphica Thereſia à S. Petro Alcantarenſe, poſt mortem eidem in eximiâ gloriâ apparente, pronunciari audivit. *Felices lachrymæ*, ait S. Bernardus, *quas benigna manus Conditoris abſterget; & beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt, quàm elevari in ſuperbia, quàm omne ſublime videre, quàm avaritia & petulantia famulari!* Quid hac vitâ beatius, ubi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas! Nemo læderetur, iraſcetur nemo: nemo invidet, cupiditas nulla exardeſcit: nullum ibi deſiderium honoris pulſat, aut poteſtatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul: mors neque corporis, neque animæ erit; ſed immortalitatis munere vita, vita jucunda, pura, beata. Quid tunc jucundius & beatius, quàm in conſpectu Chriſti ſemper lætari, ſemper ſecurum converſari? Pinxit non nemo Gallinam, filios ſuos gregatim adunatos ducentem ac reducentem, ſed & pullos unitim ſequentes matrem; & adſcripſit: *QUOCUNQUE IERIT.* Verba ſunt ex Apocalypſi deprompta ad tripudium Beatorum: *Hi ſequuntur Agnum, QUOCUNQUE IERIT.* Ad quem locum Rupertus Abbas ſic commentatur. *Sequuntur* (Electi) *Agnum quocunque ierit, dum judicia ejus & per ſpiritum intelligunt, & per charitatem laudant, & juſtificant eum in eisdem omnibus judiciis ejus, & dum exemplum charitatis ejus imitantur usque ad mortem, &c.* & in æternâ vitâ lætabundi ſine fine, ſine interruptione, ſine periculo congaudent & exultant.

[Margin: Apocal. 21. v. 4.]
[Margin: S. Bernardus in Declam.]
[Margin: Beda ſerm. 18. de Sanct.]
[Margin: Hercules Sacerdos.]
[Margin: Abbas in Symb.]
[Margin: Apoc. 14. v. 4.]

227. Ovum tam firmum & conſtans eſt, ut ſi compreſsâ utrâque manu ex obliquâ acuminis parte conſtringatur, omnino frangi etiam à fortiſſimo viro non poſſit. *Firmitas enim putaminum*, ut Plinius ait, *tanta eſt, ut recta nec vi nec pondere ullo frangantur, nec niſi paululum inflexâ rotunditate.* Quidquid magnum hoc mundi ovum in ſe continet, fragile eſt, labile eſt, inconſtans eſt. Oromoſius, celebris ille præſtigiator, jactitabat ſe de cujuſdam ovi poſſeſſione, in quo omnem totius mundi fortunam incluſam contineri; at verò cùm ovum aperiretur, inventum eſt inane & vacuum. Talis eſt mundi conditio; ut purum in ſe contineat vacuum, ab omni verâ ac ſtabili bonitate alienum, & omni perpetuitate exinanitum. At verò Beati de perpetuitate ſui gaudii ſecuri vivunt, ac Chriſto reſurgenti in gloria læti accinunt illud Pſalmiſtæ: *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum* (in jejunio, mortificatione, & cruce) *& circumdediſti me lætitia* (in Reſurrectione ad vitæ beatiſſimæ perennitatem) *ut cantet tibi gloria mea* (inter Sanctos & Electos in conſpectu tuo) *& non compungar* (ampliùs ullâ moleſtiâ, aut mali ſpecie.) Quid multis? Gaudium hoc plenum eſt, quod nemo ampliùs ab illis tollet. Hic vos quæro, AA. quomodo ſolidam ovi, ſibique ſemper ſimillimam, ac rotundam, conſiſtentiam poſſitis per anguſtum foramen trahere, aut ſine læſione in aliam formam atque figuram reducere? Accipite acetum ſatis mordax, & ſpirituoſum; imponite ovū per aliquot continuos dies, ut teſta bene maceretur: ſic maceratum ovum non ſolùm per exiguum foramen ſine læſione trahere, ſed etiam in quamcunque figurâ conſolidare poteſtis. Sic nempe ovum

[Margin: Beatitudinis cœleſtis firma perpetuitas.]
[Margin: Plinius l. 10. c. 3.]
[Margin: Pſal. 29. v. 11.]

ovum *ACETO DISPOSITUM* quæcunque in ſe figuras recipit. Ad ſanctos & electos Dei Amicos hæc tendit ſymbolizatio; quos per multas mortificationes, tribulationes & mordacitates, oportet intrare per anguſtam portam regni cœlorum, & tandem induere figuræ cœleſtis ſolidam perpetuitatem. Dicit S. Hieronymus, *Quòd Providentiâ DEI ſæpè nobis accidunt mala, ut varijs calamitatibus hujus ſæculi & miſerijs ad DEI ſervitutem redire cogamur.* Sic certè oportet conſcindi, & macerari ſaccum corporis noſtri in corruptione & mortalitate, per mortem & incinerationem; ut dum venerit dies illa magna & amara, hoc eſt, acetoſa valde, *Aceto diſpoſitum* inveniatur ad aſſumendam ſolidam quandam & glorioſam perpetuitatem.

S. Hieronymus in c. 2. Oſee.

228\. Tandem quis tantæ artis eſt, ut poſſit ovum Paſchale in caput erigere, & in ſuo libramento ita diſponere, ut ſubſiſtat erectum? Ars omnibus, non tamen Putaneo, videtur difficillima. Caſum refert noſtro propoſito accommodiſſimum Juſtus Lipſius, in operum ad Criticam ſpectantium præfatione ad Lectorem. [Ita humanum ingenium eſt, facilia putare, quæ jam facta: nec de ſalebris cogitare, ubi via ſtrata. Chriſtophori Columbi dictum, & factum appoſitè ijs ingeram illius, qui novum Orbem retexit primus. Cùm enim ea res in magnâ gloriâ, & ſimul invidiâ eſſet, ita evênit, ut in convivio quopiam Hiſpani Proceres hanc laudem ejus delibutum irent, & imminutum: quippe rem pronam eam fuiſſe, navigationem ſine diſcrimine, unum aliquem ex ſeſe potuiſſe eaſdem illas terras gentéſque reperire, ſine Itali hominis ullo uſu. Columbus (aderat enim) cùm tacitus diu audiſſet, ſurrexit, & velut aliud agens, ovum attulit à Gallina, in menſâ repoſuit; &, heus Sodales, inquit, quis veſtrûm ille ſolers, qui hoc ovum rectum mihi deſtituat, & in caput? Muſſitare illi, circumſpicere, negare ad extremum omnes, id fieri. Ille clementer: Immo fiet, inquit: & ſimul ovum leviter à capite læſum & quaſſatum, depoſuit erectum. Enimverò hîc riſus & irriſus, pro ſe quiſque rem facilem, nugatoriámque eſſe, dicere. Attamen ille renitens ait: quis veſtrûm hoc facilè ante indicem potuit? Talis inventio mea novi Orbis eſt; quem inveniendum nemo, omnes inveniant inventum.] Lapſum hominem aut mortuum, ovo conferamus jacenti; qui ſibi relictus ſemper jaceret, ſuo pondere ad lapſum, ad corruptionem inclinans; ita ut nullâ virtute ſibi propriâ poſſit reſurgere. Cùm ergo neque in cœlis, neque in terrâ ullum ingenium aut vires eſſent, quibus è tam multiplici miſeriâ rurſum erigeretur homo ad ſtatum aliquem ſupernaturalem, & à corruptione tranſiret ad incorruptibilitatem; Deus, cujus bonitatis infinitus eſt theſaurus, ex intimis viſceribus commotus, inauditum, admirabile, ineffabile, Superis & inferis obſtupeſcendum adinvenit conſilium; ut Verbum illud Divinum, immortale, ab æterno natum, in tempore noſtram naturam, & mortalitatem indueret, in qua & per quam nos lapſos erigeret, ac corruptos glorioſâ Reſurrectione inſtauraret.

Reſurrectio mortuorum ſoli Chriſto reſurgenti tribuenda. Putaneus. mal. 20.

Concludo, dum ovum evacuo: nam ovum evacuatũ ſi collecto rore impleatur, & radio ſolis opponatur, occultâ quadam virtute attrahitur à ſole, & elevatur. Et quis dubitat, hominem *plenum rore* charitatis, gratiæ & virtutis, evacuatâ omni imperfectione, aſcendere ſurſum, & elevari in cœlum à Sole Juſtitiæ? *Quem tu imples*, ingeminat S. Auguſtinus ad Deum, *ſublevas eum; & quia tui plenus non ſum, ideo mihi oneri ſum.* Igitur facti olim noſtri ipſius exoneratione, impleamur rore gratiæ & ſpei, & potenter nos patiamur attrahi ad Civium ſupernorũ ſocietatem. Faciat Deus, ut dum *repoſita eſt hæc ſpes in ſinu noſtro*, ita in hoc

S. Auguſtin. l. 10. Confeſſ.

Job. 19. v. 27.

Sic quoque curabit Chriſtus, contraria nobis,

Ne ſceleratorum facta nocere queant.

Nec paſſeres, nec turdi, nec anates, nec aliæ aves ſic infirmantur cum ſuis pullis, ſicut Gallina: in qua, Auguſtino teſte, [raucеſcit vox, fit hiſpidum totum corpus, demittuntur alæ, laxantur plumæ, & vides circa pullos neſcio quid ægrotum; & ea eſt materna charitas, quæ eſt infirmitas, &c. Sic Chriſtus congregavit omnes gentes, tanquam Gallina pullos ſuos: qui infirmatus eſt propter nos, accipiens carnem à nobis, id eſt, à genere humano; crucifixus, contemptus, alapis cæſus, flagellatus, ligno ſuſpenſus, lanceâ vulneratus. Ergò hoc maternæ infirmitatis eſt, non amiſſæ majeſtatis, ut ex eo, quòd nobiſcum communicavit infirmitatem, ſolveret noſtram iniquitatem.] Et *ut mater criſtata ſolet, quo tempore milvus inſtruit inſidias*, ita amans noſtri Chriſtus noſtros tulit languores; pro nobis ſeſe eneruavit; nos protexit ſub alis, & contra rapacem illum ex Acheronte vulturem defendit. Et quanto cum amore, cum quantâ affectûs teneritudine, poſuit *in arduis nidum ſibi?* In arduâ ſcilicet Crucis arbore, ubi purpureũ ovũ cruentæ ſuæ Paſſionis poſuit. Hoc ovum, quod deinde in ſepulchrum tranſtulit *in ſpem venturæ ſobolis*, poſt trium dierum incubationem pullum excluſit; qui perfractis mortis carceribus glorioſus prodivit, & redivivus *ſurrexit*, ac toti Eccleſiæ cum gaudio & exultatione Paſchale *Alleluja* intonuit; ut meritò in hujus rei memoriam purpurea ova ovali die benedicantur. Conſilium ſequor, quod ſuggerit D. Auguſtinus de ovo Paſchali: *Spes nondum pervenit ad rem; & ovum eſt aliquid, ſed nondum eſt pullus. Ovum ergò noſtrum, id eſt, ſpem noſtram ſub alis illius Gallinæ ponamus*; utique non aliam ſpem, quàm univerſalis Reſurrectionis, in qua omnes tanquam pulli ex ovo, velut Chriſtus ex ſepulchro, redivivi prodibimus: prout ſequenti diſcurſu, per ovi Paſchalis conſiderationem anatomicam, gratioſè & affectuoſè demonſtrabo.

S. Auguſtin. in Pſal. 58.

Iob. 39. v. 27.

S. Auguſtin. de Verbo Dom. ſer. 40.

Ælius Lamptidius inter reliqua Imperij omina, quæ Alexandro Severo contigerant, etiam illud extitiſſe ſcribit; quòd ovum purpurei coloris eâdem die, qua ipſe natus eſt, in Regiâ ſit poſitum. Id cùm matri eius eſſet oblatum, aruſpices divinârunt, infantem natum futurum Imperatorem. Quod poſtea probavit eventus; nam ob eximiam ſuam virtutem, cui ovum regij coloris regios ominabatur honores, ad totius Romani Imperij ac ſceptri ſublimitatem eſt evectus. Ecquid eſt, quòd Eccleſiæ Filij Paſchali hoc tempore ova varijs pingant coloribus, ornent, benedicant, ac ſibi invicem dono offerant? An ideo, ut mundi exordium, aut regenerationem hominis ſymbolizemus? Nam & Concinenſium Populorum, versùs Solis occaſum habitantium, inepta erat opinio, hunc mundum magnum ex ovo reſultâſſe; ex cujus candidâ teſtâ in immenſum protensâ cœlum reſultârit; ex albo liquore aura, & ex vitello ignis prodierit; quæ ambo etiam ex parte inter ſe commixta, terræ molem effecerint. Verùm nec probabilis, nec rationabilis eſt hæc Concinenſium opinio. Fortè poſt exantlatas Quadrageſimalis obſervationis inedias Athenæi legem reparare ſatagimus; ut ſcilicet cum illo noſtram cœnam ab ovis incipiamus, & in pomis finiamus, illúdque teneamus Proverbium: *Ab ovo uſque ad mala*. Verùm in Paſchate liberalior debet inſtrui menſa, quàm ut ſolis ovis aut malis ſaturemur. Vt innumera hujus ovi myſteria alijs relinquam diſquirenda, duas ovi Paſchalis expono rationes. Primò, ad ſignificandum regenerationis effectum: nam plùs negotij eſt in ijs, quæ ex ovo prodeunt, quàm in reliquorum animalium ortu. *Bis debet generari, totieſque naſci; ovum ab alvo, ab ovo pullus*, inquit Puteanus. Sic & homo bis generatur, ac bis naſcitur; ſemel ſecundùm carnem; alterâ vice ſecundùm ſpiritum, & virtutes in Baptiſmo. Vnde & *regenerati*, & *re-*

220.

Cur fideles ſibi invicem ova Paſchalia offerant.

P. Borri in relat. anno 1611.

P. Georg. Stengelius in ovo Paſchali.

Puteanus orat. 10.

& renati dicimur; quomodo Paulus

Tit. 3. v. 5.

ait: *Salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs Sancti.* Et Baptiſm⁹ Græcis dicitur παλιγγενεσία, *iterata generatio*; quia antè ex matre genitos ſecundùm carnem, quaſi de novo regenerat, & renovat per gratiam Spiritûs Sancti; novóſque homines, id eſt, ſanctos, juſtos, Dei filios & amicos efficit. Deinde pingitur, & offertur ovum Paſchale, ad ſignificandam aliam regenerationem,

Matth. 19. v. 28.

de qua Chriſtus: *In regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, &c.* Ad hanc regenerationem qui aſpirant, pullo ſunt ſimiles intra corticem concluſo, & pipienti, atque exire cupienti. Quomodo D. Paulus

Rom. 7. v. 24.

cum gemitu dicebat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Liberari à corpore mortis*, addit S. Au-

S. Auguſtin. l. contra duas Epiſt. Pelag.

guſtinus, *eſt omni ſanato languore concupiſcentiæ carnis, non ad pœnam recipere corpus, ſed ad gloriam. Non enim à corpore mortis impij liberabuntur unquam, quibus in Reſurrectione eadem corpora ad æterna tormenta reddentur.* Itaque in ſpem Reſurrectionis, qua olim regenerandi ad cœleſtem purpuram ex ſepulchro prodibimus, ſicut pullus ex ovo, ovi Paſchalis celebratur ſpecioſitas.

221. Reſurrectionis univerſalis veritas probatur.

Non moramur in primâ, ſed de ſecunda, univerſali ſcilicet Reſurrectione, potiſſimùm occupamur; quam naturale lumen, Scripturarum lectio, Spiritûs Sancti oracula, & antiquæ traditionis ſuperſtites, luculenter humanæ capacitati poterant ingenerare. Tria potiſſimùm recenſentur ſalutis noſtræ myſteria, Sanctiſſimæ ſcilicet & Individuæ Trinitatis, Incarnationis præterea ac Sacramentorum, tandem etiam Reſurrectionis mortuorum, in extremo judicij die inſtituendæ: nullum tamen Deus tam claris explicavit per ſuos Scriptores Canonicos textibus, quàm ultimum de Reſurrectione. Priora duo in figuris veteris Teſtamenti duntaxat declarantur; poſterius actu exhibulc, etiam ante ſuum in carnem Adventum; quando Elias & Eliſeus defunctos potenti virtute Dei reſuſcitârunt ad vitam. In Lege Naturæ pientiſſimus Jobus hoc argumentum non in dubium aut probabilitatem revocat, ſed aſſertivè pronuntiat: *Scio,*

Job. 19. v. 25.

quòd Redemptor meus vivit; & in noviſſima die de terrâ ſurrecturus ſum; & rurſus circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo DEUM Salvatorem meum. In Lege Moſaica quid clarius Deus per Prophetam poterat vaticinari? *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris.*

Ezech. 37. v. 12.

Hac ſpe fulciti Machabæi, diriſſima quæque pro Patrijs legibus ſuſtinere non expaveſcebant. Non ingrediar Peripateticorum Collegia, aut antiquiſſimorum Philoſophorum Muſæa, ut naturalibus rationibus demonſtrem propoſitam theſin; quando efficaciſſimè Reſurrectionis poſſibilitas vel ex defectu repugnantiæ confirmari poteſt, vel adſtrui ex naturali immortalis animæ inclinatione ad corpus, quam non decet eſſe in æternum fruſtraneam, aut à primo Motore nunquam reduci ad actum. Omnis inſuper natura, in ſolatium noſtri, futuram meditatur Reſurrectionem.

S. Greg. 14. moral. c. 30. S. Cyrillus Catech. 18.

Sol occidit, & renaſcitur; aſtra labuntur, & redeunt; flores langueſcunt, & reviviſcunt; poſt ſenium arbuſta frondeſcunt; ſemina non niſi corrupta reviviſcunt. Ita corpus in ſepulchro, ut arbores in hyberno, occultant virorem ariditate mentitâ. Et quomodo Ethnicus, admittens Phœnicem naturaliter reſurgentem, negare poterit Divinæ Potentiæ hominis reſurrectionem. Non ſunt tamen arbitrati Patres, reverà Phœnicem reſurgere;

Theophil. Raynaud. in Theol. nat. diſt. 3 q. 4. art. 6.

cùm conſtet, quæ de illa ave narrantur, aut omnino eſſe falſa, aut plurimâ ex parte conficta. Sed verò quicunque contra hanc doctrinam cavillantur, apud D. Auguſtinum, &

S. Auguſtin. Tract. in c. 18. S. Cyrillus Catech. 18.

„Cyrillum ſimilia [dicunt ad nos „tam Græci, quàm Samaritæ: Occi„dit homo, mortuus eſt, & compu„truit, & totus in vermes reſolutus „eſt, atque ij quoque vermes interie„runt. Putrefactio tanta & corruptio

„corpus excepit; quomodo igitur reſurget? Navigatores à piſcibus devorati ſunt, & ipſi quoque comeſti ſunt. Eos qui cum beſtijs pugnaverunt, urſi & leones unacum oſſibus comminuerunt. Vultures & corvi mortuorum humi projectorum corpora comederunt, & in univerſum mundum diſperſi ſunt; unde congregabitur corpus? Nam avium, quæ illud comederunt, aliam quidem in India mori contingit, aliam in Perſide, aliam in Gothia igne comburi; & ipſius cineres ventus diſperſit. Vnde id corpus congregabitur?] Hiſce tamen nugarum catenis ſatisfieri uno verbo poteſt, recurrendo ad Divinam Potentiam totius hujus negotij adminiſtram. Nam ut exactiſſimè Tertullianus Ethnicum alloquitur, [Recogita quid fueris, antequam eſſes? Vtique nihil: meminiſſes enim, ſi quid fuiſſes. Qui ergo nihil fueras, priuſquam eſſes, idem nihil factus, cùm eſſe deſieris, cur non poſſis eſſe rurſus de nihilo ejuſdem Authoris voluntate, qui te voluit eſſe ex nihilo? Quid novi tibi eveniet? Qui non eras, factus es; quum iterum non eris, fies. Redde ſi potes rationem, qua factus es; & tunc require, qua fies.]

222. Animæ inclinatio ad Beatitudinem, ex pulli maturitate. *Petrus Greg. Toloſ. l. 13. de Rep. c. 3. n. 4.*

Hac veritate Reſurrectionis futuræ ſuppoſitâ, ad ovum Paſchale revertor, & nobiliſſimas in excluſione pulli obſervo ordinationes. Inter quas Petrus Gregorius Toloſanus ponit: *Mirabile magnum; quia non planè comprehenditur virtus & omnipotentia DEI, ut pullus intra ovi corticem concluſus, antè, quã vel putamen effringat, pipiat; ales factus intra concluſus, poſt undevigeſimum diem ab incubitu Gallinæ in ova.* Quis non miretur, ex teſtâ ovi per calorem incubantis, aut certè ipſius pulli fricatione fracti, animal vivum, ac ſpecioſum Phaſianum prodire? Hodie Chriſtus poſt ruptam corporis ſui in Paſſione teſtam, tandem ex nido ſepulchri prodivit glorioſus; & nocte occultæ vitæ excuſſâ, tenebriſque doloroſæ mortis ſuperatis, velut ſol ex obſcuris relucens nubibus, Reſurrectionis ſuæ majeſtatem ac lucem Chriſtiano orbi annunciavit. Par eſſe videtur ratio de homine reſuſcitando, quem DEUS ex putrefacto corpore efformabit novum, de terreno cœleſtem, de mortuo viventem, de mortali immortalem & glorioſum. *Et quid per ova*, inquit Hugo de S. Victore, *niſi tenera adhuc proles exprimitur, quæ diu fovenda eſt, ut ad vivum volatile perducatur. Ova quippe inſenſibilia in ſemetipſis ſunt; ſed tamen calefacta, in viva volatilia convertuntur.* Pipit pullus intrà concluſus, & exire de ovi carcere laborat: roſtello teſtam pertundit, & pipiendo quodammodo gemit, quòd incluſus conſtringatur, & incolatus ejus ſit prolongatus. Simili ratione exire de corpore Sancti optant, pullúmque pipiendo ac pertundendo imitãtur; & cum Apoſtolo, ex hoc miſero ac mortali corpore, ad beatam & cœleſtem vitam anhelante ſuſpirant. Animam ſuam alloquitur Hugo Victorinus apud S. Auguſtinum, & motiva exaggerat, quibus meritò ad æternam illam beatitudinem aſpirare debeat. *Audi, ô anima, qualis ſis. Onerata es peccatis, irretita vitijs, capta illecebris, affixa membris, confixa curis, diſtenta negotijs, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, ſuſpicationibus inquieta, ſollicitudinibus anxia, advena in terrâ inimicorum, coinquinata cum mortuis, deputata cum ijs, qui in inferno ſunt.* Et paulò antè ſic inquiens: *Quando veniam & apparebo ante faciem Domini, ad videndum eum in bonitate Electorum ſuorum, ad lætandum in lætitia gentis ſuæ, ut laudetur cum hæreditate ſua? Quando videbo civitatem illam, de qua dictum eſt, plateæ tuæ Jeruſalem ſternentur auro mundo, & in te cantabitur canticum lætitiæ, & per omnes vicos tuos ab univerſis dicetur Alleluja? O civitas ſancta, civitas ſpecioſa, de longinquo te ſaluto, ad te clamo, te requiro; deſidero enim videre te, & requieſcere in te: ſed non ſinor carne retentus. O civitas deſiderabilis muri tui lapis unus, cuſtos tuus ipſe DEVS, cives tui ſemper læti; ſemper enim gratulantur in viſione DEI, &c.* Ad hanc Beatitudinis lucem anima de corpore exire ſata-

Hugo de S. Victore l. 1. de beſt. c. 37.

S. Auguſtin. lib. de ſpiritu & anima, n. 3. c. 62.

Ibidem. 60.

ſatagit, & totus homo per Reſurre-ctionem ad cœlos evolare. Hæc ſors ſanctorum eſt: at verò impij nec pipiunt, nec gemunt, quia cœlo maturi non ſunt; ſemper in corpore, & catne manſuri, niſi lex omnibus hominibus ſtatuta obnuntiaret. Obſtetrice ergo indigent, &, velut Gallinâ matre corticis ruptionem adjuvante, Ecleſiâ corpus eorum per jejunia, per pœnitentiam, per correptiones frangente & affligenre. Ita enim & Gallinæ ſubinde pullos in lucem producunt.

223. Beati erunt agiliſſimi, & omni dote ornati. Fractâ teſtâ prodit ſoboles; non ex equo miles Trojanus, non ex dolio Diogenes, non ex ſpelunca leo, non ex latebra anguis, neque ex voragine piſcis; ſed ex ovo pullus: avicula, inquam, libera, volitans per aërem, acutis oculis, lætabunda, canora, & ad omnem cœli plagam cum plauſu vagabunda. Haud minor eſt ratio Beatorum, qui in Reſurrectione è ſepulchris & latibulis ſuis provolabunt velut alites cœleſtes, tanquam Angeli DEI: terrena calcabunt omnia, auràque Elyſiâ vivent puriſſimâ, & affluent cœli bonis lætabundi; celerrimo quaſi volatu totam cœli peripheriam perluſtrabunt, & ſine labore, ſine defatigatione in momento erunt, ubicunque voluerint exiſtere. Alacriter illudent morti: *Vbi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?* (1. Cor. 15. v. 55.) Improperabunt peccato, inferno, carni, mundo; & de ſua felicitate lætabuntur, ſicut qui lætantur in meſſe. (Iſa. 40. v. 31.) *Tunc qui ſperant in Domino* (utique Electi ex ovo ſpei gignendi) *mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* (Raymundus in Eucharistica Antitheſi, parag. 8.) Nec eſt, cur ſentiant aliqui, Beatos in cœlis ſeſſuros immotos cum Chriſto ad dexteram Patris: nam Beati annuente DEO ſedent, cùm allubeſcit ſedere; tametſi pro voluntate identidē mutant ſitum, & nunc ſedent (ut ferunt multæ Scripturæ) nunc ambulant, & diſcurrunt velut ſcintillæ in arundineto. Contrà quàm accidet corporibus redivivis damnatorum, quæ hærebunt fixa ſemper in eodem loco: idque eſt, quod Matthæus ait, (Matth. 22.) reprobos ligatis pedibus mittendos eſſe in tenebras exteriores. Beati autem redivivi pro ſua voluntate nunc ſtabunt, nunc ſedebunt, nunc progredientur ad vitæ fontes aquarum; mutato ſubinde ſitu, non ad medicamentum, ſed ad exercitium progreſſivæ facultatis, ſubordinatę ad voluntatem optimè compoſitam, ſvapte naturâ ſubinde verſatilem, & ejus oblectationis appetentem. Adeóque *aſſument pennas ut Aquilæ*: ubi S. Hilarius ſuper illud Pſalmi, *ſi ſumpſero pennas meas diluculo*, has pennas, ait, pertinere ad demutationem terrenorum corporum in ſpiritualem naturam: *Pennigerabunt tanquam aquilæ, naturam evolandi in cœlum in Reſurrectionis demutatione ſumpturi.* (S. Hilarius in Pſal. 138.) Si aquila tam acuti ſit viſûs, ut irretortis oculis in ſolem intendat; non eſt acies ſuper arduam & intentam Beatorum contemplationem, qua in DEUM, Solem verum, ac omnis luminis fontem ſigunt mentem. Aquila non tangitur fulmine, mortalibus omnibus fatali; Beati non timent damnationis ſententiam aut gehennam, quæ tanto viatoribus eſt terrori. Aquila amat excelſa: Beati in cœlo Empyreo, in ſublimiſſima gloria ac vita, quietis ſibi nidum ſtruunt. Aquila non captat muſcas; nec Beati res terrenas, & viles curant; ut appoſitè inter adagia ponatur: *Ne ſuſtineas, ô homo, primas tenere inter graculos, ſi aquila eſſe poſſis.* Aquila ſenex ſe renovat, & juveneſcit; ita & Sancti in Reſurrectione juveneſcent, & pro mortali corpore accipient immortale ac glorioſum, cum eóque quaſi aquilæ rapientur obviam Chriſto in aëra. Ibi non erit labor, non tædium, non laſſitudo, non dolor, non gemitus, non infirmitas, non ſenectus; ſed quies, alacritas, lætitia, vigor, jubilus, ſanitas, & juventa perpetua. Et ut nihil de Beatitudinis dotibus deſit, eas quadruplici antitheſi explicat Paulus: *Seminatur* corpus *in corruptione*, multis infirmitatibus objectum; *ſurget in incorruptione*, impaſſibile, & omnis doloris expers. (1. Corinth. 15. v. 42. 43. 44.) *Seminatur in ignobilitate*, obſcurum, immundum, defectuoſum;

ſurget

ſurget in gloria, clarum, ſplendidum, illuſtre. *Seminatur in infirmitate*, grave, moleſtum & debile; *ſurget in virtute*, agile, penettabile, & ad omnem loci differentiam ſine impedimento mobile. *Seminatur corpus animale*, more brutali; *ſurget ſpirituale*, modo Angelico & ſubtili.

224. Beati ex∫ ante Reſurrectionem corporum Deum in cælo ſemper vident.

Inſuper pulli ex ovis prodeunt, vivi quidem, ſed implumes & nudi, tenui cum lanugine albicante, aureo colori mixtâ: brevi tamen plumeſcunt; interim ſub alis matris contenti, & ſecuri degunt. Ita Beati poſt mortem, corporis tegumento carent usque ad communem Reſurrectionem; ubi demum plumas, id eſt, veſtem immortalium, & glorioſorum corporum accipient: interim tamen aureâ quaſi lanugine albicante micant, gloriâ ſcilicet animæ in conſpectu DEI. Viſionem huius rei eximiam proponit Joannes, dum recenſet: *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum DEI, & propter teſtimonium, quod habebant; & clamabant voce magnâ, dicentes: usquequo Domine (ſanctus, & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de ijs, qui habitant in terra? Et data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres.* (Apoc. 6. v. 9. 10. 11.) Hæc viſio concernit vota Eccleſiæ perſecutionibus preſſæ, ut ijs DEUS imponat terminum, martyres coronet, perſecutores puniat, & ad tartara detrudat. Sicut autem ante Chriſtum animæ dicebantur eſſe in Limbi *promptuarijs*, expectantes Chriſtum, & beatam Reſurrectionem; ita poſt Chriſtum dicuntur eſſe ſub Altari, hoc eſt, *thymiamatis* in cœlo. Quia enim ſunt animæ interfectorum pro Chriſto, hinc ſicut corpora eorum dicuntur eſſe ſub altari holocauſtorum, in quo immolata & ſepulta ſunt in terra; ita & animæ eorundem dicuntur eſſe ſub altari thymiamatis in cœlo, expectantes unionem cum corpore: ut illo veſtitæ, ſuper altare quaſi eleventur ſimul ad perfectam gloriam, & conſummatam beatitudinem; ſicque corpore glorioſo donatæ, ſeſe, ſuámque gloriæ ſtolam, & martyrij lauream publicè toti mundo oſtentent. De fide autem eſt in Concilijs Florentino, ac Tridentino, item à Benedicto XII. & Innocentio III. in Decretalibus hac de re editis definitum, animas plenè à peccatis purgatas, ſtatim à morte videre DEUM, & eſſe beatas. (Cornelius à Lap. ſuper citat. locum.) *Et dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum.* Sed quantum durationis importat hoc modicum tempus? In ſequenti capite octavo, poſtquam Joannes rerum venturarum ſeriem per apertionem ſeptem ſigillorum explicuiſſet, addit: *factum eſt ſilentium in cœlo, quaſi mediâ horâ*; (Apoc. 8. v. 1.) donec ſcilicet ſeptem Angeli cum ſeptem tubis mitterentur ad denuntiandum diem Judicij, ac momentum Reſurrectionis. Hoc ſilentium denotat quaſi verecundiam, & gratitudinem animarum ſanctarum in cœlo, quæ viſo improborum ſupplicio, propriæ vilitatis ac ſuorum delictorum reminiſcuntur; ac cum pudore ſeſe gratos exhibent DEO, qui abjectis & damnatis alijs, illos in ſortem Electorum vocavit. Hoc proinde ſilentio, ceu modeſto plauſu & jubilo, Divinæ Juſtitiæ integritatem & æquitatem tacitè approbant, & collaudant, perfectáque ejus viſione perfruuntur. Sed aïs: quomodo tot anni, qui usque ad diem Judicij reſtant, modicum tempus, & quaſi media hora poſſunt enuntiari? Reſpondetur, tanto interim gaudio animas beatorum in cœlis affluere, ut non tantùm hujus moræ oblitæ, eam breviſſimam eſſe reputent; ſed etiam mille, aut plures annos reſpectu æternitatis, quam ſunt ingreſſæ, non plùs æſtiment, quàm diem heſternum, quæ præterijt. Quod colligere licet ex illius Monachi extaſi; qui trecentis annis unius aviculæ cantu demulſus, tandem ſibi redditus, arbitrabatur, ſe paucis horis aviculæ auſcultâſſe; non correcturus opinionis ſuæ errorem, niſi à ſæculo poſteriore, quod poſt extaſin invenerat, inveſtigâſſet veritatem. Nempe *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis* (1. Cor. 2. v. 9.)

nis aſcendit; quanta præparaverit DEUS diligentibus ſe.

225. Diverſa claritas Beatorum, juxta diverſitatem meritorum.

Quod verò de ſtolis additur, *Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ*, non utiq; ſtolę ex auro, byſſo, vel purpurâ contextæ; ſed ſtolæ innocentiam, ſanctitatem, & fortitudinem ſpirantes: ſtolæ puritate, quiete ac certâ felicitate redundantes: ſtolæ luminis gloriæ, viſionis ac fruitionis DEI; & conſequenter Humanitatis Chriſti, B. Virginis, Sanctorum Angelorum, ac Beatorum omnium: ſtolæ mirâ luce ſpecioſæ, ſplendidæ & candicantes: ſtolæ, quas Chriſtus vincentibus pro-
Apoc. 3. v. 5. miſerat: *Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Stolæ immortalitatis, claritatis, & gloriæ; ut par ſit ſtolæ, & laboris conditio: neque enim eſt glorioſa victoria, niſi ubi fuerint laborioſa certamina. Et quidem datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: nam Beati in Reſurrectione accipient binas ſtolas, quando gloriæ animæ addetur etiam corporis gloria; ita tamen, ut juxta rationem meriti una ſtola ſit alterâ excellentior, nobilior, ſplendidior, præſtantior. Etiam pulli ex ovis prodeuntes differunt nobilitate, formâ, magnitudine, pennarum pulchritudine, canendi arte: nec unquam in animantibus ita ludit Natura, quàm volatilium, quantumvis ſpecie convenientium, extrinſecâ varietate, ac delectabili plummarum differentiâ. D. Paulum huic
1. Cor. 15. v. 41. propoſito alludentem produco: *Alia*, inquit, *claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum: ſtella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* Sicut Sol reliquis aſtris excellit in claritate, & ſtellæ fixæ in apparentiæ magnitudine Lunari corpori cedunt, & omnia Aſtra ſuas ſibi exigunt magnitudines; ita pariter proprium, & pro meritis diſpar, DEUS cuique Beato dabit corpus beatum ac glorioſum. Aptiſſimè Beati comparantur ſtellis: nam ſicut una ſtella alteri, ita & unus Beatus alteri, uti gratiâ & meritis, ita gloriâ & præmijs præfulget, atque

- - - Micat inter omnes
Virginis ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

Quod de Simone Pontifice, Oniæ filio, prædicatur apud Eccleſiaſticum: *Qua-* Eccli. 50. v. 6.
ſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet: & quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in templo DEI. Id ipſum appoſitè Beatiſſimis cœli incolis confertur, quos vel in hâc vitâ degentes DEUS frequenter quodam ſiderum fulgore clarificavit: quando & B. Dominicus adhuc puer, luculentam ſtellam in fronte gerens, & immodico ejus ſplendore totum mundum irradians, cuidam nobili matronæ in viſu apparuit: quando B. Ignatius, Soc JESU Fundator, in oratione totus circumfuſus radijs illuxit: quando B. Petri de Alcantara Albuquerciæ civitati pendulo per octiduū in aëre phænomeno fuit præſentia demonſtrata: quando in communi apud
Matthæum, *fulgebunt juſti ſicut Sol in* Matth. 13. v. 43.
conſpectu DEI: quando & ipſe Chriſtus victoribus hujus ſæculi verificè pro-
mittit: *Qui vicerit, dabo illi ſtellā matutinam*; id eſt, gloriā & viſionē beatificam: Apoc. 2. v. 28.
quæ *ſtella* dicitur propter claritatē luminis ac viſionis: & quidem *matutina*; tum quia datur poſt hujus ſæculi noctem, tū propter beatitudinis inchoationem, quæ in corporū reſurrectione complebitur: quando deniq; in comuni de viris doctis, juſtitiæq; ac ſancti-
tatis doctoribus, vaticinatur Daniel: Dan. 12. v. 3.
Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Ut de alijs lauteolis taceam; quêis quælibet Beata anima, ſine invidia & æmulatione, pro ſui meriti capacitate diverſâ, glorioſè eluceſcet.

Vitellus ovi teſtâ ſeptus haud poteſt 226. Felicitas Beatorum pura, & malis impermixta.
infici veneno, vel manu coquentium inquinari: puritate ſuperat omnes; non vitiatur fumo, non amareſcit fuligine, non conſpergitur cinere; à cacabo vitium non trahit. Non invenitur bonum aliquod in terris, quod ſit imperuium malis, impermixtum amaritudine, & rubigine intactum. Eſt vir quiſpiam illu-

ſtris ſanguine, ſed marſupio pauper, vel preſſus infirmitate: alius dives auro, ſed abjectus famâ; formoſus, ſed ægrotus; doctus, ſed contemptus; felix, ſed æmulatione preſſus; ſuâ ſorte contentus, ſed multis offenſus. Rachel erat pulchra, ſed ſterilis: Lia fœcunda, ſed lippa; Naam dives, ſed leproſus; Eliſeus, qui eum ſanavit, ſanus ſed pauper; Aſa Rex delicioſus, ſed podagricus. Scilicet nunqnam ſolida, & pura mundus gaudia confert: ubique vanitas, & afflictio ſpiritûs. At verò in cœlo poſt generalem mortuorum Reſurrectionem erit gaudium Beatis puriſſimum, pleniſſima conſolatio. *Tunc abſterget DEUS omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor.* Felix pœnitentia, quæ tam purum Cœlitibus contulit præmium; prout Seraphica Thereſia à S. Petro Alcantarenſe, poſt mortem eidem in eximiâ gloriâ apparente, pronuntiari audivit. *Felices lachrymæ*, ait S. Bernardus, *quas benigna manus Conditoris abſterget; & beati oculi, qui in talibus liqueſieri fletibus elegerunt, quàm elevari in ſuperbia, quàm omne ſublime videre, quàm avaritiæ & petulantiæ famulari!* Quid hac vitâ beatius, ubi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo læderur, iraſcetur nemo: nemo invidet, cupiditas nulla exardeſcit: nullum ibi deſiderium honoris pulſat, aut poteſtatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul: mors neque corporis, neque animæ erit; ſed immortalitatis munere vita, vita jucunda, pura, beata. Quid tunc jucundius & beatius, quàm in conſpectu Chriſti ſemper lætari, ſemper ſecurum converſari? Pinxit non nemo Gallinam, filios ſuos gregatim adunatos ducentem ac reducentem, ſed & pullos unitim ſequentes matrem; & adſcripſit: *QUOCUNQUE IERIT.* Verba ſunt ex Apocalypſi deprompta ad tripudium Beatorum: *Hi ſequuntur Agnum, QUOCUNQUE IERIT.* Ad quem locum Rupertus Abbas ſic commentatur. *Sequuntur* (Electi) *Agnum quocunque ierit, dum judicia ejus & per ſpiritum intelligunt, & per charitatem laudant, & juſtificant eum in eiſdem omnibus judiciis ejus, & dum exemplum charitatis ejus imitantur uſque ad mortem, &c.* & in æternâ vitâ lætabundi ſine fine, ſine interruptione, ſine periculo congaudent & exultant.

[Apocal. 21. v. 4.] [S. Bernardus in Declam.] [Beda ſerm. 18. de Sanct.] [Hercules Salarolus.] [Abbas in Rupert.] [Apoc. 14. v. 4.]

227\. Ovum tam firmum & conſtans eſt, ut ſi compreſſâ utràque manu ex obliquâ acuminis parte conſtringatur, omnino frangi etiam à fortiſſimo viro non poſſit. *Firmitas enim putaminum*, ut Plinius ait, *tanta eſt, ut recta nec vi nec pondere ullo frangantur, nec niſi paululum inflexâ rotunditate.* Quidquid magnum hoc mundi ovum in ſe continet, fragile eſt, labile eſt, inconſtans eſt. Oromoſius, celebris ille præſtigiator, jactitabat ſe de cujuſdam ovi poſſeſſione, in quo omnem totius mundi fortunam incluſam contineret; at verò cùm ovum aperiretur, inventum eſt inane & vacuum, Talis eſt mundi conditio; ut purum in ſe contineat vacuum, ab omni verâ ac ſtabili bonitate alienum, & omni perpetuitate exinanitum. At verò Beati de perpetuitate ſui gaudij ſecuri vivunt, ac Chriſto reſurgenti in gloria læti accinunt illud Pſalmiſtæ: *Converſiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum* (in jejunio, mortificatione, & cruce) *& circumdediſti me lætitia* (in Reſurrectione ad vitæ beatiſſimæ perennitatem) *ut cantet tibi gloria mea* (inter Sanctos & Electos in conſpectu tuo) *& non compungar* (ampliùs ullâ moleſtiâ, aut mali ſpecie.) Quid multis? Gaudium hoc plenum eſt, quod nemo ampliùs ab illis tollet. Hic vos quæro, AA. quomodo ſolidam ovi, ſibique ſemper ſimillimam, ac rotundam, conſiſtentiam poſſitis per anguſtum foramen trahere, aut ſine læſione in aliam formam atque figuram reducere? Accipite acetum ſatis mordax, & ſpirituoſum; imponite ovũ per aliquot continuos dies, ut teſta bene maceretur: ſic maceratum ovum non ſolùm per exiguum foramen ſine læſione trahere, ſed etiam in quamcunq; figurã conſolidare poteſtis. Sic nempe ovum

[Beatitudinis cœleſtis firma perpetuitas.] [Plinius l. 10. c. 3.] [Pſal. 29. v. 11.]

ovum *ACETO DISPOSITUM* quaſcunque in ſe figuras recipit. Ad ſanctos & electos DEI Amicos hæc tenditſymbolizatio ; quos per multas mortificationes, tribulationes & mordacitates, oportet intrare per anguſtam portam regni cœlorum, & tandem induere figuræ cœleſtis ſolidam perpetuitatem. Dicit S. Hieronymus, *Quod Providentiâ DEI ſæpè nobis accidunt mala, ut varijs calamitatibus hujus ſæculi & miſerijs ad DEI ſervitutem redire cogamur.* Sic certè oportet conſcindi, & macerari ſaccum corporis noſtri in corruptione & mortalitate, per mortem & incinerationem; ut dum venerit dies illa magna & amara, hoc eſt, acetoſa valde, *Aceto diſpoſitam* inveniatur ad aſſumendam ſolidam quandam & glorioſam perpetuitatem.

S. Hieronymus in c. 2. Oſee.

228\. *Reſurrectio mortuorum ſoli Chriſto reſurgenti tribuenda. Putaneus, orat. 10.*

Tandem quis tantæ artis eſt, ut poſſit ovum Paſchale in caput erigere, & in ſuo libramento ita diſponere, ut ſubſiſtat erectum ? Ars omnibus, non tamen Putaneo, videtur difficillima. Caſum refert noſtro propoſito accommodiſſimum Juſtus Lipſius, in operum ad Criticam ſpectantium præfatione ad Lectorem. [Ita humanum ingenium, „eſt, facilia putare, quæ jam facta: „nec de ſalebris cogitare, ubi via „ſtrata. Chriſtophori Columbi dictum, & factum appoſitè ijs ingeram „illius, qui novum Orbem retexit primus. Cùm enim ea res in magnâ „gloriâ, & ſimul invidiâ eſſet; ita evê„nit, ut in convivio quopiam Hiſpani Proceres hanc laudem ejus „delibutum irent, & imminutum: „quippe rem pronam eam fuiſſe, na„vigationem ſine diſcrimine, unum „aliquem ex ſeſe potuiſſe eaſdem il„las terras gentéſque reperire, ſine „Itali hominis ullo uſu. Columbus „(aderat enim) cùm tacitus diu au„diſſet, ſurrexit, & velut aliud agens, „ovum attulit à Gallina, in menſâ re„poſuit; &, heus Sodales, inquit, quis „veſtrûm ille ſolers, qui hoc ovum „rectum mihi deſtituat, & in caput? „Muſſitare illi, circumſpicere; negare „ad extremum omnes, id fieri. Ille „clementer: Immo fier, inquit: & „ſimul ovum leviter à capite læſum „& quaſſatum, depoſuit erectum. „Enimverò hîc riſus & irriſus, pro „ſe quiſque rem facilem, nugato„riámque eſſe, dicere. Attamen ille „renitens ait: quis veſtrûm hoc fa„cilè ante indicem potuit? Talis in„ventio mea novi Orbis eſt; quem „inveniendum nemo, omnes inve„niant inventum.] Lapſum hominem aut mortuum, ovo conferamus jacenti; qui ſibi relictus ſemper jaceret, ſuo pondere ad lapſum, ad corruptionem inclinans; ita ut nullâ virtute ſibi propriâ poſſit reſurgere. Cùm ergo neque in cœlis, neque in terrâ ullum ingenium aut vires eſſent, quibus è tam multiplici miſeriâ rurſum erigeretur homo ad ſtatum aliquem ſupernaturalem, & à corruptione tranſiret ad incorruptibilitatem; DEUS, cujus bonitatis infinitus eſt theſaurus, ex intimis viſceribus commotus, inauditum, admitabile, ineffabile, Superis & inferis obſtupeſcendum adinvenit conſilium; ut Verbum illud Divinum, immortale, ab æterno natum, in tempore noſtram naturam, & mortalitatem induetet, in qua & per quam nos lapſos erigeret, ac corruptos glorioſâ Reſurrectione inſtauraret.

Concludo, dum ovum evacuo; nam ovum evacuatū ſi collecto rore impleatur, & radio ſolis opponatur, occultâ quadam virtute attrahitur à ſole, & elevatur. Et quis dubitat, hominem *plenum rore* charitatis, gratiæ & virtutis, evacuatâ omni imperfectione, aſcendere ſurſum, & elevari in cœlum à Sole Juſtitiæ? *Quem tu imples*, Ingeminat S. Auguſtinus ad DEUM, *ſublevas eum; & quia tui plenus non ſum, ideo mihi oneri ſum.* Igitur factis olim noſtri ipſius exoneratione, impleamur rore gratiæ & ſpei, & potenter nos patiamur attrahi ad Civium ſupernorū ſocietatem. Faciat DEUS, ut dum *repoſita eſt hæc ſpes in ſinu noſtro*, ita in

S. Auguſtin. l. 10. Confeſſ.

Iob, 19. v. 27.

hoc corpore mortali & corruptibili vivamus ſanctè, ut olim Angelicâ tubâ reſuſcitandi, cum omnibus Sanctis & Electis, animâ & corpore glorioſi, Triumphatori mortis accinamus perennem Triumphum, & cum lætitiæ plauſu Paſchale Alleluja! Amen.

FERIA SECVNDA PASCHATIS.

ADMIRANDA HALCYONIS OVA.

Wundergroſſe Ayr deß Meerhünleins.

LEMMA.

Quis tam grandia ponat ova, Stengelius Embl. 89. parag. 7. Ov: Paſch.

THEMA.

Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem? Luc. 24. v. 17.

SYNOPSIS CONCIONIS XXV.

Pro opportunitate duorum ambulantium in Emmaus, pro & contra diſputatur Problema, utrum ad virtutem, & ſcientiam meliùs ſint diſpoſiti Nani quàm Gygantes, magni quàm parvi?

229. *Ova grandia & puſilla exponuntur.* QVis adhuc in Paſchate luditur, quæ ſunt candida Gallinarum pignora, in nidis pro debiti ſui aſſecuratione ruſticanis matrib⁹ relicta. Ova vobis hodie ingentia appono, quæ magnitudine ſuâ Chium dolium adæquant, & non niſi ſecuribus infringi atque aperiri poſſunt. Ova autem

Cùm nec ponere poſſit iſta paſſer,
Criſtati neque conjuges mariti,
Nec Cygnus, nec Eous Anſer ullus;
Quis tam grandia ponat ova, *quæris?*

Halcyon avis eſt maritima, hyberno tempore in mari ova pariens, pullóſque ſuos educens: quo tempore ſumma eſt in mari tranquillitas, quam cum Plauto maritimi populi *Alcedonia* appellant. S. Ambroſius hoc ſcribit: *Omnes cadunt ventorum procellæ, flatúsque curarum quieſcunt, ac placitum ventis ſtat mare, donec ova fovet Halcyon ſua.* *S. Ambr. l. 5. hex. c.* Et aptè concinit Ludovicus Cerclarus.

Seu Boreas tumidis in littora ſæviat undis;
Seu Notus elatis ſidera pulſet aquis.
Alcedo in ſcopulo nidum ſi collocet, omnis
Ponit inexpletas æquoris unda minas.

Porrò

Lucianus l. 1. verar. hiſt.

PorroLucianus inter veras ſuas hiſtorias,narrat ſequentia de quadam navigatione Hiſpanica.[Circa mediam „verò noctem ,cùm tranquillum eſſet „mare,non advertentes,in Halcyonis „nidum miræ magnitudinis incidi„mus. Erat enim ejus circuitus ſtadio„rum ſexaginta. Inſidebat autem illi „Halcyon,fovebátque ova,nido haud „multo major : quæ cùm avolaret, „parùm abfuit, quin alarum vento „navem ſubmergeret. Fugâ enim ſe „proripuit, editâ triſti quadam & la„mentabili voce. Nos igitur jam die „apparente vidimus nidum, ingenti „navi ſimilem, ex arboribus conge„ſtum. Inerant autem & ova,quorum „unumquodque Chio dolio erat ca„pacius. Atqui & pulli jam intus con„ſpiciebantur,& crocitabant. Cùm „igitur unum ex ovis præcidiſſemus „ſecuribus, pullum implumem viginti vulturibus ampliorem eduxi„mus.] In dolio autem Chio utique Diogenes potuiſſet tanquam in domicilio, Pygmæi propemodum tanquam in oppido habitare. Nec verò quis miretur, tam grande conſpectum à Luciano ovum, ſciat ab eodem conſpectos pulices longè grandiores; quorum magnitudo duodecim elephantes circiter exæquat: ita ut ſeſſores eorum Pſyllotoxotæ magnorum pulicum,ceu equorum dicantur. Nec parvas, ſed canibus aut vulpibus pares formicas, apud Indos Bactrianis proximos, memorat Herodotus. Poſt ingentem Dominicæ Paſſionis tempeſtatem in mari cordialis amaritudinis, ſecuta ſunt *Halcyonia* maximæ tranquillitatis, quando & Judæorum furor quievit,& Elementorum afflictio deſijt, & Sol ille Chriſtus reſurgens, ex ſepulchri Oriente prodijt,ac Sereniſſimam ſalutis diem univerſo Chriſtiadum Orbi annuntiavit. In his Eccleſiæ Catholicæ Halcyonijs,dum duo Diſcipuli in via verſus caſtellum Emmaus calido affectu diſcurrerent de turbulentâ, & fatali illâ tempeſtate doloroſæ Paſſionis Dominicæ, conjunxit ſeſe ſubitò Jesus ipſemet cum illis, &,*qui ſunt hi*

Lucian. l. 1. ver. hiſt.

Herodotus l. 3.

ſermones, ait, *quos confertis ad invicem?* Conferre ad invicem, eſt unum cum altero comparare: non comparantur autem aliqua duo tam ſimilia in proportione,& candore, quàm duo ova erga ſe invicem expoſita; tametſi fortè quoad quantitatem ſint inæqualia. Vt imitemur & duos diſcipulos ambulantes pro temporis opportunitate in Emmaus,& Chriſtum fingentem *ſe longiùs ire*; duo hodie conferamus ova ad invicem, unum grande nimis,alterum nimis puſillum. *Quis tam grandia,*& tam puſilla *ponat ova,quæris?* Illa profectò Avis, quæ vel nimis magnum, vel nimis parvum occupat nidum. Prodeat ex magno ovo Gigas, ex parvo Nanus; & ponatur problema, utrum ad virtutem, & ſcientiam meliùs ſint diſpoſiti Nani, quàm Gygantes; parvi,quàm magni? In reſolutione hujus problematis plura intercurrent & pro excitandis claris ingenijs jucundiſſima, & pro dirigendis bonis moribus utiliſſima argumenta; quæ diſſertâ methodo animosè & fructuosè conferemus ad invicem; in glorioſiſſimo nomine illius *Quanti*, qui ſibi,ut Ovum, ſemper ſimillimus, metitò intonat in Eccleſiâ: *Ego ſum, qui ſum, & conſilium meum non eſt cum impijs; ſed in lege Domini voluntas mea eſt.*

Altitudo corporis, & procera ſtatura, plurimorum conferunt ad elegantiam & venuſtatem; utpote quòd in vaſtâ corporis mole compages organorum,& totius hominis conformatio longè ſit aptior, quàm in brevi ſtaturâ. Ad hujus problematis aſſertivam partem collimant graviſſimi Authores, qui magnos laudibus evehunt, parvos ſannis ludunt. Cæſar Helveticos impensè celebrat proceritate; tanquam idcirco ſpectabiles ac elegantes præ cæteris: pari ratione commendant, Livius Scipionem; Trajanum Plinius nepos, Carolum Magnum Eginhartus, Sterraterum Saxo Grammaticus; & hos quidem tanquam corpore honeſtiſſimos, cùm eſſent altâ ſtaturâ. Adamum Protoparentem noſtrum, Dei ipſius manu 230.

Staturæ proceritas in viris eximiè commendatur.

Cc 3 figu-

figulatum, aliqui apud Moyſen Barcepham, adductis etiam in teſtimonium SS. Athanaſio & Cyrillo, proceriſſimæ fuiſſe ſtaturæ dixerunt, ita ut è terrâ paradiſo affini, per mare in Syriam pedibus commearit: fuiſſéque inter Gigantes maximum, cenſuit Joannes Lucidus; & inſinuatum accipitur in libro Joſue illis verbis: *Adam maximus, ibi* (in Hebron) *inter Enacim ſitus eſt*: ejúſque lectum Adricomius triginta pedum fuiſſe teſtatur. Etramen Adamum fuiſſe ſpecioſiſſimum ac exquiſitiſſimæ formæ, non tam eleganriſſimè proſequitur Philo Judæus, quàm ipſa tanti Architecti virtus requirit. Eandem proceritatem juſtæ menſuræ in Heroibus celebraverunt Poëtæ, in Conſtantino Magno Nicephorus, in Theodorico Enodius, in Anaſtaſio Imperator Cedrenus, in Odoacre Italiæ rege S. Severinus; cujus cellam cùm is ſubiturus, ne verticem ſuperliminari illideret, ſeſe inclinâſſet, à S. Severino audivit, futurum, ut qui ſe demiſerat, attolleretur. Ipſa Divina Scriptura hanc regiam formam commendat in Saule, quem ſupra univerſum populum humeris extantem deſcribit in libris Regum. Et non minùs procerum fuiſſe Davidem, ex traditis illi pugnaturo armis Saulis, rectè infert Sancius. Cœleſtis Sponſi ſtatura aſſimilatur cedro, quæ inſigniter procera eſt; *Species ejus ut Libani; electus ut Cedri*: ad quam Sponſi in Canticis deſcriptionem, in ea Chriſti apparitione, factâ Duaci in Eccleſia S. Amati, naturalis Chriſti ſtatus conſentaneè refertur fuiſſe *admodùm longus, directus valde*: & aliunde ex varijs argumentis conſtat, Chriſtum fuiſſe proceræ ſtaturæ, & eximiæ longitudinis; quandoquidem juxta Nicephorum ad ſeptem palmos excreverit. Nec potuit eſſe parva Chriſti altitudo, cùm eſſet Adam ſecundus, cujus forma erat primus Adam, teſte Apoſtolo; quem proceræ admodùm fuiſſe ſtaturæ, paulò antè vidimus. S. Chriſtophorus in hymno Toletano, ſecundùm S. Iſidori regulam, fuiſſe dicitur elegans ſtaturâ; ſive

Ioan. Lucidus l. 1. de emend. temp. c. 4. Ioſue c. 14.

Adricomius in deſcript. Tribus Iuda.

Philo in Coſmo.

In actis S. Severini, 8. Ian.

1. Reg. 10.

Sancius in 1. Reg. 31. n. 28.

Cant. 5. v. 15.

Cantiprat. l. 2. apum. c. 40. n. 2.

Nicephorus l. 1. c. 40.

dein illa vaſtitas, ac gigantea altitudo, ei ſymbolicè affingatur à pictoribus, ad ejus animi excelſitatem, & magnitudinem exprimendam; ſive reverà in corporis mole Polyphemum quendam æquâſſe videatur Valentinis, ex dente ejus molari, quem pugno majorem inter Sacra cimelia aſſervant; & Venetis ex magno quodam ejus oſſe, quod pariter inter Sanctorum reliquias exhibent venerandum. S. Simeon Stylita quantæ fuerit magnitudinis, ex dentium ejus ſpiſſitudine colligit Evagrius. Plerique alij Sancti præcelsâ & procerâ fuiſſe ſtaturâ referuntur. De SS. Gervaſio & Protaſio B. Ambroſius, deſcribens eorum inventionem, teſtatur, eorum corpora abs ſe reperta *miræ magnitudinis, ut priſca ferebat ætas*. S. Soſium, cùm inventum eſſet ejus ſacrum corpus, deprehenſum eſſe admodùm procerum, refertur in ejus actis. S. Benedicti altitudinem corporis menſura ejus, quæ Sublaci monſtratur, facit teſtatiſſimam. Vt reliquos tranſeam, quorum longa foret & protracta nimis inductio.

Theoph. Raynaudus in Philologicis de laude brevitatis.

Evagrius l. 1. hiſt. c. 13.

Acta S. Soſij. 23. Septembr.

231. Nec in virili tantùm, ſed etiam in fœmineo ſexu celebratur corporis proceritas: ſiquidem Ariſtoteles in proceritate pulchritudinem conſiſtere docet; nam parvos, ait, *concinnos* dici, ſed non *pulchros*. Addítque alibi, fœminarum virtutem corporis eſſe formam, & proceritatem. Et paſſim apud Poëtas, commendatio fœmineæ pulchritudinis magnitudinem continet. Sic Polyphemus in Metamorphoſi ſuam Galateam collaudans, ait: *Longâ procerior alno*. Et mox: *Platano conſpectior altâ*. Dianam Deas omnes collo tenus ſupereminentem, deſcribunt paſſim; paríque ratione ſuſpiciunt Penelopen, ac Phæniſſam mulierem, Pindaríque filias. Mulieres ipſæ ſi puſillæ ſunt, ſubmiſſo calceis ſubere affectant grandeſcere, ac pulchræ videri: talis namque mentio fit in Scripturâ Sacrâ, muliebris artificij ad ementiendam corporis proceritatem; prout apud Iſaiam Deus comminatur, ſe velle multare filias Sion,

Statura procera in fœminis pulcherrima.

Ariſtoteles 4 Eth. c. 3. 4 Rhet. c. 5.

14. Metamorph.

pro

Iſa. 3. v. 16. *pro eo, quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo.* De S. Maria Magdalena aiunt, eam, cùm adhuc in vanitate ſui ſensûs ambularet, dictam fuiſſe *turritam*, propter corporis proceritatem, & pulchritudinem, qua incautos in ſui rapiebat amorem; licet S. Hieronym. epiſt. Paula. D. Hieronymus hanc denominationem referat in vocem *Magdal*, quæ Hebraicè ſignificat *turrim*. S. Euphemiam fuiſſe præalto corpore, licet colligere ex prælonga capsâ, qua concluſum fuiſſe ejus corpus demortuum, Evagrius l. 2. c. 3. ſcribit Evagrius. Inter laudes pulchritudinis Sponſæ ponitur, quòd Cant. 7. v. 7. *ſtatura ejus aſſimilaretur palmæ*: palma enim rectà creſcit in altum, ac supernè caput & comam habet ſimilem humanæ. Quaſi diceret: ô Sponſa, novella procera, & alto collo ac corpore, inſtar palmæ. Hæc enim eſt ingens dos & laus, quam ambiunt heroicæ fœminæ; ideò & collum erigunt, & turritos pileos capiti imponunt, & altos cothurnos pedibus ſubijciunt, ut proceriores eſſe videantur.

232. Statura procera ad operationes virtutum congrua. Non agitur quidem de proceritate verè monſtrosâ, qualis ſuperiore ſæculo fuit in virgine, è parentibus & majoribus humilis ſtaturæ progenita; quæ item ad annum usque duodecimum brevi ſtaturâ fuerat; exinde verò poſt colluctationem aliquot menſium cum febre quartana in molem giganteam evaſit, ita ut quæſtûs gratiâ oſtentaretur per urbes: cui ſimilem S. Auguſtin. l. 15. de civit. c. 23. ex ſimili causâ refert S. Auguſtinus, giganteo corpore viſam, & mirabili undecunque ad eam concurſu factò Abulen. Gil. demi. 1. 3. c. 10. frequentatam. De tali monſtroſa proceritate nobis haud eſt ſermo, ſed de longitudine conveniente, qualem in humanis corporibus Marcus Varro ſeptem pedibus definivit. Et hæc altitudo cùm exceditur, monſtroſitas 1. Reg. 17. incurritur; qualis fuit Goliathi altitudo, quæ juſto major erat, ad 12. pedes pertingens: ſex enim cubiti, quot in altitudine Goliathi intervenisſe dicuntur in Libris Regum, duodecim pedibus correſpondent; & ideo juſtam viri longitudinem monſtroſè excedunt. Juſta ergo corporis proceritas multùm facit ad corporis ſpeciem, & venuſtatem; eſtque ea ſedes animæ dignior, & ad obeundas operationes congruentior: ita ut ſtaturam, quæ prolixa, id eſt, longa ſeu procera eſt, *Imperatoriam* appellent Æmilius Probus in Iphicrate, Spartianus in Peſcennio Nigro, Capitolinus in Pertinace. Ad rem eximia eſt Latini Latin. Pacatus in Pan. Pacati ſententia ad Theodoſium magnum, quem in Panegyri animo & corpore magnum celebrat, quòd

„[Romani faſtigij apicem non ſolùm „fortitudine atque ſapientiâ, ſed de„core etiam corporis & dignitate po„tuerit æquare; velut tua hæc forma „venerabilis, quàm fortunæ ſuæ par „eſt, quàm longè lateque conſpicua, „commendat Imperium; ut planè „ambiguum ſit, utrum te magis no„ſtris mentibus & obtutibus vultus „inſinuet. Non fruſtra planè opinio„ne Sapientum, qui naturalium mo„menta cauſarum ſubtiliùs ſciſcitari „arcanis cœleſtibus nobiles curas in„tulerunt, auguſtiſſima quæque ſpe„cies plurimùm creditur trahere de „cœlo. Sive enim Divinus ille ani„mus venturus in corpus, dignum „priùs metatur hoſpitium; ſive cùm „venerit, fingit habitaculum pro ha„bitu ſuo, ſive aliud ex altero creſcit; „& cùm ſe paria junxerunt, utraque „majora ſunt, &c.] Formam longè lateque conſpicuam, vocat proceram, & commenſæ ſpiſſitudinis.

E contrario autem inter probra utrique ſexui communia, numerandæ ſunt Brevitas & Puſillitas corporis. Quis enim non effunditur in riſum, cùm audit Anitium Probinum de perpuſillo homine canentem. 233. Puſillorum hominum contemptibilis ſtatura.

Auſonius Epig. 15.

Fauſtulus inſidens formicæ, in magno Elephante,
Decidit, & terræ terga ſupina dedit.
Móxque idem eſt ad mortem mulctatus calcibus ejus;
Perditus ut poſſet vix retinere vitam.

Therſites deformoſiſſimus, idem parvus deſcribitur; ita ut de eo dicatur à Martiale; *Si ſtantem videas, Aſtyanacta* Martial. lib. 14. Epig. 212.

nacta

nacta putes. Judas Iſcariotes, deformiſſimum pecus, ſtatura iam puſillus fuit, ut ad ejus oſculum Chriſtus ſeſe debuerit inclinare; prout S. Brigittæ in revelationibus confirmat Mater Chriſti loquens: *Iſto tempore patiebatur filius meus, qui appropinquante Juda traditore ſuo inclinavit ſe ad eum, quia Judas brevi ſtaturâ erat, dans ei oſculum, dicens: amice, ad quid veniſti.* Sed & dæmon, quia ſpiritus eſt deformiſſimus, & cùm aptat ſibi corpus, congruum eſt, ut non niſi deforme aptet, ſæpiſſimè viſus eſt *Pumilionis* ſibi finxiſſe. *Virunculi* illi *montani*, à quib⁹ dicunt proficiſci tumultus nocturnos in metallifodinis, dæmones ſunt, tam brevi ſtaturâ gaudentes. Vt innumera de Pygmæis & Nanis tranſeam, quæ etiam graves Authores apud citatum Raynaudum afferunt, ad riſum usque & jocos legentium; quid efficacius poſſet contra Maſculorum Panegyriſtas adduci, quàm illud argumentum, quo nulli probantur in cœlo futuri parvi, juxta illud apud Epheſios: *Omnes enim reſurgent in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Vbi Scholaſtici cum S. Auguſtino communiter affirmant, etiamſi non ſit de fide, ita tamen eſſe certum, ut contrarium non ſit probabile; quòd omnes ſint reſurrecturi in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti; id eſt, in ea plenitudine ſeu perfectione ætatis, quam habet corpus cùm pertingit ad augmentum perfectum, quod per naturales animæ vires non impeditas, ſed perfectè operantes, potuiſſet comparare. Et conſequenter in cœlo nulli erunt puſilli. Ex quibus omnibus conſtat, præſtare corporis proceritatem, & magnitudinem ad formæ decorem, & virtutis exercitium.

S. Brigitta l. 4. revel. c. 93.

Thyræus lib. de terrifictu. cap. v. Scaliger. Agricola.

Epheſ. 4. v. 13.

4. diſt. 44 S. Auguſtin. u. ciuit. c. 15.

234\. Verùm enim verò pars Problematis contradictoria non paucioribus ſuſtentatur rationibus, breves ſcilicet corpore, vegetiores, animoſioresque eſſe; nec parcioris duntaxat impenſa, ſed & inſignis ad res gerendas efficaciæ: utpote in quibus conſtipati ſpiritus, & virtus adunata, evadant fortiores. Itaque prima eſto puſillorum hominum prærogativa, quòd puſilli & breves corpore ſint magis fortes, quàm magni & ampli corpore: his enim, ut Ariſtoteles philoſophatur, cor amplum eſt, & mole diſtenſum, ideóque magis timidum; illis verò, juxta Senecàm, habiliora ſunt corpora puſilla, quæ in arma ſua contrahi poſſunt, quàm quæ ſuperfunduntur, & undique magnitudo ſua vulneribus objicit. *Major* enim *in exiguo regnavit corpore virtus.* Et *corpore in exiguo res numeroſa fuit.* Ideóque proceri corpore minùs apti ſunt ad comparandam victoriam, quàm ſuccincti. Carthaginenſes, corpore puſilli, ad victorias obtinendas evaſerant agiliſſimi. Exiguos homines, ſed audaciſſimos, in Nili Inſula degere, qui Crocodilis adeò efferis animalibus ſeſe offerant obvios, memorat Solinus. Alexandrum animo magnum, corpore brevem, anguſto domicilio tantos ſpiritus concludentem, demirata eſt Antiquitas; ut propterea Regina Amazonum, cùm primùm illum conſpexit, obſtupuerit, quòd famæ non reſpondeat exiguum corpus; & taciturna ſecum verſaverit, *Principis indomiti virtus ubi tanta lateret?* Miltiades, Themiſtocles, Coriolanus, victores inclyti, puſilli fuêre. Xantippus Lacedæmonius breviſſimâ ſtaturâ homo, res Carthaginenſium attritas reſtituit. Pipinus Francus, à modicâ ſtaturâ cognominatus *brevis*, eo tamen animo ac fortitudine virtutum ſuarum merita evexit, ut primusè ſua ſtirpe, dejecto ignavo Principe, Regis titulum obtinuerit. Attila mundi terror, & DEI flagellum, ſtaturâ puſillus erat. Hercules excelſorum ſpirituum prototypon, puſillus corpore fuit. Nimirum carnis pondus tardiorem reddit hominem: impedit enim, ne ſe expeditè & agiliter circumferre, ac ciere poſſit; & varijs occaſionibus, ne illidatur, circumſpectione remorante opus habet. Vt contigit Begoni illi, grandis ſtaturæ homini, quem Acta S. Rigoberti Rhemenſis Epiſcopi admodùm procerum exhibent: unde cùm in oſtio cujus-

Parva corporis ſtatura eſt, nec commendatur à fortitudine.

Ariſtoteles 3. de animalibus c. 4.

Seneca de tranquill. c. 8.

Solinus c. 45.

Gualterus in Alexand.

Acta S. Medoaldi c. 8.

eujuſdam Oratorij caput graviter allifiſſet, quia ingrediens non ſe ſubmiſerat, juſſit Oratorium dirui; quam tamen direptionem Divina ultio paulò pòſt eſt ſubſecuta. Hanc puſillorum corporum expeditionem, & majorem agilitatem, notare quoque licet in brutis animalibus; quorum non quæ maxima & grandiſſima, eadem vegetiora & potiora: videtur enim Natura, cùm exigua corpore animalia compegit, id ante omnia procurâſſe, ut quidquid magnitudini detrahebat, illud vi, aut aliquâ certè utilitate compenſaret; prout de hujusmodi *corporum punctis* obſervant Doctores. *Turrigeros Elephantorum miramur humeros*, ait Plinius, *taurorúmque colla, & truces in ſublime jactus; cùm rerum natura nuſquam magis, quàm in minimis tota ſit.* Eximia ſententia; cujus veritatem demonſtrat experientia.

Plinius l. 11. c. 2.

235. Non minor eſſe debet prærogativa puſillorum corporum, quòd etiam vigorem & efficaciam eorum comitentur pulchritudo, & concinnitas gratiæ. Plinius, naturalium proprietatum eximius ſpectator, huic veritati plauſibiliter adſtipulatur: *Nunquam alibi ſpectatius artificium, quàm in his tam parvis atque tam nullis.* Concinitque D. Auguſtinus, notans inter animalia plus admirationis habere, quæ molis minimum: plùs enim formiculas & apiculas ſtupemus, quàm immenſa corpora balænarum. DEUS enim ita eſt artifex magnus in magnis, ut minor non ſit in parvis; quæ parva non ſuâ granditate (nam nulla eſt) ſed artificis ſapientiâ ſunt metienda. Clariùs idem argumentum proſequitur alibi, de minutiſſimis animalibus diſſerens. „[In omnibus quoddam naturæ ſui „generis decus: ſic ut in minimis ma„jor ſit admiratio benè conſiderantis, „& laus uberior omnipotentis Artifi„cis; creantis minima corpore, acuta „ſenſu animantia, ut majore attentio„ne ſtupeamus agilitatem muſcæ vo„lantis, quàm magnitudinem jumenti „gradientis; ampliúsque miremur „opera formicarum, quàm onera ca„melorum.] Ipſe homo ad molem mundanã univerſam, habet ſe ut breviculus; ut proinde paſſim audiat *microcoſmus* reſpectu mundi magni; neque tamen pulchritudo vel ipſo *mundi* nomine expreſſa, minor eſt in homine, quantumcunque præ mundanâ mole anguſto, quàm in ipſo Vniverſo granditatis propè immenſæ. Vt meritò Plotinus ſtatuerit: *Homo tam pulchrũ opificium eſt, quàm pulchrum eſſe poteſt.* Muliebrem inſuper ſpeciem in puſillis corporibus ſummè celebrari, quis ignorat? Quando etiam ex refoſſis SS. Virginum Agnetis, atque Cæciliæ corporibus, oculati referunt teſtes, eas fuiſſe corpore puſillas: & tamen eas fuiſſe ſpecioſiſſimas, quis ignorat? Nec quòd dæmones viſi ſint aliquando Nanorum ſpecie, argumento certo eſſe debet, puſillitatem pertinere ad deformitatem: nam etiam iidem dæmones plerumque obſervati ſunt giganteâ corporum mole. Quam quidem ſpeciem ad deformitatem ſpectare, rectè vidit S. Cyrillus; agnoſcens, in primâ ætate mundi, cùm omnis caro ſuam corrupiſſet viam, voluiſſe DEUM ultorem ſcelerum immania mole corpora naſci, ut deformitas vaſtitatem illam conſequens integraret pœnas, quas de tam ſceleratis hominibus ſumere erat decretum. Taceo, ne ludere videar, minorem eſſe impenſam minorum corporum; nam procera corpora, ſive victum, ſive veſtes, ſive lectum & habitationem ſpectes, cariùs conſtant.

Statura parva commendatur à pulchritudine, & concinnitate.
Plinius citatus.
D. Auguſtin. l. 22. civit. c. 24. & l. 11. ejusdem c. 22.
Idem l. 3. in Geneſ. c. 14.
Plotinus Ennead. 1. l. 3. c. 2.
Apud Cornel. in c. Zachar. ad v. 10.
S. Cyrillus l. 9. in Iulianum.

Ea potiſſimùm conſideranda eſt dos eximia breviorum corporum; quòd cùm in grandi corpore vaſta organorum moles ſit minùs opportuna ad corporeas operationes, intellectuali negotiationi ſubjectas (oportet enim intelligentem phantaſmata ſpeculari) è contrario brevitas functiones intellectûs, prout per conſenſum juvari à corpore poſſunt, egregiè promoveat. Ferè enim, qui ſagacitate, prudentiâ ac ingenio valuerunt, fuêre puſillo corpore. Teſtes ſunt Philippus Macedo, Xantip- 236.

Statura parva ad ingenij, & ſcientiæ gloriam eſt aptior.

pus Lacon, Ageſilaus, Vlyſſes, Diomedes: omnes parvi corpore, ſed magni ingenio; quibus applicari poſſit illud Alypij prædicatum, ei ab Eunapio adſcriptum: *Alypius parvus corpore, totus anima.* Julianus Apoſtata tametſi ob ejuratam pietatem infamis, ingenio tamen, quali dæmones abundant, valuit plurimùm: & quia ridebatur ut *Cercops*, homo brevis, humeros extentans anguſtos, & barbam præferens hircinam, grandiſque incedens tanquam Oti frater & Ephialtis, quorum proceritatem Homerus in immenſum tollit; ideo contra Antiochenſes Miſopogonem ſcripſit; cæteroquin ſæpiùs uſurpans acroama, *Turpe eſſe ſapienti, cùm habeat animum, captare laudes ex corpore.* Vt Gentilium obliviſcat, conſtat in Eccleſia Dei præcipuos quoque Doctorum, ingenij gloriâ præcellentes, puſillo fuiſſe corpuſculo. Sanctus Paulus Doctor Gentium, propter cœleſtia munera, quæ in eo ſuperefluxerunt, ingenium ſortitus eſt omnino eximium; corpore tamen fuit brevi, & planè *tricubitali*: & in eum quadravit *Pauli* ſeu *Modici* à *paulùm* ſeu *paululum* denominatio propter parvitatem, à qua Genti Æmiliæ adhæſit cognomen *Paulorum.* De Sancto Hieronymo idem notârunt Authores, ſatiſque ſvadetur ex acrimonia & vigore, ubique in ejus ſcriptis ſpirantibus. His ingenijs quid Eccleſia Dei habuerit ſplendidius, planè me latet. Eccleſiaſtici monitum eſt; *Ne ſpernas hominem in viſu ſuo. Brevis in volatilibus eſt Apis, & initium dulcoris habet fructus ejus.* Et juxta hoc monitum etiam moratiſſimus Cato conſulit,

Corporis exigui vires contemnere noli:
Ingenio pollet, cui vim natura negavit.

Quamobrem, dicebat S. Cyrillus Alexandrinus, *nihil eſt à ſapiente ſpernendum, quoniam unaquaque res habet ſuum loco & tempore momentum: neque tam attendendum eſt ad exiguitatem molis, quàm ad quantitatem virtutis. Plurima namque parvitate molis exigua, granditate virtutis ſunt maxima.* Vt omnia alia deeſſent, ex ijs duntaxat exemplis ſufficienter conſtare deberet, quòd parvus corpore ad ingenij & ſcientiæ gloriam ſit aptior; & cæteris paribus, *Gratior exiguo veniens de corpore virtus.* De Sancto Gregorio Turonenſi, aureâ Cathedrâ in ſignum benevolentiæ donato à Sancto Gregorio Magno, ſcribunt Clerici Turonenſes: cùm Romam adijſſet, & Sancto Antiſtiti Gregorio Magno ſubijſſet cogitatio de Arcanâ Dei Providentiâ, quæ tot bonis tam puſillum hominem locupletâſſet; edoctum divinitùs de cogitatione Magni Gregorij Gregorium Turonenſem, placidè ac demiſsè ſuggeſſiſſe Pontifici: *Dominus fecit nos, & non ipſi nos; idem in parvis, qui & in magnis.* Ex quibus verbis Beatiſſimus Papa Gregorius deprehenſum ſe cognoſcens, multò magis ubertatem cœleſtium donorum in Sancto advena eſt demiratus.

237\. Fuerunt præterea viri ſanctitate inſignes, citra ingenij & ſapientiæ decus, quorum parvitas celebratur. SS. Conſtantinus Manſionarius, & Joannes Colibius, ſeu ut alij volunt Calybita, tam breves erant corpore, ut Nani vulgò audirent. De puſillitate SS. Cæciliæ & Agnetis conſtat ex earum offibus repertis. Non ero multùm occupatus in conquirendis parvis Sanctis, quando Seraphicus noſter Ordo vel ideò poſſet Ordo Minorum nuncupari, quòd illuſtratus ſit tot viris Sanctis, qui in puſillitate ſtaturæ ſuæ coram Deo & hominibus magni & admirandi evaſerunt. Seraphicus noſter Pater Franciſcus, viva Servatoris noſtri imago; B. Joannes de Capiſtrano, Germaniæ & Vngariæ Apoſtolus Thaumaturgus; B. Bernardinus de Feltro, totius Italiæ concionator mirificus; aliique ex Seraphica Religione eximij ſanctitate, & ſcientiâ celeberrimi, ſtaturâ puſilli erant; ut meritò in illos refundi poſſit illud Salvatoris dictum: *Confiteor tibi Pater, qui abſcondiſti hæc à ſapien-*

Margin notes: Eunapius in Iamblico. — Ammianus lib. 22. — S. Chryſoſt. in Encom. Apoſt. & Praeim. orat. 25. — Sigonius l. de nom. Rom. — Eccli. 11. v. 2. — S. Cyrillus l. Apolog. mor. c. 18. — Surius 17. Novemb. — Puſillitas in Sanctis commendata. — Matth. 11. v. 25.

ſapientibus & prudentibus, & revelaſti eaparvulis. Hinc tot ingenioſa huc poſſent adduci ſymbola, quibus diſputationis & argumenti præſentis veritas ampliùs eluceſceret. Piſum certè ſemen eſt de parvâ mole; & tamen dum plurimas parvas facit radices, germen altum & diffuſum excludit: quia nempe *IN MINIMO GRANDE* emolumentum producitur, & in parvo corpore ſublime talentum non rarò invenitur: unde Carduecus in ſuo diſticho id bellè exprimit.

Dat Piſo molem radix pygmaa gigantis;

I nunc, in minimo grande latere nega.

Sed & in mappâ Geographicâ, intra paucas lineas concluſâ, quid non exprimitur? Ampliſſima Oceani ſpatia, montium juga, & Provinciarum diſcrimina, urbium quoque ampliſſimarum ſignacula, quæ tamen non niſi tenuiſſimo quodam puncto deſignantur; ita ut meritò olim ſapientiſſimus Seneca dixerit, *Hoc terræ punctum igni ferróque dividi.* Et tamen in hac palmari membranâ, tanquam *IN PARVO CERNUNTUR MAGNA.* Dimitto hìc Sanctum Hieronymum multa proferentem, admiratione referta, de minutiſſimis animaleulis, de Ape, de Muſca, de Formica & hujuſmodi, quàm miras, & magnas operationes, hiſce corporum punctis Divina Sapientia congennerit; quibus utique competit, *PARVA SED NON SEGNIA*, dici. Hunc, inquam, dimitto, quando à fluvio magno abripior, plurimas Provincias irrigante; qui quidem ex minimo quodam fonte promanat, additis tamen paucis rivulis auctior, paulatim in torrentem exceſcit, valido impetu omnia ſecum rapientem: nam in hoc apparet, quàm mirabiliter *MAXIMA DE MINIMIS* oriantur; & minutiæ multiplicatæ magnam efficiant molem. Pulchrè Ovidius.

S. Hieronym. Ep. 5. ad Heliodorum.

Ovidius l. 1. de Remed.

Flumina magna vides parvis de fontibus orta;

Plurima collectis multiplicantur aquis.

S. Baſilius ornatâ proſâ ad propoſitum concurrit. *Studioſè*, inquit, *ex ſingulis utilia coacervantur, velut magnis fluvijs multum undique acreſcit incrementum. Parvum enim ſupra parvum imponere, juxta Heſiodi ſententiam, non magis ad argenti augmentum, quàm ad quamcunque ſcientiam facere credendum eſt.* Et hæc appoſitè de Seraphiea noſtra Religione intelligite; nam hæc prorſus ſive quoad amplitudinem molis, ſive quoad molem virtutis, ſive quoad virtutem operationis, ſive quoad operationem ſanctitatis *DE MINORIBUS ET MINIMIS GRANDESCIT.*

S. Baſil. hom. in legendis lib. gentil.

Cæterùm ſuffragatur experientia, in vaſtis corporibus ut plurimùm non eſſe micam ſalis & ingenij: rariſſimos enim hujuſmodi Agilleos, Capaneos, Polyphemos, Mopſos aut Marcolphos invenies, qui minùs ſeſe fatuitati dementiæque addixerint. Hinc apud Homerum Vlyſſes, qui eſſet brevis, & verſutus ſemper & prudens inducitur; at Aiax Telamonius, qui foret longiore latioreque corpore, per ſæpè ſtultus, aliquando furens oſtenditur: Polyphemus verò ducentos longus pedes, ſtolidus & inſanus. Hoc autem ea ratione fieri volunt; quòd cerebrum ſuâ naturâ frigidum, nequeat ob nimium intervallum ſpiritualibus illis igniculis concaleſcere, qui tolluntur à cordis vitali veluti, vigentíque fomite: priùs enim quàm eò pervenerint, reſoluuntur. Quo fit, ut imaginativa illa, ratiocinativáque vis, quæ ex cerebri manat cellulis, ſit hebetior; atque adeò obtuſa, ut iſtiuſmodi, neque quod ipſi, neque quod alij fantur, intelligant, inſaniántque frequenter. Porro Adam ille maximus, qui in libro Joſue dicitur ſitus inter Enacim, non eſt accipiendus pro primo Parente, qui juxta multorum Patrum doctrinam in monte Calvariæ tumulatus eſt, ſed de Hebrone, magno quodam & celebri gigante, qui appellativè 238.

Statura procera argutè cavillatur.

Suarez. 3. parte q. 48. art. 10.

tivè Adam dicebatur, id eſt, *terrenus*, ſeu *mortalis*: & hic inter celebratiſſimos gigantes Enacim erat ſepultus. Quanquam non diffitear, Adamum Protoparentem fuiſſe proceræ ſtaturæ, hominésque olim ſtaturâ fuiſſe longè proceriores, pleroſque etiam giganteos: experimur enim corpora in dies decreſcere, ita ut galeæ, quas ab antiquis habemus, ſint jam multò majores capitibus; & thoraces, multò prolixiores juſto, ad pedes ævi noſtri militibus defluant, qui olim erant commenſi thoraci: prout etiam S. Auguſtinus conſentit, minorem in dies fieri ſtaturam. Neque Chriſtus, qui Reſurrectionis noſtræ exemplar eſt, corpore fuit longitudinis ſimpliciter dictæ, cùm eſſet ſtaturâ mediocri, quæ ad puſillitatem potiùs accedit. Mediocrem autem ſtaturam ei tribuunt, Lentulus in Epiſtolâ ad Senatum Romanum, & Pilatus epiſtolâ ad Tiberium. Nec quidquam officit authoritas illa Apoſtoli ad Epheſios, *donec occurramus omnes in virum perfectum*: nam potiùs eſt, quòd exinde grandes plerique è cœlo excluderentur; & Chriſtus parvulos tantùm ad ſe venire præceperit, ut eorum ſit regnum cœlorum. Sicut ergo margaritæ rupibus præſtant, & luſcinia corvo eſt auguſtior: quercus ſublimis & procera non habet fructus hominibus aptos, ſed porcis tantùm; vinea autem, quæ parva eſt, & per terram ſerpit, fructum affert, è quo vinum profluit exhilarans DEUM & hominem: parva inter volatilia apis, & dulcedinis principatum obtinet ipſius fructus: Parva pyxis balſami majorem continet valorem, quàm magnum dolium fætore plenum. Ita licèt

Nonnullos natura breves formaverit, amplas
Clauſit in exiguo corpore mentis opes.

S. Auguſtin. 15. civit. c. 9.

239. Staturâ ſuâ quiſque utatur ad virtutem.

Ex his principijs pro & contra diſputatis habent magni ſtaturâ, quod arripiant; habent puſilli, quod objiciant: utrique, quod laudent aut vituperent. Quilibet ſibi cùm ſit maximè æqualis, ſi magnus eſt, non poteſt ſe facere minorem; & ſi puſillus, non poteſt ſe extendere, aut erigere in majorem: *Quis enim veſtrûm cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* Vterque ad virtutem, ad ſcientiam, ad ſanctitatem ſeſe applicare poterit: *Nec ſubtrahet perſonam cujusquam DEUS, nec verebitur magnitudinem cujusquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus.* Quin imò ut unus eſſet alteri tam ſimilis, quàm ovum ovo, illud præ cæteris documentis magnifecit Servator, compeſcens Diſcipulos de majoritate contendentes: *qui minor eſt inter vos, hic major eſt; & qui major eſſe vult, fiat ſicut minimus.* Sic enim erit ſublata omnis contentio inter magnos & parvos; quorum inæqualis ſtatura ad demonſtrandam DEI potentiam, ad exornandam Vniverſi hujus integritatem, & ad ſtimulandam humanæ converſationis jucunditatem quantùm conducat, nemo eſt, qui non apprehendat.

Matth. 6. v. 27.

Sap. 6. v. 8.

Luca 9. v. 48. & Marci 9. v. 33.

Finxit ſe longiùs ire problematica mea Concio; ſed revertitur ad ingentia illa Halcyonis ova, è quibus progrediebatur. Homines enim reliquit ibi, qui omnia in majus augentes, culicem faciunt montē; ſtillicidia, Oceanum; Cœlū, colum; Solem, candelam; Lunam, nihil; Orbem ipſum, pilam, qua datatim ludimus: denique cancros lepori, tibiam tubæ ſi comparent, modeſtè ſibi egiſſe videntur. Alazones iſti & Pyrgopolinitæ, militésque jactabundi, ex muſcâ elephantem faciunt; & urbes expugnâſſe ſe dicunt, quas oculis ſuis nunquam viderunt. Ex *ovo* columbæ faciunt, quòd caput humanum, aut dolium Chium, aut Helenæ cœnaculum exæquet. Nónne ex ſimili ovo proſilijſſe, aut certè excluſiſſe ſimile, videtur antiquus ille Schiltpergerus Monacenſis; qui in libro captivitatis ſuæ Turcicæ ſcribit de ingenti quodam gigante, qui Cairi in Ægypto, dum quotidie pro duodecim mille furnis ſuccendendis ligna aſportaret, tantos pro mercede à piſtoribus acceperit panes, quanti pro alimento unius diei ſibi ſufficerent.

240. Iactantia inepta minima auget, ut ſint maxima.

Schiltpergerus Monacenſis in ſua captivitate Turcica.

rent. Poſt plurimos annos, cùm mortui hujus gigantis oſſa ex cineribus protraherentur, crus unum ingentis molis, incomparabili multorum millium hominum induſtriâ & labore, duabus altiſſimis petris imponebatur, impetuoſo flumine ſubtus permanante. Crus nempe pons eſſe debebat, per quem itinerantes ex Arabiâ in Ægyptum poſſent tranſire cum equis & quadrigis. Soldanus autem exactum ab advenis vectigal ad eum duntaxat applicat finem, ut comparato oleo crus ungatur, & in conſtanti vigore ſervetur. Concludit narrationem ſuam Author: *Hæc quidem noſtris Patriotis incredibilia venduntur;* *imò nec ego crederem, niſi præſens vidiſſem, & actu per crus gigantis tranſiiſſem.* Nempe ad famam addere magis, & exaggerare omnia, amant jactabundi; illud uſurpantes, *cùm ſis Nanus, cede.* Qui inclinato capite per tibias divaricatas & crura aſpiciunt arces & caſtella procul ſita, humoribus cerebrum confundentibus, vident illa longè, quàm ſint majora. Nec ampliùs velim,

Iuvabit hic etiam addere parag. 12. v. 9. ex 10. 2. Stengelij.

Quis tam grandia ponat ova, quæras.
Humano generantur in cerebr[illegible]
O quantum caput ergo ſit, m[illegible]. eſt,
Quod tantum cerebri poteſt [illegible]abere?

Amen.

DOMINICA IN ALBIS.

VULTUR VETUSTUS.

Der uralte Geyer.

LEMMA.

Exiguis prodeſt annoſa vetuſtas. Ovid. lib. 5. Triſt.

THEMA.

Quaſi modò geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite. I. Petri. 2. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS XXVI.

Jucundâ ſalutari controverſiâ exhibetur, quid de Novitate tam ſanctè commendatâ, & quid de Vetuſtate tam probè obſervatâ, præſtet imitari, aut retinere?

241. Renovatio Spiritûs præcipitur.

ID, quod Sancta Mater Eccleſia in hodiernæ Miſſæ Introitu, ex D. Petri Epiſtolis, univerſis Chriſti fidelibus obſervandum accinit jam renatis in Chriſto, etiam canis & veteranis; ut infantium innocentiam, puritatem, humilitatem, obedientiam, docilitatem, facilitatem, ſinceritatem, ſimplicitatémque imitentur: *Quaſi modò geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite.* Idipſum ſæpiùs D. Paulus, Gentium Doctor, ſuis in Chriſto Jesu novogenitis filijs per Epiſtolas commendat; Romanos hortatur, ut ſacro Baptiſmo Rom. 6. v. 4. reſurgentes novam vitam agerent,

dignam filijs DEI, & in ea conſtanter proficerent; *ut quomodo Chriſtus reſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Eoſdem Romanos inferiùs peramanter invitat, ut quotidianæ mentis renovationi ſtudeant, & reſecando vitia, virtutibus quotidie innovenrur:

Rom. 12. v. 2.

Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſûs veſtri. Adhuc inſtantiùs Epheſios incitat elariſſimis

Epheſ. 4. v. 22, 24.

verbis, *deponere ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris; & induere novum hominem, qui ſecundùm DEUM creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* Quibus ſi accedat Eccleſiæ canticum, *Recedant vetera, nova ſint omnia*; neſcio, quid ampliùs de *Vetuſtate* maneat cum laude retinendum? Vbi enim omnibus arridet gratioſa & amabilis *novitas*, deformis abijcitur *vetuſtas*. Quæ meritò per Vulturem repræſentatur, ut innoteſcat omnibus, quòd ſicut Vultur,

Geſturas in Vulture.

etiam ubi centum aut ultrà emenſus eſt annos, tandem fortuito ictu à venatore de quercu deijcitur, atque caſtelli foribus expanſis alis in contemptum affigitur: pari ratione tandem negligatur & ludibrio exponatur, quæ detritâ ſuâ virtute *exiguè prodeſt, annoſa Vetuſtas.* Verùm enim verò non ita planè triumphat gratioſa *Novitas*, quin ex antiquis Chriſti vulneribus prodeat veneranda *Vetuſtas*; & ſingulari certamine cuivis incredulo Thomæ ita ſuam demonſtret probitatem, ut Novitati longè præeminere videretur, niſi per continuas rerum viciſſitudines & Novitas in Vetuſtatem, & Vetuſtas tandem tranſiret in Novitatem. Vobis, Auditores, per Paſchalem Exomologeſin *modò genitis*, jucundum & ſalutare erit hodie ſpectaculum, per decurſum auſpicatæ concionis, ita utriusque moribus & prærogativis intendere, ut ex utriusque conditione per graves proſopopæias exhibitâ colligere poſſitis, quid de Novitate tam ſanctè commendatâ, quid de Vetuſtate tam probè obſervatâ præſtet imitari aut retinere.

Juriſconſultorum axiomate nititur 242.

Vetuſtas varijs argumentis commendata.

veneranda *Vetuſtas: qui prior tempore, potior jure*; & ideo primò in theatrum prodit, modeſto per omnia, & durabili amictu ſpectabilis. Pompa ejus morigera, & feſtiva: artus ad virtutem & honeſtatem compoſiti: aſpectus ſimplex, irretortus, affectuoſus: totus habitus providæ & profundæ cogitationis, maturique judicij. Pro ſymbolo manui inſidentem gerit annoſum Vulturem; nam antiquitas proximè videbatur veteribus ad Deos accedere: ut propterea apud Ægyptios Vulturum, quæ alites ſunt diuturnæ admodùm vitæ, alas pro domorum foribus appendere ex uſu eſſet, indicium vetuſtæ familiæ, & probatæ nobilitatis.

Alexander Neapolitanus. l. 3. c. 24.

Itaque *Vetuſtas* tam gravis inceſſu, tam venerabilis affatu, ſuam ſic orditur panegyrin. Quò palmes antiquior, eò fructuoſior: quò maturius corallium, eò rubicundius: quò vinum annoſius, eò defæcatius: quò ebur longævius, eò nitidius. Par omnino eſt Vetuſtatis conditio, quæ pulcherrimarum virtutum fœcunditate palmites, verecundo rubore corallia, devotionis ſpiritu vina, & tenero animi candore eburneos longè exuperat coloſſos. An non Antiquus ille dierum, in carne mortali apparens, adſtipulatur vetuſtati, quando apud Lucam communi omnium calculo pronuntiat: *Nemo vinum habens*

Luc. 5. v. 39.

vetus, ſtatim vult novum; dicit enim, vetus melius eſt. Multò quidem magis gratioſa Novitas curioſis hominum arridet oculis; ſed verò Vetuſtas pretioſior eſt, & longè æſtimabilior. Quid enim adeò omnium Gentium conſenſu adoratur & extollitur, quàm antiqua Nobilitas, quæ generationes & ætas ſuas numerare poteſt usque ad Japhet, & Lamech? Arcades in ejusdem Nobilitatis teſtimonium ſe proſelines, hoc eſt, *ante Lunam editos*, atque adeò vetuſtæ & lectiſſimæ nobilitatis appellabant. Feudum antiquum ſapere nobilitatem, ſed non feudum novum, pronuntiavit quidam non ignobilis Juriſperitus: quia, ut disertè decidunt Leges, Nobilitas

Baldus in præl. feudi diviſ. 10. L. ſtemmata ff. de gradibus.

non

non naſcitur in ictu oculi: imò novi homines dicuntur, qui ſunt ignobiles; & ſicut vinum, amicos & alia, ita nobilitatem commendat *Vetuſtas*. Quid fortiùs & conſtantiùs reſiſtit tempori, quàm antiquæ artis machinæ, nullâ malleorum aut fabrorum vi dirimendæ? Quid pro jure aut poſſeſſione plùs obtinet præſumptionis, quàm vetuſtæ metæ dominia dividentes, & ſuos cuique terminos aſſignantes? *Moribus antiquis res ſtat humana, viriſque*. Veneranda ſunt vetuſta dogmata, quòd ob antiquitatem ſeu canitiem quandam, habeant quidpiam reverendum: pro quibus S. Gregorius Nazianzenus ſequenti inductione, tanquam gladio ſpirituali contra truncandas hæreſes, decertat. „[Et poſt hæc, inquit, inveniuntur ali„qui tantâ inveteratæ frontis duritiâ, „tantâ imprudentiæ incude, tanto „adamante pertinaciæ, qui tantis elo„quiorum cœleſtium molibus non „ſuccumbant, tantis ponderibus non „fatiſcant, tantis malleis non con„quaſſentur, tantis poſtremò fulmi„nibus non conterantur? *Devita*, ait „Apoſtolus, *prophanas vocum novitates*: „non dixit *antiquitates*, non dixit *vetu„ſtates*, imò planè quid è contrario ſe„queretur oſtendit.]

S. Gregorius Naz. c. 26. in 1. Timoth. 6.

243\. Nondum concluſerat facunda *Vetuſtas*; tum ecce! gratioſa *Novitas* præſentem ſeſe exhibet, impatiens nocivo ſilentio ſibi præjudicium inferri. Ingreditur ornato, artificioſo, induſtrio, & compto habitu; aſpectu amabilis, eloquio dulcis, moribus delicata, ingenio ſublimis, inventionibus doloſa; pro ſymbolo ſecum ferens, neſcio quem, ex Inſulis Fortunatis Pſittacum. *Novitas*, inquit, *gratiſſima rerum*, omnium ſeſe ingerit animis, & ſuccedentes hominum ætates ducit ſub tributum. Quiſquis execratur *Novitatem*, is antiqua ova comedat, quæ fœtent; antiquos induat calceos, qui lacerantur; antiquam barbam nutriat, quæ moleſtat; vetera poma colligat, quæ putreſcunt. Ecquid conſolationis Humanæ obveniat Societati, antiquas ſemper intueri larvas? antiquam toties repetere cantilenam? antiquos toties audire Phalaridum clamores? antiquas tractare nugas? & ad antiquam ſedere, vel ſaltare lyram? Nempe

Novitas in genere naturæ, & morum gratiſſima.

Ovid. 3. Ponti.

Vilia ſunt nobis, quæcunque prioribus annis
Vidimus, & ſordet, quidquid ſpectavimus olim.

Cypbarrum poëm. 7.

Qui volunt inſiſtendum eſſe antiquo ferculorum uſui, nec eſſe indulgendum novis ciborum condimentis, ſine quibus veteres longævam produxerunt vitam ſani, & quidem antequam conficiendi panem inventa eſſet ratio; illi, qui ita volunt, ſi placet, glandibus veſcantur, ut Arcades; aut ſolis ficubus, ut Athenienſes; aut ſolis agreſtibus pyris, ut Tyrinthi; caniſve aut arundinibus, quemadmodum Indi; vel palmulis, ut Carmanni; vel milio, ut Sarmatæ; vel Terebinthi granis, ut Perſæ: nobis autem frumentacium panem relinquant, cujus inventores damnant, tanquam nimium curioſos. Habet & *Novitas* gratiam ſuam, quæ ludit in Orbe terrarum omni tempore, alias atque alias adaperiens comœdiæ ſcænas. Nam ecce! hic ſurrexit *novus Rex*, qui ſibi diadema imponeret ſuper Ægyptum: ibi ſancita eſt *nova lex*, quæ ad ſui obſervantiam univerſum mundum obſtringit. Hîc prodijt *novus dux*, qui captivos ex tenebroſo inferorum carcere produceret: ibi orta eſt *nova lux*, quæ illuminet depulsâ caligine omnem hominem venientem in hunc mundum. Hîc *nova civitas* apparuit, quam vidit Joannes deſcendentem de cœlo; ibi *nova Turba* concurrit ex omnibus gentibus, quæ aſcendebat in cœlum, ut ſtaret ante thronum. Quèis omnibus, ſi modica adhuc videantur, accedat *Novitas*, quam Sponſa in nuptijs, miles in armis, amicus in convivio inducit. Nunquid Sponſa in die ſolennitatis ſuæ detritis prodit amicta centonibus? Nunquid heros aſſumit arma ad pugnam, rubigine obducta? An non è convivio ejectus eſt Evangelicus ille hoſpes, non habens veſtem nuptialem?

Matth. 22.

lem? Et adhuc quiſpiam ſeſe opponat *Novitati* Spiritûs, per quam Chriſtiana anima inducitur velut Sponſa ad nuptias Agni, velut heros ad prælia Domini exercituum, velut hoſpes ad menſam cœleſtis convivij? Quid in tantùm Gentium Doctor Romanis, Epheſijs, & Coloſſenſibus per Epiſtolas commendavit præſtandum, quàm
Epheſ. 4. Coloſſ. 3. *expoliare veterem hominem cum actibus ſuis, & induere novum, qui renovatur in agnitionem DEI?* Hoc eſt, antiquum renovare hominem, qui *quaſi modò genitus* reſuſcitet Spiritum ſuum, ſicut aquila juventutem; qui novam aggrediatur virtutum ac bonorum operum ſemitam, ut juxta Archelai experientiam lepus quotannis novum cubile; qui novos eliciat heroicos actus, ut ficus folia; qui nova contra concupiſcentias ordiatur prælia, ut falco contra ardeas; qui novos agat pœnitentiæ fructus, ut olea & cypreſſus; qui veterem abjiciat habitum, ut ſerpens pellem; qui nova formet propoſita, ut Elephantus poſt lapſum; denique qui noviter edat, bibat, dormiat, ambulet, canat, ſerviat, operetur, ut reſuſcitatus ex Arabico cinere Phœnix, ut refloreſcens palmes in vineis Engaddi.

244. Novitas ex varijs motivis Chriſto propria.

Hæc quidem omnia ſive in genere naturæ, ſive in genere moris prolata, mirè videntur Novitatis gratiam commendare; quæ tamen ſupremum ſuum ſplendorem accipit ab illa Novitate, quam S. Dionyſius vocat
S. Dionyſius c. 3 de divin. nom. part. 2. *ſupereminentem novitatibus omnibus novitatem*; & primò prænuntiavit D. Ieremias vaticinio non minùs inaudi-
Ierem. 31. v. 22. to, quàm admirando: *Vſquequo*, inquit, *delicijs diſſolveris filia vaga? Quia creavit Dominus NOVVM ſuper terram; fœmina circumdabit virum.* Quo loco Chriſtum dici *novum à DEO creatum ſuper terram*, unanimis eſt SS. PP. in-
S. Bernardus hom. 2 ſuper Miſſus. terpretatio: inter quos D. Bernardus hunc locum pertractans, cùm expendiſſet difficultatem, occurrentem in viri circumdatione per fœminam, „mellitiſſimè ſubdit. [Sed vero me ad „conceptum partúmque virginalem, „ſi fortè inter plurima nova ac mira, „quæ ibi profectò inſpicit, qui diligenter inquirit, etiam hanc, quam „de Propheta protuli, reperiam novitatem. Porrò ibi agnoſcitur longitudo brevis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, profunditas plana. „Ibi agnoſcitur lux non lucens, Verbum infans, aqua ſitiens, panis eſuriens. Videas, ſi attendas, potentiam „regi, ſapientiam inſtrui, virtutem ſuſtentari; DEUM denique lactentem, „ſed Angelos reficientem; vagientem, ſed miſeros conſolantem. Videas, ſi attendas, triſtari lætitiam, „pavere fiduciam, ſalutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. „Sed quod non minùs mirandum eſt, „ipſa ibi cernitur triſtitia lætificans, „pavor confortans, paſſio ſalvans, „mors vivificans, infirmitas roborans.] Omnis proinde vetuſtas quàm longiſſimè abfuit à Chriſto, tam ſcilicet vetuſtas miſeriæ per ſubjectionem animæ ad peccatum, quàm vetuſtas corruptionis, per ſubjectionem corporis ad deſtructionem; juxta illud Apoſtoli, *quod antiquatur & ſeneſcit, propè interitum eſt.* Hebr. 8. v. 13. Fuit ergo omni ratione novus; nam & corpus ejus perfectè rationi ſubjacuit, & anima indeclinabiliter in bonum rationis tetendit: novus in conceptione, nativitate, partu, infantia, doctrina, vita, virtute, morte; ut eximiè S. Bernar- S. Bernardus ſerm. 6. de vig. Nativit. dus hanc novitatem expreſſiſſe videatur, cùm in compendio dixit: *Hic novus homo, qui nullius unquam vetuſtatis capax, etiam eos, quorum inveteraverunt omnia oſſa, in veram vita transferat novitatem.* Quam etiam mundo intulit, dum omnia per gratiam innovavit: ut dignè D. Chryſoſtomus S. Chryſoſtom. hom. 11. in 2. Corinth. 5. hanc novitatem proſequatur amplio„ri eloquio. [Inveterati, inquiens, & „ſenio confecti in malis omnes erant, „ſed ecce omnia nova: purificatum „enim & corpus novum, & cultus no„vus, & promiſſiones novæ, & teſta„mentum, & vita, & menſa, & ſtola, & „in ſummâ omnia nova. Etenim pro „Jeruſalem, quæ infrà, accepimus ſupernam Metropolim: & pro templo „viſibili, templum vidimus ſpirituale;

„pro

„pro lapideis tabulis, carneas: pro circumciſione, baptiſma: pro manna, corpus Dominicum: pro aqua petræ, ſanguinem è latere: pro virga Moyſi vel Aaron, Crucem: pro terrâ Promiſſionis, regnum Cœlorum: pro innumeris Sacerdotibus, unum Pontificem: pro agno irrationali, agnum ſpiritualem. Hæc & talia 1. Corinth. 5. v. 17. cogitans Paulus, dixit: *Si qua ergò in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt; Ecce facta ſunt omnia nova*. Similis eſt Divi Auguſtini ſententia, pari vigore pro Novitate diſputantis. „[Ille qui venit, per crucis irriſionem carnis perimere corruptionem, & vetuſtatem vinculi mortis noſtræ ſuâ mortis Novitate diſſolvere, mandato novo fecit hominem novum. Res enim vetus erat, ut homo moreretur: quod ne ſemper valeret in homine, res nova facta eſt, ut DEUS moreretur.] *Scilicet, exiguis prodeſt annoſa vetuſtas.*

245. Novitatis vitioſæ origines variæ.

Attonita tam efficacibus argumentis pro Novitate allatis auſcultat veneranda *Vetuſtas*: & licèt tam æqua & rationabilia videantur, ut contra haud obloqui quidquam poſſit; aliam tamen aperit ſcænam, qua triumphalem exhibet *Novitatis vitioſæ* ingreſſum. Poterat annoſa vetuſtas Novitatem omnino eliminare Sapientiſſimi Eccleſiaſtis teſtimo- Eccleſ. 1. v. 10. nio, aſſerentis: *Nihil ſub ſole novum; nec valet quiſquam dicere, ecce hoc recens eſt.* Nam eſto ijs, qui præterita non viderunt, videantur nova; ſunt tamen antiqua, viſa & trita ijs, qui olim vixerunt; res enim præteritæ in futuris ſui ſimilibus, quæ ſuccedunt, videntur novæ, ſed non ſunt; ut ex continua gyratione ſolis, aſtrorum, ventorum, fluminum, cæterarúmque rerum continuò, quia reſurgunt duntaxat, & renaſcuntur vel in ſeipſis, vel in ſui ſimilibus. Unde Thuanus vertit hunc textum Eccleſiaſtis.

Thuanus.

- - - Nempe omnia quæ nunc
Miramur, priſcis ea viſa audítáque ſæclis.

Diſſimulato tamen hoc principio, ad *Novitatem vitioſam* ſe vertit *Vetuſtas*, & eam plauſibili apparatu progredientem ſiniſtro intuetur oculo, duróque affatur acroamate. Quid inſolentius (exclamat graviter) quid intolerabilius Novitate? quæ obliteratis Vetuſtatis fulgoribus, triumphali curru plerumque periculoſa ingreditur; cujus equi indomiti præcipiti curſu properant, ut evertant. Brutas videte beſtias, quibus *vitioſa Novitas* ad ruinam impellitur: quorum prima eſt impetuoſa *Philautia*, ſuíque ipſius inordinatiſſima dilectio; quæ nullo modo contineri ſe patitur intra antiquos officij ſui terminos, quin potiùs oblatâ quavis occaſione modeſtiæ perfringat cancellos, & nefanda quælibet audeat nova, ut ſuo prurituì conſulatur: arripit pericula, ut ſine periculo inſaniat, & neotericis inventionibus intumeſcat: ad carbones dum conſidet, arrepto folle novum excitat incendium: denique omnia ſui juris facit liberè, ut innovare præſumat antiqua jura, tam divinè ſancita, & per tot ſæcula tam ſanctè cuſtodita. *Vir vanus in ſuperbiam eri-* Iob. 11. v. 12. *gitur, & quaſi pullum onagri, liberum ſe natum putat.* Secunda Beſtia, *Novitatis vitioſæ* bajula, priori contermina accedit, & *Singularitatis* obtinet appellationem. Malorum hæc ingentium eſt ſcaturigo: ſola Inſidiatur omnibus, & omnes ei, tanquam Iſmaëli, ſunt infeſti. Tantò in ſuis actionibus evadit turpior, quantò novior à reliquis diſſidet. Ea enim ſunt hominum ingenia; quæ tacitâ naturæ diſſenſione ab alijs, aut genio ad novandum facto, faſtidiunt, quæcunque alijs placuiſſe animadvertunt; nec niſi nova, & alijs nunquam audita, aut viſa probant. Ut rectè Sanctus Gregorius ad illud, *porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum*, contra hypocritas, & ſingularium dogmatum Authores pronuntiârit. *Communem ſcientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æ-* S. Gregorius 5. moral. c. 18. *ſtimentur. Occulta vel nova ſemper exquirunt, quæ dum alij neſciunt, apud*

imperitorum mentes, ipſi de ſcientiæ ſingularitate glorientur. Hinc meritò apud Ariſtotelicos Petrus Ramos, apud Medicos Theſſalus & Paracelſus, apud Theologos Durandus & Aureolus, præclariſſima cæteroquin talenta, malè audiunt; quòd ingenij vim, quâ valuerunt plurimùm, & ſcribendi methodum ac pellucidatem, quæ in ijs fuerunt eximiæ, intra ſepta communium ſententiarum frequenter non coërcuerint; ſed jugi in alios pugnacitate audire voluerint Scholarum veluti Iſmaëles, è regione univerſorum fratrum ſua figentes tabernacula. Tertia beſtia *vitioſa Novitatis* impulſiva, plerumque *ſuperbia* eſt ac typhus animi, ad deſpiciendas alienorum ingeniorum fruges, propria autem inventa magnificanda, inconſultos animos abripiens. Juxta Syneſij comparationem, præ ſuperbiâ, qua Novatores in rebus ſuis dijudicandis cæcutiunt, idem accidit circa ingeniorum, ac corporum fœtus: Matribus enim præ amore exoculatis, proles propria quantumcunque deformis, imò Therſite abſurdior, exquiſitæ pulchritudinis ac venuſtatis velut paradigma exiſtimatur. Nimirum amamus omnes inſito naturæ impetu noſtra: & quia Amor in bonum ac pulchrum fertur, ijs quæ amare fixum habemus, boni ac pulchri acceſſionem facimus, abblandientes nobis, & quæ ad nos ſpectant, amplificantes per ſuperbiam, à qua illa in ſpeciem granditas, tumórque inanis rerum cuique ſuarum, ingenij, judicij, induſtriæ & inventorum. Ea verò ſemel concepta & edita obfirmatè retinere, & aliena inventa quantumvis antiqua depretiare, ejuſdem viperæ genimen reſultat. Accedit his *Iudicij imbecillitas*, quæ facilè in vitioſas Novitates declinat. Parvo enim numero ſunt electæ animæ, quibus juxta Platonem aurea obtigerit materia: hinc alienas conſtitutiones aut ſententias infirmas judicant, malas, aut perfacilè expugnabiles; nam attendentes ad pauca, lubricè pronuntiant. Econtra quoad propria placita nihil frequentius ac proclivius accidit, quàm ut homo ſpiritu pauper, tenuíque judicio ſibi abblandiens, ac ſuorum ſenſorum venuſtati lenocinans, occupetur cogitatione de expedita, & vix ullis difficultatibus patente eorum veritate aut facilitate, cujuslibet novæ cogitationis fungum ſubitò ſibi in cerebro natum exoſculans. Et ex his principijs juxta Caſſiodorum, *Sunt nonnulli, qui putant eſſe laudabile, ſi quid contra antiquos ſapiant, & aliquid novi, unde perire videantur, inveniant.* Vt meritò tales odioſo prædicato *Novatores* audiant, tot excommunicationum fulminibus ab Eccleſiâ Catholicâ proſtrati.

S. Caſſiodor. lib. divin. lect. c. 11.

246. Novitatum vitioſarum impellentia motiva.

Præfatis autem affectionibus calcaria imprimit mollis ac delicata *Ignavia*, quæ cùm veterum opera, tam profunda ingenio, arte tam ſublimia, tempore tam diuturna, ſoliditate tam pretioſa penetrare, aut imitari non poſſint; ad novas proprij vel alieni genij cicindelas ſe convertit, in tenui illâ ac evanidâ luce exultans ad horam, mox denſiſſimâ caligine opprimendâ, ac in lucifugas offucias turpiter diſpellendâ. Agmen triumphantis *vitioſa Novitatis* impellit publicus, & inanis *Plauſus*. Quid enim dulcius intonat auribus, quid delectabilius titillat animum, quàm audire, ingenium ſublime, ferax, ſubtile, Joviale, non alienorum inventorum ſervum; dexteritatem inſuper in agendis incomparabilem, virtutem nulli poſteriorem; & exinde digito *monſtrari, ac dicier, hic eſt?* Quid plauſibilius, quàm, ubi omnibus ingenijs hactenus crux fixa fuerit, aliquid excogitare, quo difficultates diſpellantur omnes; & novæ merces ſuâ peregrinitate vendibiliores reddantur, ac juxta Zeuxis Dialogum, *nova quæque cantilena audientibus ſit gratiſſima?* Colophonem tandem imponit agmini *Cupiditas placendi*, ac gratiam captandi; Novi-

Lucianus in Zeuxide.

Novitate enim capitur humanus animus, & ex uſu ac conſvetudine antiqua faſtidiens, gratos habet, qui nova ingerunt. Perſenſit jam olim, ac etiam nunc perſentit Eccleſia, quid malorum iſta placendi cupiditas parturiverit inter Fideles. *Theophilus Raynaudus in Polemicis fol. 66.* Nam hæreſes, quæ puræ putæ ſunt *Novitates*, non aliunde magis ortum habent, quàm ex placendi amore, quo flagrant errorum magiſtri, & buccinatores mendacij. Quid enim aliud quàm placere hominibus carnem ſapientibus voluerunt, qui nuper & jam olim cœlibatum, jejunia, corporis macerationes, & quidquid carni inſvave eſt, ab Eccleſiâ & Chriſtiano uſu eliminârunt.

147. *Vetuſtas corruptiva perſtringitur.* Sed & *gratioſa Novitas* ſpecialem auſpicatur paragraphum contra *corruptivam Vetuſtatem*, quæ innixa baculo abit cum contemptu ad oblivioſam Lunæ convexitatem. Ecquid, ait, Humanæ Converſationi *prodeſt annoſa Vetuſtas*? Quæ tandem ſuum deperdit colorem, ut efficiatur turpis; ſuum abijcit vigorem, ut omnium ſubijciatur injurijs; ſuum diminuit valorem, ut vel parum reputetur à poſteris, vel ab omnibus deſpiciatur. Perdit colorem honeſtæ converſationis; vigorem ſolidæ durationis; valorem debitæ perfectionis. O miſeros homines, qui quantò vixerint diutiùs, tantò profundiùs ſunt obnoxij vetuſtati, & illi Prophetico ſermoni: *Pſal. 101. v. 27.* *Omnes ſicut veſtimentum veteraſcent!* O deplorabiles peccatores, qui per malas conſvetudines in vitijs indurantur, & in malis operibus antiquantur. Vt de ijs idipſum lamentari poſſim, quod olim Author Canonicus de Filijs Iſraël conquerebatur: *Iud. 10. v. 6.* *Filij autem Iſraël peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conſpectu Domini.* Ideóque contemptibiles facti ſunt, quia dimiſerunt colorem virtutis in operando, vigorem perſeverantiæ in procedendo, valorem bonitatis in perficiendo. Non amatur à ſuis poſſeſſoribus Vetuſtas; quam à ſe potiùs, quantùm poſſunt, removere ſatagunt. Serpens abductâ vetere, novam ſibi comparat pellem: cervus abjectis veteribus, nova aſſumit cornua: arbor dimiſſis antiquis fructibus & folijs, nova producit germina: Vultur etiam depoſitis plumis, ſuam renovat juventutem. Et in hunc finem juxta Gregorij ſententiam: *S. Gregorius hom. 12. in Evangelia.* *Redemptor noſter novus homo venit in mundum, ideo nova præcepta dedit mundo: vita etenim noſtra veteri in vitijs enutrita, contrarietatem oppoſuit novitatis ſuæ.*

248. *Novitatum varia ratio ſvadetur ac commendatur.* Ita Vetuſtas, ita Novitas ſibi invicem opponuntur: ſub diverſis reſpectibus habet Vetuſtas, ob quam dimittatur, aut honoretur; habet & Novitas, unde commendetur, aut perſtringatur. Ego medius inter utramque tales ponam canones, ut nec venerandam excutiam Vetuſtatem, nec gratioſæ Novitati imprudenter ſubſcribam. Tot ſunt Sacræ Scripturæ authoritates, quibus imbuimur *quaſi modò geniti*, deponere Vetuſtatem erroris ac literæ, & econtra induere Novitatem ſpiritûs; ut à gratioſâ Novitate non poſſim avertere animum, quin in ſequentibus punctis utramque conciliem. Primò, non derogatur quidquam antiquorum honori ac reverentiæ, ſi eorum opera, leges, conſtitutiones, inventiones, obſervationes, ex rationabili causâ à poſteris immutentur, tollantur, innoventur, perficiantur, alterentur: hæc enim omnia præſens rerum conditio, urgens neceſſitas, ſalutaris ratio, & poſterorum ingenioſa libertas convenienter judicare poſſunt, quòd fieri expediat. Sapientiſſimus Seneca ad rem clariſſimè loquitur: *Senec. ep. 64.* *Multum adhuc reſtat temporis, multúmque reſtabit; nec ulli nato poſt mille ſæcula præcludetur occaſio aliquid adhuc adijciendi.* Et ut ſciatur, etiam poſteris relicta eſſe, in quibus ſint occupati, paulò pòſt addit: *Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt.* Fas proinde eſſe debet, ut verbo & ſcriptis editis, ratione

tione validâ ſuffragante, & ſecluſâ omni incommodatione doctrinæ Sacræ, vel etiam prophanæ inde inferendâ, inire aliquando non ſignatam anterioribus veſtigijs viam, & novam doctrinam proferre de ingenij penu; novam artem excogitare, de induſtriæ fœcunditate; novam conſtitutionem condere, de boni publici exigentiâ; novum jus quærere, de Juſtitiæ emergentiâ. Secundò, non eſt prætermittenda obſervatio tam in diſciplinis, quàm in praxi pietatis, notatu digna: nam pleraque incuſantur novitatis, quæ revera ſunt perantiqua, nec niſi temporum injuriâ, vel hominum incuriâ, abierunt in deſvetudinem. Sic enim experimur in facultatibus ſublimioribus, refodi nimirum in dies placita, quæ initio videntur nova, poſtea autem deprehenduntur antiqua. Pari ratione de alijs artibus, conſvetudinibus, & inventionibus diſcurrendum; ut verum ſit illud Sapientis memoratum aſſertum: *Nihil ſub ſole novum; nec valet dicere quiſquam, ecce hoc recens eſt.* Tertiò, nova Religioſi Ordinis quoad diſciplinam collapſi Reformatio non eſt vitioſæ Novitatis inſimulanda; nam, ut verbis utar Guilielmi Abbatis, *Talis Novitas non eſt novella vanitas; res enim eſt antiqua Religionis, perfectè fundata in Chriſto pietatis.* Qui tandem poſt longam diſſertationem de Carthuſianorum ſeceſſione inſtitutam, ita concludit: *Sileant ergo, qui in tenebris de luce judicantes, vos arguunt Novitatis, ex abundantia mala voluntatis, ipſi potiùs arguendi vetuſtatis & vanitatis.* Quid enim eſt juxta D. Paulum, *reformari in Novitate ſensûs*, quàm aſſumere formam priſtinæ Novitatis; & ex hac nova ac Divina Spiritûs Sancti formâ, ſpiritualia ac divina opera edere? Seraphicus P. Franciſcus ad vitæ renovationem, & ſpiritûs fervorem, ſuos fratres ſub vitæ finem ſtimulâſſe fertur. *Incipiamus fratres, ſervire Domino DEO noſtro, quia uſque nunc parùm profecimus.* Flagrabat etiam deſiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leproſis, ſicut à principio, miniſtraret; corpúſque jam præ labore collapſum, revocaret ad priſtinam ſervitutem. Proponebat Chriſto duce ſe facturum ingentia, & fatiſcentibus membris ſpiritu fortis & fervidus, novo ſperabat certamine de hoſte triumphum: neque enim languor vel deſidia locum habet, ubi amoris ſtimulus ſemper ad majora perurget. Neſcit etiam mens per torporem veteraſcere, quæ ſtudet per deſiderium ſemper inchoare: & niſi laſſeſcere ab inchoatis velimus, valdè neceſſe eſt, ut inchoare nos quotidie credamus. Tandem D. Bernardi, ſermone 30. inter parvos, eximia eſt ſententia: *Duo*, ait, *homines ſunt, vetus & novus: Adam vetus, Chriſtus novus. Ille terrenus, iſte cæleſtis; illius imago vetuſtas, iſtius imago Novitas. Eſt enim vetuſtas in corde, in ore, in corpore: in quibus tribus modis peccavimus, cogitatione, locutione & opere. In corde ſunt deſideria carnalia & ſæcularia, id eſt, amor carnis & amor ſæculi. In ore eſt gemina vetuſtas, arrogantia & derogatio. Item gemina in corpore, flagitia & facinora. Hæc omnia ſunt imago veteris hominis; & hæc omnia renovanda ſunt in nobis.* Quapropter renovare mores pravos in meliores, à ſervitute peccati tranſire ad libertatẽ gratiæ, depoſitâ inimicitiâ reconciliari cum DEO, lavare Æthiopem & candore animi dealbare, deletâ vetere alienorum concupiſcentiâ per novæ converſationis ſtudium liberalem omnibus & hoſpitalem evadere, effici parvulum, & *quaſi modò genitum* lac concupiſcere, voluntas eſt Eccleſiæ, Chriſtianæ exigentia perfectionis, conſilium ſvadentis Pauli, & DEI præcipientis promulgatum mandatum.

Amen.

Eccleſ. 1. v. 10.

Guil. Abb. S. Theodorici ad fratres de monte DEI.

Rom. 12. v. 2.

S. Bonaventura in ejus vita, c. 14.

DO-

POST PASCHA.

AUCUPIUM UNIVERSALE.

Der allgemeine Vogelfang.

LEMMA.

Omnes excitat unus. Ovid.

THEMA.

Illas oportet me adducere, & vocem meam audient. Ioan. 10. v. 16.

SYNOPSIS CONCIONIS XXVII.

Quòd Deus cuivis mortalium ſufficientia gratiæ auxilia præparaverit, quibus liberè uti, & efficaciter cooperari poſſit ad ſalutem, Theologicis & Humanis exhibetur motivis.

249. Aucupandi aviculas varia ratio Chriſto & diabolo applicatur.

TAnta eſt Aucupi cura de *Avibus*, quanta eſt Paſtori de *Ovibus*. Paſtor oves varijs ad ſe trahit modis; nunc ſibilo convocat; nunc fiſtulâ inflatâ mulcet; nunc oſtenſo ramo viridi attrahit; nunc baculo paſtorali compellit; nunc præcedendo ſollicitat; nunc ovile aperiendo invitat; nunc ſale appoſito ineſcat. Id ipſum præſtat Auceps; miros tentat modos, ut aviculas capiat, & ſuis caveis includat: extendit retia; ponit decipulas; objicit eſcas; occultat laqueos; præparat viſcum; dimittit falconem; extendit falcatam arundinem; explodit ſclopetum; inſidiatur noctu diúque, & millenos excogitat modos, ut *volucres cæli* capiat. Chriſtus Servator noſter & bonus Paſtor eſt, & bonus Auceps: ut Paſtor oves ſuas cognoſcit, quas in unum compellit ovile: ut Auceps *volucres cæli* quærit, & in ſuas concludit caveas. *Volucres cæli*, inquam; nam immortales hominum animas intelligo, quas cœlo condidit, & ad æternam gloriam præordinavit. Itaque hic Auceps cœleſtis ex pluribus modis capiendi animas, perticam erigit, viſcoſis ramis bene munitam. Aſionem exponit; oſcines & allectrices aviculas applicat; ore aut fiſtulâ dulcè canit, & aves convocat; atque *omnes excitat unus*. *Pertica* erecta, eſt Dei prædeſtinatio: *Viſcus* eſt amor Divinus; quo animæ prædeſtinatæ agglutinantur Deo, ut anima Jonathæ agglutinata eſt animæ Davidis: *Rami* viſcoſi ſunt gratiæ, ſeu auxilia ſufficientia; de quibus apud Eccleſiaſticum: *Rami mei honoris & gratiæ*: *Aſio* Eccli. 24. v. 23.
ſymbolizat cruces, contemptus & ærumnas, per quas oportet intrare in gloriam: Oſcines & *Allectrices* aviculæ, ſunt doctrinæ ſacræ & exempla Sanctorum, quæ nos alliciunt ad imitationem: *Sibili & cantus* Aucupis ſunt Divina vocatio, quam quælibet anima percipit per internas inſpirationes, & impulſus. Quòd ſi ergo advolaverit

avicula, & agglutinata fuerit perticæ, protinùs proſilit Auceps, ſolvit captivam, ſuæque ingerit caveæ, plenus gaudio dicens: *Charitate perpetuâ dilexi te; ideo attraxi te miſerans.* Nec eſt contentus Auceps ijs aviculis, quas jam captas ſuis innumerat aviarijs; ſed & pro alijs etiam *Dulce canit*, & *illas*, inquit, *oportet me adducere; & vocem meam audient.* Pari ratione procedit Tartareus Auceps: *Perticam* erigit reprobationis; *viſcum* concupiſceutiæ miſcet; *ramos* vanitatis applicat; *Aſionem* deliciarum proſtituit; *Allectrices* tentationum concitat; *Sibilos* ſcandalorum fiſtulat; ac tandem *Caveis* inferni deceptas Aviculas immittit. Vtriusque Aucupis *fiſtula dulce canit*, ad alliciendas animas, ut liberè advolent, & vel amori Divino vel Carnali agglutinentur. Interim *reliquit DEVS hominem in manu conſilij ſui*, ut ſufficienti gratiæ à DEO ſibi pro quocunque tempore & occaſione conceſſæ, cooperetur efficaciter ad ſalutem: ſi velit, cœleſti Aucupi captivam ſe tradat avicula libera; aut certè libera infernali in prædam cedat. Hoc duntaxat diſcriminis intereſt, quòd ille capiat animas in caveam vitæ æternæ ad lætandum in cantico Sanctorum; hic verò in caveam mortis æternæ ad ejulandum in ſtridore dentium. Ergo id nobis unicum hodie reſtat demonſtrandum, quòd DEUS cuivis mortalium ſufficientia gratiæ auxilia præparaverit, quibus liberè uti, & efficaciter cooperari poſſit ad ſalutem; dummodo *vocem Domini audierit* vocantis. Hoc magni momenti negotium pertractabo luculenter per gratiam & in nomine Domini.

Ierem. 31. v. 3.

Eccli. 15. v. 14.

250. Salvare vult omnes Deus, quantum eſt ex ſe. 1. Timoth. 2. v. 4.

Dogma Catholicæ Fidei eſt, in quo elucidando laboro, tot SS. Patrum & Doctorum authoritatibus firmatum, & vel maximè in illo Divi Pauli loco fundatum: *Hoc bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro DEO, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Scilicet ut auceps ſincerè vult omnes capere aviculas; & in hunc finem eas allicit, media proponit ſufficientia ad capturam, atque *omnes excitat unus*: quòd ſi fruſtretur intentione ſuâ Auceps, nec multas capiat aviculas, fruſtrationem propoſiti ſui non ſibi, ſed aviculis imputabit, nolentibus advolare, aut allici, nec agglutinari viſco perticæ. Sic & DEUS ſincerè cupit, & ex animo deſiderat, omnes homines ſalvos fieri; ideóque omnibus dedit Chriſtum Redemptorem, & per eum gratiam, Sacramenta, atque omnia alia media ad ſalutem neceſſaria ſuppeditavit, quantum eſt ex parte ſua, ut ſiqui pereant, non DEI voluntate & prædeſtinatione, ſed ſuâ liberâ culpâ & malitiâ pereant. Neque hæc DEI voluntas ſalvandi omnes eſt tantùm *ſigni*, quam ſcilicet DEUS ſignificavit per tot exhortationes, præcepta, pœnas & præmia hominibus propoſita; ſed eſt etiam *beneplaciti*: non tamen completa, conſequens, & totaliter efficax; ſed incompleta, antecedens, & efficax tantùm ex parte DEI. Vult DEUS omnes ſalvare; non quidem voluntate *conſequente* (hac enim impios præviſa eorum impietate etiam damnare vult, non ſalvare) ſed *antecedente*; ante præviſionem ſcilicet finalis impœnitentiæ, quæ cum morte in peccato coincidit: nam quantum eſt ex parte ſua, ſeriò & ex animo cupit, & optat DEUS omnium ſalutem, omnéſque eò vocat, & ad eam ſufficientia præſtat remedia. At verò ut hæc voluntas ex antecedente fiat conſequens, & efficaciter ſuum ſortiatur effectum, ſalutem ſcilicet à DEO volitam; debet impleri etiam conditio ex parte hominis à DEO requiſita, ejuſdem ſcilicet cooperatio, qua medijs à DEO ad ſalutem præſcriptis utatur, eámque bonis operibus promereatur. *Dulce canit*, ſuaviter allicit, & penetranter invitat Chriſtus animas capiendas apud Matthæum: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ac rurſum: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Hic enim finis eſt ineffabilis myſterij Incarnationis, & totius Chriſti œconomiæ, ut ipſe *omnes* homines *excitaret*

Matth. 11. v. 28.

Matth. 9. v. 13.

taret

caret unus, invitaret & vocaret ad ſalutem, non ſuperficialiter, non vocaliter, non ſimulatè; ſed feriò, & ex intimo cordis ſui deſiderio. In hunc finem tantos labores, fatigationes, dolores, ac diriſſimam Crucis mortem ſuſcepit; ut ſi qui pereant, magno Chriſti dolore & indignatione, ac contra ipſius voluntatem, ſuâque propriâ negligentiâ ab Aviario cœleſtis gloriæ excludantur, & potiùs à Tartareo Aucupe deprehendantur.

251. Suffiolentia gratiæ exemplis oſtenditur. Itaque nulli deſunt media ad ſalutem ſufficientia, quæ quivis etiam pro ſua libertate eo ipſo poteſt efficacia reddere, ſi ijsdem velit efficaciter cooperari. *Amator hominum eſt DEVS noſter*, ſcribit Ignatius Martyr ad Philippenſes, *& vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Propter quod & ſolem oriri facit ſuper bonos & malos.* Ponit Abbas Picinellus pulcherrimum ſymbolum ſolis ſuper horizontem emergentis; ad cujus purpureum ortum evigilant omnes cœli volucres, canunt, lætantur, clamant & laudant DEUM: apponit lemma Picinellus: Volucres Sol OMNES EXCITAT VNVS. Solæ noctuæ, bubones, veſpertiliones, Nycticoraces & hujusmundi lucifugæ aves, ad ſua delubra redeunt; & tanti ſplendoris impatientes, tenebroſas cavernas requirunt, ubi per integrum diem quieſcant ſilentes & ſqualentes. Sicut ergò Solem ſuum iſtum materialem abſolutè & indeterminatè ſuper omnes, & ſingulis vult oriri; neque imputandum eſt Soli, ſi quis liberè claudat oculos, ne lumen cœli videat, ſicque ſponte cæcus in foveam decidendo ſuam frangat cervicem: ita & gratiam ſuam, & auxilia ad ſalutem ſufficientia ſingulis confert, nemine omnino excluſo. Immenſum & infinitum Divini luminis pelagus ſemper paratū eſt, & patet omnibus ad participandum. Hæc gratię ſufficientia manus eſt fortiſſima DEI, quam omnibus porrigit ad erigendū, ad extrahendū; dummodò lapſus, dummodò abreptus eandem arripiat, eique innitatur fortiter ad evadendum in ſalutem.

S. Ignatius Ep. 4. ad Philipp.

Picinellus l. 4. c. 1. n. 16.

Ramus eſt viridis, quem bonus paſtor ſuis ovibus porrigit; de quo appoſitè D. Auguſtinus: *Ramum viridem oſtendis ovi, & trahis illam: nuces puero demonſtrantur, & trahitur. Si ergo iſta, quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur, amantes trahunt; quoniam verum eſt; trahit ſua quemque voluptas: an non trahit revelatus Chriſtus à Patre?* Viſcus eſt æternæ Prædeſtinationis; cui agglutinatus hæret, quisquis illum vel in extremitate attigerit. His ramis ſufficientis gratiæ capti, & agglutinati ſunt DEO tot graves peccatores, qui voce invitantis allecti inter electas *cæli volucres* ultrò convolârunt. Sedebant ad telonium duo cuculi, Matthæus & Zachæus, qui negotiatoribus peculium ſuum ex marſupio excuculabant; mox, ubi vocem allicientis & vocantis audierant, *ſequere me*, ſecuti ſunt Dominum, & viſco Divinæ gratiæ adhæſerunt Chriſto; qui non venerat vocare juſtos, ſed peccatores. Quàm diu felix ille latro in ſylvis, & montibus inſidiabatur prædæ, velut rapax accipiter, usque dum per gratiam Chriſti morientis captus, & aviario cœleſti inferendus audivit, *hodie mecum eris in paradiſo?* Saulus ille nobilis Falco, ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, poſtquàm potenti vocatione à Chriſto fuiſſet captus, lubenter ſalutis ſuæ negotium Divinæ gratiæ adſcripſit: *Gratiâ DEI ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit.* Quot Magdalenæ, Pelagiæ vel Thaides, tanquam laſcivientes Pavones; quot Gulielmi, Corſini, Conradi tanquam ineptientes Vanelli, ex impuris Aſmodæi areis tranſvolârunt in retiacula Chriſti vocantis? Vt taceam tot Religioſos Ordines, tot in Eccleſiâ ſanctiſſimos ſtatus; qui omnes ſunt velut areæ paratæ ad capiendas aviculas, & animas DEO conjungendas. In tantum DEUS pro conditione, ſtatu & proportione cujuslibet, ſufficientia gratiæ auxilia ad ſalutem omnibus ſuppeditat, ut nemo prorſus ſit, qui non poſſit ijsdem efficaciter uti ad ſalutem, & actu ſalvus fieri. Quòd ſi contingat, damnari mul-

S. Auguſt. tract. 26. in Joan.

Lucæ 23. v. 43.

1. Corinth. 15. v. 10.

Digitized by Google

multos, nec eis ad ſalutem hæc auxilia prodeſſe, ſibi ſuæque imputent libertati: nam ut clariſſimè D. Thomas loquitur: *Ex quo ergo DEUS paratus eſt, dare omnibus gratiam & ad ſe trahere, non imputatur ei, ſi aliquis non accipit, ſed ei, qui non accipit.* Sic nempe agit Divina Sapientia, ludens coram Deo omni tempore, ludens in orbe terrarum, cum filijs hominum; quos relinquit in manu conſilij ſui, & libertate arbitrij. A quocunque Aueupe, ſive bono ſive malo, capiantur volucres, poſſunt dicere, *LUDENDO CAPIMUR*: prout non nemo Poëtarum ad carnalem amorem non incautè applicuit.

S. Thomas in c. 6. Ioan. l. 5. q. 3.

LUDENDO CAPIMUR, bibimus ridendo venenum;

Atque jocos inter vincula miſcet Amor.

Si timeas laqueos, & te ſi vincula terrent;

Terreat & luſus, luctaque; liber eris.

Otto Venius embl. amor. fol. 78.

Quod quàm facilè ſit ad Divinam Sapientiam, ſic per gratiam ſuam cum filijs hominum ludentem applicare, nemo non videt. Qui vult ludere, ludat, *& hauriet* lucrum, atque *ſalutem à Domino.*

252. Ingentis inter Theologos momenti theſis eſt, quam hactenus de gratiæ ſufficientia ſum proſequutus: controverſiæ enim exinde emergunt vel in fide periculoſæ, vel in ſana Theologia implicatiſſimæ: nam primò quis credere aut concipere poteſt, Deum omnes velle ſalvos fieri, quando infantes vel in utero matris, vel propter materiæ baptiſmi inopiam, vel propter miniſtri defectum, ſine baptiſmo morientes ſalutem haud poſſint conſequi? Varij quidem ſunt inter Catholicos Theologi, quibus impoſuit ſpecies miſerationis erga parvulos, quêis relinqui à Deo abſque unico ſalutis remedio, tot peccati actualis expertes animulas, durum omnino videtur. Cajetanus graviter contendit, in realis Baptiſmi adminiſtrandi impoſſibilitate, Baptiſmi locum tenere poſſe parentum preces, ac fœtûs oblationem; ut fiebat in lege Naturæ; & etiam in Moſaica lege, præſertim ſi ante octiduum vitæ, quo circumciſio conferebatur, infans è vitâ excederet. Sed hoc Cajetani placitum Pius V. improbavit, atque expungi juſſit. Alij graves Doctores ideò parvulis patrocinantur; ſi enim Deus ſupplet defectum baptiſmi reipsâ irriti, nec niſi in ſpecie validi, & ob malignitatem miniſtri intentionem neceſſariam non adhibentis; multò magis videri poterit, eâdem benignitate uti voluiſſe erga parvulum immedicabiliter laborantem, & planè deſtitutum neceſſario ſalutis remedio. Sed verò hi dicendi modi ſolidi non ſunt, nec admittendi. Et inſuper, ut cum D. Auguſtino loquar, nimiæ cæcitatis & vanitatis ſunt illi, qui judicare volunt, cur in unâ eâdemq; parvulorum causâ, ſuper alium veniat miſericordia, ſuper alium veniat ira Dei? Quid ergo? Nû admittemus, ejuſmodi infantes in extremâ illa neceſſitate à Deo deſeri, nec eis præparata eſſe ſufficientia media ſalutis ſpiritualis? At hoc repugnat Divino amori in omnes homines tam liberaliter & providè diffuſo, quo *omnes homines vult ſalvos fieri*, conſequenter etiam parvulos, maternis viſceribus adhuc recluſos: adeóque negari non poteſt, eos ordinari à Deo ad finem ſupernaturalem. At verò hæc volitio & intentio finis ſi vera fuit, habuit utique adjunctam neceſſariò volitionem providendi media, illi fini conſequendo idonea, & ſaltem ſufficientia: cujuſmodi Eccleſia tenet Baptiſmum; qui infantibus utero concluſis adhiberi non poteſt. Res eſt plurimùm implexa; quam Bellarminus & alij ſic exſolvuunt. Deus non uſquequaque hos parvulos dereliquit; ſed verè, ſicut eis gloriam voluit, quantùm eſt ex ſe, ita ijſdem ſufficientia providit media, ſaltem in cauſis univerſalibus, quantùm eſt ex ſe: inſuper mediorum illorum applicationem nec impedivit, nec effecit vel intendit, ut per alios impediretur, quantùm eſt ex ſe; ſed potiùs habuit volitionem veram, ut applicarentur, etiamſi ob diſpoſitionem & curſum cauſarum naturalium, quem invertere non tenetur, vel ob perverſitatem miniſtri, quem vult illibatis libertatis ſuæ juribus frui; contingat

Infantes ſine baptiſmo decedentes, ſufficientia habent auxilia ſalutis.

Cajetanus 3. parte q. 68. a. 2.

S. Auguſtin. lib. de gratia & libero arbitrio, c. 23.

Bellarm. l. 2. de gratia & lib. arbit. c. 1

tingat, media illa parvulis proviſa in uno aliquo ſpeciali eventu, aliundè quàm ex DEI intentione, deficere; cúmque defectum, & non applicationem, DEUS aliâ ſecundùm noſtrum concipiendi modum concomitante volitione permittat; nam ita univerſalis Naturæ ordo poſtulat, ut deficientibus cauſis ſecundis in particulari caſu, non deficiat rerum Univerſitas juxta communia DEI decreta.

253. Adulti ſine fide, habent ſufficientia auxilia ſalutis. *Hebr. 11 v. 6.* *S. Auguſtin. l. 1 ad Simpl. q. 2.*

Deinde quomodo ſufficiens auxilium conceſſum eſt ijs hominibus, ad quos nulla Chriſtianæ Fidei veritas unquam penetravit? *Sine fide autem impoſſibile eſt placere DEO.* Unde S. Auguſtinus docet, ubique primam gratiam initiúmque ſalutis incipere ab ipſa vocatione ad fidem; atqui nemo, ſecundùm ipſum, poteſt ſibi præſtare, ut vocetur; conſequenter nemo ante vocationem ad fidem habet ſufficiens auxilium ad ſalutem. Hinc olim Sancto Franciſco Xaverio Indiarum Apoſtolo objiciebant Japones, alienum videri ab infinitâ Bonitate DEI & Prudentiâ, majores ſuos tot abhinc retrò ſæculis in ſuâ cæcitate relictos eſſe. Verùm *& illos oportet me adducere*: nam etiam illis contulit DEUS ſufficientia media ad ſalutem, tum dependenter à voluntate primi Parentis, in quo & per quem fuit omnibus Juſtitia originalis collata: tum dependenter à voluntate Eccleſiæ, quæ eodem conatu & diligentiâ ejuſmodi auxilia omnibus adhibet: tum vel maximè dependenter ab uniuscujuſque voluntate; quatenus DEUS paratus eſt illa media exhibere, ſi libera hominis voluntas obſtaculum non poſuerit; ita quidem ut hæc auxilia non tantùm in actu primo, ſed etiam ſecundo omnibus adultis conferantur, & nemo eorum ſit, qui aliquando actu à DEO ad ſalutē non excitetur. Et ita comuniter docent Theologi: nam omnis homo perveniens ad uſum rationis tenetur ad DEUM converti; per quam converſionem homo conſequitur gratiam, & per eam peccati originalis remiſſionem. Deinde verò rectè viventi, & facienti Divinâ opitulante gratiâ quod in ſe eſt, DEUS non deeſt, ſed providet de neceſſarijs ad ſalutem, quæ eſt in Chriſto JESU. Quare piiſſimè credendum eſt: ſi aliquis in ſylvis enutritus ductum rationis naturalis ſequeretur in appetitu boni, & fugâ mali moralis, adeóque viveret purè juxta legem Naturæ; quòd DEUS tali vel per internam inſpirationem revelaret Fidei ad ſalutem neceſſariæ myſteria, vel ad eum prædicatorem aut Angelum dirigeret, qui ipſi myſteria Fidei edocto viam ſalutis oſtenderet, eo modo, quo Petrum miſit ad Centurionem Cornelium, ut eum ad deponendam gentilitatem, & aſſumendam Chriſti fidem erudiret.

S. Thom. 1. 2. q. 89. a. 6.

254. Peccatores obſtinatiſſimi ſufficientem habent gratiam ad ſalutem. *S. Auguſtin. l. de nat. & gratia. c. 67.* *Eccleſ. 7. v. 14.*

Inſuper perdifficile alicui videri poteſt, quòd Deus ſufficientia ſalutis præſtet auxilia illis peccatoribus, qui vel propter multitudinem, vel propter ſcelerum gravitatem ita obfirmantur in malo, ut videantur etiam potentiam ad reſipiſcendum amiſiſſe: nam ut ait S. Auguſtinus, *Illa eſt peccati pœna juſtiſſima, ut amittat quiſque quo bene uti noluit, cùm ſine ullâ poſſet difficultate uti, ſi vellet. Et qui rectum facere cùm poſſet noluit, amittat poſſe, cùm velit.* Et conſtat ex plurimis Sacræ Scripturæ locis, in quibus DEUS ita aliquos dicitur indurare, repellere, deſerere, deſpicere, excæcare, ingravare, & hujuſmodi multa facere; ut videatur impoſſibile talem reſipiſcere. Certè Eccleſiaſtes urget: *Conſidera opera DEI, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.* Verùm enim verò etiam graviſſimis peccatoribus DEUS ſuā non denegat gratiam, ſed pro opportunitate & loco dat, & in quacunque horâ ad eum converſi fuerint, eos in priſtinam recipit amicitiam. Et licèt videantur amiſiſſe potentiam ad rectè operandum aut reſipiſcendum, reverâ tamen ijs nunquam in hoc viæ ſtatu ſubtrahitur potentia ad ſimpliciter operandum, quamvis difficiliùs tales reſipiſcant propter defectum uberiorum auxiliorum, quæ peccatoribus talibus propter ſcelerum gravitatem ſubtrahuntur. *Quoniam*, ut S. Auguſtinus in-

Ff fert,

S. Auguſtin. 1. tract. c. 19.

fert, *de quocunque peſſimo in hâc vitâ non eſt utique deſperandum, nec pro illo imprudenter oratur.* Nec alteri digniùs, quàm Auguſtino hujus veritatis expertiſſimo, fides datur. Adduco ex innumeris pro confirmatione thematis memorabilem hiſtoriam ex P. VWenſio ſupra Jonam referente: quòd Salmanticæ in Hiſpaniâ, poſtquam alearum luſu omnem ſubſtantiam ac fortunam ſuám perdidiſſet, mercator quidam juvenis tam flagitioſæ vitæ ſe proſtituerit, ut eò unicè collaboraret in nequiſſimis ſuis inventionibus, quomodo omnibus numeris poſitivam ſuam malitiam contra DEUM poſſet explere. Ad eam ſummam ejus excrevit malitia, ut blaſphemam linguam (prôh! horreo & expalleſco exprimere, aut verbis imitari) in cœlos contra DEUM ſic elevârit. Maledictum & execrabile Numen, ut quid omnium Diabolorum & hominum mihi deficit collectivè ſumpta malitia, ut ſecundùm omnem iniquitatis facultatem tuæ Bonitati poſſim adverſari. Proinde ſibi comparavit Summam præclariſſimi Doctoris Navarri, in qua confeſſariis præſcribitur methodus proficuè pœnitentium conſcientias tractandi. Sedulam igitur huic libro operam navavit, ut ex caſibus conſcientiæ ſpeculativè traditis, normam practicam addiſceret malitiosè peccandi: & quia fortuitò inciderat in eum locum, ubi docetur, graviſſimum eſſe ſacrilegium, peccatum mortale ſubticere voluntariè in confeſſionali: eia, inquit, etiam hoc committam ſacrilegium. Quare ſub hoc motivo, ſine cordis dolore, ſine emendationis propoſito accedebat confeſſionale: ſimulatè ac fictè pauca quædam exponebat peccata, graviſſima ſcienter reticebat. Sed ecce! hæc ficedula jam perticæ inſederat, jam viſco agglutinata evadere ampliùs difficulter poterat, Confeſſarius, ut erat vir zeloſus, & rerum Sacramentalium experientiâ gnatus, mox adverterat obſtinatam peccatoris malitiam; quare ardenter exhortari de infinitâ DEI Bonitate & Miſericordia, de retributione æternâ, de infernalibus tormentis propter peccata impœnitentium reſervatis, & maximè de ſufficienti gratiæ auxilio omnibus præparato, ad reſurgendum à morte ad vitam. Jam capta erat anima mercatoris: & ut *cognovit* ſuorum delictorum enormitatem, profundè ſuſpirare, amaras profundere lachrymas, contrito corde ingemiſcere. Ergóne, inquit, major ſit meis peccatis Divina Clementia? Liberaliter proinde & in lachrymas, & in peccatorum exomologeſin profuſus, Sacramentalem abſolutionem recepit; ac mox in virum alterum mutatus, rebus ſuis rectè compoſitis Religioſum Ordinem eſt profeſſus, ubi per triennium dignos præſtitit pœnitentiæ fructus. Paulò priùs quàm cum funeſta morte colluctaretur, arreptam Crucem fortiter appreſſit pectori, & inter contritionis lachrymas dixit. Ah! „quàm tædet, & pudet me ſcandaloſæ „meæ vitæ! Exhorreſco de recordatio„ne enormium meorum delictorum, „quæ in malitioſiſſimum tam boni „Numinis contemptum perpetravi: „Veruntamen per immenſam tuam „Clementiam, ô DEUS miſericordiſſi„me, colliqueſcit anima mea: agno„ſco unicè benigniſſima tuæ gratiæ „auxilia, quibus me abjectiſſimum „peccatorem ad veniam, & peccatorũ „meorum remiſſionem ſuſcepiſti: His dictis quievit, & in manus Redemptoris ſuum ſpiritum tradidit. Quàm verè D. Auguſtinus dixit: *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te!*

P. VWenſ. ſuper Jonam. c. 2. lect. 11.

255. Neque omnibus probanda videretur operoſa noſtra probatio, niſi etiam pro ſexu fœmineo adduceretur exemplum; quod quidem propter ſui horrorem omnes poſſet proſternere, niſi exinde intenderẽ proſtratas mentes erigere & conſolari. Rem alibi in vita S. Petri de Alcantara prolixiùs exhibuimus. Fœmina quædam incauto amore faſcinata, cuidam juveni, quoad ſpeciem eximio, uſq; ad celebrandas nuptias, utrinq; promiſſas,

Succuba diaboli mirabili auxilio Dei per S. Petrum Alcant. liberata.

In vita S. Petri de Alcant. vol. 10. parag. 7.

arden-

ardentiſſimo affectu ac deſiderio inſidiabatur. Nec perſcrutabor abyſſum Divinorũ judiciorum, cur omniſcius Deus miſerabilem hanc Sponſam tam impari Sponſo permiſerit jungi; fortè laſciva ipſius, & ad omnem luxuriam proſtituta conſvetudo, tali merebatur impoſtore beari. Solenniſſimo apparatu inſtructæ nuptiæ ad Eccleſiam deducuntur, ibiq; Eccleſiaſtico ritu copulatur fæmina putatitio Sponſo. Ad thorum nuptialem ubi deventum, experitur miſerabilis fæmina, ſe non homini, ſed ſtygio dæmoni nupſiſſe. Et quod deterius erat, poſt primum ſtatim concubitum ipſi infernalis maritus ſub comminatione crudeliſſimi exterminij interdicebat omnem ſacrorum exercitiorum, & quidquid Catholici ritûs eſt, uſuram; inſuper & fictæ ſuæ perſonæ impoſturam manifeſtare, ſub pœnâ vivæ dilacerationis in mille partes ſeveriſſimè prohibebat. Affligebatur ex omni parte fæmina, nec poterat poſt execrabile naufragium invenire evadendi portum: ſubinde in deſperatiſſimo conjugio perſeverare impellebatur à conſveta carnalium turpitudinum neceſſitate: ſubinde à Sacramentali confeſſione, aut requirendo viri Deum timentis conſilio, retrahebat damnoſa erubeſcentia: ſubinde per horrendas imagines, & phantaſticas apparitiones, ad perſeverantiam malitioſam à ſtygio conſorte concitabatur; à quo inſuper indeclinabili mandato jubebatur, ſacrilego ore ſine præviâ exomologeſi de manu Sacerdotis ſacram Hoſtiam accipere, & cautè ad ædes deportare; omni verò conatu & ſollicitudine P. Petri Franciſcani aſpectum & alloquium declinare. Interim ſicut aviculæ connaturali quadam curioſitate allectæ, ad viſcum & decipulas advolant; ita quò ſeveriùs huic fæmellæ erat aſpectu Petri cavere interdictum, eò magis alliciebatur curioſâ quadam devotione ad videndum omnium virum Sanctum, usque adeò omnium linguâ de ſanctitate celeberrimum. In quem finem duabus ſe jungit ſodalibus; ad Religioſum egreditur tuguriolum; & opportunam præſtolatur occaſionem, P. Petrum videndi aut ſalutandi. Agnoverat ſanctus vir in ſpiritu, qua cantilenâ oporteret uti ad *adducendam* hanc deceptam Animulam: quapropter obviam iis progreditur Petrus; venerantur ambæ Sodales Sanctum, more gentis Hiſpanicæ oſculando manicas ejusdem, fugit tertia mali conſcia, quantâ poterat, celeritate ſeſe proripiens.

Aſt legio Æneadum vallis obſeſſa tenetur; Æneid. 10.
NEC SPES VLLA FUGÆ.

Inſequitur citato pede vir ſanctus, dulcè clamat, & advocat: Revertere ſoror mea; quid expaveſcis? veni & audi pauca verba, quæ loquar ad te. O quàm verè ait S. Proſper de ſufficienti gratiæ auxilio omnibus parato! *Hæc opitulatio per innumeros modos, ſive occultos ſive manifeſtos, omnibus* (nemine excepto) *adhibetur: & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitia; & quòd à multis ſuſcipitur, & gratia eſt Divina & voluntatis humanæ.* Non poterat fæmina toties vocata, & humaniter invitata, tandem Petro non deferre honorem, quin pedem ſiſteret, & ad occurrentem ſe converteret. Porrò à reliquis duabus eam paulò ſequeſtrat Sanctus Pater; conſidere jubet, ac ſvaviſſimis eam verbis de Divinâ Bonitate ac Miſericordia conſolatur. Verùm nequidquam eo ſvadente, immota ad reſpondendum verbum vel unicum obmuteſcit fæmina, horrendis conſternata apparitionibus, & à ſuo diabolico conſorte ad proferendum nutum vel unicum minaciſſimè deterrita. Tum vir Sanctus *dulciùs canere*, excitare, & majori inſtantiâ de negotio animæ pertractare, propheticóque ſpiritu ſvaviter improperare diabolicum conſortium, cui ſeſe temerariè addixerat; occaſionem, qua ſeducta fuit; locum, quo turpiter peccavit; facinora, quêis ſeſe in dæmonis mancipium vendidit; dies horásque, quibus in execrandis perennavit ſpurcitijs; imò & occultiſſima ejus peccata, pravas inclinationes, perverſos mores, malitioſa

S. Proſper de vocatione gentium, c. 16.

propoſita, & quidquid in pectore gerebat abſconditum, liberaliter ipſi in faciem manifeſtate. Ex quo tandem immutatum eſt cor obſtinatiſſimæ peccatricis, & ſicut cera liqueſcens in amariſſimas lachrymas diffluxit: corruit proinde ad pedes Petri, paternum ejus auxilium enixiſſimè implorans, ut ex deploraro ſuo interitu, & infernali connubio eam vellet eripere, ac potenter contra crudelem impoſtorem manutenere, non deſtituturum ab inſidijs, quouſque illam vivam in orcum abriperet. Itaque commiſeratione hujus miſerabilis fœminæ commotus Alcantarenſis Sanctus diabolico ſpectro ſe opponit, eique virtute ſuâ ſacerdotali imperat. „[In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, „Patris, Filij & Spiritûs Sancti, tibi, „damnate Spiritus, qui execrandâ „malitiâ tuâ miſertimæ huic, pretioſo „Chriſti ſanguine redemptæ fœminæ „ſcandaloſiſſimum impoſuiſti dolum, „præcipio; ut creaturam iſtam omni„no deſeras, inhumane proce, & in „abyſſo uſque ad extremum Judicij „diem alligatus perſiſtas.] Necdum omnino ſimilia effatus eſt verba Sanctus, tùm cacodæmon mandato obtemperat, diſparet ocyùs, ac creaturam ſummè conſolatam dimittit; quæ reaſſumpto ſpiritu, ſinceriſſimâ exomologeſi Viro Sancto factâ, Deo reconciliatur: rigoroſâ proinde pœnitentiâ per paucos annos ad nutum ſui Patris ſpiritualis protractâ, beato ac felici tandem fine in Domino quievit. Quis hæc quantumuis deſperatus audit, qui ſpe non reviveſcat, & ſeſe reddat diſpoſitum ad ſuſcipiendas Divinæ gratiæ influentias? quarum auxilio efficaciter cooperans, de ſervitute peccati tranſeat ad libertatem æternæ vitæ, de ſocietate diaboli ad participationem Chriſti, de reatu inferni ad hæreditatem cœlorum. Avicula ſemel evadens laqueos, in quos inciderat, *CAUTIOR HINC* efficitur, nec tam facilè ampliùs decipulis ſe committit. Juxta illud: *Percuſſus bello, bella futura timet.*

256. Quidquid in hâc materiâ aſſeritur, difficile videtur, & ſine Fidei principijs, ſcrupulorum ac controverſiarum nexibus implexum. Enim verò, ut cum S. Ambroſio loquar, *ſi DEUS, qui omnipotens dicitur, omnes homines vult ſalvos fieri, cur non impletur ejus voluntas?* Non deeſt ipſi ſalutis potentia; cur ergo tot pereunt? cur non ſua conſert gratiæ auxilia Deus pro eo inſtanti, quo ſcit, hominem cooperaturum? cur non ita ſvaviter noſtram allicit voluntatem, ut ei moraliter non poſſimus oppoſitum operari? *Vult DEUS omnes ſalvos fieri, ſed ſi accedant ad eum: non enim ſic vult, ut nolentes ſalventur, ſed vult illos ſalvari, ſi & ipſi velint.* Reliquit hominem in manu conſilij & libertatis ſuæ, ut pro placito ſuo ſeſe vel ad ignem, vel ad aquam applicet. Sine voluntatis libertate nec Divina eminuiſſet bonitas, nec honeſtas ſtetiſſet virtutibus, nec meritis competijſſet præmium, nec gratiæ ſua dignitas accreviſſet. *Si tollitur voluntas,* inquit S. Proſper, *ubi ipſa eſt verarum origo virtutum? Si tollitur gratia, ubi ipſa eſt bonorum cauſa meritorum.* Quòd ſi verò Divina Gratia & libera voluntas in ordine ad perficiendum meritum ſe inuicem concomitantur, cur Nabuchodonoſor poſt tot ærumnas reſipuit, & ad regni coronam rediit; Pharao autem poſt tot ſigna Ægypto exhibita induratus permanſit? Erant ambo naturâ homines liberæ voluntatis; ambo dignitate reges; ambo conditione Iſraëlis perſecutores; ambo ſupplicio pares. *Quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos?* quærit S. Auguſtinus, *niſi quòd unus DEI manum ſentiens, in recordatione propria iniquitatis ingemuit, alter libero contra miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio.* Cur ex formoſæ fœminæ aſpectu unus exardeſcat concupiſcentiâ, non item alter? cur oblatâ eâdem occaſione unus lucri uſuram faciat, alter abſtineat? cur in eodem convivio unus ad ebrietatem ſe ingurgitet, alter verò ſobrius diſcedat? cur ex duobus in foveam lapſis unus porrectam arripiat manum & evadat, alter abſtineat adhibere manum & pereat? Nempe vult

Libertas ad ſalutem omnibus adultis competit.

S. Proſper l. 1. de vocatione gentium.

S. Auguſtin. de praedeſt. & gratia, c. 15.

vult Deus *illos ſalvari, ſi & ipſi velint. Perditio tua Iſraël,* ait per Oſeam Deus; *in me tantummodò auxilium tuum*: à te tua captivitas, à me redemptio; à te interitus, à me ſalus; à te mors, à me vita; à te exilium, à me patria; à te damnatio, à me vocatio; à te miſeria, à me beatitudo; à te infernus, à me cœlum; à te deſperatio, à me erectio; à te omne malum, à me omne bonum. Vt meritò addat mellifluus Bernardus: *Rectè DEVS non Pater judiciorum vel ultionum dicitur, ſed Pater miſericordiarum; eò quòd miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio, judicandi vel ulciſcendi magis ex noſtro.*

(*Oſee.13. v.9.* — *S. Bernardus ſerm. 8. in Natal. Domini.*)

Quæ cùm ita ſint, & immortales animæ ut avicula ad libertatem procreatæ vivant, Auditores ornatiſſimi, quis veſtrûm non ſatagat audire vocem allicientis cœleſtis Aucupis, & viſco Divinæ gratiæ agglutinari? ut attactus, & captus dulciſſimâ invitatione, infernalibus eripiatur inſidijs, & cœleſti Aviario inſeratur.

Amen.

DOMINICA III. POST PASCHA.

TURDUS DELICIOSVS.

Der freydige Müſtler oder Krammetvogel.

LEMMA:

- - - *Expectant retia Turdos.* Mart. lib. II.

THEMA.

Mundus autem gaudebit. Ioan. 16. v. 20.

SYNOPSIS CONCIONIS XXVIII.

Gaudiorum illecebras parat Mundus, quas ubi Filij hujus ſæculi hauſerint, malum inde ſibi viſcoſum procreant, quo capiantur, decipiantur & pereant.

257. Quis unquam credidiſſet, hunc Mundum tranſitorium tam eximium agere in aucupandi arte magiſtrum? In omni genere aucupandi verſatus, & verſutus eſt Mundus. Funes extendit in laqueum; pro illecebris voluptates exponit: viſcum parat inextricabilem. Venit interim ex maritimis oris Turdus; quærit illecebras, & quidem benè maturas, grana ſcilicet Juniperi: luſtrat hilariter receſſus fruticum; ſalit, canit, garrit, confidet, evolat: & *qui non niſi ternis Servatos annis conterit ore cibos*, periculi ſibi ſecurus viſus, ubi minimè ſuſpicatur, in viſcum aut laqueos incidit, & collo ſuſpenſus aut pede captus, ſtolidè perit; aut certè, ubi *rara vagos expectant retia turdos*, in aucupis inſidioſam dilabitur manum. Non ſit

(*Gaudium mundi laquei, viſcus, ſtercus.*)

vobis rarum aut inauditum Mundi Aucupium, Auditores: nam D. Ambroſius, ut animarum inſipientiam declaret, quæ Turdis ſtolidiores, Mundi delicijs dum fruuntur, malum ſibi viſcoſum excreant, quo capiantur; ad

S. Ambroſius de bono mort. c. 5.

„hanc ſimilitudinem divertit. [Avis, „inquit, quæ deſcendit ex alto, vel „quæ in altum ſe extollere non poteſt, „frequenter aut laqueis capitur, aut „viſco fallitur, aut quibuſcunque ir„retitur inſidijs: ſic quoque & anima „noſtra. *Laqueus in auro, viſcus in ar„gento, nexus in prædio, clavus eſt in „amore. Dum aurum petimus, ſtrangu„lamur: dum argentum quærimus, in viſco „ejus hæremus: dum prædium invadimus, „alligamur.*]

S. Auguſtin. Soliloq. c. 12.

D. Auguſtinus cum magna olim anxietate ad Dominum exclamabat in ſoliloquijs: *Ecce Domine DEVS meus, mundus totus plenus eſt concupiſcentiarum laqueis, quos paraverunt pedibus meis. Et quis effugiet hos laqueos?* Et ut paulisper horum retium inducere laqueorumvè multitudinem, in ſe-

Soliloq. c. 16.

„quentibus explicat. [Tetendit ante „pedes noſtros laqueos infinitos, ad „capiendas animas noſtras. Laqueos „poſuit in divitijs, laqueos in pauper„tate: laqueos tetendit in cibo, in po„tu, in voluptate, in ſomno & in vi„gilia: laqueos poſuit in verbo & in „opere, & in omni via noſtra.] Et tamen non eſt ſtultior ac ſtolidior avis Turdo; nam ex ipſius fatuitate Proverbium oritur: *Turdus ſibi malum excreat.* Quia nempe viſcum non provenit niſi maturatū in ventre, ac redditum ſeu excreatum per alvum Turdorum; & quia viſco capiuntur Turdi, dicuntur ſibimet exitij cauſam excreare. *Mundus autem gaudebit.* Mundus ponit deliciarum & gaudiorum illecebras, quas ubi animæ deceptæ hauſerint, malum inde ſibi viſcoſum procreant, quo capiantur, decipiantur, pereant. Itaque hodie cum D.

Philip. 3. v. 8.

Paulo omnia mundi gaudia reputabo tanquam *ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam*, & Chriſto animas viſcoſis hiſce illecebris agglutinatas exſolvam. Audi hæc Munde immunde, ut proprio malo diſcas innatum tibi malum reſcindere, in nomine Domini.

Paratæ ubique latent & patent 258.
Mundi illecebræ; quiſquis Turdus es, cave, ne abſurdus evadas, & hiſce eſcis ineſcatus tibimetipſi malum parturias.

Mundi immundi illecebræ.

Si ignoras; mundi illecebræ juxta D. Joannis ſententiam ſunt *concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.*

1. Joan. 2. v. 16.

In his tam ſuaviter conditis, tam ſpecioſè propoſitis, tam ornatè coloratis, tam delicioſè guſtatis, *mundus gaudebit.* Mundus ſeu homines Mundani, conformantes ſe huic ſæculo nequam; qui gaudia & voluptates ſemper, & in omnibus conſectantur: quêis Apoſtolus ad Epheſios improperat: *Ambulaſtis ſecundùm ſæculum Mundi hujus, facientes voluntatem carnis & cogitationum.*

Epheſ. 2. v. 2.

Hæc eſt vita, hoc gaudium Mundi, ſuam facere voluntatem, deſideria carnis perficere, carnis curam facere in deſiderijs, ambulare ſecundùm carnem, ſenſualitati brutali tributarium ſe reddere, in æmulatione & contentione honores quærere, in commeſſationibus & ebrietatibus ventrem colere, genio indulgere, in cubilibus & impudicitijs libidinem explere. Hæc ſunt mundi illecebræ, hæc ejus gaudia. In his puppim & proram ſuæ felicitatis ponit. Perfida & doloſa hæc ſunt gaudia Mundi, & non niſi *ad decipiendas animas*, tanquam illecebræ, ſub retibus poſita. *O munde immunde*, exclamat D. Auguſtinus, *in te habitare & non dolere, eſt impoſſibile! O munde proditor! væ, qui tibi credit! beatus, qui tibi reſiſtit! beatior, qui à te illæſus recedit!*

S. Auguſtin. ad Frat. in Eremo. ſerm 11.

Illecebræ mundi promittunt ſecuritatem, & dant timorem; ſatietatem, & dant eſuriem; ſtabilitatem, & dant ſubitam defectionem; libertatem, & dant captivitatem. Hiſce mundi illecebris poſtquàm omnem adhibuit conatum, non ruſticus ex agro, nec agricola ex tuguriolo, nec miles ex diverſorio, nec plebeius è trivio, nec bubulcus ex hara, ſed Imperator ex Aula, M. Aurelius; poſtquàm is omnes mundi voluptates non primarijs tantùm labris deguſtâſſet, ſed in eas ſe totum ingurgitâſſet; quale ſibi exinde creârit malum, agnovit moriens,

„riens, dum dixit. [O munde, ut nihil aliud es, quàm mundus! Annus „hic eſt quinquageſimus ſecundus, ex „quo naſcentem me accepiſti: quo „toto tempore, ne ſemel quidem ex te „veritatem audivi, & in decies mille „mendacijs te deprehendi: nunquam „à te quidquam petij, quin promiſe„ris: nunquam mihi promiſiſti, quin „fefelleris: nunquam tecum comercij „quidquam habui, quin deceptus ſim; „nunquam ſocietatem tecum inij, „quin perierim: denique nihil unquã „in te, cur amandus eſſes, vidi; & quid„quid in te videbã, dignũ erat odio.]

259. Concupiſcentia carnis fœda ut ſtercus.

Non ſtatui de mundi vanitate lubricâ, non de ejus doloſâ perfidiâ, non de pernici ſabilitate dicere, ſed de mundi illecebris; quæ cum ſint excrementis aut ſtercoribus ſimilia, abſurda ſunt mala, quæ ſibi Turdus excreat, ut ijs decipiatur & pereat. Non erit abſurda aut immunda mea otario, tametſi dicendi copia quidpiam averſionis promereatur. *Concupiſcentia carnis* illecebra mundi eſt, ſed plena putoris, plena confuſionis & abſurditatis. Vpupæ volucri maximè res eſt cum ſtercore, quam Iſidorus putat humano ſtercore paſci: certè in humanis excrementis nidum ſtruere, nec Ariſtoteli, nec Æliano eſt dubium. Vnde hæc avis optimè refert voluptuoſos illos homines, qui impudico mulierum amore alliciuntur, ut ſub retiacula mundi mancipati concidãt. Vpupæ ſunt, qui iſtis paſcuntur ſtercoribus & delicijs meſcantur, ut ſibi malum, viſcum inquam miſerabilis captivitatis ingenerent. Nempe *qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora, Thren. 4. v. 3.* Ad quem conceptum elucidandum illuſtris D. Prophetæ Zachariæ locus conducit, quo duarum à ſe viſarum mulierũ deſcribit conditionem: *Ecce, inquit, duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum,* hoc eſt, dæmon. D. Hieron. interpretatur, *& habebant alas milui.* Septuaginta legunt, *habebant alas ſicut alas upupæ.* Quam lectionem cùm retuliſſet Hieronymus, ait, ex hoc denotari Judam & Jeruſalem, quæ per has mulieres deſignantur, traditas captivitati, propter

Ariſtot. 9. hiſt. animali. c. 15. Ælianus 6. hiſt. animal. c. 4.

Zach. 5. v. 9.

putentia libidinis peccata: ut mirum non ſit, ſi utraq; natio ab hoſtibus fuerit in direptionem data, & à gentibus velut ſtercus in vijs conculcata. Quemadmodũ Eccleſiaſticus ſcitè ait: *Omnis mulier fornicaria, quaſi ſtercus in via, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur.* Janſenius hunc ſenſũ interpretatur eſſe verborum: mulierẽ ſcilicet fornicariam adeò vilem eſſe, ut non plùs debeat æſtimari quã ſtercus; & ſicut tranſeuntium pedibus conculcatur, ſic conculcari debere ab omnibus fornicariam, & nihili fieri. Hinc quia meretrix paſſim omnibus ſe proſtituit, & quaſi ſtercus calcandum ſe permittit, honeſti omnes eam deſpiciunt ob vilitatẽ, horrent ob animæ ac corporis fœtorem, abominantur ob fœditatem utriusq;. Deniq; meretrix eſt cloaca ſordium & ſtercorum, & ſepulchrum concupiſcentiarum. Hinc D. Chryſoſtomus ait: *Fornicator nunquam eſt in ſeipſo, ſed in ſepulchris verſatur: ſepulchra ſunt meretricum diverſoria, cum multo fœtore, multâ putredine ſint repleta.* Et Plinius aliam de Panthera adducit ſimilitudinem. Panthera ſic, ait, avida eſt excrementorum hominis, ut, ſi in vaſe ſuſpendantur altiùs, quàm ut poſſit attingere, enecet ſeſe defatigata porrectu corporis: *ita nonnullis, quod fœdiſſimum, id dulciſſimum eſt,* ijs præſertim, qui in cubilibus & impudicitijs cæteriſq; carnis deſiderijs ambulant.

Eccleſ. 9. 10.

S. Chryſoſt. hom 19. ad Popul.

Plinius l. 8. c. 27. & 27.

Neque ſolùm ita vile illud ſtercus exiſtit, ſed nocivum etiam atque mortiferum. Indica quædam eſt avicula, cui Indi nomen impoſuerunt Dicæron. Ea in altiſſimis rupibus nidificat, eſtque tali magnitudine, qua perdicis ovum: tradunt, ſi quis ex ejus ſtercore tantum ſumat, quanta ſit milij magnitudo, ſolutum in poculo, eum mori ad veſperam, mortẽmq; ſimilem videri ſuaviſſimo ſomno, omnis moleſtiæ vacuo. Vultis ſcire, quid moris exinde liceat deduci? *Omnis voluptas, quæ nec ex DEO, nec in DEO ſuſcipitur, voluptatis excrementum eſt,* ait caſtiſſimus Nicetas. Et hoc excrementũ homini voluptatib⁹ faſcinato mortẽ affert, ſomno ſimillimam: ut illud Jeremiæ talib⁹ poſſit rectè applicari; *inebria-*

260. Voluptas excrementum eſt mortiferum.

Ælianus hiſt. l. 4. c. 46.

Nicetas annot. 106.

Ierem. 51. v. 39.

bo eos, ut ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum. Alij ex Hebræo vertunt, *ut exultent & dormiant*: exultando enim ſomnum dormiunt ſempiternum. Jam quis non videt, filios hujus ſæculi, voluptatibus inhiantes, Turdorum more ſibi excreare mortem, malorũ peſſimã? Quid enim ſunt voluptates niſi dolorum, damnorum & mortis Dicæri. Dicit hic Laurentius Juſtinianus: *Illos igitur ſolos, qui ignorant DEUM, & futura non prævident, decipit mundus: aureo enim eos inebriat calice, varijs donis, pollicitationibus deludens, ad ſempiternum trahit exitium.* Et S. Petrus Damiani ad præſens inſtitutum, aggravat lapſum Lothi; *Pudoris munditiam vinum in ſolitudine unâ nocte ſuaſit amittere, quem inter tot adulteros ipſa non potuit Sodoma violare.*

Laur. Iuſtin. in faſcic. div. amoru. c. 11.

S. Petrus Damian. de Loth.

Quisquis vel parum guſtaverit melliti ſtercoris, mortem animæ ſibi adſciſcit, ſomno ſimillimam. Ex voluptate, velut ex equo Trojano, velut ex pixide Pandoræ, effunditur acies malorum, partim corpus, partim animum infeſtantium; expectatio anxia, uſus infamis, extrema feralia, inquieta conſcientia, mentis perturbatio, ſupernorum jactura bonorum, tragica omnia. Sed verò huic exitiali malo remedium eſt ipſamet Avis Dicæron, edentibus jucundiſſima, & inter Regum theſauros reputata: ſi nempe deplumetur, & ſapidè condita comedatur. Ita nimirum huic malo cavetur optimè mortis conſideratione; ſi quis enim animo verſet, qualis futura ſit illa ipſa mulier, quam modò turpiter deperit, absque plumis illis & ornatibus, quibus comitur, mente reputans, & ore verſans, quòd in cineres & putredines citiùs ibit; deſpiciet illicò voluptatis illecebras, aut hauſtum ſtercore venenum non ſentiet: indignabitur grunnire ut porcus, ululare ut lupus, & cadaveribus paſci ut vultur. Bene etenim D. Gregorius ait: *Nihil ſic ad edomandum deſiderium carnalium appetituum valet, quàm ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale ſit mortuum, penſet.* Denique ſi ſpretâ corporis aſperitate, cupiiâ hic fruaris voluptate, téque totum immergas cœno, per tuum malum proſcriberis cœlo, & capieris inferno.

S. Gregorius 16. moral. c. 31.

Mundus autem gaudebit, pro illecebris, obijciendo *concupiſcentiam oculorum*; hoc eſt, divitias, aurum, argentum, gemmas, prædia, opes, res curioſas & pretioſas, quas concupiſcit avarus, ut exinde more Turdi ſibi malum excreet. Hæc autem dicuntur *irritamenta oculorum*, utpotè quòd oculos duntaxat paſcendo proſint, & per oculos phantaſiam ac mentem irritent. *Oculi*, ait S. Auguſtinus, *membra carnis ſunt, feneſtræ ſunt mentis; interior eſt, qui per eas videt.* Avarus enim recondit opes in arca; nec alium exinde concipit uſum vel fructum, quàm quòd ſubinde eas oculis poſſit luſtrare, & cum voluptate intueri. Vt quid oculos à naturâ homini ſublimè poſitos ad intuendum cœlum, ad videndum DEUM, avertimus ab aſpectibus æternorum, & convertimus ad terrena, ad luta, fimos, ſtercora? Seniorem Tobiam legimus hirundinum ſtercoribus excæcatum; *Contigit*, ait hiſtoria, *ut ex nido hirundinum calida ſtercora inciderent ſuper oculos ejus, fierétque cæcus.* Et ſic excæcantur avari terrenorum concupiſcentiâ, ipſorum animis illabentium. Quid enim ſunt terrena omnia, niſi quædam hirundinum excrementa? Et iſta excæcant mentis oculum, ne videat DEUM. Conſiderare hìc juvat hirundinum architectonicã œconomiã. Primo vere nidificant, lutum & paleas ingenti labore congregando, & ſollicitâ induſtriâ agglutinando. Tantus eſt earum in hoc opere apparatus, tanta ſollicitudo, ac ſi novam exſtruerent Romã, ut ibi per omnia ſæcula ſæculorum habitarent. Et ecce! ubi pauci elapſi ſunt menſes, appropinquante autumno neceſſe eſt in regionem longinquam transmigrare, ac omnia relinquere, quæ hìc parata ſunt & congregata. Magnæ hoc imputat ingratitudini non nemo Poëtarum, quando hirundinum opus irritum & inconſtans, atque ad omnẽ mutabilitatem delibutum conſiderat.

261. Concupiſcentia oculorum in divitijs conſiſtit, ſtercori aſſimilatâ.

S. Auguſtin. in Pſal. 41.

Tobias 2. 11.

Paulin. Marc. in Epiſt. 25. *Vere novo nidum tectis affigit hirundo;*
Hìc parit, hìc pullos nutrit & ipſa ſuos.
Mox abit, adducitque illos trans æquora ponti,
Inque ſalutatis avolat hoſpitibus.
Ingratum talem eſſe putes: opis indigus hæret,
Immemor accepti terga dat officij.

Jacob. de Vitr. Dom. 4. Adv. Verùm Jacobus de Vitriaco Cardinalis utiliori conceptu hanc hirundinum peregrinationem ad viros Sanctos, & Religioſos deducit; quos utinam viſcoſi filij hujus ſæculi imitentur: *Hirundo*, ait, *LAPSURA culmina DESERIT; & Sancti præſentis ſæculi ruinam fugiunt, ne eum ruepte opprimantur & ruant.*

Cæterùm de hirundinibus nihil apparet ampliùs, niſi nidus ex luto ac paleis compoſitus, & ſtercora paſſim relicta. Et nidus quidem aut à pueris pertieâ deturbatur, aut à paſſeribus occupatur: ſtercora verò pedibus conculcantur, aut indignabundo ſtudio ac ſcopis exturbantur. Id ipſum contingit avaris per obitum decedentibus: præterquam quòd eorum ſtercora, id eſt, bona temporalia ab eis derelicta, non conculcentur; ſed ab hæredibus avidè congregentur, & non ſub pedibus per contemptum, ſed per æſtimationem magnam ſuper capita collocentur. Hirundo autem relictis hic omnibus, quæ tantâ cum anxietate congregaverat, in regionem longinquam, in domum abit æternitatis, ad ſuum non reverſura ſterquilinium: Pſal. 48. v. 18. *Quoniam*, ſicut Pſaltes ait, *dives cùm interierit, non ſumet omnia.* Omnia non ſumet, hoc eſt, nihil: domus ejus, palatia (veri hirundinum nidi) inhabitabuntur ab aliis, poſt tempus breve ſimiliter migraturis.

262. Divitiarum vilitas agitatur. Thren. 4. v. 5. Ita nempe lamentantis Jeremiæ Threnodia: *Qui veſcebantur voluptuoſè*, divites ſcilicet & nobiles delicatè enutriti, *interierunt in vijs* ſuarum vanitatum: & *qui nutriebantur in croceis*, accumbentes in faſcijs & veſtibus ſericis, *amplexati ſunt ſtercora*: tandémq; omnes viri divitiarum nihil invenerunt in manibus ſuis, niſi excrementa naturæ aut beſtiarum; & prout Tertullianus ſcitè appellat, *minitalia terræ*. Quàm abjecta & vilia autem hæc ſint, acutâ exagitatione D. „Chryſoſtomus expendit. [Candore S.Chryſoſtom. hom. 17. in 1. Timoth. „lucentis margaritæ attraheris: co„gita, maris eſſe aquam, & in ejus ſi„nibus antè jacuiſſe dejectam. Ra„pit animum auri fulgor, & nitor ar„genti: cogita, terram ac cinerem „& fuiſſe priùs, & modò eſſe. Placet „pretioſa & ſerica veſtis: at vermium „ille contextus eſt, opinio eſt, & hu„mana præſumptio, nihil habet in „ſe naturalis pulchritudinis. Nam quæ „ſunt per naturam pulchra, admoni„tore opus non habent. At tu ſi vi„deas æreum nummum inauratum, „admiratione primùm fulvi metal„li raperis, aurúmque appellas: ubi „verò peritiores quique in hujusmo„di, te erroris admonuerint, & mira„culum unà & error abijt. Non hu„jusmodi profectò ſunt flores, ſed „illis longè præſtant. Roſã enim aſpi„ciens, abſque doctore per teipſum, „odorem, ſpeciémque diſcernis: ita & „lilia & violas, & flores reliquos.] Hoc audacius dictum videri poſſet, niſi ipſorum agri liliorum ſpecioſitatem, omni Salomonis gloriæ eíque ſplendori, cui orbis terrarum vix parem vidit, antepoſitam, quamvis neque auri neque argenti ſpecies in eo apparatu deſideraretur, noſſemus Chriſtiani. Luc. 12. Sola igitur hominum opinio terrenis iſtis divitijs pretium facit. Idem argumentum contra divitiarum vilitatem urget S. Baſilius in quadam Homilia, S.Baſilius hom. 7. quæ eſt in divites avaros: tandémque concludit ſeriâ exclamatione. *Quouſque igitur opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati eſca?*

Verè enim opes inſtrumenta & occaſiones ſunt malorum omnium: illecebræ ſunt, quêis hujus ſæculi filij capiantur, ut exinde viſcoſa malorum omnium ſcaturigo ijs enaſcatur. 263. Divitiæ malorum omnium occaſio. Virtutum exercitatio plerumque, ac magnâ ex parte, tametſi non ipſarum vitio, ſed noſtro, ab eis intercluditur. „[Res eſt inquieta, ait Seneca, felici- Senec. ep. 10. „tas; ipſa ſe exagitat, movet cerebrum,

„non uno genere. Alios in aliud irritat: „hos in potentiam, illos in luxuriam; „hos inflat, illos mollit & totos reſol- „vit. At bene aliquis illam fert, ſic „quomodo vinum.] Divites enim velut ebrij ad omne malum prono lapſu facilitantur: quid dico, facilitantur? Impedimentis plurimis ſunt implicati, & catenati; imò quaſi compediti ſerviunt ad nutum Dominæ Cupiditati, quæ illos inextricabilibus retibus irretivit: nec poſſunt in cœlum reſpicere, quoniam mens eorum in terram prona, humique defixa eſt. Virtutis autem via, non capit magna portantes onera. Anguſtus admodum trames eſt, per quem juſtitia hominem deducit in cœlum. Hunc tenere non poteſt, niſi qui fuerit terrenis iſtis impedimentis nudus, expeditus inquinamentis. Nec jam partæ duntaxat opes *irritamenta* ſunt *malorum*, ſed etiam cùm parantur. Quo ex capite eas pernicioſas & vitioſas dixit Eucherius, quòd raro niſi cum injuſtitiâ congerantur: *Adeò quadam ſocietas eſt penè etiam nominis, duabus in rebus, vitijs & divitijs.* Et quia opes materia ſunt contumeliarum, non earum tantùm, quas plerunque divites ſubeunt, ſed earum quoque, quas inferunt; laudat Euchetius Sanctorum Eccleſiæ Chriſtianæ Patrum quendam, ex quo hæc refert: *Quid aliud ſunt divitiæ, niſi pignora injuriæ?* Nimirum juxta Philoſophum à S. Hieronymo approbatum, *omnis dives aut iniquus, aut iniqui hæres eſt.* Quod dijudicandum Jamblicho objeciſſe Alipium aiunt, nec tamen ab illo fuiſſe ſententiam datam. Sed verò longè uberiùs rem proſequitur Iſidorus Peluſiota, diſputans cum quodam Ethnico Caſio Scholaſtico, qui multa in divitiarũ comendationem congeſſerat, adducens pro ſe authoritatẽ Demoſthenis, affirmantis nihil ſine opibus eorum, quę in rem ſunt, fieri poſſe. Econtra Peluſiota pro ſe ſapientiſſimos Ethnicorum, utpote Iſocratem, Ariſtidem, Epaminondam, Cratetem, Phocionẽ, Platonem, Lycurgum allegat; qui omnes affirmant, divitias potiùs eſſe vitij, quã virtutis adminiſtras. Addit; etiam veterem conſvetudinẽ, quaſi publicæ vocis, divitias condemnantis, ſuffragiũ: apud Veteres enim in more poſitum fuiſſe refert, ut poſt convivium lyram caperent, illúdq; canerent; *O divitiæ, utinam nec in terra videamini, nec in mari!* Nempe quòd intelligerent, omnia ab eis derivari verorum malorum genera; & bona, quæ verè bona ſunt, ijs impediri. Congeſtis autem hujusmodi Sapientum teſtimonijs & exemplis, ſic inſuper ratiocinatur Peluſiota. [At ſi omiſſis calculis „ſapientum, ipſam rei naturam ex- „pendere oportet, nullum in humanâ „vitâ ſcelus reperietur, quod non ob „pecuniarũ amorem perpetretur. Ob „eas odia, & pugnæ, & bella. Ob eas „cædes, & latrocinia, & calumniæ. Ob „eas non urbes duntaxat, ſed etiã ſoli- „tudines; non ſolùm cultæ & habita- „tæ, ſed etiam incultæ ac deſertæ ter- „ræ, cruore ac cœdibus redolent. Ac „ne à mari quidem hoc malum abſti- „nuit; verùm illic quoq; cum ingen- „ti furore graſſatur, prædonibus illud „obſidentibus, ac novum quendam „latrocinij modum excogitantibus. „Ob eas & cognationis, & neceſſitudi- „nis leges everſæ ſunt; & naturæ ſan- „ctiones convulſæ, adeóque ſepulturæ „jura labefacta. Hic enim improbus „ac ſceleſtus amor, non adversùs vi- „vos duntaxat, ſed etiam adversùs eos, „qui mortem obierunt, furum ſepul- „chra effodientium manus armavit: „quippe quæ ne eum quidẽ, qui ex hac „vitâ exceſſit, ab his inſidijs ſuis libe- „rum atq; immunem eſſe patiantur. „Ac denique quæcunque mala quis- „piam invenire queat, ſive in con- „cilijs, ſive in judicijs, ſive in domibus, „ſive in urbibus, ex hac radice ea „pullulare conſpiciet. Verùm quid „laboro? omnes enim hujus morbi „malignitates, ne ſi omnes quidem „mortales in unum cojerint, expli- „care poſſunt.] *Quouſque igitur opes erunt animarum laquens, mortis hamus, peccati eſca?*

Eucherius in Paraneſ. ad Valer.

S. Hieronym. in Pſal. 8e. & q. 1. ad Hedibiam.

Iſidorus Peluſ. lib. 2. Epiſt. q. 146.

264\. Vos verò Auditores, ab hujusmodi hirundinum ſtercoribus, quæ *excæcant oculos ſapientum*, ab avaritiæ, inquam, affectu cavete. Quòd ſi verò in cujusquam oculos hujusmodi ſtercora ceciderint,

Contra cæcitatem avaritiæ opportunum remedium.

derint, ſuggerit vobis Sacra Scriptura remedium, ut cæcitas illa concupiſcentiæ tolli poſſit,& oculus reparari. Cùm junior Tobias piſcem apprehendiſſet,& è Tigris fluvio in ſiccum traxiſſet, jubet illi Raphaël Angelus:
Tob. 6. v. 5. *Exentera hunc piſcem, & cor ejus, & fel, & jecur repone tibi: ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta utiliter.* Aperienda ſcilicet ſunt viſcera, & reponendum cor à felle ac jecore. Exenteranda, & aperienda ſunt viſcera pauperi; non claudenda in neceſſitatibus, ut charitas DEI in nobis maneat. Tum demũ divitiæ noſtræ fiunt, cùm dantur pauperibus: ſic enim argumen-
S. Chryſoſt. ſuper Luca c. 16. con. 3. „tatur D. Chryſoſtomus. [Quemadmodũ receptor quiſquam, qui regias „pecunias accepit, ſi neglexerit his, „quibus juſſus eſt diſtribuere, inq; pro„prias conſũpſerit delicias, pœnas dat „ac perditur: ita ſanè & dives receptor „quiſpiam eſt pecuniarum, quæ pau„peribus diſtribui debebunt. Itaque „cùm in mandatis habeat, eas diſtri„buere ſuis conſeruis egentibus, ſi „quid ampliùs, quàm poſtulet neceſſi„tas, in ſeipsũ inſumpſerit, graviſſimas „illic daturus eſt pœnas. Non enim „ſunt ipſius quæ poſſidet, ſed conſer„vorum illius. Parcamus igitur ijs, tan„quam alienis, ut fiant noſtra.] Deinde ſeparandum eſt cor; nam Pſaltis regij
Pſal. 61. v. 11. monitum urget: *Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere: Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*, ad hæc voluptatum organa, ad inertes umbras, ad citò vaneſcentes fumos, ad aridos fœni flores, ad adjutrices corruptionis, continentiæ hoſtes, temperantiæ inimicas, omnis mali fomenta ac radices. Fel inſuper reponendum & jecur, cogitando amaritudinem, quæ in divitijs invenitur, requirentibus laborem in acquirendo, timorem in poſſidendo, dolorem in amittendo. Quæ ſi quis reponat in memoriæ ſacculo, ea diligenter & ſæpiùs expendendo,
265. non ambiet divitias temporales, ac mentis recipiet illuminationem.

Cordis ardor cavendus, ne divitijs exurtur.

Ad cor redeo, de quo præcepit Angelus Tobiæ: *Cordis ejus particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* Oportet clavũ Tob. 6. v. 8.
clavo pellere, malum bono. Non eſt divitijs cor apponendum, quia ſunt ſicut flamma combùrens: & juxta D. S. Auguſtin. ſerm. 85. de Temp.
Auguſtinum, *Contemnenda eſt avaritia, quæ velut ignis, quantò plùs acceperit, tantò ampliùs quærit.* Avarus ſimilis eſt avibus illis, quibus ſub alis ignis apponitur, ut cùm ad nidum venerint, illum ſuccendant & totam domum, in qua nidificant. Rem notabilem de Fridlevi avibus refert Olaus. Fridlevus, inquit, Olaus lib. 3. c. 19.
dum Duſlinum Hiberniæ oppidum obſideret, murorúmque firmitate expugnationis facultatẽ negari conſpiceret, hirundinum alis incluſum fungis ignem affigi præcepit; quibus propriâ nidificatione receptis, ſubitò flammis tecta luxerunt: quas Oppidanis reſtinguere concurrentibus, majorémq; ſopiendi ignis, quàm cavendi hoſtis curam præſtantibus, Duſlino potitur. Pergit Olaus ſimilem referre Olaus ibidem c. 20.
experientiam. Hadingus Danorum Rex Handuanum Helleſponti regem, apud Duanam urbem invictis murorum præſidijs vallatum, mœnibúſque novatis reſiſtentem, bello pertentat: quorum faſtiglo oppugnationis aditum prohibente, diverſi generis aves, loci illius domicilijs aſſvetas, per aucupij peritos prehendi juſſit, earúmque pennis accenſos igne fungos ſuffigi curavit: quæ propria nidorum hoſpitia repetentes, urbem incendio compleverunt: cujus extinguendi gratiâ concurrentibus oppidanis, vacuas defenſoribus portas reliquerunt. Adorſus itaque Handuanum cœpit, eíq; redemptionis nomine corpus ſuũ auro rependendi poteſtatẽ fecit. Cúmq; hoſtem tollere liceret, ſpiritu donare maluit: adeò ſævitiam clementiâ temperabat. Attamen quotieſcunque poſtea obſidio aliqua imminebat, regio edicto omnes domeſticæ aves necabantur. Si in cordis ſinu ignẽ avaritiæ recipiatis, de ſalute actum erit. Excute ignem nimiæ cupiditatis, alioquin domum tuam, familiàm, viciniã, & ſæpè urbem totàm ac Provinciam, flammis diſcordiæ & contentionis ſuccendes: animam verò tuam ita hic ignis de-

Superbia omnis mali cauſa.

ſit ſuperbia; ubi tot Sanctorum Patrum ſuppetunt ſententiæ, tot Sacræ Scripturæ argumenta, prolixior eſſem, quàm veſtra in auſcultando Patientia poſſet ſuſtinere, ſi conſvetâ methodo ex cœnosâ hâc materiâ pedem ſuperbiæ omnino vellem extrahere ad emendandum. Quàm infeſta & pernicioſa hominibus ſit ſuperbia, duo omnium Doctorum nobis exponant oracula. Hildebertus eorum primus Cenomanenſis Epiſcopus. [Suſpecta, inquit, DEO ſuperbia „eſt; nec fieri poteſt, ut eum eo in „gratiam revertatur. Diverſum eſt „utrique hoſpitium, nec in eodem „cohabitant animo, quibus cohabi„tare non licuit in cœlo. In cœlo ni„mirum nata eſt ſuperbia: ſed velut „immemor, qua inde via ceciderit, „illuc ultrò redire non invenit, nec „novit. Ea de ſupernis corruens, & „parentans in terris, omnibus ſuis „apud inferos æternam pepigit man„ſionem. Ipſa ex puriſſimis & ſimpli„ciſſimis orta ſubſtantijs, puros ad„huc animos inquietat: auſa victo„riam ſperare de homine, quæ de „Angelo triumphavit.] Sed verò malum, quod ſibi Turdus excreat in ſuperbia & abuſione, luculentiùs explicat Divus Bernardus, eloquentiâ mellifluus, & humilitate fœcundus: cujus ſententiâ ſuperbiæ ſtercus, eſt [ſubtile malum, ſecretum „virus, peſtis occulta, doli opifex, „mater hypocriſis, livoris parens, vi„tiorum origo, criminum fomes, vir„tutum ærugo, tinea ſanctitatis, ex„cæcatrix cordium, ex remedijs mor„bos creans, generans ex medicina „languorem.] Tantæ ſunt in mundi illecebris congeſtæ, ac concluſæ fallaciæ.

Hildebertus Ep. 26.

S. Bernardus ſerm. 6 in Pſal. qui habitat.

Tandem ut finem imponam huic illecebroſo mundi aucupio: cùm omnia mundi gaudia, quibus inſipientium animæ tam ſtolidè capiuntur, vel in carnis concupiſcentiâ ſordeſcant turpiter, vel in divitijs hirundineâ malignitate excæcent oculos, vel in vitæ ſuperbiâ intolerabilē ſicut Aura emittant fœtorem; atque inſuper malorum omnium viſcum, & bonorum perditorum fiſcum duplici iniquitatis titulò impingant: nolite, Auditores dilectiſſimi, hiſce illecebris faſcinari; nolite conformari huic ſæculo nequam; *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Amen.

1. Ioan. 2. v. 15.

POST PASCHA.

GRUES MIGRANTES.

Die wanderfertige Kranich.

LEMMA.

Strymoniæ dant ſigna Grues. Virg. I. Georg.

THEMA.

Vado ad eum, qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? Ioan. 16. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS XXIX.

Peregrinatio eſt vita noſtra, ab exilio ad Patriam migrandum eſt; ſed qua viâ, quo ordine, quo duce, ad quem terminum, qua colluctatione? Omnium optimè Gruum Politica nos informat.

268. Gruum prudentia in migrando, vitæ noſtræ ſymbolum.

ENcomio, quod multi in Curiâ educati, multi in agendis rebus practicati, multi in Academijs verſati non promeruerunt, à Peripateticorum Principe inſigniuntur grues Migrãtes; quòd multa in ijs vigeat Prudentia: *Grues*, air, *multa prudenter faciunt; loca enim longinqua petunt.* Et ſi experiri velitis, in quibus earum obſervetur prudentia? Grues præcipuè politicum regnum ſervant, in periculis cautæ, extrà ſidenres: nam cùm ab Ægypto in Europam evolant, duces nõn adhibenr; at cùm hinc in Ægyptum redeunt, ubi hoſtes adeſſe ſibi nôrunt, & duces & exploratores adhibent. Sunt enim Politicæ gnaræ. Ariſtoteles autem de ipſarum ſoliditate unanimi ſic ſcribit. *Grues ex Scythicis campis ad paludes Ægypto ſuperiores, unde Nilus profluit, veniunt; quo loco pugnare cum Pygmæis dicuntur.* Neque hoc eſt fabula, quod plures Naturaliſtæ affirmant. Adductis his ſuccedit Solinus, & modum peregrinationis explicatiùs deſcribit. Manifeſtum eſt, ait, in Septentrionalem plagam hyeme Grues frequentiſſimas avolare. Fidens meatu prælt catervas; volatûs deſidiam caſtigat; vocéque cogit agmen. Ea ubi obraucata eſt, ſuccedit alia; concors cura omnium pro fatigatis, adeò ut ſi quæ defecerint, congruant univerſæ, laſſásque ſuſtollant, usque dum vires otio recuperentur. Nec in terrâ cura ſegnior; excubias nocte dividunt, ut ex omnibus ſit decima quæque vigil: ponduſcula digitis amplectuntur, quæ ſi fortè exciderint, ſomnum coarguant; quod cavendum erit, clangore indicant. Mira ſunt, & humanam prudentiam imitantia, quæ de Gruibus Ornithologi paſſim obſervant, præſertim de earũ migrationibus, quas ab uno ęquinoctio ad aliud variant, & ab una regione in aliam inſtituunt. Migravit Chriſtus Servator noſter è cœlo in terram, in crucem, in infernum, iterúmque in cœlum: & hanc ultimam ſuam migrationem diſcipulis per univerſum orbem peregrinaturis inſinuat.

Ariſtoteles l. 9. animal. c. 10.

Albertus M. animal. l. 7. tract. 1. c. 6.

Ariſtoteles l. 8. animal. c. 12.

Solinus. c. 13.

Moſelm. diu. canta. vol. 6.

nuat. *Vado ad eum, qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?* Lucas Burgenſis hunc locum amici cujuſdam ſimilitudine declarat, qui alium amicum, quem ſummopere diligit, diſceſſum parare videns, varias apud ipſum inſtituit inſtantias ac quæſtiones, ut ſciat, qui, & quid facturus, abeat: *Improperat itaque ſvaviter, quòd non agant amicorum more, qui amicum longè abeuntē interrogare ſolent de via, de medijs, de loco, de rebus illic agendis, aliiſque hujuſmodi, & ex illis conſolationem ſatiſfactionèmque accipere.* Ecquid eſt vita tua, quàm peregrinatio in terris? migratio in cœlum? Si te interrogem ergò, quò migras? *quò vadis?* ignoras fortaſſe, quò vadas: at *volucres cæli indicabunt tibi.* Quòd ſi tibi peregrinationis tuæ ſigna deſint: *Strymonia dant ſigna Grues.* Eas ſequere, ut intelligas, qua viâ, quo ordine, quo duce, ad quem terminum peregrinatio tua ſit inſtituenda. Vos, Auditores, ita velim Gruum ſignis attentos, ut tametſi mea concio in hac peregrinationis vitâ futura ſit migratoria, attentionem tamen veſtram velim manere domi, & in viæ hujus termino Jesu Christo quietè collectam.

Lucas Burgenſis in locum citatum.

269\. Peregrinos nos eſſe, & à Patriâ extorres, traditum reliquit Seneca, cujus id in Centone de remedijs Fortunæ producitur, ſanè præclarum: *Peregrinatio eſt vita: multùm cùm deambulaveris, domum redeundum eſt.* Piget de homine Ethnico, tametſi ſæpè noſtro, eam addiſcere veritatem, quam in Scripturis & Patribus veneramur teſtatiſſimam. Princeps Apoſtolorum obteſtatur Chriſtianos, meminerint tanquam advenæ & peregrini abſtinere à carnalibus deſiderijs. Coapoſtolus ejus Paulus celebrat fidem Abrahæ, cæterorúmq; antiquorũ Patrum, qui ſuper terram habitaverant ut peregrini: *Juxta fidem*, ait, *defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Et ſi quidem ipſius meminiſſent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, id eſt, cæleſtem.* *Ideò non confunditur DEUS vocari DEUS eorum; paravit enim illis civitatem.* Utique civitatem, habentem fundamenta poſita in montibus Sanctis, & quidem novam deſcendentem de cœlo. Quod Apoſtolus generatim de Veteris Teſtamenti Patribus peregrinos ſe eſſe agnoſcentibus profitetur, dixerat diſertè David: *Advena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut omnes Patres mei.* Ut enim ait S. Auguſtinus: *Omnis homo advena eſt naſcendo, quoniam compellitur migrare moriendo.* Cùm Abbas Olympius à quodam interrogaretur, quânam ratione rectè vitam ſuam inſtitueret, reſpondit: *Ubique æſtima te peregrinum;* & ubicunque ſederis, dic, *peregrinus ſum.* Prout fecit Jacob, loquens Pharaoni Regi Ægypti; licèt enim jam fuiſſet centũ triginta annis in terrâ, civis tamen mundi eſſe noluit, nec jus civitatis in eo acquirere. S. Gregorius Neocæſarienſis moriens noluit in peculiari ſepulchro poni, eò quòd vivens nullius loci dominus vocari voluiſſet, ſed in alienis tanquã inquilinus & peregrinus habitans vitam tranſegiſſet; atq; ab ea ratione ne mortem quidem ſuam, & ſepulturam vellet diſcrepare. De S. Baſilio refert Gregorius Nazianzenus, quòd cùm ei Præfectus quidam Valentis Imperatoris Ariani minaretur exilium, & ejectionem ab Epiſcopatu, generoſè reſpon„derit: *Exiliũ haud cognoſco, qui nullo loco* „*circumſcriptus ſum: ac neq; terram hanc,* „*quam nunc incolo, meam habeo; & eã omnẽ,* „*in quam projectus fuero, pro mea duco:* „*imò ut rectius loquar, univerſam terram* „*DEI eſſe ſcio, cujus advena ego ſum &* „*peregrinus.*] Cúmque ab Epiſcopatu pelleretur in exilium, dixit ſtatim ſocio ſuo; libellum hunc accipe, & veni mecum: cùm priùs libellos pauculos, & pannoſam veſtem, qua indutus erat, Præfecto obtuliſſet; quæ ſola ipſius erant ſupellectilia, addendo: *Exilium nihil ad me ſpectat, cùm domus, quam inhabito, aliena ſit.* Defatigabor nimiùm, ſi tot ſimiles alios ex SS. Patribus diſquiſivero caſus: via mihi adhuc reſtat ampla, per quam ambulem.

Peregrinatio eſt vita noſtra.
1. Petri. 2. v. 11.
Hebr. 11. v. 13.
Pſal. 38. v. 13.
S. Auguſtin. l. 3. qq. ſuper Levit. q. 91.
Joan. Moſchus in prato ſpirituali.
Geneſ. 47. v. 9.
S. Gregorius Nyſſenus in vita S. Gregorij Neocæſar.
S. Gregorius Naz. orat. 20. n. 70.

270\. Itaq; cum Gruibus migrando propero: nam & peregrinatio noſtra ita inſti-

Peregrinationis noſtrâ terminus.

inſtituta eſt, ut ingruente hyeme ab uoo æquinoctio ad aliud migremus. Dimittendus eſt *terminus à quo*, & quærendus *terminus ad quem*: migrandum eſt à creaturâ ad DEUM; à ſtatu peccati ad conditionem gratiæ; ex valle lachrymarum ad gaudia Beatorum; à loco miſeriæ ad paradiſum voluptatis; ab exilio ad patriam; à regione longinqua, in quam filius prodigus abijt, ad domum Patris æterni; ex morte ad vitam; ex terrâ ad cœlum; ex ærumnis ad gloriam ſempiternam. Cum iogenti animi ſui conſolatione ad hunc terminum reſpexit

S. Cyprianus tract. de mortalitate. S. Cyprianus, vir deſideriorum & Eccleſiæ columna, dum in quodam tractatu, in quo peregrinos ad ſuum ſco„pum quàm ardentiſſimè dirigit, [Pa„triam, ioquit, noſtram paradiſum „computamus: magnus nos illic cha„rorum oumerus expectat; parentum, „fratrum, filiorum copioſa turba deſi„derat, jam de ſua incolumitate ſecu„ra, & adhuc de noſtra ſalute ſollici„ta. Quin igitur nos properamus, ut „patriam noſtram videre, & parentes „ſalutare poſſimus. Ad hos propere„mus: ut cum his citò eſſe, ut citò ad „Chriſtum venire contingat, opte„mus.] Volatus noſtri deſidiam adhuc magis caſtiget, vocéque ſuâ migraotium agmen cogat Sanctus Augu-

S. Auguſtin. lib. med. c. 21. ſtinus, nunquam ita in clamore validus, quàm ubi ad vitam cœleſtem eſt „exhortandum. [O vita, clamat, quam „præparavit DEUS his, qui diligunt il„lum! vita vitalis, vita beata, vita ſecu„ra, vita tranquilla, vita pulchra, vita „munda, vita caſta, vita ſancta, vita „ignara mortis, vita neſcia triſtitiæ, „vita ſine labe, ſine dolore, ſine corru„ptione, ſine anxietate, ſine pertur„batione, ſioe mutatione, vita totius „elegantiæ & dignitatis pleniſſima; „ubi ooo eſt adverſarius impugnans, „ubi nulla peccati illecebra; ubi eſt „amor perfectus, & timor nullus; ubi „dies æternus, & unus omnium ſpiri„tus; ubi DEUS facie ad faciem cer„nitur, & hoc vitæ cibo mens ſine de„fectu ſatiatur.]

27t. Dum omnes ad hanc aſpirant Patriam, & deſideriorum ſuorum alis eò tendere conantur, ſummopere velim, ut ſigna & figuras obſervent, quas Grues in volatu exprimere deprehenduntur. Palamedes in Trojano bello per quatuor literas φ, ξ, χ, ϑ, ordinem aciei & teſſeras à gruibus didiciſſe ſcribitur. Is primò etiam deprehendit, volantes Grues quodam ordine literam γ exprimere: unde & Palamedis aves appellantur à Martiale: *Martial.*

γ. Pythagoricum ſymbolicè explicatum.

Turbabis verſus, nec littera tota manebit,
Unam perdideris ſi Palamedis avem.

Ex his omnibus, quæ *Strymoniæ dant ſigna Grues*, pro migratione noſtrâ plurimum conducit litera γ, quam Veteres Pythagoricam dixerunt: nam Pythagoras, Philoſophorum parens, diſcipulis ſuis in ſcholis & pulpitis conſiderandam objecit; ut inde ſciant, ſe in bivio ſtare, & pro ſua adhuc libertate vel ad arctam virtutis viam, vel ad amplam vitiorum ſemitam ſeſe poſſe determinare, Poëtâ canente. *Virg.*

Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni,
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.

Qui igitur peregrinationis ſuæ terminum feliciter conatur attingere, caveat, ut ex bivij puncto ad melius declinet latus; & eam ſibi præligat alam, qua ſecurus & tranquillus in patriam involet. Si nôſſe vis, duplex eſt via, qua potes pergere: una valde ſpatioſa, amæna, roſis & gemmis conſita; *& multi ſunt, qui intrant per eam.* Altera eſt formidoloſè arcta, difficilis, ſpinis & acutis lapidibus horrida; *& pauci ſunt, qui intrant per eam.* Prima ducit ad perditionem; ſecunda ad vitam. In illâ ſunt deliciæ, voluptates, opes, honores, oblectamenta Viatorum: in hâc ſupportanda ſunt innumera mortificationum, anguſtiarum, infirmitatum, contemptuum, ærumnarum & miſeriarum genera. Stans D. Ambroſius in bivio hujus literæ, utramque viam accuratè perſpiciendo conſiderat. „[Duæ ſunt viæ, ait, una juſtorum, al„tera peccatorum: una æquitatis, al-

Matth. 7. v. 13. 14.

„tera

S. Ambroſius in 1. Pſal. „tera iniquitatis : juſtorum via angu-„ſtior, injuſtorum latior.] Et paulò „pòſt. [Hic libertas cupiditatum, illic „ſervitutis injuria : hìc convivium, „illic jejunium : hìc intemperantia „gaudiorum , illic perſeverantia la-„chrymarum : hìc ſaltatio, illic ora-„tio : hìc cantus dulces , illic gemi-„tus graves.] D. Baſilius in eund. Pſ. Divus Baſilius etiam viarum Præſides conſpicit, utrique „cornui aſſignatos. [Via, inquit, illa „facilis & læta, pronóque curſu de-„clivis , habet decipientem dæmo-„nem malum , qui per voluptatem ſe „ſoquentes ad perditionem trahit : „aſperæ verò, acclivi & arduæ, Ange-„lus præſidet bonus, qui per ſtrenuos „pro paranda virtute labores ad finem „beatum ſuos ſequaces deducit.] Verè pauci, qui per arctam progrediuntur viam! Cùm tota Pentapolis cœleſtibus flammis in favillas conflagraret, unicus cum paucis filiabus Loth ſalvus evaſit: ah quot hominum millia carnalis concupiſcentiæ ardore tabeſcunt! In univerſali diluvio unicus Noë cum modica ſua familia ſalvatus eſt; ah quàm totus mundus innatat diluvio peccatorum! Ex ſexcentenis millibus Hebræorum ſoli duo Joſue & Caleb Promiſſionis terram intraverunt; ah quantæ hominū myriades cœleſti Patriâ excluduntur! S. Caſſianus. *Vive cum paucis, ut inter paucos invenìri, ſalvarique merearis*, inquit Caſſianus. Cave à multa & mala ſocietate, ut paratam evadas perniciem; edoctus illius ſturni experientiâ, qui cùm à ſuo Magiſtro inſtructus eſſet eloqui, *cave, cave à malâ ſocietate*, & caſu dimiſſus in ſocialem ſturnorum gregem inciderſet , captus cum eo fuit ab aucupe : fractis reliquorum cervicibus cùm auceps etiam hunc apprehenderet, familiarem is prolocutus admonitionem, *cave à malâ ſocietate*, vitâ ab eo ob loquacis linguæ indolem donatus eſt unicus.

272\. Solem juſtitiæ Chriſtum ſequi oportet in via. Joan. 14 v. 5. Id enimverò hìc in vobis dubij ſuboriri adverto, quod in ſimilibus perſvaſionibus cæterorum confidentior Thomas exponebat : *Domine, neſcimus , quò vadis : & quomodo poſſumus viam ſcire?* Ignota nobis eſt regio , & mores gentium planè inſoliti. Inſuper homines ſæpe ſua fallit opinio , & ubi ſe pergere credunt in itinere ſecuritatis , periculis obruuntur; nam & Sapientis monitum terret: *Eſt via, quæ homini videtur recta; & noviſſima ejus ducunt ad mortem.* Proverb. 14. v. 12. Sed verò etiam hìc *Strymonia dant ſigna Grues*, quæ ſolem ſequuntur in ſuis migrationibus: hìc enim viam ipſis demonſtrat , ac præit feliciſſimam. Quantò magis regioni appropinquat magnum mundi lumen, tantò certiùs florent prata, matureſcunt fruges , luxuriat æſtas. Qui ſolem ſequitur, nec calore deſtituetur, nec luce privabitur, nec frigore obrigeſcet: *Et hæc erit vobis directa via, ita ut ſtulti non errent per eam.* Iſa. 35. v. 8. Gentiles Philoſophi ſummis extulerunt affectibus virtutes, utpote quæ dirigunt ad felicitatem in honoribus, famâ, divitijs & delicijs conſiſtentem : ſed verò longè facti ſunt à ſalute, quia viam Solis non cognoverunt. Sol noſter, quem ſequamur, eſt Mundi Salvator JESVS CHRISTVS, promiſſus per ora Prophetarum : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iuſtitiæ.* Malach. 4. v. 2. Nec aliter hujusmodi illuſtrantia vaticinia intellexit Sancta Mater Eccleſia , dum glorioſiſſimam Deiparam vel ideo laudibus digniſſimam profitetur , *Quia ex te ortus eſt Sol Juſtitiæ Chriſtus DEUS noſter.* Hic Sol univerſum illuminavit mundum; à cujus pennis ſeu radijs non eſt timendum capiti, quin potiùs ejus pennæ confetant ſanitatem. In hujus Solis exortu locum invenit illa Jobi interrogatio ad Deum directa: *Nunquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum?* Job. 38. v. 12. Ortum enim eſt diluculum depulsâ nocte , Idololatriam ſymbolizante , quæ ſolius veri Dei tanquam Solis tunc apparentis, perſtrictis non plenis ac frigidis luminibus, quæ illuc uſque micuerant, exortu ceſſavit. Illuc uſq; ſanè præter Idololatriâ, horrendæ aliorum peccatorum tenebræ, univerſum orbem occupaverant: omnes be-

ſtiæ ſylvæ per eam noctem ac tenebras pertranſibant; Chriſto autem Sole orto, in ſua ſe latibula abdere ſunt adactæ. Hic eſt Sol ille, quem impij in Sapientiæ libro expoſtulabant à ſe non fuiſſe viſum, cùm errarent à via veritatis; ut exponit Divus Auguſtinus ſuper illud Pſalmi: *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem*: quia nimirum vincente impios concupiſcentiâ carnis, & excitato inde fumo, Solem non viderunt; non illum quem vident nobiſcum muſcæ & pecora, ſed Solem Juſtitiæ Chriſtum.

Cap. 5. v. 6.

S. Auguſtin. in Pſal. 57.

273. In hac igitur lactea Divini Solis Galaxia peregrinando, migrare ad floridos Elyſij Campi agros, ſecuriſſima eſt imitatio: quandoquidem ipſemet Chriſtus talem ſe ipſum profiteatur eſſe viam, *ita ut ſtulti non errent per eam. Ego ſum*, inquit, *via, veritas & vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Chriſtus nobis viam aperuit per doloroſam ſuam paſſionem, intravit per cœleſtem doctrinam, æquavit per ſanctam converſationem. Ipſe nobis via eſt virtutis, veritas doctrinæ, vita felicitatis. Via nobis eſt in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio. Via eſt, per quam migremus; veritas, qua tendimus; vita, quam poſſideamus. Via eſt ſine errore, veritas ſine falſitate, vita ſine morte. Via eſt, quæ non ſeducit; veritas, quæ non fallit; vita, quæ non deſinit. Via incipientium, veritas proficientium, vita perfectorum. Via lucis ſine umbra, veritas vitæ ſine pœna, vita Beatitudinis ſine dolore. Via eſt in cruce, veritas in inferno, vita in reſurrectione. Via eſt reconciliationis, veritas retributionis, & vita cœleſtis mercedis. Multa in rem præſentem congerunt argumenta SS. Patres, ut vias Domini rectas inveſtigent, & dirigant errantes in his humanæ peregrinationis Labyrinthis: in hoc tamē collimant omnes, quòd tota noſtra ad ſanctitatem progreſſio fiat per Chriſtum; ut ipſe de ſe conceptis verbis profeſſus eſt, cùm dixit: *Ego ſum via. Nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Quæ verba D. Auguſtinus luculenter interpretatur. [A Chriſto aggrediendum & exordiendum iter eſt omnibus, qui ad veritatem pervenire, & in vitá æternâ permanere deſiderant. Sic enim ait: *Ego ſum via, veritas & vita: hoc eſt, per me venitur, ad me pervenitur, in me permanetur.*] Et paulò pòſt. [Ex quo intelligitur, quòd nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipſe Dominus, in quantùm via noſtra eſſe dignatus eſt, tenere nos voluerit, ſed tranſire, ne rebus temporalibus quamvis ab illo pro ſalute noſtra ſuſceptis & geſtis hæreamus infirmiter, ſed per eas potiùs curramus alacriter: ut ad eum ipſum, qui noſtram naturam à temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi atque pervenire mereamur.] Graviter in eam ſententiam commentatur S. Leo Papa. [Meritò Dominus, inquit, ipſe nobis factus eſt via, quia non niſi per Chriſtum itur ad Chriſtum. Per ipſum autem ad ipſum tendit, qui per ſemitam patientiæ & humilitatis ejus incedit: in quo planè itinere nec æſtus deeſt laboris, nec nubes triſtitiæ, nec procella formidinis. Ibi ſunt inſidiæ iniquorum, perſecutiones infidelium, minæ potentium, contumeliæ ſuperborum: quæ Dominus virtutum, & Rex gloriæ ideò omnia in infirmitatis noſtræ formâ, & in carnis peccati ſimilitudine percurrit, ut inter præſentis vitæ pericula non tam optandum ſit nobis declinando iſta effugere, quàm tolerando ſuperare.]

Iſa. 35. v. 8.

Ioan. 14. v. 6.

S. Auguſt. l. 1. doct. Chriſt. c. 34.

S. Leo Papa ſerm. 16. de paſſ. c. 4.

Nec tamen ita migrant Grues, ut politicum haud obſervent ordinem, aut viatum difficultates non mitigent ſolerti viciſſitudine. Duces & exploratores habent, quibus cæteræ pareant in volatu. In ducem eligunt robuſtiſſimam. Hæc fatigata, quia non habet, cui caput imponat inter volandum, ultimum agmen petit, & ut cæteræ quieſcit, proximâ interim ſuccedente: hæc viciſſitudo perpetua eſt. In extremo quoque agmine, per vices quæ acclament, 274.

Subordinatio politica & charitativa tenenda in via.

diſpo-

diſpoſitas habent, & quæ gregem voce contineant. Concors cura omnium pro fatigatis, ita ut ſi quæ defecerint, congruant univerſæ, laſſáſque ſuſtollant, usque dum vires otio recuperentur. Tot, tantáque prudenter faciunt Grues. Hanc ordinatiſſimam Gruum politiam nemo Ornithologorum non commendat, admirando, quòd nulla inſoleſcat, nulla ſibi præcedentiam arroget ſoli; ſed *ALTERNE PRÆCEDVNT*, & congregata *VICISSIM AGMINA DVCVNT*. In quo quidem inſtituto ita gratioſè diſcurrit S. Ambroſius, ut vix videatur in omnibus ejus ſcriptis aliquid gratioſiùs propoſitum, in obſervationibus Ornithoſophicis ad genus moris traductis. Dum enim de ſapientiſſima Gruum Republica tractat: *Præcedit*, inquit, *una cæteris, præſtituto ſibi tempore, & quaſi ante ſigna præcurrit; deinde convertitur, & ſequenti ſortem ducendi agminis cedit. Quid hoc pulchrius? & laborem omnibus & honorem eſſe communem, nec paucis arrogari potentiam, ſed quadam in omnes voluntariâ ſorte tranſcribi. Antiquæ hoc Reipublicæ munus, & inſtar liberæ civitatis eſt. Sic ab initio acceptam à naturâ, EXEMPLO AVIVM, politiam homines exercere cœperunt, ut communis eſſet labor, communis dignitas; per vices ſinguli partiri curas diſcerent, obſequia, imperiáque dividere: nemo eſſet honoris exors, nullus immunis laboris. Hic erat pulcherrimus rerum ſtatus; nec inſoleſcebat quidquam perpetuâ poteſtate, nec diuturno ſervitio frangebatur.* Ita quidem Sanctus Ambroſius auſpicatum proſequitur diſcurſum, utique tranquilli & ordinari regiminis directivum. Id verò etiam viatores decet, ut præter Solem & viam Chriſtum, etiam legitimos ſuos duces ac ſuperiores habeant; quibus per omnia hilares ac venerabundi obtemperent, ut ſub eorum directione ac regimine feliciter pertingant ad beatas calidæ & frugiferæ æſtatis terras. Ad hunc enim finem Deus in Eccleſia ſua conſtituit alios quidem Epiſcopos & Paſtores, qui virtute & ſcientiâ robuſtiſſimi fidelium agmen ducant: alios autem Prophetas, qui ingruentium temporum influentias præſagiant: alios verò Doctores & Evangeliſtas, qui gregem voce contineant in officio, aut ad alacriter procedendum impellant. Et horum diverſi ſunt ſibi ſuccedentium gradus, ut harmoniacâ quadam viciſſitudine inſtructa Eccleſia, in hujus peregrinationis periodo circumſpectè ac ſalubriter adminiſtretur; pérque hujus viæ, ac vitæ varietates, penetrare poſſit ad Civium ſupernorum triumphos. Totius autẽ tranſmigrationis ærumnas plurimùm ſublevabit, ſi vel Gruum more in æthere, vel cervorum in flumine, ſibi invicem gravata imponentium capita, unus alterius compaſſivâ dilectione ſupportet infirmitates, miſerias & defectus: hoc enim jubet Apoſtolus Galatas obſervare, ut quivis *alterius portando onera* legem Chriſti adimplere ſatagat. Infirmitatum mutuarum pondera ferre, docet Gruum Politia, ea viciſſim tolerando, eisq; compatiendo: v.g. tu feras proximi choleram, & verba contentioſa; ille tuam ferat melancholiam, & moroſam converſationem. *Vt qui celer eſt & iracundus*, ait Theophilactus, *ferat ſegnem tardûmque; ſegnis autem ferat vehementem illius impetum.* Gravamina ſunt & onera, quæcunque alteri de proximo ſuſtinenda occurrunt difficilia; ſive vitia ſint, ſive morbi, ſive curæ, ſive melancholia, ſeu quidvis aliud affectui tuo adverſum: id quod ferre ſatagas cum eo, compatiendo illi Chriſtianâ charitate, illum adjuvando, roborando, ſuſtentando, & quaſi oneri cum eo ſuccollando: ut tali viciſſitudine ſis pes claudo, oculus cæco, ſeni baculus, deficienti fulcrum, & in tota peregrinatione exulanti diverſorium. Aut certè D. Baſilij exequere doctrinã, ſic ſvadentem: *Hoc onus inter nos viciſſim alij ab alijs tollimus* (& tollendo quaſi in nos ſuſcipimus) *quoties operam damus, ut hi, qui peccârunt, & lapſi ſunt, reſi-*

S. Ambroſius l. 5. hex. c. 4.

Galat. 6. [illegible]

Theophilact. in Cap. [illegible]

S. Baſil. in Regul. [illegible] Reg. 178.

reſipiſcant; ſicque recollectis gratiæ ſanctificantis viribus in tam difficili via non deficiant.

275\. Rurſus ſicut Grues ſuis ducibus hilariter obtemperant, nunc gyrando, nunc aciem flectendo, nunc in figuras alias & alias concurrendo, nunc fortiter pugnando, nunc ſollicitè pabulando, nunc ſvaviter quieſcendo; ita & duces pro grege ſuo ſunt vigilantiſſimi: nam tres aut quatuor ad reliquarum cuſtodiam advigilant, lapillum pede contentum ſuſtinentes, ut ſi quando ſomnus obrepſerit, edito ſtrepitu ex lapilli caſu expergiſcantur: cæteræ dormiunt, capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes. Pari ratione ubi grex poteſtatibus ſuperioribus ſubjectus laborat, etiam Duces, Prælati, Rectores & Paſtores pro grege vigilem ſollicitudinem gerant, ut in via perfectionis ac virtutum ſtrenuè pergant; non infeſtentur ab infernalibus prædonibus; non malis fatalibus implicentur; non repentinis invaſionibus turbentur; nō peccatis & ſcandalis obruantur. Ingenioſa hîc de Principibus & Paſtoribus adducunt ſymbola eruditi, ut exinde ſui moneantur officij ad promptam & indefeſſam exhibendam vigilantiam commiſſis ſubditis. Sic enim, *UT ALII DORMIANT*, una ex gruibus pede tenet lapidem, ut tantò certiorem de exercitu perennet inſpectionem. Seneca in quadam ad Polybium inſtructione dicebat de Octaviano Imperatore: *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* Simile quid ſcribit Sineſius: *Qui vigilare & in maximo concurſu ſollicitudinum verſari ſuſtinet, ut noctu & interdiu ſubditi malis omnibus vacent; hic in genere quidem ovium paſtor, in hominum verò genere rex eſt.* Fuit hæc vigilantia in Philippo Rege Macedoniæ ſingulariter commendata à Parmenione; cùm enim murmurarent aliquando Græci, quòd ipſum inveniſſent mediâ die gravatum ſomno, promptè repoſuit Parmenion: *Nolite admirari, ſi nunc Philippus dormit; nam quando vos dormiebatis, ille vigilabat.* Poteſt hujuſmodi Grus excubans ſuos conſodales ſic ad ſomnum diſponere: *ME STANTE NIL TIMENDUM.* Et certè S. Chryſoſtomo hortante, *Decet eſſe pervigilem eum, qui ejuſmodi eſt*, hoc eſt, paſtor animæ aut rex populi, *ducèſque omnes ſollicitudine atque induſtriâ ſuperare, ut die noctéque exercitum & caſtra perluſtret, laboret, & ſui officij munus diligentiſſimè impleat, atq; OMNIUM CURAM & ſollicitudinem GERAT.*

Vigilantia Ducum ſuper gregem ponderoſa.

Ælianus l. 3. c. 13.

Seneca conſol. ad Polybium c. 26.

Sineſius lib. de Regno.

S. Chryſoſt. hom. 10. in 1. Timoth.

Stat vigil, & lapidem pedibus Grus ſuſtinet uncis;
Secura hanc circùm cætera turba jacet.
Tu quoque ſic vigiles; unum te cura fatiget,
Grex tuus ut tutâ corda quiete levet.

Academia Parthenia.

Et quidem in oneroſæ vigilantiæ teſſeram, lapidem gravem ſuſtollunt, non tam ut manibus teneant aut oculis objiciant, quàm ut ſuper pectus ſuū ponant, & illud ad animæ anguſtias comprimant. Ecquæ ſit hujus lapidis moles tam ponderoſa? Horreſcite duces. Ratio eſt exactiſſima, quā paſtores olim reddere compelluntur ante ſeveriſſimi Judicis tribunal, quando ſomnolenta ſuperiorum negligentia, & exinde emergentia in Chriſti gregem detrimenta, ad trutinam examinabuntur rigoroſiſſimè. Hoc ipſum enim eſt, quod Gentium Doctor tam ardenter Hebræis inculcat: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Magna moles, ingens lapis, quem Paſtores cum Syſipho voluunt, toties rediturum, quoties imminentis judicij memoria pectus pulſat. D. Chryſoſtomus hunc paſtoralis vigilantiæ lapidem tentans tollere, ut omnes ſomnolentos Superiores excitaret, cum magno dimiſit ſtrepitu, in quadam Homilia ſcribens: *Miror, ſi poteſt aliquis Rectorum ſalvari.*

Hebr. 13. v. 17.

S. Chryſoſt. hom. 14. de temp.

Quod reliquum eſt, in hiſce ſuis migrationibus ſi fortè contingat Gruibus periculum invaſionis à ſuis hoſtibus, præſertim quando Taurum montem aquilis ſibi offenſiſſimis infeſſum tranſeunt, triplex arripiunt ſalutis remedium: aut enim celerri- 276.

Noſtræ vitæ peregrinatio, perpetua eſt colluctatio.

mâ

mâ fugâ ſeſe proripiunt; aut roſtris lapides ſuſcipiunt, ut vocem ſuam ſub volatu coërceant, ne audiantur; aut quando indeclinabiliter dimicandum eſt cum hoſtibus, in lunæ vel cornu figuram concutrunt; tergoribus ſeſe imponunt, roſtris & unguibus erectis jacent paratæ: quacunque tandem ex parte hoſtis invaſerit, per

Tirati Auberti. hos Sariſſarios penetrare debet. Nulla tunc cedit; aut vincendum aut moriendum. Quantis periculis, inſidijs, perturbationibus, ærumnis & offenſis ſubjecta eſt vita, peregrinatio, ac militia hominis ſuper terram? quando foris pugnæ premunt, intus timores: ubi nobis eſt colluctatio adversùs carnem & ſanguinem domeſtica, & forenſis adversùs Poteſtates tenebrarum harum. In hac luctâ quid non ærumnarum paſſus eſt magnus ille Orientis Princeps Huſſæus? qui copioſiſſimam ſuam familiam uno die contritam, venuſtiſſimas filias turbulentis oppreſſas ruinis, reliquos liberos eodem fato extinctos, abductos camelorum & ovium greges, prata & prædia fulmine exuſta, atque inſuper ulcere peſſimo per omnia corporis membra ſe percuſſum, ſimul vidit & audivit: ut in ſimeto miſerrimè decubans, & ſeſe de præterito vitæ ſtatu cum præſenti compa-

Job. 16. v. 13. rans, diceret: *Ille ego quondam opulentus, repentè contritus ſum. Tenuit cervicem meam, & confregit me.* Hanc quidem colluctationem cum Sathana tenebrarum Principe inijt pientiſſimus Jobus, in compendio luctuoſiſſimam. Hujus imitaror Jacobus pari profeſſione prolocutus ſuarum afflictionum

Gen. 47. v. 9. ſeriem: *Dies peregrinationis meæ*, ait, *centum triginta anni ſunt, parvi & mali.* Et cur breves, pauci vel parvi dies? Breves & parvi ſunt, quia celeriter velut avis in aëre, velut navis in torrente, velut ſagitta de arcu emiſſa, fugiunt irreparabiles; pauci verò ſunt peregrinationis huius dies, quia etiam mille anni reſpectu æternitatis ſunt velut punctum: & hi quidem mali, quia curis redundabant, anguſtijs, perſecutionibus, afflictionibus, miſerijs & preſſuris, quibuscum fortiſſimus Jacob colluctabatur, nunc preſſus fatali odio uterini ſui fratris Eſau, nunc irati Labani ſoceri ſui perſecutionibus anguſtiatus, nunc natu minimi filij ſui Joſephi perditione afflictus, nunc morte chariſſimæ ſuæ conſortis contriſtatus, aliíſque duris caſibus agitatus. Si te vel parum ſuper illos transactæ tuæ vitæ annos reflexeris, tametſi etiam Saturni cujusdam aut Neſtoris coæquâſſes ætatem, breves tamen tibi apparebunt reſpicienti, & *tanquam dies heſterna quæ præ-* Pſal. 89. v. 4.
terijt; atque inſuper malis plurimis exagitati, vel ſolâ recordatione movebunt ſtomachum, erubeſcentiam parient, regenerabunt confuſionem, indignationem ſuſcitabunt. Excellenter olim Græciæ Sapientes dixerunt, natalem uniuscujusque eſſe *Principium certaminum.*

Quid ergo medij arripiendum in 277.
hiſce peregrinationis noſtræ differentijs? Triplex ſanè prudentes Grues adſtruunt: nam primò lapis ori imponendus, ut vox contineatur in officio. Hoc medio in novitiatu ſuo uſus eſt D. Petrus noſter de Alcantara, ordinariè lapillum ſub linguâ gerens, ut ſilentium addiſceret & obſervaret. (Hoſtes animæ tribus medijs opportunè ſuperantur.)

In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra. Iſa. 30. v. 15.

Nempe transvolans Gruum caterva ſuper Taurum, vel Caucaſum montem aquilis infeſtum, lapides roſtris transfert, ut ſit *SILENTIO TUTA.*

Quantùm enim diſtant à morte, ſilentia vitæ?

dicebat Horatius in ſuis Odis. Quæ Horatius l. 5. carm. od. 13.
pericula evaſerint, & emolumenta præſtiterint ſilentio & taciturnitate Romani, declarat Valerius Maximus Valerius Maximus l. 2. c. 2.
dicens: *Nunquam Taciturnitatem, optimum ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum, labefactari volebant.* Et paulò infra: *Fidum erat & altum Reipublicæ pectus, Curiâ, ſilentiíque ſalubritate munitum & vallatum undique.* Multa ſunt vel ſilentio diſſimulanda, vel taciturnitate cavenda, quæ opportuniori remedio ſuperari non poſſunt. Philoſophus ille ſenex interrogatus, quomodo in aula Cæſaris in-

ter tot perturbationum Typhones, & odiorum tempeſtates, ad tam provectam ætatem penetrâſſet; id unicum reſpondit: *tacendo, & injurias diſſimulando conſenui.* Sophar Naamathites quæſtionem proponit, illis maximè ſolvendam, qui multis contentionibus & clamoribus ſe extricare conan-

Iob. 11. v. 2. tur ab adverſis caſibus: *Nunquid qui multa loquitur, non & audiet? aut vir verboſus juſtificabitur?* Quam ſententiam

S. Gregorius l. 10. moral. c. 6. hac ratione clariſſimâ exponit S. Gregorius: *Neque fallacem quidem Sophar ſententiam prætulit, quòd vir verboſus juſtificari nequaquam poſſit: quia dum quiſque per verba diffluit, perditâ gravitate ſilentij mentis cuſtodiam amittit*; quominus ab aquilis invadentibus evadat immunis, & perturbationum inſidijs ſuccumbat. Deinde quantùm fieri poteſt, ut ſalus animæ, mentis tranquillitas, aut ſenſuum cuſtodia obtineantur per circumſpectam fugam pravarum occaſionum, inſidiarum, aut qualiumcunque infeſtationum:

Ierem. 51. v. 6. *Fugite, fugite de medio Babylonis, & ſalvet unusquisque animam ſuam*, ait DEUS per S. Jeremiam Prophetam. Vbi D.

S. Bernardus ſerm. 31. de converſione ad Clericos. Bernardus commentatur in quodam

„ſermone ad Clericos. [Quid nî peri-
„clitatur, inquit, caſtitas in delicijs, hu-
„militas in divitijs, pietas in negotijs,
„veritas in multiloquio, charitas in
„hoc ſæculo nequam? *Fugite de medio*
„*Babylonis, fugite & ſalvate animas veſtras:*
„convolate ad urbes refugij, ubi poſſi-
„tis & de præterito agere pœnitentiã,
„& in præſenti obtinere gratiam, &
„futuram gloriam fiducialiter præſto-
„lari.] Quòd ſi verò nec fugâ, nec ſilentio ſaluti conſulitur, dimicandum eſt: tam enim fœderis ſeu induciarum expers, & irreconciliabile exiſtit bellum, tamque diuturnum, ut nullâ compoſitione poſſit mitigari, nec aliâ menſurâ quàm humanâ vitâ menſu-

Seneca Ep. 51. rari. Præclarè Seneca è penu Philoſophiæ hauriens, dixit: *Nobis quoque militandum eſt, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur.* Excellens gladiator, quando à pluribus invaditur, angulo ſe committit, ut à tergo ſecurus, hoſtium ictus collectior poſſit excutere. Grues tergori incumbunt, unguibus & roſtris fortiter dimicant. Nos tunc vel maximè glorioſi pugnabimus, ſi tergore terræ dato, omni conatu, totis viribus ad cœleſtia & Divina aſpiremus. Oportet eſſe præ omnibus cæteris vigilantem, & cum Gruibus lapidem pede tenere, ut iter tutiſſimum in volatûs firmamento perficiatur. *Lapis eſt Chriſtus*, dixit Hugo Vi- *Hugo Victorinus l. 3. de Beſt. c. 19.*
ctorinus, *pes mentis affectus. Si igitur ad cuſtodiam ſui vel fratrum vigilat, lapidem in pede, id eſt, Chriſtum in mente portet.*

Periodo noſtræ mortalis peregrinationis à Gruum Prudentiâ ſic inſtructâ, quod facultati & ſapientiæ noſtræ deeſt, rogemus à DEO ſuppleri, precantes cum Juliano Toletano in oratione, quam præfixit ſuo primo

„libro Prognoſticon. [Deſertum Idu- *Iul. Toletanus in proœm. prognoſt.*
„mææ cæcus & morbidus poſſeſſor
„inhabitans, clamo ad te, Fili David,
„miſerere mei. Patriam enim meam,
„æternam Jeruſalem quæro; cives
„ejus contemplari deſidero: ſed qui-
„bus ductoribus illuc tranſeam, non
„invenio. Tu ergo, qui temetipſum
„dignatus es oſtendere viam, porrige
„mihi manum tuam, qua illuc non
„jam cæcus ſed videns, ſine aliquo la-
„trocinantium impedimento perve-
„niam. Tu enim ſolus & talis es via,
„quæ latronem non habet. Ecce an-
„xium eſt cor meum; pro reditu Pa-
„triæ illius diu tibi ſuſpirans, immenſâ
„futurorum curâ diſtenditur, cupiens,
„ut tanquam illuc eatur, hìc jam fu-
„turæ illius Beatitudinis gaudia con-
„templetur, &c. Ego tamen in illius
„Patriæ ſinum, de qua tanta dicuntur,
„cupiens evolare, peto ut per te, qui
„via es, gradiar: in te, qui es veritas,
„non offendam: ad te, qui es vita,
„perveniam. A te ergo, qui ſummæ
„felicitatis es via, nullis caſibus divi-
„dar, nullis rerum impedimentis ab-
„rumpar; ſed in te gradiens, latronem
„moriturus non patiar, mortuus ac-
„cuſatorem non perferam. Angeli-

„cis

„cis morientem me excubijs prote„gas; evocatum ad te, extento pie„tatis gremio conſolare; ut ad te ſine „confuſione veniens, videam quæ „bona ſunt in Jeruſalem..] Amen.

DOMINICA V. POST PASCHA.

MERULA CANORA.

Die liebliche Singambſel.

LEMMA.

Vidimus & Merulas poni. - - Horat. 8. Satyr.

THEMA.

Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 16. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS XXX.

Vt Oratio noſtra ad Deum fuſa obtineat id, quod intendit; Canora Merula tot documentis nos edocet, quot præſtat argumentis obſervanda.

278. *Merula orationis efficacis edoctiva.*

Giraldus mirè curioſus ſcriptor rē memoratu digniſſimam refert de S. Keivvino, inter clariſſima Hiberniæ Aſtra quoad innocentiam & ſanctitatem mirè collucente. Gretſerus, Stenglius, Nierenbergius ex eodem retulerunt. Sic autem narrat Giraldus. S. Keivvinus quadrageſimali quodam tempore hominum frequentiam ex conſvetudine fugiens, in ſolitudine quadam, tugurio modico, quo à Sole tantùm & pluviâ defenderetur, ſoli contemplationi vacans, lectioni & orationi inſiſtebat. Qui cùm more ſolito manum ad cœlos per feneſtram elevaret, ei fortè Merula inſedit, & quaſi nido fungens ova depoſuit. Cui prædictus Sanctus tantâ manſvetudine & patientiâ compaſſus eſt, ut nec manum clauderet, nec retraheret; ſed usque ad plenam pullorum excluſionem eam infatigantet extenderet, & aptaret. In hujus autem ſigni perpetuam memoriam omnes Imagines S. Keivvini per Hiberniam in manu extenſâ Merulam habent. Catholico ritu manus tollimus, & fundimus ad aſtra preces: nec ſine myſterio S. Keivvini manibus ovum imponit Merula; nam ovo ſpes impetrandi id, quod oratione petitur, appoſitè ſignificatur: manus compoſitæ innocentiam orantis ſignificant; Merula autem ipſius orationis in ſe continet proprietates. Rectè manus ſub oratione ad cœlum ſupra pectus erigimus, ut ſimul etiam cor ac deſiderium ad Deum elevata eſſe demonſtremus: nam ut Janſenius ſe reflectit, *Petere eſt deſiderare*, *& de-*

Silveſter Giraldus lib. 4. Topograph. Hibern. c. 28. Euſ. Nierenbergius de miraculis, l. .. c. 9.

Janſenius in Ioan. c. 16.

& deſiderium actus eſt non oris, ſed animi & voluntatis; non orant ergo, neque petunt Patrem, qui ore tantùm preces pronuntiant, & non etiam ex animo, id quod ore petunt, deſiderant, ſuum deſiderium elevatione animi in DEUM, & ardore declarando. Nobis igitur hodie manus ſupplices ad DEUM elevantibus, orationis Merula inſidet; & impetrationis ſpem, velut ovum excludendum, apponit. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: Patris enim amor erga me immenſus eſt, & viciſſitudo meritorum meorum erga Patrem eximia; hinc nunquam vobis *ovum ſpei* ex manibus excidat, quousque excludatur *pullus rei*, quæ petitur; & obtineatur id à Patre, quod in nomine meo flagitatur. Canoram itaque hodie excipite Merulam, quæ vobis fructuoſæ orationis modulos accinat. *Iacob. 4 v. 3.* *Poſtulatis enim* ſubinde, *& non accipitis, eò quòd malè petatis*: ut ergò accipiatis, obſervate, quid ſonori, quid decori nigra canat Merula, in nomine Salvatoris noſtri JESU.

279. *Oratio merè & ſolitariè fundenda.* Merula, cùm nec gregatim volet, nec cum ſocijs pabuletur, ſed ſola ſuas moduletur voces; hoc eſt, *VOCE SOLA* canat, ſola per ſylvas & agros vagetur, ſola nidificet cum conſorte, & *merè* ſola ſuam tranſigat vitam, hinc ab Ornithologis appellatur *Merula*. P. Caſparus Schottus Societatis *Caſparus Schottus l. 9. Phyſ. Curioſa. c. 45.* JESU, in Phyſicæ ſuæ curioſæ mirabilibus, ei ſpeciem attribuit *Paſſeris Solitarij*; ita ut *Merula* & *Paſſer Solitarius* eandem volucrem videantur ſignificare, aut certè intra eandem ſpeciem ſibi invicem ſubordinatas. *Sola* & *Mera* debet fundi oratio, ut ſit efficax, DEO grata, & nubes penetrans. Regius Pſaltes inter preces vigil, & inter vigilias ſupplex, *Pſal. 101. v. 8.* *Vigilavi*, inquit, *& factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto*. D. Gregorius ſub hoc paſſere eum intelligit, qui in excelſis habitans, & ſolitudinem incolens, pro peccatis ſuis clamare non ceſſat; in opere terrena non appetit, in lamentis veniam petit, in habitatione inanium ſtrepitus cogitationum effugit, juxta illud Pſalmi: *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* *Pſal. 54. v. 8.* Poſſet alicui diſpar videri ratio inter urbes & ſolitudines: enimverò urbes ſunt ergaſtuli inſtar, in quo ſervi vivunt ac mancipia vitiorum, & plurimi æternæ mortis rei; ut dixerit S. Hieronymus: *mihi oppidum carcer eſt, & ſolitudo paradiſus.* *S. Hieronym. ep. ad Ruſt.* In ſolitudine autem non urbium muris, non domorum tectis & parietibus claudimur; ſed liber eſt exitus in montes, valles, prata, ſylvas, campóſque latè patentes: ibi *ſalit dilectus in montibus, tranſilit colles.* *Cant. 2. v. 8.* In urbibus lutum eſt ac ſordes in moribus, ſicut in vicis, ubi pauci cinere ſe conſpergunt ad pœnitentiam, ſed multi peccatorum luto inquinant ad pœnam: at verò in ſolitudine vigent flores virtutum & innocentiæ germina; ibi *germinaverunt ſpecioſa deſerti, ficus & vinea dederunt virtutem ſuam.* *Ioël. 2. v. 22.* In urbibus aër eſt peſtilens & vitiatus tot convitiorum, detractionum, contumeliarum, maledictorum, execrationum, & blaſphemiarum halitibus: in ſolitudine aër eſt purus, & DEI laudibus jucundè reſonans. In urbibus tumultus perpetuus eſt: unde cùm Arſenius præceptor Arcadij & Honorij, filiorum Theodoſij Imperatoris, videns ſibi necem parari ab Arcadio, orationi intenderet, vocem cœlitùs miſſam audivit: *Arſeni, fuge tumultus, & ſalutem conſequeris.* Quod cùm audiſſet, veſtes & ſuperbum amictum exuit, eum autem, qui pauperi & inglorio conveniebat, indutus navigavit in Ægyptum, & monaſticam vitam profeſſus eſt: in ſolitudine verò eſt quies tranquilla, in qua commodè uni DEO intentus gaudeat animus. Threniſta *Thren. 3. v. 28.* certè de ſolitario dicit: *Sedebit ſolitarius & tacebit, quia levavit ſuper ſe*, id eſt, iugum tuum, mandata tua, ut Syrus & Arabs vertunt. S. Petrus Damianus ad propoſitum noſtrum ſic *S. Petrus Dam. ep. 160.* „commentatur. [Solitarius planè „dum tacet, ſe elevat ſuper ſe: quia „mens humana dum intra ſilentij „clauſtra undique circumcluditur, in „ſuperiora ſublimis erigitur, erga „Deum per cœleſte deſiderium rapi-

„tur,

„tur, & in amore ejus per ardorem „ſpiritûs inflammatur: & tanquam „fons vivus, dum per verborum circu„los fluere hinc inde non ſinitur, un„dis excreſcentibus in altiora cumu„latur. Templum ergo tui pectoris „nunc per ſilentium creſcat, virtutum „ſtructura conſurgat, uti ſupernus ille „Sponſus, quem totis viſceribus dili„gis, velut in thalamo ſuo delectabili„ter requieſcat.] Ex his credo quòd, intelligatis, quomodo Pſaltes regius ad vigilandum in oratione factus *ſit ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* Omnino non eſt declinandum ad Beſtias in ſylvas, non ad interiora deſerti, non ad abſtruſas Thebaidis voragines, non ad vaſtas Arabiæ ſolitudines, ut Deo te ſupplicem exhibeas, mentem ad Deum eleves, cum Deo tua negotia tractes; ſed *cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Non quòd deſtruenda ſint magnifica Templorum ædificia, in quibus offertur Deo Sacrificium Filij ſui incruentum ſuper altare; non quòd Deus non ſit ubique præſens, & auſcultans oranti: ſed, ut D. Ambroſius explicat, „Salvator ait, *intra in cubiculum*, non „incluſum parietibus, quo tua mem„bra claudantur, ſed cubiculum, quod „intra te eſt, in quo includuntur co„gitationes tuæ, in quo verſantur „ſenſus tui. Hoc orationis cubicu„lum ubique tecum eſt, & ubique „ſecretum eſt, cujus arbiter nullus eſt „niſi Solus Deus.] Exinde Seraphicus noster P. Franciſcus frequenter amabat pronuntiare, cellam eſſe corpus, eremitam verò eſſe animam; quæ ſemper domi manet, in cellâ, ut *paſſer ſolitarius in tecto*, cum Deo converſando, etiam quando inter orandum inſtituenda eſt ſocietas.

Matth. 6. v. 6.

S. Ambroſius lib. de Cain & Abel, v. 5.

P. Wadingus in annalibus ad an. 1246. n. 5.

280. *Oratio fervens eſſe debet.*

Merula prima omnium volucrum fœtificat in vere: vix ubi Martius pauliſper Solis radios in ſe reflexos advertit, jam Merula ovis excludendis incubat: ſed verò quia Martiales pruinæ frequenter ſuccedunt ſatis acutæ, congelatæ, frigidæ & fatales; ergo dicit, *ITERUM PARTURIAM*: ac proinde extincto primo fœtu procedendum eſt Merulæ ad ſecundum, qui inter mitiores ac vivaciores Aprilis calores feliciùs matureſcit. Si tuæ orationis fœcunditas primâ aut ſecundâ vice non fuerit debitâ partûs maturitate donata, nec impetraveris id, quod in nomine Servatoris petieras; Martiali pruinæ imputanda eſt defectio, & ſupercidentibus nivis frigoribus: nam ubi frigidum cor, ibi frigida oratio; & fervidi cordis, fervida ſolet eſſe oratio. Narrat Hieronymus Cardanus, anno 1347. in Albione Britaniæ inſulâ, corvos & monedulas hyeme quidem pullos eduxiſſe, in æſtate autem minimè. Cujus rationem addit, quia calida fuit illa hyems & præcox: aves autem calore ova edunt, & excludunt. Sic prorſus quidquid ex calore charitatis fit apud Deum, meretur augmentum charitatis; quàm enim quisque plurimis illum ſtudijs colit ac amat, tam maximè donis ille præmiisque ſolet redamare; hinc ita dilectus flammam refundat luculentiorem, ac magis in oratione ferveat, ut tandem obtineat id, quod precibus impetrandum ſibi proponit. Et qui Altiſſimo tuæ preces ſint acceptæ, ſi non ex ardentis charitatis incendio, & confidentiæ fervore aſcendant? Non deficiet flamma ex altari cordis tui aſcendere ſub oratione, ſi charitas Dei in te abundaverit; cui nihil eſt impoſſibile aut difficile obtineri, ſi inter ſalutis tuæ emolumenta Divina id Providentia repoſuerit. Exclamabis cum Divo Jeremia: *Factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſúsque in oſſibus meis; & defeci, ferre non ſuſtinens.* Quòd autem ardens, flammáſque Divinas concipiens oratio aſtris ſeſe igneis citò inferat, divinúmque cor occupet, atque ex illo theſauro novas flammas & cœleſtes divitias ac delicias repor-

Hier. Cardanus lib. 2. de ber. variet. v. 3.

Ierem. 20. v. 9.

tet, votique compos efficiatur, docet S. Bernardus in quodam ſermone dicens. [„Tertium periculum eſt, ſi ſit oratio tepida, & non ex vivâ affectione procedens. Timida quidem oratio cœlum non penetrat, quia reſtringit animum timor immoderatus, ut oratio, non dicam non aſcendere, ſed nec procedere queat. Tepida verò in aſcenſu langueſcit, & deficit, eò quòd non habeat vigorem. Nam temeraria aſcendit, ſed reſilit, reſiſtitur enim ei; nec tantùm non obtinet gratiam, ſed & meretur offenſam. Quæ verò fidelis, & humilis & fervens oratio fuerit, cœlum ſine dubio penetrabit; unde certum eſt, quòd vacua redire non poterit.] Quid? quòd ſancti tantis Divini amoris flammis ſuccenſi orabant, ut ſcintillis ardentiora verba evolarent, & candens facies interiorem ardorem loqueretur; hinc & frequenter circumfuſis radijs lucidi, vel præ interno fervore ſub oratione fumigantes ſunt viſi. Itaque fervens eſſe debet oratio, ut ſit efficax; ut ſi primò propter tepiditatem ſpiritûs non fuerit exaudita, iteratò obtineat per fervorem, quod parturivit. *Iterum parturiam.*

S. Bernardus ſerm. 4. in Quad. de orat. & jejunio.

281. *Merula* quidquid pennati veſtimenti induit, nigrum eſt: plumas non exuit, ſicut aliæ aves; ſed omni anno roſtrum mutat fulvum, & hoc in ebur, ſeu candorem. Et licèt ſit nigri coloris, *coloris* tamen *obſcuritatem vocis modulamine tollit.* Quidquid tandem lugubris & triſtis ſignificationis præſeferat nigredo, humilitatis tamen vel maximè expreſſam gerit ſimilitudinem. Eſt enim nigredo color vilis & abjectus, obvius & terreſtris; humilitas autem à calore charitatis, à fuligine mortificationis; ac pœnitentiæ cinere decoloratur, ut nigra appareat. Eò fortè reſpexit Sponſa in Canticis, Dilectum ſuum conſiderans ab humilitatis nigredine ex comis tranſparente: *Coma ejus ſicut elata palmarum, nigra quaſi corvus*, aut Merula. Deus, cui ſemper humilium deprecatio placuit, ſolis placatur humilium precibus; quod Divus Auguſtinus exemplo Publicani prolixiùs inducit. Is ſtans à longè nec oculos ad cœlum levare volebat, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens; *DEUS propitius eſto mihi peccatori*; deſcenditque exinde juſtificatus in domum ſuam. Publicanorum erat vectigalia exigere, eóſque Divus Chryſoſtomus appellat *humanæ impietatis limen*; ideóque abominabiles erant Judæis, qui & pietatem zelabant, & ab exactionibus liberi eſſe contendebant. Deo autem ille placuit ſe humilians; nam ut ibi Sanctus Auguſtinus ait, *DEUS cùm ſit omnium excelſiſſimus, non elatione ſed humilitate contingitur.* Econtra verò Phariſæi ſuperbientis, cæterósque contemnentis reijcitur oratio. Ut verum ſit, quod incomparabilis Heroina Judith vivo prolocuta eſt in ſua viduitate oraculo. *Nec enim ſuperbi ab initio placuerunt tibi; ſed humilium & manſuetorum tibi ſemper placuit deprecatio.* Ut oratio tua ſit humilis, hoc tibi in imaginatione ſiſtema facito: Statue tibi temetipſum, ac ſi conſiſteres tanquam maleficus, compedibus conſtrictus, coram tribunali; ac ſi contremiſceres de inferendâ mortis ſententiâ: ac ſi lachrymas funderes de commiſſis exorbitantijs; ac ſi plorabundus peteres veniam & gratiam; ac ſi ſeriam juramento ſolenni promitteres emendationem; ac ſi tandem impetratâ gratiâ tuæ priſtinæ reſtituereris libertati. Eo modo, quo Seraphicus Pater Franciſcus in oratione ſeſe exercebat: imaginabatur ſibi, quomodo ſtaret coram diſtricto Dei judicio, quomodo omnes maleficos ſuis ſuperaret iniquitatibus, quomodo cœleſtem Patrem pro gratiâ & auxilio imploraret; quomodo ad pedes Judicis ſeſe proſterneret, quomodo ſibimetipſi ſuos nævos improperaret, quomodo ſe in conſpectu Altiſſimi humiliaret: & ſic orando *exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ.*

Oratio ſit humilis.

Plinius l. 10. c. 29.

Cant. 5. v. 11.

S. Auguſtin. hom 50. ſuper Luc. 18. v. 13.

Judith. 9. v. 16.

Meru-

282. Oratio ſit pura & merat.

Merula communiter nigra eſt; ſed verò *rara avis in terris*, ſi quæ merula capiatur alba: in Achaia tamen merulæ communiter inveniuntur candidæ. Imò teſtatur Solinus, ſe in palatio cujuſdam Cardinalis candidiſſimam merulam vidiſſe, allatam ex Caturcena Galliæ Provinciâ. Rara quidem avis in terris noſtris Merula candida, ſed verò imitatione frequens; nam qui ſuis precibus à DEO intendunt exaudiri, ſinceræ, candidæ, & ſuper nivem dealbatæ debent eſſe conſcientiæ. Quis enim tantæ temeritatis eſſe præſumat, ut ſibi de graviori noxâ conſcius à Ter Optimo Maximo Numine gratiam obtinere ſatagat, à quo potiùs pro delictis & offenſis indignationem, iram, & infernalia promerebatur ſupplicia? Tu ipſe inimico tuo affectum, & gratiam denegas ſupplicanti, & tanquam DEI inimicus exaudiri vis à DEO, æquiſſimo omnis iniquitatis vindice? Ad vos, quotquot gravioribus eſtis obnoxij delictis, per Iſaiam Prophetam, Divina repulſa intonat: *Cùm multiplicaveritis orationes, non exaudiam; quia manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine.* Lata, promulgata, & irrevocabiliter enuntiata eſt apud D. Joannem ſententia: *DEUS peccatores non exaudit.* Nam teſtante Nahum Prophetâ: *Facies eorum ſicut nigredo olla.* Et juxta Threnos Jeremiæ: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Vt exaudiaris, peccatorum gravium fuligines depone, ac nigredinis infernalis absterge maculas. In candidam Merulam tetrum oportet convertere amictum: & quia in Achaia albeſcunt; ah! in Achaiam te recipe; quod interpretatur *Soror laborans*, vel *Dolor & contriſtatio.* Ita ſcilicet anima Chriſtiana diſpoſita eſſe debet, ut laboret in gemitu pro peccatis, lachrymis ſtratum ſuum riget, contriſtetur & doleat de perpetratis; imitando Davidem in palatio, Magdalenam in domo Phariſæi, Petrum in cavernis petrarum, Pelagiam in receſſibus ſylvarum. Candida orantis puritas omni omnino confuſione libera eſſe debet, ut rectè admonuit Tertullianus; hoc eſt, quæ verecundari & confundi coram DEO nequaquam timeat, eò quòd oratio ejus *ſit de tali ſpiritu emiſſa, qualis eſt Spiritus, ad quem mittitur. Neque enim agnoſci poterit à Spiritu Sancto ſpiritus inquinatus, aut triſtis à cælo, aut impeditus à libero. Nam adverſarium recipit nemo. Nemo niſi comparem ſuum admittit.*

Geſnerus Schottus, Majolus & alij. — *Iſa.1.v.15.* — *Joan.9.v.31.* — *Nahum.2.v.10.* — *Thren.4.v.8.* — *Tertullianus L.de orat. c.10.*

283. Oratio ſit compoſita, attenta & religioſa.

Merula in eo maximè occupata eſt, ut pennulas ſuas in ordinem redigat, redactas conſervet: inquieta roſtro plumas ſuas ſtringit, dividit, componit, purgat, exſolvit nunc in alis, nunc ſubtus caudâ, nunc ſub abdomine, ſurſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, ubi redigantur pennæ in compoſitionem & ordinem. Pennæ noſtræ ſunt cogitationes mentis, quibus in omnes Mundi partes atque angulos evolando, liberi hinc inde vagamur, & repentè ab extremo ad extrema diſcurrimus. Ad obtinendum orationis noſtræ effectum, ait S. Ambroſius, *cogitationes ita componere debemus, ut ſemper tendant ad DEUM, & oratio fiat bonâ intentione in DEUM.* Non eſt oratio compoſita, quando DEUS labijs duntaxat honoratur, & cor deprecantis à DEO longè evolat. Si *vocalis* ſit oratio, quantùm fieri poteſt, mens & lingua conſentiant: ſi verò ſit purè *mentalis*, ut quid mens in mille diſtracta nugas, à DEI Majeſtate aberrat? Olim dives & lupus ex voto peregrinabantur ad celebrem quandam S. Wendelini Eccleſiam, ut pro ſua devotione ſuſpenderent anathemata, votàque exſolverent. Vterque orationem Dominicam magno auſpicabatur affectu. Dives quidem ſic ordiebatur: *Pater noſter, qui es in cælis*; peculium in ſcrinio melius eſt, quàm tinea in marſupio: *ſanctificetur nomen tuum*; non eſt ruſticus in pago, qui me ſuperet frumentis, vel denarijs in ſaeco: *adveniat regnum tuum*; meſſis multa, & pau-

S. Ambroſius l. 2 de Virginitate.

& pacci operatij, qui pro obulo portent onus diei & æſtûs: *fiat voluntas tua*; ut conjuge priore mortuâ, ditior & formoſior mihi nubat, &c. Ita ſuum continuabat affectum dives. Sed verò lupus, quia idiomate germaniſabat, orationis ſuæ telam taliter contexebat. *Pater noſter, qui es in cælis.* Schaaf auff grüner Hayd / machen dem Wolff ein gute Wayd: *Sanctificetur nomen tuum*; Schäffes Fleiſch mit Kelberfüſſen / kan der Wolff ſein Hunger büſſen: *Adveniat regnum tuum*; Kißl vnd Gaißl vnd Fähl el darneben / da führt der Wolff ein Himmliſches Leben: *fiat voluntas tua*; Hund an der Ketten / vnd Lämer im Stall / machen dem Wolff ein hurtiges Mahl/ꝛc. Vtriusque inepta ac diſperſa oratio labijs honorat DEUM, ſed corde ad ea diſtrahitur, quibus & dives ad opes, & lupus ad tapinam, ac quivis alius ad negotiationem ſuam eſt intentus. Quàm verè dixit Sanctus Chryſoſtomus: *ſæpè homo, cùm eſt in ſe, non eſt ſecum.* Multi Divinis officijs interſunt ſeduli, pervolvunt Officia ſacra, & omnium precum theſauros blaterando exſolvuunt; & tamen ne vix aliquando Altiſſimi Numinis eos ſubit recordatio. Similes ſunt prædio ruſtico varias aliorum ſervitutes in ſe ſuſtinenti, ubi omnium negotiorum curſores ſine viagio tranſeunt; ubi omnium paſſionum plauſtra ſine obſtaculo aguntur; ubi clitellarij omnium ſtultitiarum muli tritam inveniunt viam; ubi per extructa in aëre caſtella luminibus horrendè officitur; ubi etiam ſubinde cœnoſæ ſpurcitiæ per fœtidas cloacas deducuntur. Obſerva Angelici Doctoris doctrinam: *Si quis ex propoſito in oratione mente evagatur, hoc peccatum eſt, & impedit orationis fructum: evagatio verò mentis, quæ fit præter propoſitum, orationis fructum non tollit.* Nunquam ita ad orationem in tuis cogitationibus eris compoſitus, quam ſi præſentiam & negotium cum tremenda DEI Majeſtate tibi graviter ob mentis oculos ſtatuas. Nam ut D. Dionyſius graviter infert: *Divinitas ipſa quidem omnibus præſens, non tamen ei præſentia ſunt omnia: ſed cùm eam ſanctis precibus, & tranquillâ mente, & apte ad Divinam unionem animo appellamus; tunc denique nos etiam præſentes ſumus.* Quisquis es, qui cœlum, Sanctos, DEUM flagitandi gratiâ, templum aut oratorium ingrederis, præcipe tibi, & cum S. Bernardo dicito: *Expectate hìc cogitationes malæ, intentiones & affectus cordis, & appetitus carnis: Tu autem anima mea intra in gaudium Domini, tui, ut videas voluptatem Domini & viſites templum ejus.* Tali modo compoſita, attenta, & religioſa erit tua oratio. 284.

S. Chryſoſt. ſerm 5. de tempore.

S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 13. ad arg. 2.

S. Dionyſius c. 3. de divin. nom.

Oratio ſit reverentialis.

Merula pro delicijs balnea quærit: hìc mirè deliciatur, nunc antrorſum, mox retrorſum cedendo; nunc ſe conſtringendo, mox dilatando; nunc erigendo caput, mox contrahendo; nunc ſubmergendo, mox iterum emergendo; nunc alis percutiendo aquam, & fluctus undulando, mox quietè ſubſidendo; nunc caudam falcando, mox pennulas diſſolvendo: lepida merulæ in lavando negotiatio, & occupatio gravis. Tot tantiſque ſolennitatibus lotam & inſtructam decet eſſe orationem, ad hoc, ut compta appareat coram throno Divinæ Majeſtatis; tunc autem compta & lota evadet, ſi cum debitâ reverentiâ perſolvatur. Neque enim temerè aut petulanter accedendum eſt ad thronum Gratiæ, ad Divinæ Majeſtatis ſolium; ſed ſobriè, attentè, humiliter, &, quod ſingula exigit, *reverenter.* Enimverò ſi Græcus ille Legatus integro ſeſe diſpoſuit anno, ut cum debitâ reverentiâ ad Regis Perſarum audientiam ſe ſiſteret, Patriæ negotia efficaciter tractaturus; utpote qui haud ignorabat, à Principum oculis ac auribus oratorum actiones, & propoſitiones accuratâ trutinâ expendi; quàm ergo ſit temerarius & impudens, qui ad exorandum DEUM cœli & terræ, illotis manibus & buccis, ſine attentione ac devotione irreverentiſſimus accedere præſumit? Eximia erat Gentilium obſervantia, ut in exorandis ſuis Idolis reverentiæ debitæ exquiſitos frequentarent ritus: nam oraturi manus lavabant, ut puritatem animi & operam orantis deſignarent: veſtimentorum ſplendorem & penulas abijciebant, quaſi

Theoph. Raynaudus to. de virt. & vitiis fol. 3. &c.

pen-

penulatos Deus non exaudiat: ſedebant adoraturi Numen, ad inſinuandam ſedatam mentem, quæ Deum per orationem adeunti eſt neceſſaria: ſubinde etiam flectebant genua, aut certè ſtantes reſupini usque ſummos in ungues preces fundebant: ordinariè quidem *ad Solem orientem* inter orandum obvertebant faciem; aliàs tamen ad omnem cœli plagam, ubi Sol poſſet aſpici, ſe immutabant: elevationem manuum ad cœlum inter orandum, omnium gentium uſus recipiebat, ut nemo impuras habens manus audeat petere. Plures hujusmodi obſervabant cæremonias, ad ſignificandos orantis affectus; qui quia ritè ſedati eſſe debent, Stoici pronuntiârunt, *ſolum ſapientem nôſſe orandi ſcientiam, ſolum rectè orare ſcire, ſolum eſſe Sacerdotem.* His quidem ritibus ad comprecationes attendebant Gentiles; & jam quanta inter Catholicos irreverentia in Eccleſijs? coram venerabili Sacramento? coram altari Dei Altiſſimi? ridendo, confabulando? nugas & ineptias tractando? oculis evagando ad luxum, & luxuriā? de negotijs, domeſticis, vel publicis ſollicitando? legendo novalia ſub verbo Dei? quin & *circumornata* Veneris idola ſcandaloſè conſiderando, & adorando? Et horum orationes exaudiat Deus? complaceat ſibi in depravato Religionis profanatæ cultu? Filius Dei, Salvator Mundi, dum ad cœleſtem Patrem in horto Gethſemani de transferendo Paſſionis calice ſupplicaret, *procidit in faciē ſuā ſuper terram.* (*Matth. 26. v. 39. Marc. 14. v. 35.*) Tu qui cinis es & pulvis, putredo & eſca vermium, opprobrium hominum & abjectio plebis, qua irreverentiæ temeritate præſumis aperire labia tua ad Deum Altiſſimum?

285. *Oratio fiat perſeveranter.* *Merula* per majorem anni partem cantu ſuo ac modulamine occupatur, atque melodias humanas tam exactè imitatur, cåsque, quas ſemel didicit, reiterando conatur iterum iterúmque diſtinctiùs exprimere. Quando aliæ oſcines aviculæ poſt ſolſtitium ſuos dediſcunt cantus, Merula integrâ *æſtate canit*, *hyeme balbutit*, circa ſolſtitium muteſcit. Adeóque usque in profundum modulatur autumnum, *donec recedat Sol*, inquit Plinius. (*Plinius l. 10. c. 29.*) Scilicet haud ſufficit aliquoties oráſſe: donec calidi naturalis ſeſe diffundunt influxus, donec aſpiret æſtas præſentis vitæ; *donec recedat Sol* vitalis claritatis, *oportet ſemper orare, & nunquam deficere*: (*Luc. 18. v. 1.*) ſemper, id eſt, perſeveranter, diligenter, ſedulò. Venerabilis quidem Beda ait, *ſemper orat, qui ſemper ſecundùm DEUM operatur.* Ego autem intelligo, *oportet ſemper orare*, ut ſi primâ, ſecundâ vel tertiâ vice tuæ preces cœlos non penetraverint, tandem propter perſeverantiam exaudiat te Dominus. Non ordinariè ad primum ictum excutitur ignis de ſilice; *repetito ſæpiùs ictu ſternitur arbos*; ubi ſæpiùs ceciderit, *gutta cavat lapidem*: ſic & oratio ſæpiùs repetita, à Domino pro ſua exauditur reverentia. Juvat orare nunc per Dei Bonitatem & miſericordiam, nunc per Verbi Incarnati Paſſionem & merita, nunc per implorata Sanctorum patrocinia: juvat orare erectis manibus aut expenſis, elevatis oculis aut depreſſis, contrito animo aut erecto, flexis genibus aut ſubſtitutis: juvat imitari amicum illum in Evangelio, qui profundâ nocte venit ad alterum amicum, (*Luc. 11.*) petens ab eo tres panes, quos cùm primâ & ſecundâ vice obtinere haud poſſet, tandem propter importunitatem ſuam evicit: ſupplicem cum Merulâ juvat repetere cantilenam, & ſi non voce, mente ſaltem ad Deum frequenter exclamare. Id quod S. Auguſtinus fortiter ſvadet. (*S. Auguſtin. ſerm. de quadrag.*) [Cùm „oras, clama, non voce ſed mente: „nam & tacentes exaudit Deus; nec „quæritur locus, quantùm ſenſus. „Jeremias confortatur in carcere, Da„niel inter leones exultat, tres Pueri „in fornace tripudiant, Job nudus in „ſterquilinio triumphat, paradiſum „de cruce Latro invenit: *non eſt locus, „ubi non ſit DEUS, qui exaudiat.*]

286. *Orationis affectus varij per ſeniam muſicalem.* *Merula* quantumvis ſit nigri coloris, hujus tamen obſcuritatem cantûs modulamine recompenſat, ut ſupra tetigimus. Viſa enim merula, ait Berchorius, quæ novem notas concordantiæ muſicalis ita diſtinctè & ſub-

ſubtiliter exprimebat, ut à nullo potuerit muſico reprehendi. Superâſſe videtur hæc merula Guidonem Aretinum Monachum, florentem ſub Benedicto octavo Anno 1022. qui muſicas notas in ſex ſcalas, *ut, re, mi, fa, ſol, la*, tam proſpero eventu diviſit, ut puer paucis menſibus addiſcat, quod antea vix pluribus annis homo ingenio valens potuiſſet capeſſere. Si merula ſcalam muſicalem poſſit aſcendendo, & deſcendendo obire; multò ſubtiliùs anima in oratione occupata noverit ad ſcalam Jacob ſuos Angelos, hoc eſt, voces atq; affectus ſursũ erigere, ac deorſum dimittere; vel mentem ſublevando in Deum eximiâ charitate, vel deprimendo profundâ humilitate; nunc ad Thronum ſummæ Majeſtatis devotâ adoratione ſe elevando, mox ad ejusdem ſcabellum piâ ſubmiſſione ſe abjiciendo. In hac ſcala paſſim occurret B. molle, ſemitonum, & ad pœnitentis cordis ſuſpiria exprimenda appoſitum. Placet hanc muſicalem ſcalam cum merula ſub oratione tentare. Aſcendendum eſt ſupra ab infimo *VT. Vtinam* te Deum meum tam intensè diligerem, quantùm te Seraphinorum quiſpiam in cœlo, vel in terra amicorum intimus dilexit! *Vtinam* dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas juſtificationes tuas! *Vtinam* diſrumperes cœlos & deſcenderes, tuarum gratiarum imbre me obruendo! Ab *Vt* ſaltandum ad *MI. Mi* Domine *miſerere* noſtri, quia multùm repleti ſumus deſpectione! *Mi, mi*ſericordiæ ejus ſuper omnia opera ejus! *Mi, miſerere* mihi Jesu Fili David! Exinde tertius ſaltus ad *SOL. Vt, mi, ſol. Sol*ve vincla reis, profer lumen cæcis! *Sol*, à *Solis* ortu uſque ad occaſum, laudabile nomen Domini! *Sol*, *Sol*atium unicum animæ meæ Deus! Quòd ſi ad tentandum graduum muſicalium deſcenſum placet intonare, *la, fa, re*: ordiendus erit cantus à *LA. LA*, *la*vabis me Domine, & ſuper nivem dealbabor! *LA, la*bia mea aperies ad laudandum nomen tuum!, *LA*, *la*xa malum quod fecimus, auge bonum quod poſcimus! Patet hinc deſultus ad *fa, re. Fa, fa*ciem tuam non abſcondas à puero tuo! *Fa*ciem tuam averte à peccatis meis! *Fac* cum ſervo tuo ſecundùm bonitatem tuam! Tandem ad *RE* redeundum, & reali affectu ad Deum eſt concinendum. *Re, re*cordare Domine, quid acciderit nobis; hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos! *Re, re*cordare Domine, quid acciderit nobis; intuêre, & reſpice opprobrium noſtrum! *Re, re*cordare paupertatis & tribulationis noſtræ, quia humiliati ſumus nimis! Exinde mutatis, & variegatis hujus muſicalis ſcalæ gradibus mira reſonabit harmonia, & cantilena Deo gratiſſima. Hiſce jaculis cœlos expugnamus: hiſce ſcalis ſine gravamine aut difficultate unà cum Angelis ad Thronum æternæ Majeſtatis penetramus.

Baronius. 1022.

Vidimus & Merulas poni, quæ ordino tam canoro nos inſtruxerant quoad omnem conditionem ſub oratione obſervandam: quæ ut efficax ſit, debet fundi ſola ad Deum, ferventer, humiliter, purè, attentè & religiosè, reverentialiter, perſeveranter & affectuosè. Sic enim, ſi quid petierimus Patrem in nomine Filij ſui Vnigeniti, illud tandem nobis liberaliter largietur, pacem vivis, ſanitatem infirmis, gloriam Defunctis, Amen.

IN

DOMINI.

VIA AQUILÆ IN CÆLO.

Der Hochfliegende Adler im Himmel.

LEMMA.

Cubitique leves tenuantur in alas. Ovid. lib. 14. Metamor.

THEMA.

Dominus quidem IESVS, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum. Marc. 16. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS XXXI.

Qui Chriſtum aſcendentem in cœlos ſequi, & imitari vult altè volando, relictis alijs quibuscunque plumis aſſumat pennas ut aquilæ, volet & non deficiat.

287. Chriſtus aquila viã nobis in cœlum monſtrans.

TRia ſunt, quæ olim ſapientiſſimo Salomoni erant intellectu difficilia, cognitione obſcura, inveſtigatione abſcondita. *Tria ſunt mihi difficilia*, inquit, *& quartum penitus ignoro. VIAM AQVILÆ IN COELO: viam colubri ſuper terram: viam navis in medio maris; & viam viri in adoleſcentia.* (Proverb. 30. v. 19.) S. Ambroſius (S. Ambroſius l. 1. de Salomone, c. 3.) has incognitas vias ad Chriſtum collimat. Via aquilæ eſt Chriſti aſcenſio, via colubri ſuper terram eſt ejusdem reſurrectio, via navis in mari eſt ejus converſatio in terrâ, & *via viri in adoleſcentulâ*, ut aliqui legunt, eſt ejus conceptio in utero juvenculæ Virginis. Itaque Salomon ipſe teſtatur, ſe non intelligere Chriſti Aſcenſionem; & prætetea admiratur Eccleſia, cùm in Litanijs vocat eam *admirabilem*. Sicut enim Aquila ex omnibus alitibus ſola *directo* ad cœlum tramite aſcendit, dum reliquæ *oblique*; ita Chriſtus Servator noſter ac Triumphator glorioſus, mirabili & potentiſſimo modo aſcendit ad ineffabilem quietem, & ſummam regiam poteſtatem, ad ipſam DEI æqualitatem, ad cœleſtis Patris conſortium Regni ſuper omnes creaturas; nec tamen curru vehitur ut Elias, nec ſcalis adjuvatur ut Angeli à Jacob viſi, nec funibus elevatur ut exploratores Jerichuntini; ſed *gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum.* (Iſa. 63.) Nec tamẽ aſcendendo cœlos dividit, ſed penetrat; brachia non agitat *ſuper pennas ventorum*, ſed erecto corpore evolat, *cubitique leves tenuantur in alas.* Quò ſancti Apoſtoli, teſtes hujus admirabilis Aſcenſionis, in monte Oliveti prope regiam Palæſtinæ Metropolin ſuſpexerant, eò etiam D. Maximus intendit oculos, & ſuæ mentis explicavit ſententiam (S. Maximus hom. 1. de pent.): *Sicut aquila*, inquit, *humilia deſerit alta petit, cælorum vicina conſcendit: ita & Salvator humilia inferni deſervit, paradiſi altiora petijt, cælorum faſtigia penetravit.* Id ipſum nobis videnti-

dentibus atque ad cœlũ ſuſpicientibus contingit, quod catello in littore ſtanti, & videnti Dominum ſuum in nave diſcedere per velocem fluminis tractum; tunc enim currendo in littore tamdiu allatrat & ſequitur, quouſque tandem ejuſdem eripitur oculis; etiam flumini ſe committit, natando ſequi nititur, fruſtratus deſiderato Domino triſtis tandem ad ripam redit. Et *quomodo repente de terra ad cælos evolare poterit*, inquit devotiſſimus

Guerricus Abb. ſerm. de Aſcenſ. Dom.

Abbas Guerricus, *qui nunc exercitio & uſu quotidiano volitare non didicerit?* Vt ergo ſequi poſſimus ſervi Dominum noſtrum, liberati Redemptorem, pulli Aquilam; pennæ nobis creſcant ad evolandum, *cubitique leves tenuentur in alas*, ut quæramus, *quæ ſurſum ſunt*, ubi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens; *quæ ſurſum ſunt*, ſapiamus. Ergo de alis mihi hodie cum Dædalo laborandum, quas meis Auditoribus oportet affigere, ut liberi poſſint poſt Chriſtum evolare in cœlum. Vos interim, dum arduo labori inſiſto, dicite

Pſal. 54. v. 7.

cum Regio Pſalmiſta: *Quis dabit mihi pennas, & volabo & requieſcam?*

288\.

Aquila grandis Chriſtus magnarum alarum.

Ezech. 17. v. 3.

Non erunt nobis alæ tam aptæ ad evolandum, quàm alæ ex gravi ænigmate depromptæ, quod Deus per Ezechielem propoſuit Domui Iſraël ſolvendum. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri.* Ad literam ſignificabat hoc ænigma, regem Babylonis potentiâ & opibus maximum Nabuchodonoſorem venturum cum magno exercitu in Jeruſalem, & inde ablaturum præcipua ac pretioſa quæque. Ita nempe Rex Chaldæorum Nabuchodonoſor Proceres, ac Nobilitatem Judaicam, in captivitatem abduxit Babylonicam: Vngues aquilæ rapinam, alæ celeritatem, varietates & copia plumarum numerum & varietatem nationum in exercitu Chaldaico, corporis moles robur & potentiam ſignificat. Porro in ſenſu allegorico Chriſtus eſt hæc aquila, qui in die admirabilis Aſcenſionis ſuæ magnis potentiæ alis, magno Sanctorum Patrum (veluti membrorum ſuorum) ductu & exercitu, plenus decore & gloriâ tam corporis quàm animæ, venit ad Libanum cœli, & ibi accepit medullam cedri, id eſt, ſupremam gloriæ ſedem à dextris Dei. *Aquila grandis magnarum alarum.* Jovis armigeram aquilam olim cæca finxit Gentilitas, eò quòd eidem contra gigantes pugnanti arma ſubminiſtrârit. Oculis aquilinis, longiſſimè acutam porrigentibus aciem, quis neſcit maximam ineſſe perſpicacitatem? Pullos ad ſolem explorare dicitur, & nido deturbare tanquam degeneres, qui nictantibus eum oculis intuentur. Eſt hic genius

Ariſtot. l. 9. hiſt. animal. c. 34.

altarum mentium: *fortes creantur fortibus*, nec generoſæ aquilæ progignunt imbelles columbas: naſcuntur quidam ad ſceptrum, alij ad ſtivam: multi vocantur ad vitam, pauci eliguntur ad gloriam; omnibus frontem mentémque dedit Deus, ut cum aquilis in *altis ſtruant nidum ſibi*, ad cœlos evolent, & ſurſum ferantur ad Deum, ad meritorum coronam, ad felicitatis perpetuæ ſublimitatem; & quidem haud alijs alis, quàm magnis illis Aquilæ grandis.

289\.

Poſt Chriſtum mens ad cæleſtia erigenda.

Porro aquila ante pullos ſuos adhuc hærentes in nido volat, ut eos ad volandum provocet: ut teſtatur Moyſes in Deuteronomio, ubi ait, Deum ſimili modo evocâſſe Iſraëlem de Ægypto in terram Promiſſionis. *Sicut aquila provocans*, inquit, *ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas & aſſumpſit eum.*

Deut. 32. v. 11.

Quia ſcilicet per varia ſigna in Ægypto edita eum evocavit, & ad proſequendum iter incitavit, præcedens per Angelum ſuum in nubis lucidâ columnâ. Sic & Chriſtus in Aſcenſione ſuâ, videntibus diſcipulis ſuis, *aſſumptus eſt in cælum*, & ſicut aquila evolans provocavit eos ad ſimilem volatum, ſuíque ſequelam per cordis deſideria: ita videlicet, ut ſemper eſſe cum Chriſto deſiderarent, cordibus in cœlis fixi conſiſterent, & vinculo corporis per mortem ſoluto protinus læti hilareſque ad eũ properarent. Neq; enim alia de cau-

cauſâ eos ſecum ad Oliveti eduxit montem; quàm ut videntes Magiſtrum ſuum aſcendere, ardentibus eum ſequerentur deſiderijs. Hoc autem, quod illos agere voluit, vult nos omnes proſequi; ut nimirum de hac laborioſâ Ægypto educi cupientes, ſemper ad cœlum ſuſpiremus, & contendamus paſſibus deſideriorum; ac quando tempus eſt te ipſa abeundi, læto & prompto animo ad tantum iter nos accingamus. Ea quæ ſunt igneæ naturæ, ſurſum tendunt, ut fumus, calor, halitus, & his ſimilia; quæ ſunt naturæ terreſtris, tendunt deorſum: nos quia Chriſtiani ſumus, ibi figere tenemur noſtra corda, ubi vera ſunt gaudia; ut ibi ſit cor noſtrum quieſcens, ubi theſaurus noſter Chriſtus repoſitus honoratur. Quid non oblita eſt, in cæteris omnibus provida, in hoc ſolo parcior Natura, quòd homini, cui & erectum ad ſidera vultum, & mentem ad ſublimia ſpirantem dederat, non etiam alas opportuno in loco affixerit, quibus in aſcendendo ſupplere poſſit deciduam gravitatem, ad objecta caduca ac ter„reſtria detrahentem? [*Bonum tuum „quare* (ita enim Africanus Epiſcopus „aquilino calamo conſulit) *ô anima;*

S. Auguſtin. in pſal. [illegible]

„quare tuum bonum. Sunt enim & infe„riora bona, quæ alijs & alijs bona ſunt. „Pecori quid bonum eſt, niſi implere ven„trem, carere indigentiâ, dormire, ge„ſtire, vivere, ſanum eſſe, generare? „Tale tu bonum quæris? Cohæres Chriſti „quid gaudes, quia ſocius es pecori? Erige „ſpem tuam ad bonum bonorum omnium.] Ad ſuperna tuam ſpem erige gaudia, quæ longè terrenas noſtras tranſcendunt officinas: in altum evola, ubi deſpicere poſſis caduca humanæ ſocietatis ſolatia; ubi Regum palatia tibi apparebunt, ſicut formicarum latibula; ubi regnorum metropoles videbuntur eſſe ſordidi hirundinum nidi; ubi & penſiles Semiramidis horti tibi erunt puerorum crepundia. Quis credidiſſet, Senecam gentilem Philoſophum ad ſublimem hunc jam dudum collimâſſe ſcopum, & aqui-

Homines in profun. quæſ.

linis pennis ſublevatum ad has ter„reſtres ſubriſiſſe comœdias? [Ju„vat, inquit, inter ſidera vagantem, „divitum pavimenta ridere, & to„tam cum auro ſuo terram; & con„temnere porticus, & lacunaria „ebore fulgentia, & tonſiles ſyl„vas, & derivata in domos flumi„na. Etiam terrarum Orbem ſuper„nè deſpiciens, ſibi ipſe ait: *Hoc eſt „illud punctum, quod inter tot gentes „ferro & igni dividitur.* O quàm „ridiculi ſunt mortalium termini!] Ita diſcurrit Chriſtianiſſimus Seneca, & ut poſitum ſcopum attingat profundiùs, contexit periodum „[Cùm te in illa verè magna ſuſtu„leris, quoties videbis ire exercitus, „ſubjectis ire vexillis; formicarum „iſte diſcurſus eſt, in anguſto la„borantium. Quid illis & nobis in„tereſt, niſi exigui menſura corpu„ſculi? Punctum eſt illud, in quo „navigatis, in quo bellatis, in quo „regna diſponitis: *Surſum ingentia „ſunt ſpatia, in quorum poſſeſſionem „animus admittitur.*] Vt quid *filij hominum, uſquequo gravi corde,* pigeat vos mentis oculos irretortos elevare in cœlum? Vt quid pro glebâ terræ cruentos agitis conflictus; pro ſpatio pedis pretioſas formatis lites; pro modico agri termino ad rixas, ad cædes effreveſcitis, quando reſpectu cœli, hic totus globus Terraqueus *punctum eſt illud, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur?* In quo circumſepti atque concluſi de promulgandâ famâ, de proferendo nomine, de puncto honoris & reputationis, perpetua viget diſceptatio. *Surſum ingentia ſunt ſpatia, in quorum poſſeſſionem animus admittitur,* ſi pennas Aquilæ aſſumpſerit, *Cubitúque leves tenuentur in alas.*

Viam aquilæ in cœlo, & elevationem 190.
Chriſti ſuper ſidera, ex omni terræ angulo præ oculis videmus, ita ut nihil ſuperſit agendum, quàm ut ſequamur. Verùm id nobis ſine alarum adjutorio haud poteſt poſ-

Hypocrita non evolat in cœlum.

ſibile contingere. Sanctus Pater Ignatius cuidam devoto novellæ ſuæ Societatis Patri, Sodevillæ dicto, eò quòd contra Inſtituti Regulas pro ſuo genio certas orandi formulas, modos ac praxes inſolenter exerceret; hanc pœnitentiam injunxit, ut pictas alas ſuis pedibus alligaret, ac publicam diſciplinam faciendo circuiret in Collegio, obviósque alloqueretur: *noli volare ſine alis, noli volare ſine alis.* Multi aſſumunt ad volandum pennas, ſed non ut aquilæ, neque ut columbæ; nec inſectantur *pennas ventorum:* quin potiùs Struthionum plumis calamiſtrari, ceu Perſeus aut Bellerephon, *dum evolant, revolant*; non obſtante, quòd ſolertiſſimus naturalium proprietatum enuntiator Jobus quandam herodij aut accipitris velocitatem pennæ Struthionis accommodet. *Penna Struthionis*, inquit, *ſimilis eſt pennis herodij & accipitris.* Quid hoc myſterij; non eſt pernicis volatûs Struthio; gravis eſt mole; difficulter *evolat, revolat* decidendo: nulla ipſi pars cum pernicitate accipitris aut herodij, in ſublimi hilariter gyrantium ſpiras ſuas. Ignorarem myſterij ſolutionem, niſi prolati dogmatis moralem intellectum Divus Gregorius aperiret: *Ita ſunt*, ait, *nimirum omnes hypocritæ, qui dum bonorum vitam ſimulant, imitationem ſanctæ converſationis habent, ſed veritatem ſanctæ actionis non habent: habent quippe volandi pennas per ſpeciem, ſed in terrâ repunt per actionem.* Sub ſpecimine larvatæ, puerilis, aut irrationabilis devotionis multi ſibi perſvadent, ſe videre cœlos apertos, ut Stephanus & Paulus; ſe in flammis ardere, ut Philippus Nerius; ſe inter Angelos ſublimè converſari, ut Maria Magdalena, aut Petrus noſter Regulatus: & ſubinde non deficiunt alæ orationis, meditationis, contemplationis, amoris, atque exinde reſultantium deſideriorum cœleſtium; ſed verò graviuſcula moles ſenſibilitatum, paſſionum, philautiæ, ac terreni hominis ſubitò eos gravat, & velut Struthionem deijcit. *Habent quippe volandi pennas per ſpeciem, ſed in terrâ repunt per actionem* ſuæ larvatæ hypocriſis. Quid illis fiet, qui velut aſſati Phaſiani aut Perdices in paropſide portantur ad menſam Magnatum, alis & capitello donantur in formam volantis; nec tamen altiùs aut ampliùs volant, quàm ex patinâ ad orbem, ab orbe ad dentes, à dentibus ad ventriculum ac denique ſeceſſum; ſicque duntaxat delicioſo palatui in prædam cedunt. Scilicet haud altè ſeſe elevant hujusmodi ſapidè aſſati, & ad formam alati phaſiani; quia Oſeæ oraculo, *ligavit eos ſpiritus in alis ſuis.*

Landtcius opuſc. 8 pag. 634.

Job. 39. v. 13.

S. Gregorius l. 31. moral. c. 2.

Oſeæ. 4. v. 19.

291\. Longè plures occurrunt aligeri homines, qui dum ad cœleſtem gloriam altè evolare ſibi videntur, necdum pedem de terrâ ſublevant. Junonem imitantur non pauci, & caudâ pavonis criſtati, ſublimes ſibi futuritiones arrogant; & in præſumptuoſo ſuo corde dicunt, ut ille olim Euro velocior Sathanas: *conſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſuper aſtra DEI exaltabo ſolium meum.* Ea nempe eſt ſuperbiæ indoles, ut omnia deſpiciat: ſed verò oculatum caudæ pondus tam potenter præſumptum gravat pavonem, ut præcipiti lapſu defluat, & in ſterquilinio ſubſideat. Vidit hujusmodi volantem Junonem; mentem, inquam, immoderatè ſibi eximiam, Iſaias Propheta, & tantò duriori, quantò veriori vaticinio compellavit. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua: concidit cadaver tuum; ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum vermes erunt.* Sunt, qui Tereum Thraciæ Regem imitantur, converſum in upupam propter adulterij crimen, quod in Philomela ſorore uxoris ſuæ Prognes turpiter raptâ ac violatâ commiſerat. Vpupæ quidem Natura de coloratis providit plu-

Nec ſuperbi, nec luxurioſi, nec maledici, nec avari, nec rapace, in cælum evolant.

Iſa. 14. v. 14.

Iſa. 14. v. 11.

Ovid. 6. Metamorph.

plumis, & ſuperbas impoſuit capiti criſtas: ſed verò ſegnior fuit in diſponendis alis, quæ tam breves ſunt & curtæ, ut upupa nec altè poſſit evolare, nec longè. Par eſt conditio luxurioſis, qui nutriuntur in croceis, & in cœno voluptatum nidificant; nec tamen ſequuntur Chriſtum aſcendentem in cœlum: *quoniam*, ut Paulus comminatur, *qui talia agunt, regnum DEI non conſequentur.* Non poteſt avis quantumvis alata ad ſidera tendere, ſi viſco aut cœno ſit illita. Sed ita eſt, inquit Sanctus Bernardus: *Viſcus delectationis terrena volare non patitur, & citiùs retrahit mentem, ſi fortè aliquando ſublevetur.*

Galat. 5. v. 21.

S. Bernardus ſerm. 1. Vig. Nat.

Qui Pallænei ſunt, aut Hyperborei, Anſerum alis nixi, aſcendendo parum efficiunt, aſſveti potiùs in fæcibus & excrementis garrulum ſuum & maledicum verſari roſtrum, quàm de ſupernâ dulcedine paululum guſtare mellis. Nec quicquam præſtant volando, qui Jovis alitem Cygnum imitando in auriferis fluminibus circumnatant, & ex fundo piſcantur divitiarum prædam; quam projiciunt in ſacculum pertuſum, ne tam facilè ampliùs mundi uſuram aſpiciant: faciliùs enim eſt, camelum tranſire per foramen acûs, quàm ut avarus in cœlum evolet, quem perfidarum divitiarum iniquum pondus protinus deprimit, ne emineat. *Levis ad cœlum evola*, inquit S. Hieronymus, *ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera.* Nec quidquam efficitur pennis Harpyiarum; quêis Virgilio teſte,

S. Hieronym. in Ep. ad Exuperantium.

Virgilius 3. Æneid.

. . *Triſtius haud monſtrum, nec ſævior ulla*
Peſtis, & ira Deûm ſtygijs ſeſe extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fædiſſima ventris
Proluvies, uncaq; manus, & pallida ſemper
Ora fame.

De ijs loquor, qui in magnorum Principum Officijs ac Miniſterijs conſtituti, virgineas præferunt facies, dum commoda fiſci & juſſa Principum obſervant; interim uncis unguibus rapiunt, abſcondunt, aliorum fortunis ſeſe ditant, adipe ſaginant. Et licèt magnis quatiant clangoribus alas, ut in cœlum conſcendant, facilè tamen iterum ad conſvetas detrahuntur rapinas. Hi omnes enumerati, & quidquid gravium peccatorum fæcibus eſt agglutinatum, tametſi conentur, volando nunquam ſequentur Chriſtum aſcendentem in cœlos. *Habent quippè volandi pennas per ſpeciem, ſed in terris repunt per actionem.*

292. Motus à centro optimum

Igitur Aquila grandis magnarum alarum nobis eſt neceſſaria, cujus imitatione ſublime hoc ad cœlos iter proſequamur. Triplicem naturæ aſſignant motum Philoſophi; quorum quilibet à Centro terræ menſuratur: quæ gravia ſunt, ex intrinſeco molis impulſu *deorſum* tendunt, & moventur *ad Centrum*; ut ſaxa, ligna, metalla, terreſtria, aquea: quæ levia ſunt, naturaliter aſcendunt *ſurſum*, & moventur *à Centro*; ut ignis, aër, & quæ ex his plurimùm componuntur: quæ verò à levitate & gravitate abſtrahunt, abſtrahunt ab utroque motu, & moventur *circa centrum*; ut ſphæræ planetares, & cœleſtes. Abſit, ut quâdam gravatæ peccatis conſcientiæ mole deorſum tendâmus, & miſerè deprimamur ad centrum, tantâ infernalium tenebrarum ſufflammatione & damnatorum catenâ munitum. Nec juvat, tepidorum more à gravitate aut levitate abſtrahere; aut cum impijs *in circuitu ambulare. Surſum ingentia ſunt ſpatia, in quorum poſſeſſionem animus admittitur.* Video in re per tot motus controverſâ intervenire Sanctum Ambroſium, & aſſumpto noſtro negotio alas

S. Ambroſius ſerm. 30.

addere. *Volare non poteſt*, inquit, *niſi quod purum, leve aut ſubtile eſt; cujus nec ſinceritas intemperantiâ retardatur, nec velocitas mole gravatur: gravari autē volatum dico, non tam mole membrorum quã delictorum.* Et in hoc motu ſurſum diſcedente à centro, nulla avis poteſt ſeſe elevare, niſi duabus alis enitatur; ad ſurſum volandum *NON SVFFICIT VNA.* Nec ut quis elevetur ad vitam æternam, ſufficit ſola fides, ſed requiruntur etiam bona opera: nec ſufficit ſolum auxilium Divinæ gratiæ, ſed requiritur etiam noſtra cooperatio. *S. Macarius hom. 30.* Ad rem appoſitè S. Macarius ait: *Veluti volucris unam habens alam, hâc ſolâ volare non poteſt. Sic etiam Natura humana, ſi nuda per ſe maneat, & non miſceatur, ac particeps ſit Naturæ cœleſtis, nihil præclarum efficit.* Et verò ſurſum in DEO ponenda eſt motûs noſtri quietudo; nec patitur flamma ſeſe contineri, niſi tendat ſurſum ad ſuum centrum, in quo naturaliter ipſi bene ſit. DEUS in cœlo, in ſe eminenter continens omne bonum delectabile, eſt affectuum noſtrorum concentricatio; & inquietum eſt cor noſtrum, quouſq; duabus alis elevatum *QVIESCAT IN CENTRO*: ut rectè Jacobus Billius verſibus expreſſit. *Jacobus Billius Anthol.*

Ancipitis vitæ qui vis ſuperare labores,
Dilige quod ſemper verus amator habet.
In ſolo eſt mens tuta DEO, quem linquere nolens,
Nunquam erit æterno non opulenta bono.

Alioquin una præcisè ala non ſervit, niſi fortè ad excitandum ventum, cõmovendum aërem, aut certè ad abigendas muſcas pro flabello. Vt rectè non nemo manum pinxerit, tenentem unicam alam, quâ motum excitet & muſcas pellat, volens ſignificare, unicam alam ad nihil aliud conferre utilitatem, quàm ut *FVGENTVR DESIDES.*

Muſca fugantur deſides flabello;
Et improbo labore cordis ſomnia.

293. *Alæ Seraphin producuntur.* Jam verò propiùs ad ipſas alas, quibus evolemus, & faciamus aſcenſiones in corde noſtro, ut accedamus: Divus noſter Bonaventura in diſtribuendis alis nimis videtur liberalis fuiſſe: is enim & cuilibet Fideli in communi, & Prælatis ſuperioribus in ſpeciali, ſex proprias accommodat alas, quibus non difficulter evolare in cœlum poſſint. *S. Bonavent. to. 2. tract. de ſex alis Seraphim.* Fidelis quilibet ex ejus commendatione ſit alatus confeſſione, ſatisfactione, munditia carnis, puritate mentis, dilectione proximi, Charitate DEI. Prælatus verò non *elatus*, ſed *alatus* evolet zelo Juſtitiæ, pietate & paternâ compaſſione, patientia & conſtanti longanimitate, vitâ exemplari omnis virtutis, diſcretione ac prudentiâ, ac tandem familiaritate ac Vnione cum DEO. Etiam Seraphini & Cherubini à Prophetâ ſex alis videbantur armati; verùm quatuor indigebant ad velandos pedes & faciem, & duabus ad volandum duntaxat. Proinde de duabus alis eſt inquitendum; quæ ſi fuerint magnæ illius Aquilæ, aptiſſimæ erunt: nam Pierio teſte, *regnorum auguria ab aquilis ducuntur.* *Pierius l. 19.* Aquila C. Mario conſulatum præſignificavit. Octaviano Cæſari panem de manu abſtulit, Romanum Imperium dedit: ſuper Alexandri Magni caput placidè volitare viſa, victoriarum præſaglum dedit. Quis ergo nollet alis aquilinis evolare, queîs & triumphi, & victoriæ, coronæ ac regna cœleſtia præfigurantur. Volatum habent altiſſimum, & velociſſimum aquilæ: tam enim ſublimes ſurſum rectâ viâ, & deorſum tantâ velocitate ac impetu, jaculi inſtar, & rectâ itidem viâ feruntur, ut cæteras omnes longè ſuperent. Aldrovandus tam pernicis & alti volatûs cauſam adſcribit nervoſis alis, pennis maximè denſis, & corpori admodum exiguo, ſi alis & pennis comparetur, *Schottus l. 9. mirab. c. 1. ex Aldrovando.* Pernicitatem præ reliquis multi adſcribunt columbæ; ego aquilæ: nam & de Juſtis & Sanctis vaticinatur Iſaias: *Aſſument pennas ut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* *Iſa 40. v. 31.* Ne accipiaris hunc locum præcisè de regia alitûm ſpecie; occurrit D. Dionyſius, ſub aquilis Cherubi- *S. Dionyſius cœleſt. hier. c. 13.*

rubinos intelligens, quibus juſtos & ſanctos ſublimiori comparat intelle-„ctu. [Aquila, inquit, ſignificat re-„giam dignitatem Angelorum, mo-„túmque ad ſuperna tendentem, ce-„leremque volatum, atque ad captan-„dum neceſſarium teparandis viri-„bus cibum agilitatem atque vigilan-„tiam, & curſum ac facilitatem ſum-„mam; ac propterea vim illam ſingu-„larem ſpeculandi atque intendendi „liberè, directè, in nullam partem in-„clinando aciem luminum, in radium „illum uberrimum & lucidiſſimum „Deitatis, quem ex ſe inſtar ſolis „emittit]

294. *Alæ charitatis præſtantiſſimæ volandi in cælum.* Ne pateris, alas mihi deficere, quibus vos poſt Chriſtum ad cœlos evolare faciam: varias à Sanctis Patribus accipio mutuas, ut vos inſtruam; licèt tam liberalis haud ſim futurus, ac Seraphicus Doctor; veſtrûm quilibet duabus alis ſufficienter expeditus evolabit. Duas alas Charitatis *S. Ambroſius ſerm. 19. in Pſal. 118.* mirè commendant Divi Ambroſius & Auguſtinus, quibus nos volunt erga DEUM & proximum alatos. D. quidem Ambroſius poſtquam prolixè contexuiſſet utriusq; charitatis panegyrin [Bonæ, ait, alæ charitatis; veræ „alæ, quæ volitabant per ora Apoſto-„lorum, & alæ ignis, quæ purgatum „ſermonem loquebantur. His alis „evolavit Enoch, raptus in cœlum. „His alis evolavit Elias, raptus curru „igneo, & equis igneis ad ſuperna „translatus. His alis Dominus DEUS „per columnam ignis deducebat Pa-„trum plebem. Has alas habuit Sera-„phim, quando ſumpſit carbonem „ignis de altari, & tetigit os Prophetæ, „& iniquitates ejus abſtulit & pecca-„ta purgavit.] Legerat in hoc ſermone Mediolanenſis Archiepiſcopus ex Pſalmo 118. *Lampades ejus, lampades ignis*; & vertit tò *lampades* in alas ignis, adeóque ignitæ charitatis, de quibus more ſuo tam ardenter ſcripſerat. *S. Auguſtinus 10. ſerm. 20. de Verbis Apoſt.* Verùm S. Auguſtinus hiſce alis charitatis leviores nos fieri, ut more ignis à centro moveamur, & cœlum petamus, diſſerto ſermone comprobat. „[Hæc ſarcina, inquit, non eſt pon-„dus onerati, ſed ala volaturi. Ha-„bent & aves pennarum ſuarum ſar-„cinas. Et quid dicimus? *Portant* illas, „*& portantur*. Portant illas in terra, „portantur ab illis in cœlo. Tu ſi mi-„ſericordiam velis præſtare avi, præ-„ſertim æſtate, & dicas, miſeram „iſtam aviculam onerant pennæ, & „detrahas onus hoc; in terra remane-„bit, cui ſubvenire voluiſti. Porta er-„go pennas pacis, alas accipe chari-„tatis. Hæc eſt ſarcina: ſic implebitur „lex Chriſti.] Is ipſe Sanctus Pater Auguſtinus alio loco facit animam, *S. Auguſtin. in Pſal. 121.* terreſtribus affectibus exſolutam, ad cœlos ſic evolare: *Mundata anima ab affectibus ſordidiſſimis ſæculi, tanquam extenſis pennis & duabus alis reſolutis ab omni impedimento, id eſt, duobus præceptis dilectionis DEI & proximi, volat.*

Ita ad volandum expediti & inſtructi ſunt magni DEI amici, quibus plurimæ virtutum pennæ ſuccreſcunt, *cubitique leves tenuantur in alas*, ut diu noctúque ſuis affectibus & deſiderijs cœlos fatigent. S. Maria Magdalena *In vita ejus, c. 80.* de Pazzis, novum Eccleſiæ triumphantis ſidus, quod nuper in horizonte Romanæ Eccleſiæ per ſolennem canonizationem Chriſtiano orbi illuxit, affectuoſiſſimè ſolebat repetere: *Quadraginta diebus, mi IESV, manſiſti in terra, poſtquam à morte reſurrexiſti: & ego debeo intra diem & noctem quadrageſies elevare mentem meam ad te.* Et ne hujus in gloria ac canonizatione ſocium hîc prætercam, S. Petrum de Alcantara; tam ſublimè is alis charitatis evolavit, ut non tantùm mente in DEUM planè abſorptus inter Seraphicas verſaretur mentes, ſed etiam corpore elevatus volaret *ſuper pennas ventorum*, & velut alter aquilinus Evangeliſta Joannes in inſula Patmos novas videret Apocalypſes, ac ſacratiſſima Deitatis myſteria penetraret. Scilicet hanc artem aſcendendi in cœlum illa à ſuo S. Fundatore Elia, hic à ſuo Seraphico Patre Franciſco didicerant; qui utrique igneis curribus vecti longè feliciùs, quàm ullus apud Poëtas Phaëton, cœleſte ſuum iter ſunt emenſi. Par eſſe debet con-

ditio reliquorum Sanctorum, utriusque Charitatis alis Deo approximantium; quibus Venerabilis Abbaris Guarrici amoroſum dictum pro teſſera ſervit: ſcilicet *amare volare eſt; quantò amas ardentiùs, tantò volas altiùs.*

Guarricus Abbas ſerm. de Aſcenſ.

295. Ad alias divertamur alarum ſpecies, quas Sancti Patres & Doctores paſſim adminiſtrant. Sanctus Cæſarius animæ Deo devotæ duas alas attribuit, ſcilicet eleemoſynam, & „condonationem injuriarum. [Duo „ſunt, inquit, eleemoſynarum ge„nera; unum, quod pauperibus ero„gamus; aliud quod viciniſ vel fra„tribus noſtris, quotieſcunque in„nos peccaverint, indulgemus. „Vtrumque Deo auxiliante facia„mus; quia unum ſine alio nihil pro„deſt.] Paulò pòſt. [Nos verò, fratres, „iſta duo eleemoſynarum genera „nobis quaſi *ſpiritualium alarum reme„dia* præparemus, ut ad principalem „Patriam volare feliciter, ac venire „poſſimus.] Hugo de Sancto Victore, duæ pennæ, air, Sanctorum ſunt, Amor & Timor: nam vulgaris eſt parœmia, *Timor addidit alas*: de amore id longè verius, ut conſtat. Nec minoris pernicitatis ſunt aliæ alæ, quas Hugo animæ ſanctæ addit; ſcilicet cognitio, & affectio. De cognitione afferri poteſt illud Platonis in Theætreto dicentis, *ſcientias in anima eſſe ſicut aves in aviario, ut poſſit quoties velit capere, & habere qualibet ad votum, & rurſum dimittere.* De Affectione autem Sanctus Petrus Damia„ni loquitur ſic. [Nobis pro modu„lo noſtro pennæ ſunt inſitæ, virtu„tes ſcilicet ſpirituales, quibus ſi vi„riliter utimur, ad cœleſtia ſubleva„mur: ſin autem ex deſidiæ torpore „deponimus, neceſſe eſt, ut in ſurri„pientium vitiorum profunda mer„gamur.] Aiguanus humilitatem conjungit cum patientia in proſperis & adverſis; quibus expediatur anima à laqueis diaboli, & glutino mundi. Patientia quidem in ſe cùm aquilinâ magnanimitate polleat, omnia vincit volando, & pugnando. Humilitatem autem, cæteroquin profunda petentem, Sanctus Ephrem ita „ſvadet. [Humilitatem dilige, & nun„quam diaboli laqueis capieris: velo„ciſſimis enim humilitatis alis ſuble„vatus ſublimior eris, quàm ut inimici „retibus capi poſſis.] S. Joannes Climacus pernicitatem hujus volatûs putat conſiſtere in Actione & Contempla„tione. [Vtraq; enim, ait, eſt pennata, „& volat, ut Deo ſerviat, & illi ſe u„niat: Contemplationis tamen vo„latus altior eſt, atque mirabilior.] Sponſa contemplationi vacans, & amore Sponſi, hoc eſt, Chriſti, ſaucia dicit, lectulum ſuum, id eſt, conſcientiam & templum, eſſe floridum, tigna domûs cedrina, & laquearia cypreſſina, hoc eſt, mores & actus incorruptos. Cui congruit illud Boëtij metrum.

Varia alæ exponuntur ad volandum in cœlum.
S. Cæſarius hom. 32.
Hugo apud Pierium in Pſal. 54. v. 7.
Plato in Theæteto.
Petrus Dam. opuſc. 58. c. 21.
S. Ephrem. orat. de vitæ vivendi rat.
S. Ioan. Climac. grad. 4.
Cant. 1. v. 16.

Sunt pennæ volucres mihi,
Quæ celſa conſcendant poli;
Quas ſibi cùm velox mens induit,
Terras peroſa deſpicit.

Boëtius lib. 4. de conſol.

Similiter & Actio expedita eſt ala ad evolandum in cœlum: nam per eam anima ſancta à ſomno contemplationis, in quem præ amoris dulcedine inciderat, evocatur ad laborem operationis, & zelum animarum. Sanctus Laurentius Juſtinianus animæ duas appingit alas, orationem „ſcilicet atque jejunium. [Nihil ſub„limius, ait, nihil potentius homine „orante. Qui orat cum jejunio, du„plices habet alas, quibus ad riman„da cœleſtia ſuſtollitur: nam nec „oberrat, nec torpet, nec perire per„mittitur.]

S. Laurentius Iuſtin. tract. de ligno vitæ.

296. Ex his omnibus alis ad volandum tam expeditis, ad ſublevandum tam copioſis, & tam nervoſis ad aſcendendum, libera vobis, ornatiſſimi Auditores, conceditur optio, ut eligatis, quæ maximè vobis arriſerint; ſic enim mentis ſucreſcunt plumæ, *ſcapulique leves tenuantur in alas.* Quid randem ſupereſt, niſi ut Chriſtum ſequamur mente & ſpiritu veloces? Sanctus Ambroſius ingeminat, nos

Alis aſſumptis volandum eſt in cælum.
S. Ambroſius ſerm. 18. in Pſal. 118.

eſſe

eſſe ad volandum natos; & quid impediat volatum noſtrum? *Satis eſt*, inquit, *tibi*, *ut avem te eſſe noveris*, *aſſumptum in naturam volandi*. Crates in Epiſtola ad ſocios ait, hoc à Diogene frequenter uſurpatum, vel per ignes eundum eſſe ad beatitudinem. Longè magis ad eam eſt evolandum, cùm ſit locus naturalis animæ. Poſt hujus vitæ labores, & laborioſum hunc volatum, tandem penetramus ad Empyreas cœli Sedes: quæ deſignata eſt S. Euſebio Martyri, qui paulò ante diem mortis ſuæ manifeſtâ revelatione vidit, ſe Calendis Auguſti de monte ad montem volare;& propheticâ quâdam hoc interpretatus eſt, eo die exiturũ ſe eſſe de corpore. Hoc refert Sanctus Ambroſius: addit & Volare ſe de hac die vidit Martyr Euſebius, ſicut ſcimus. [Volare non poteſt, niſi quod purum, leve atque ſubtile eſt, cujus nec ſinceritas intemperantiâ retardatur, nec alacritas, nec velocitas, mole gravatur. Gravari autem volatum dico, non tam mole membrorum quàm delictorum.] Quòd ſi dicatis, mandata DEI gravia eſſe, & jugum Chriſti importabile; ideòque mirum haud eſſe, ſi tam pauci ſurſum evolent, ſed potiùs ſenſualitatum & delictorum pondere preſſi ad terram & terreſtria retrahantur.

S. Ambroſius ſerm. 90.

Sed verò nunquid idipſum, quod alis tribuitur, ſcilicet *ONUS LEVE*, quod corpus alitis ſimul *AGGRAVAT ET ALLEVAT*, etiam de lege ſuâ affirmavit Chriſtus: *Iugum meũ ſuave eſt, & onus meum leve?* Vbi novum quendam ſuperaddit motum S. Bernardus, ut nemo à difficultate legis obſervandæ retineatur in terrâ; *Lex*, inquit, *Chriſti onus eſt allevians, aut jugum liberans, ſimilis pennis avium, quæ corpulentiorem reddunt ſubſtantiam, & agiliorem.*

Matth. 11. v. 30.

S. Bernardus Ep. 72.

Vos omnes, qui in Oliveti monte ſtatis, aſpicientes in cœlum! vos, qui depoſitâ mole delictorum aſſumpſiſtis pennas ut aquilæ! vos qui ad cœleſtia Beatorum aſpiratis regna! vos, quibus ex ſublimibus virtutum plumis, animæ *cubiti faciles tenuantur in alas*! Abjicite pondus terræ, excutite ſenſuum oblectamenta, induite virtutem ex alto, inveſtigate viam Aquilæ in cœlo, alas expandite ad volandum; dicite cum S. Auguſtino: *Nihil nobis tam dulce, quàm cum Domino noſtro eſſe. Prabe nobis ergò, ò Triumphator, pennas, quibus induti poſt te volitemus ad te ſurſum: da quæſumus, toto deſiderio & ſtudio tendere eò, quò te aſcendiſſe credimus. Non deficiat ſpiritus noſter in volando; volet & perveniat uſque ad decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Amen.

S. Auguſtin. medit. c. 37.

DO-

denſibus atque ad cœlū ſuſpicientibus contingit, quod catello in littore ſtanti, & videnti Dominum ſuum in nave diſcedere per velocem fluminis tractum; tunc enim currendo in littore tamdiu allatrat & ſequitur, quousque tandem ejusdem eripitur oculis; etiam flumini ſe committit, narando ſequi nititur, fruſtratus deſiderato Domino triſtis tandem ad ripam redit. Et *quomodo repente de terra ad cælos evolare poterit*, inquit devotiſſimus Abbas Guerricus, *qui nunc exercitio & uſu quotidiano volitare non didicerit?* Vt ergo ſequi poſſimus ſervi Dominum noſtrum, liberati Redemptorem, pulli Aquilam; pennæ nobis creſcant ad evolandum, *cubitique leves tenuentur in alas*, ut quæramus, *quæ ſurſum ſunt*, ubi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens; *quæ ſurſum ſunt*, ſapiamus. Ergo de alis mihi hodie cum Dædalo laborandum, quas meis Auditoribus oportet affigere, ut liberi poſſint poſt Chriſtum evolare in cœlum. Vos interim, dum arduo labori inſiſto, dicite cum Regio Pſalmiſta: *Quis dabit mihi pennas, & volabo & requieſcam?*

Guerricus Abb. ſerm. de Aſcenſ. Dom.

Pſal. 54. v. 7.

288. Non erunt nobis alæ tam aptæ ad evolandum, quàm alæ ex gravi ænigmate deptomptæ, quod Deus per Ezechielem propoſuit Domui Iſraël ſolvendum. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri.* Ad literam ſignificabat hoc ænigma, regem Babylonis potentiâ & opibus maximum Nabuchodonoſorem venturum cum magno exercitu in Jeruſalem, & inde ablaturum præcipua ac pretioſa quæque. Ita nempe Rex Chaldæorum Nabuchodonoſor Proceres, ac Nobilitatem Judaicam, in captivitatem abduxit Babylonicam: Vngues aquilæ rapinam, alæ celeritatem, varietates & copia plumarum numerum & varietatem nationum in exercitu Chaldaico, corporis moles robur & potentiam ſignificāt. Porro in ſenſu allegorico Chriſtus eſt hæc aquila, qui in die admirabilis Aſcenſionis ſuæ magnis potentiæ alis, magno Sanctorum Patrum (veluti membrorum ſuorum) ductu & exercitu, plenus decore & gloriâ tam corporis quàm animæ, venit ad Libanum cœli, & ibi accepit medullam cedri, id eſt, ſupremam gloriæ ſedem à dextris Dei. *Aquila grandis magnarum alarum.* Jovis armigeram aquilam olim cæca finxit Gentilitas, eò quòd eidem contra gigantes pugnanti arma ſubminiſtrârit. Oculis aquilinis, longiſſimè acutam porrigentibus aciem, quis neſcit maximam ineſſe perſpicacitatem? Pullos ad ſolem explorare dicitur, & nido deturbare tanquam degeneres, qui nictantibus eum oculis intuentur. Eſt hic genius altarum mentium: *fortes creantur fortibus*, nec generoſæ aquilæ progignunt imbelles columbas: naſcuntur quidam ad ſceptrum, alij ad ſtivam: multi vocantur ad vitam, pauci eliguntur ad gloriam; omnibus frontem mentémque dedit Deus, ut cum aquilis in *altis ſtruant nidum ſibi*, ad cœlos evolent, & ſurſum ferantur ad Deum, ad meritorum coronam, ad felicitatis perpetuæ ſublimitatem; & quidem haud alijs alis, quàm magnis illis Aquilæ grandis.

Aquila grandis Chriſtus magnarum alarum. Ezech. 17. v. 3.

Ariſtot. l. 9. hiſt. animal. c. 34.

Porro aquila ante pullos ſuos adhuc hærentes in nido volat, ut eos ad volandum provocet: ut teſtatur Moyſes in Deuteronomio, ubi ait, Deum ſimili modo evocâſſe Iſraëlem de Ægypto in terram Promiſſionis. *Sicut aquila provocans*, inquit, *ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas & aſſumpſit eum.* Quia ſcilicet per varia ſigna in Ægypto edita eum evocavit, & ad proſequendum iter incitavit, præcedens per Angelum ſuum in nubis lucidâ columnâ. Sic & Chriſtus in Aſcenſione ſuâ, videntibus diſcipulis ſuis, *aſſumptus eſt in cælum*; & ſicut aquila evolans provocavit eos ad ſimilem volatum, ſuíque ſequelam per cordis deſideria: ita videlicet, ut ſemper eſſe cum Chriſto deſiderarent, cordibus in cœlis fixi conſiſterent, & vinculo corporis per mortem ſoluto protinus læti hilaréſq; ad eū properarent. Neq; enim alia de 289.

Poſt Chriſtum mens ad cæleſtia erigenda.

Deut. 32. v. 11.

cau-

cauſâ eos ſecum ad Oliveti eduxit montem; quàm ut videntes Magiſtrum ſuum aſcendere, ardentibus eum ſequerentur deſiderijs. Hoc autem, quod illos agere voluit, vult nos omnes proſequi; ut nimirum de hac laborioſâ Ægypto educi cupientes, ſemper ad cœlum ſuſpiremus, & contendamus paſſibus deſideriorum; ac quando tempus eſt re ipſa abeundi, læto & prompto animo ad tantum iter nos accingamus. Ea quæ ſunt igneæ naturæ, ſurſum tendunt, ut fumus, calor, halitus, & his ſimilia; quæ ſunt naturæ terreſtris, tendunt deorſum: nos quia Chriſtiani ſumus, ibi figere tenemur noſtra corda, ubi vera ſunt gaudia; ut ibi ſit cor noſtrum quieſcens, ubi theſaurus noſter Chriſtus repoſitus honoratur. Quid non oblita eſt, in cæteris omnibus provida, in hoc ſolo parcior Natura, quòd homini, cui & erectum ad ſidera vultum, & mentem ad ſublimia ſpirantem dederat, non etiam alas opportuno in loco affixerit, quibus in aſcendendo ſupplere poſſit deciduam gravitatem, ad objecta caduca ac ter„reſtria detrahentem? [*Bonum tuum* „*quære* (ita enim Africanus Epiſcopus „aquilino calamo conſulit) *ò anima*; „*quære tuum bonum. Sunt enim & infe*„*riora bona, quæ alijs & alijs bona ſunt.* „*Pecori quid bonum eſt, niſi implere ven*„*trem, carere indigentiâ, dormire, ge*„*ſtire, vivere, ſanum eſſe, generare?* „*Tale tu bonum quæris? Cohæres Chriſti* „*quid gaudes, quia ſocius es pecori? Erige* „*ſpem tuam ad bonum bonorum omnium.*] Ad ſuperna tuam ſpem erige gaudia, quæ longè terrenas noſtras tranſcendunt officinas: in altum evola, ubi deſpicere poſſis caduca humanæ ſocietatis ſolatia; ubi Regum palatia tibi apparebunt, ſicut formicarum latibula; ubi regnorum metropoles videbuntur eſſe ſordidi hirundinum nidi; ubi & penſiles Semiramidis horti tibi erunt puerorum crepundia. Quis crediddiſſet, Senecam gentilem Philoſophum ad ſublimem hunc jam dudum collimâſſe ſcopum, & aquilinis pennis ſublevatum ad has ter„reſtres ſubriſiſſe comœdias? [Ju„vat, inquit, inter ſidera vagantem, „divitum pavimenta ridere, & to„tam cum auro ſuo terram; & con„temnere porticus, & lacunaria „ebore fulgentia, & tonſiles ſyl„vas, & derivata in domos flumi„na. Etiam terrarum Orbem ſuper„nè deſpiciens, ſibi ipſe ait: *Hoc eſt* „*illud punctum, quod inter tot gentes* „*ferro & igni dividitur.* O quàm „ridiculi ſunt mortalium termini!] Ita diſcurrit Chriſtianiſſimus Seneca, & ut poſitum ſcopum attingat profundiùs, contexit periodum. „[Cùm te in illa verè magna ſuſtu„leris, quoties videbis ire exercitus, „ſubjectis ire vexillis; formicarum „iſte diſcurſus eſt, in anguſto la„borantium. Quid illis & nobis in„tereſt, niſi exigui menſura corpu„ſculi? Punctum eſt illud, in quo „navigatis, in quo bellatis, in quo „regna diſponitis: *Surſum ingentia* „*ſunt ſpatia, in quorum poſſeſſionem* „*animus admittitur.*] Ut quid *filij hominum, uſquequo gravi corde*, pigeat vos mentis oculos irretortos elevare in cœlum? Ut quid pro glebâ terræ cruentos agitis conflictus; pro ſpatio pedis pretioſas formatis lites; pro modico agri termino ad rixas, ad cædes efferveſcitis, quando reſpectu cœli, hic totus globus Terraqueus *punctum eſt illud, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur?* in quo circumſepti atque concluſi de promulgandâ famâ, de proferendo nomine, de puncto honoris & reputationis, perpetua viget diſceptatio. *Surſum ingentia ſunt ſpatia, in quorum poſſeſſionem animus admittitur*, ſi pennas Aquilæ aſſumpſerit, *Cubitique leves tenuentur in alas.*

S. Auguſtin. in epiſt. ...

Seneca in præfat. quæſt.

190. *Viam aquilæ in cœlo*, & elevationem Chriſti ſuper ſidera, ex omni terræ angulo præ oculis videmus, ita ut nihil ſuperſit agendum, quàm ut ſequamur. Verùm id nobis ſine alarum adjutorio haud poteſt poſ-

Hypocrita non evolat in cœlum.

plumis, & ſuperbas impoſuit capiti criſtas: ſed verò ſegnior fuit in diſponendis alis, quæ tam breves ſunt & curtæ, ut upupa nec altè poſſit evolare, nec longè. Par eſt conditio luxurioſis, qui nutriuntur in croceis, & in cœno voluptatum nidificant; nec tamen ſequuntur Chriſtum aſcendentem in cœlum: *quoniam*, ut Paulus comminatur, *qui talia agunt, regnum DEI non conſequentur*. Non poteſt avis quantumvis alata ad ſidera tendere, ſi viſco aut cœno ſit illita. Sed ita eſt, inquit Sanctus Bernardus: *Viſcus delectationis terrena volare non patitur, & citiùs retrahit mentem, ſi fortè aliquando ſublevetur.*

Galat. 5. v. 21.

S. Bernardus ſerm. 1. Vig. Nat.

Qui Pallænei ſunt, aut Hyperborei, Anſerum alis nixi, aſcendendo parum efficiunt, aſſveti potiùs in fæcibus & excrementis garrulum ſuum & maledicum verſari roſtrum, quàm de ſupernâ dulcedine paululum guſtare mellis. Nec quicquam præſtant volando, qui Jovis alitem Cygnum imitando in auriferis fluminibus circumnatant, & ex fundo piſcantur divitiarum prædam; quam proijciunt in ſacculum pertuſum, nè tam facilè ampliùs mundi uſuram aſpiciant: faciliùs enim eſt, camelum tranſire per foramen acûs, quàm ut avarus in cœlum evolet, quem perfidarum divitiarum iniquum pondus protinus deprimit, ne emineat. *Levis ad cœlum evola*, inquit S. Hieronymus, *ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera.* Nec quidquam efficitur pennis Harpyiarum; queîs Virgilio teſte,

S. Hieronym. in Ep. ad Eustochium.

Virgilius 3. Æneid.

. . *Triſtius haud monſtrum, nec ſævior ulla*
Peſtis, & ira Deûm ſtygijs ſeſe extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies, uncaq; manus, & pallida ſemper
Ora fame.

De ijs loquor, qui in magnorum Principum Officijs ac Miniſterijs conſtituti, virgineas præſeferunt facies, dum commoda fiſci & juſſa Principum obſervant; interim uncis unguibus rapiunt, abſcondunt, aliorum fortunis ſeſe ditant, adipe ſaginant. Et licèt magnis quatiant clangoribus alas, ut in cœlum conſcendant, facilè tamen iterum ad conſvetas detrahuntur rapinas. Hi omnes enumerati, & quidquid gravium peccatorum fæcibus eſt agglutinatum, tametſi conentur, volando nunquam ſequentur Chriſtum aſcendentem in cœlos. *Habent quippè volandi pennas per ſpeciem, ſed in terris repunt per actionem.*

Igitur Aquila grandis magnarum alarum nobis eſt neceſſaria, cujus imitatione ſublime hoc ad cœlos iter proſequamur. Triplicem naturæ aſſignant motum Philoſophi, quorum quilibet à Centro terræ menſuratur: quæ gravia ſunt, ex intrinſeco molis impulſu *deorſum* tendunt, & moventur *ad Centrum*; ut ſaxa, ligna, metalla, terreſtria, aquea: quæ levia ſunt, naturaliter aſcendunt *ſurſum*, & moventur *à Centro*; ut ignis, aër, & quæ ex his plurimùm componuntur: quæ verò à levitate & gravitate abſtrahunt, abſtrahunt ab utroque motu, & moventur *circa centrum*; ut ſphæræ planetares, & cœleſtes. Abſit, ut quâdam gravatæ peccatis conſcientiæ mole deorſum rendâmus, & miserè deprimamur ad centrum, tantâ infernalium tenebrarum ſufflammatione & damnatorum catenâ munitum. Nec juvat, tepidorum more à gravitate aut levitate abſtrahere; aut cum impijs *in circuitu ambulare. Surſum ingentia ſunt ſpatia, in quorum poſſeſſionem animus admittitur.* Video interre per tot motus controverſâ intervenire Sanctum Ambroſium, & aſſumpto noſtro negotio alas adde-

292. *Motus à centro optimum*

S. Ambroſius ſerm. 30.

addere. *Volare non poteſt*, inquit, *niſi quod purum, leve aut ſubtile eſt; cujus nec ſinceritas intemperantiâ retardatur, nec velocitas mole gravatur: gravari autē volatum dico, non tam mole membrorum quā delictorum.* Et in hoc motu ſurſum diſcedente à centro, nulla avis poteſt ſeſe elevare, niſi duabus alis enitatur; ad ſurſum volandum *NON SVFFICIT VNA.* Nec ut quis elevetur ad vitam æternam, ſufficit ſola fides, ſed requiruntur etiam bona opera: nec ſufficit ſolum auxilium Divinæ gratiæ, ſed requiritur etiam noſtra cooperatio. *S. Macarius hom. 32.* Ad rem appoſitè S. Macarius ait: *Veluti volucris unam habens alam, hâc ſolâ volare non poteſt. Sic etiam Natura humana, ſi nuda per ſe maneat, & non miſceatur, ac particeps ſit Naturæ cæleſtis, nihil præclarum efficit.* Et verò ſurſum in DEO ponenda eſt motûs noſtri quietudo; nec patitur flamma ſeſe contineri, niſi tendat ſurſum ad ſuum centrum, in quo naturaliter ipſi bene ſit. DEUS in cœlo, in ſe eminenter continens omne bonum delectabile, eſt affectuum noſtrorum concentricatio; & inquietum eſt cor noſtrum, quouſq; duabus alis elevatum *QVIESCAT IN CENTRO*: ut rectè Jacobus Billius verſibus expreſſit. *Iacobus Billius Anthol.*

Ancipitis vitæ qui vis ſuperare labores,
Dilige quod ſemper verus amator habet.
In ſolo eſt mens tuta DEO, quem linquere nolens,
Nunquam erit æterno non opulenta bono.

Alioquin una præcisè ala non ſervit, niſi fortè ad excitandum ventum, cōmovendum aërem, aut certè ad abigendas muſcas pro flabello. Vt rectè non nemo manum pinxerit, tenentem unicam alam, quâ motum excitet & muſcas pellat; volens ſignificare, unicam alam ad nihil aliud conferre utilitatem, quàm ut *FVGENTVR DESIDES.*

Muſca fugantur deſides flabello;
Et improbo labore cordis ſomnia.

293. *Alæ Seraphin producuntur.* Jam verò propiùs ad ipſas alas, quibus evolemus, & faciamus aſcenſiones in corde noſtro, ut accedamus: Divus noſter Bonaventura in diſtribuendis alis nimis videtur liberalis fuiſſe: is enim & cuilibet Fideli in communi, & Prælatis ſuperioribus in ſpeciali, ſex proprias accommodat alas, quibus non difficulter evolare in cœlum poſſint. *S. Bonavent. to. 2. tract. de ſex alis Seraphim.* Fidelis quilibet ex ejus commendatione ſit alatus confeſſione, ſatisfactione, munditia carnis, puritate mentis, dilectione proximi, Charitate DEI. Prælatus verò non *elatus*, ſed *alatus* evolet zelo Juſtitiæ, pietate & paternâ compaſſione, patientia & conſtanti longanimitate, vitâ exemplari omnis virtutis, diſcretione ac prudentiâ, ac tandem familiaritate ac Vnione cum DEO. Etiam Seraphini & Cherubini à Prophetâ ſex alis videbantur armati; verùm quatuor indigebant ad velandos pedes & faciem, & duabus ad volandum duntaxat. Proinde de duabus alis eſt inquirendum; quæ ſi fuerint magnæ illius Aquilæ, aptiſſimæ erunt: nam Pierio teſte, *regnorum auguria ab aquilis ducuntur.* *Pierius l. 19.* Aquila C. Mario conſulatum præſignificavit. Octaviano Cæſari panem de manu abſtulit, Romanum Imperium dedit: ſuper Alexandri Magni caput placidè volitare viſa, victoriarum præſagium dedit. Quis ergo nollet alis aquilinis evolare, quêis & triumphi, & victoriæ, coronæ ac regna cœleſtia præfigurantur. Volatum habent altiſſimum, & velociſſimum aquilæ: tam enim ſublimes ſurſum rectâ viâ, & deorſum tantâ velocitate ac impetu, jaculi inſtar, & rectâ itidem viâ feruntur, ut ceteras omnes longè ſuperent. Aldrovandus tam pernicis & alti volatûs cauſam adſcribit nervoſis alis, pennis maximè denſis, & corpori admodum exiguo, ſi alis & pennis comparetur. *Sebottus l. 9. mirab. c. 1. et Aldrovandus.* Pernicitatem præ reliquis multi adſcribunt columbæ; ego aquilæ: nam & de Juſtis & Sanctis vaticinatur Iſaias: *Aſſument pennas ut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* *Iſa. 40. v. 31.* Ne accipiatis hunc locum præcisè de regia alitūm ſpecie; occurrit D. Dionyſius, ſub aquilis Cherubi- *S. Dionyſius cœleſt. hier. c. 15.*

rubi-

rubinos intelligens, quibus juſtos & ſanctos ſublimiori comparat intelle-„ctu. [Aquila, inquit, ſignificar re-„giam dignitatem Angelorum, mo-„túmque ad ſuperna tendentem, ce-„leremque volatum, atque ad captan-„dum neceſſarium reparandis viri-„bus cibum agilitatem atque vigilan-„tiam, & curſum ac facilitatem ſum-„mam; ac propterea vim illam ſingu-„larem ſpeculandi atque intendendi „liberè, directè, in nullam partem in-„clinando aciem luminum, in radium „illum uberrimum & lucidiſſimum „Deitatis, quem ex ſe inſtar ſolis „emittit]

294. Alæ charitatis præſtantiſſimæ volandi in cælum.

Ne puteris, alas mihi deficere, quibus vos poſt Chriſtum ad cœlos evolare faciam; varias à Sanctis Patribus accipio mutuas, ut vos inſtruam; licèt tam liberalis haud ſim futurus, ac Seraphicus Doctor; veſtrûm quilibet duabus alis ſufficienter expeditus evolabit. Duas alas Charitatis mirè commendant Divi Ambroſius & Auguſtinus, quibus nos volunt erga Deum & proximum alatos. D. quidem Ambroſius poſtquam prolixè contexuiſſet utriusq; charitatis panegyrin [Bonæ, ait, alæ charitatis, veræ „alæ, quæ volitabant per ora Apoſto-„lorum, & alæ ignis, quæ purgatum „ſermonem loquebantur. His alis „evolavit Enoch, raptus in cœlum. „His alis evolavit Elias, raptus curru „igneo, & equis igneis ad ſuperna „translatus. His alis Dominus Deus „per columnam ignis deducebat Pa-„trum plebem. Has alas habuit Sera-„phim, quando ſumpſit carbonem „ignis de altari, & tetigit os Prophetæ, „& iniquitates ejus abſtulit & pecca-„ta purgavit.] Legerat in hoc ſermone Mediolanenſis Archiepiſcopus ex Pſalmo 118. *Lampades ejus, lampades ignis*; & vertit tò *lampades* in alas ignis, adeóque ignitæ charitatis, de quibus more ſuo tam ardenter ſcripſerat.

S. Ambroſius ſerm. 19. in Pſal. 118.

S. Auguſtin. 90. 10. ſerm. 20. de Verbis Ap. c. 5.

Verùm S. Auguſtinus hiſce alis charitatis leviores nos fieri, ut more ignis à centro moveamur, & cœlum petamus, diſſerto ſermone comprobat. „[Hæc ſarcina, inquit, non eſt pon-„dus onerati, ſed ala volaturi. Ha-„bent & aves pennarum ſuarum ſar-„cinas. Et quid dicimus? *Portant* illas, „*& portantur*. Portant illas in terra, „portantur ab illis in cœlo. Tu ſi mi-„ſericordiam velis præſtare avi, præ-„ſertim æſtate, & dicas, miſeram „iſtam aviculam onerant pennæ, & „detrahas onus hoc; in terra remane-„bit, cui ſubvenire voluiſti. Porta er-„go pennas pacis, alas accipe chari-„tatis. Hæc eſt ſarcina; ſic implebitur „lex Chriſti.] Is ipſe Sanctus Pater Auguſtinus alio loco facit animam, terreſtribus affectibus exſolutam, ad cœlos ſic evolare: *Mundata anima ab effectibus ſordidiſſimis ſæculi, tanquam extenſis pennis & duabus alis reſolutis ab omni impedimento, id eſt, duobus præceptis dilectionis* DEI *& proximi, volat.*

S. Auguſtin. in Pſal. 121.

Ita ad volandum expediti & inſtructi ſunt magni Dei amici, quibus plurimæ virtutum pennæ ſuccreſcunt, *cubitique leves tenuantur in alas*, ut diu noctúque ſuis affectibus & deſiderijs cœlos fatigent. S. Maria Magdalena de Pazzis, novum Eccleſiæ triumphantis ſidus, quod nuper in horizonte Romanæ Eccleſiæ per ſolennem canonizationem Chriſtiano orbi illuxit, affectuoſiſſimè ſolebat repetere: *Quadraginta diebus, mi* IESV, *manſiſti in terra, poſtquam à morte reſurrexiſti: & ego debeo intra diem & noctem quadrageſies elevare mentem meam ad te* Et ne hujus in gloria ac canonizatione ſocium hic prætercam, S. Petrum de Alcantara; tam ſublimè is alis charitatis evolavit, ut non tantùm mente in Deum planè abſorptus inter Seraphicas verſaretur mentes, ſed etiam corpore elevatus volaret *ſuper pennas ventorum*, & velut alter aquilinus Evangeliſta Joannes in inſula Patmos novas videret Apocalypſes, ac ſacratiſſima Deitatis myſteria penetraret. Scilicet hanc artem aſcendendi in cœlum illa à ſuo S. Fundatore Elia, hic à ſuo Seraphico Patre Franciſco didicerant; qui utrique igneis curribus vecti longè feliciùs, quàm ullus apud Poëtas Phaëton, cœleſte ſuum iter ſunt emenſi. Par eſſe debet con-

In vita ejus, c. 80.

ditio reliquorum Sanctorum, utriuſque Charitatis alis Deo approximantium; quibus Venerabilis Abbatis Guattici amoroſum dictum pro teſſera ſervit: ſcilicet *amare volare eſt; quantò amas ardentiùs, tantò volas altiùs.*

Guarricus Abbas ſerm. de Aſcenſ.

295. Ad alias divertamus alarum ſpecies, quas Sancti Patres & Doctores paſſim adminiſtrant. Sanctus Cæſarius animæ Deo devotæ duas alas attribuit, ſcilicet eleemoſynam, & „condonationem injuriarum. [Duo „ſunt, inquit, eleemoſynarum ge„nera; unum, quod pauperibus ero„gamus; aliud quod vicinis vel fra„tribus noſtris, quotieſcunque in„nos peccaverint, indulgemus. „Vtrumque Deo auxiliante facia„mus; quia unum ſine alio nihil pro„deſt.] Paulò pòſt. [Nos verò, fratres, „iſta duo eleemoſynarum genera „nobis quaſi *ſpiritualium alarum reme„dia* præparemus, ut ad principalem „Patriam volare feliciter, ac venire „poſſimus.] Hugo de Sancto Victore, duæ pennæ, ait, Sanctorum ſunt, Amor & Timor: nam vulgaris eſt parœmia, *Timor addidit alas*: de amore id longè verius, ut conſtat. Nec minoris pernicitatis ſunt aliæ alæ, quas Hugo animæ ſanctæ addit; ſcilicet cognitio, & affectio. De cognitione afferri poteſt illud Platonis in Theæteto dicentis, *ſcientias in anima eſſe ſicut aves in aviario, ut poſſit quoties velit capere, & habere qualibet ad votum, & rurſum dimittere.* De Affectione autem Sanctus Petrus Damiani loquitur ſic. [Nobis pro modu„lo noſtro pennæ ſunt inſitæ, virtu„tes ſcilicet ſpirituales, quibus ſi vi„riliter utimur, ad cœleſtia ſubleva„mur: ſin autem ex deſidiæ torpore „deponimus, neceſſe eſt, ut in ſurri„pientium vitiorum profunda mer„gamur.] Aiguanus humilitatem conjungit cum patientia in proſperis & adverſis; quibus expediatur anima à laqueis diaboli, & glutino mundi. Patientia quidem in ſe cùm aquilinâ magnanimitate polleat, omnia vincit volando, & pugnando. Humilitatem autem, cæteroquin profunda petentem, Sanctus Ephrem ita „ſvadet. [Humilitatem dilige, & nun„quam diaboli laqueis capieris: velo„ciſſimis enim humilitatis alis ſuble„vatus ſublimior eris, quàm ut inimici „retibus capi poſſis.] S. Joannes Climacus pernicitatem hujus volatûs putat conſiſtere in Actione & Contempla„tione. [Vtraq; enim, ait, eſt pennata, „& volat, ut Deo ſerviat, & illi ſe u„niat: Contemplationis tamen vo„latus altior eſt, atque mirabilior.] Sponſa contemplationi vacans, & amore Sponſi, hoc eſt, Chriſti, ſaucia dicit, lectulum ſuum, id eſt, conſcientiam & templum, eſſe floridum, tigna domûs cedrina, & laquearia cypreſſina, hoc eſt, mores & actus incorruptos. Cui congruit illud Boëtij metrum.

Varię alæ exponuntur ad volandum in cælum.
S. Cæſarius hom. 21.
Hugo apud Pinck in Pſal. 54. v. 7.
Plato in Theæteto.
Petrus Dam. opuſc. 52. c. 11.
S. Ephrem. orat. de recta vivendi rat.
S. Ioan. Climac. grad. 4.
Cant. 1. v. 16.

Sunt pennæ volucres mihi,
Quæ celſa conſcendant poli;
Quas ſibi cùm velox mens induit,
Terras peroſa deſpicit.

Boëtius lib. 4. de conſol.

Similiter & Actio expedita eſt ala ad evolandum in cœlum: nam per eam anima ſancta à ſomno contemplationis, in quem præ amoris dulcedine inciderat, evocatur ad laborem operationis, & zelum animarum. Sanctus Laurentius Juſtinianus animæ duas appingit alas, orationem „ſcilicet atque jejunium. [Nihil ſub„limius, ait, nihil potentius homine „orante. Qui orat cum jejunio, du„plices habet alas, quibus ad riman„da cœleſtia ſuſtollitur: nam nec „oberrat, nec torpet, nec perire per„mittitur.]

S. Laurentius Juſtin. tract. de ligno vitæ.

Ex his omnibus alis ad volandum tam expeditis, ad ſublevandum tam copioſis, & tam nervoſis ad aſcendendum, libera vobis, ornatiſſimi Auditores, conceditur optio, ut eligatis, quæ maximè vobis arriſerint; ſic enim mentis ſuccreſcunt plumæ, *ſcapulique leves tenuantur in alas.* Quid tandem ſupereſt, niſi ut Chriſtum ſequamur mente & ſpiritu veloces? Sanctus Ambroſius ingeminat, nos 296.

Alis aſſumptis volandum eſt in cælum.
S. Ambroſius ſerm. 18. in Pſal. 118.

eſſe ad volandum natos; & quid impediat volatum noſtrum ? *Satis eſt*, inquit, *tibi*, *ut avem te eſſe noveris*, *aſſumptum in naturam volandi.* Crates in Epiſtola ad ſocios ait, hoc à Diogene frequenter uſurpatum, vel per ignes eundum eſſe ad beatitudinem. Longè magis ad eam eſt evolandum, cùm ſit locus naturalis animæ. Poſt hujus vitæ labores, & laborioſum hunc volatum, tandem penetramus ad Empyreas cœli Sedes: quæ deſignata eſt S. Euſebio Martyri, qui paulò ante diem mortis ſuæ manifeſtâ revelatione vidit, ſe Calendis Auguſti de monte ad montem volare; & prophetiâ quâdam hoc interpretatus eſt, eo die exiturū ſe eſſe de corpore. Hoc refert Sanctus Ambroſius: addit & Volare ſe de hac die vidit Martyr Euſebius, ſicut ſcimus. [Volare non poteſt, niſi quod purum, leve atque ſubtile eſt, cujus nec ſinceritas intemperantiâ retardatur, nec alacritas, nec velocitas, mole gravatur. Gravari autem volatum dico, non tam mole membrorum quàm delictorum.] Quòd ſi dicatis, mandata DEI gravia eſſe, & jugum Chriſti importabile; ideóque mirum haud eſſe, ſi tam pauci ſurſum evolent, ſed potiùs ſenſualitatum & delictorum pondere preſſi ad terram & terreſtria retrahantur.

S. Ambroſius ſerm. 70.

Sed verò nunquid idipſum, quod alis tribuitur, ſcilicet *ONUS LEVE*, quod corpus alitis ſimul *AGGRAVAT ET ALLEVAT*, etiam de lege ſuâ affirmavit Chriſtus: *Jugum meū ſuave eſt*, *& onus meum leve* ? Ubi novum quendam ſuperaddit motum S. Bernardus, ut nemo à difficultate legis obſervandæ retineatur in terrâ: *Lex*, inquit, *Chriſti onus eſt allevians*, *aut jugum liberans*, *ſimilis pennis avium*, *quæ corpulentiorem reddunt ſubſtantiam*, *& agiliorem.*

Matth. 11. v. 30.

S. Bernardus Ep. 72.

Vos omnes, qui in Oliveti monte ſtatis, aſpicientes in cœlum! vos, qui depoſitâ mole delictorum aſſumpſiſtis pennas ut aquilæ! vos qui ad cœleſtia Beatorum aſpiratis regna! vos, quibus ex ſublimibus virtutum plumis, animæ *cubiti faciles tenuantur in alas*! Abiicite pondus terræ, excutite ſenſuum oblectamenta, induite virtutem ex alto, inveſtigate viam Aquilæ in cœlo, alas expandite ad volandum; dicite cum S. Auguſtino: *Nihil nobis tam dulce, quàm cum Domino noſtro eſſe. Præbe nobis ergò, ò Triumphator, pennas, quibus induti poſt te volitemus ad te ſurſum: da quæſumus, toto deſiderio & ſtudio tendere eò, quò te aſcendiſſe credimus. Non deficiat ſpiritus noſter in volando; volet & perveniat uſque ad decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Amen.

S. Auguſtin. medit. c. 37.

DO-

POST PASCHA.

PICA LOQUAX.

Die ſchwätzeriſche Atzel.

LEMMA.

Si me non videas, eſſe negabis avem. Mart. lib. 14.

THEMA.

Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. Ioan. 16. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS XXXII.

Prudenter ac modeſtè refrænanda loquacitas; ne raucâ Picarum garrulitate notati, graviter impingamus contra Fidelitatem Deo, nobis, & Proximo debitam.

297. Loquacitas frivola per picam ſymbolizata.

TAm frequenter nemo ex toto cœli volucrum collegio mutat vocem, ac Pica loquax: nam aliquando puerilem expreſſiſſe vagitum audita eſt; aliquando hædi primùm veluti à matre ſeparati querulam ediſſe vocem, mox vituli inſtar mugiſſe, ovis more balâſſe, inſtar paſtoris oves poſt paſcua ad potum deducentis ſibilâſſe. Omnium nempe animalium imitatur linguas, nunc acutè, mox raucè, nunc leniter, mox impetuosè, nunc lugubriter, mox iterum hilariter, nunc concisè, mox iterum clamat ex totis faucibus: ſubinde crederes, te audire venatorem inflantem cornu, ſubinde canem latrantem aut ovem balantem, & in tam miras proſilientem voces; ut rectè Poëta dixerit,

Opplanus, Geſnerus. *Pica loquax varias modulatur gutture voces,*

Mart. l. 14. *Scurrili ſtrepitu, quidquid & audit, ait.*

Ad exprimendam & addiſcendam humanam vocem ingenioſa valdè eſt Pica, ita ut frequens doceat experientia, eam longè expeditiùs hominem loquentem imitari, quàm ullum aliud animal; ut pulchrè citatus Poëta expreſſit, inducens ipſam Picam loquentem.

Pica loquax certâ Dominum te voce ſalutos: Mart. lib. 14.

Si me non videas, eſſe negabis avem.

Sed quid loquacem moror picam; ubi ex decem hominibus quintus aut ſextus quisque prodit, tantæ loquacitati aſſvetus, tam otioſis verbis, ineptis clamoribus, incompoſitis diſcurſibus, inſulſis relationibus, vocibus tam malè ſonoris occupatus, ut ab humanâ prudentiâ, pietate, modeſtiâ & omni virtute longè alienatus, ad ineptientis Picæ naturam ſatis propè accedens dici poſſit audienti: *Si me non videas, eſſe putabis avem.* Multa locutus eſt Chriſtus ſuis diſcipulis, & plena myſterijs, & ſcitu neceſſaria, & ſalutis bajula, & conſolationem ſpirantia, & cœleſtem doctrinam eructantia: ſed verò Picæ loquacitatis probro notatus eſſe noluit, cautelam modeſtiæ & pietatis ſuæ expoſuit,

fuit, ſoleoni proteſtatione contra ineptam loquacitatem excepit: *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.* Et ut hæc proteſtatio majus obtineat incrementum, poſtquam etiam ingrata, dura, & difficilia diſcipulis eventura prænuntiavit, eandem iteratò repetit: *Hæc locutus ſum vobis, ut cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* Licèt eoim liberaliter præter plurima gravis ponderis puncta prædixerit etiam diſcipnlis, eos ex Synagogis eijciendos, multisque injutijs afficiendos, eóq rem devoiuendam, ut omnis, qui interficit eos, arbitretur obſequiũ ſe præſtare Deo: *Optima tamen & utiliſſima eſt illa prædictio*, ut S. Cyrillus ſcribit, *quæ gravium malorum metum præmollit, & quaſi jam ea expertos ad animi virtutem revocat; refrigeſcit enim quodammodo periculi æſtus antè præviſus, & lentiùs invadit.* Sed verò quid mali, quid ſcandali, quid injuriarum, quid ineptiarum, quid ſceleſte noo ſubinfert humana loquacitas? Illud quidem hodie vobis, Auditores, per Picas loquaces tam graviter exhibebo dijudicandum, ut exinde ſincerum Eccleſiaſtici monitum veſtrûm cuilibet maneat aſſertum: *Indiſciplinata loquela non aſſveſcat os tuum; eſt enim in illâ verbum peccati.* Hæc audite, & Deus pacis erit vobiſcum.

Ioan. 16. v. 1. — S. Cyrillus Alexand. in Ioan. — Eccli. 23. v. 17.

298. Fœminæ loquaciſſimæ. Ex Poëtarum figmeotis ingenioſa conſtat fabula, qua Pierij, viri cujusdam prædivitis, venuſtiſſimæ filiæ cum Muſis in certamen canendo convenerunt. Argumentum cantûs Pieridibus à Gigantum adversùs Superos expeditione ductum eſt, eo qnidem eventu, affectúque, ut multa tribuerent illorum fortitudini; Deos verò pudendæ formidinis arguerent, qui quærendæ ſalutis causâ, diverſas & ridiculas animalium induerint formas. Viciſſim Muſæ laudes Deorum, præſertim verò Cereris, cecinernnt. Nymphæ hujus certaminis erant arbitræ, & finito carmioe Muſis adjudicârunt victoriam. Cúmque Pierides earum judicio oon acquieſcerent, ſed ultrò victrices Muſas miois accootumelijs laceſſerent, ſubitò in Picas ſunt converſæ: ex quo arguté Poëta canit.

Nunc quoque in alitibus facundia priſca remanſit,
Raucáque garrulitas, ſtudiúmque immane loquendi.

Ovid. 5. Metam.

In gratiam mulicbris loquacitatis ac levitatis, hanc fabulam retulit ſtudioſa Gentilitas: quid enim notius, quàm picarum garrulitas, & inquieta per ramos arborum deſultatio, per hortum diſcurſus, clamor importunus ſuper tecta? De Sempronia Gracchorum matre ſcribit Salluſtius: *Noverat pſallere, ſaltare elegantiùs, quàm neceſſe eſt probæ.* Multas utique imitatrices poſt ſe trahit Semptonia, quas juvat ad numeros, leviculos movere pedes, & viros fatigare ſaltando. Atque hæ volucres picæ, quot ubique excludunt pullos? In qua domo, io qua familia non eſt reperire ejnsmodi picas arrogantes, garrulas, ſaltatrices, convitiatrices; verbo, *loquaces*: quibus hoc ultimum prædicatum S. Auguſtinus cum D. Hieronymo, proprium eſſe ait qnarto modo. Ipſe ſequior ſexus id de ſe fatetur apud Comicum, nullo in ſæculo repertam eſſe dicens mulierem mutam, id eſt, non garrulam, non loquacem. Nec plures, quàm tres tantùm mulieres (ut habet adagium) præ loquacitate nundinas faciunt; id eſt, ſtrepunt & garriunt, ac verba fuſiſſimè texunt, ut fit in nundinis ex magna perſonarum frequentiâ conſtitutis: quin imò ab una ſola juxta Satyricum.

Salluſtius in Catil. — S. Auguſt. de civit. c. — In Aulularia.

- - *Verborum tanta cadit vis,*
Tot pariter pelues, & tintinnabula dicas,
Pulſari. Iam nemo tubas, atque æra fatiget:
Vna laboranti poterit ſuccurrere Lunæ.

Iuvenal. ſat. 6.

Sed ne ſolis fœminis impingamus hanc *picam*, ponamus etiam viros de linguis Picarum præcipuam hæreditatis particulam; & imprudenter, incautè, frivolè procaciter obvia quæque effutire ac loqui, ſive contra charitatem Dei ac Proximi, ſive io damnum aut detri- 299.

Quibus circumſtantijs ſit loquendum:

mentum tertij, ſive in ſcandalum ac deſtructionem audientis, ſive in diminutionem famæ alterius: ijs certè juxta Sapientis mandatum ſtateræ ponenda eſt, ut ritè loquantur. *Verbis tuis facito ſtateram, & attende, ne forte labaris in lingua.* Ejusdem mentis ac conſilij accedit Divus Auguſtinus: *Sicut eligis, quod veſcaris, ita elige, quod loquaris.* Adhuc diſtinctiùs methodum loquendi proponit Sanctus Gregorius: *neceſſe eſt,* inquiens, *ut cogitemus ſemper, quid loquamur, cui, quando, qualiter, quantum, & ubi.* Ex quo primò omnium obſervandum eſt, *quid loquamur?* Si illa ſint verba & monita ſalutis, quomodo ſenior Tobias dabat in captivitatem ductis tribubus Iſraël: ſi ad ædificationem, aut inſtructionem proximi conducant: ſi materiam honeſtam, aut utilem complectantur: ſi de Deo, aut divinis inſtituatur ſermocinatio: ſi de virtutum exercitio fiat conſultatio: tandem ſi pro refocillatione mentis de rebus indifferentibus, aut honeſtè jucundis fiant deductiones curioſæ; quidditas loquendi honeſtiſſima erit, ac cum recta intentione Deo complacens, & præmij cœleſtis meritoria. *Cui loquamur?* Quisquis ille ſit, Prælatus, Dominus, Paſtor ſpiritualis, religioſus, Doctor, nobilis, civis, mendicus, puer; cuique pro ſua conditione adhibendus eſt cultus, obſervantia, reſpectus, gravitas, & cum moderamine circumſpectio. Viris moderata & caſta competit cum fœminis collocutio: Virgines ad allocutionem viri paveant: ſolenniter excommunicato ſine minoris excommunicationis cenſurâ colloqui non licet. Omnibus his *honorem, cui honorem. Qualiter loquamur?* Conſideratè, non præcipitanter; graviter, non leviter; maturè, non præcociter; deliberatè, non imprudenter; ſobriè, piè, modeſtè, ſapienter & ſanctè; niſi ultrò velimus inſenſati, ac malè diſpoſiti videri audienti: nam juxta D. Auguſtini parœmiam, *Qualis eſt homo in mente, talem verboſitas depingit in ore. Quantum loquamur?* Etiam de rebus

Eccli 28. v. 29. 30.

S. Auguſtin. lib. de nat. & grat.

S. Gregor. hom. 11 in Ezech.

Tob. 1. v. 13.

C. cum excommunicato cauſ. 11 quaeſt. 4.

S. Auguſtin. ad frat. in Erem.

ſobrijs ne nimium; ubique parcâ quadam liberalitate loquendum. Sutor, ne ultra crepidam; pictor, ne ultra tabulam; alioquin *in multiloquio non deerit peccatum. Quando loquamur?* Interrogatio & reſponſio caſu conveniunt opportunè; negotia ſeria agitare inter ludicra, importunum; publica gaudia interrumpere odioſis illatis, importunum: ſacra miſcere profanis, aut profana ſacris, importunum; *Denique muſica in luctu, importuna narratio. Ubi loquamur?* Nec loci circumſtantia contemnenda: in foro nundinari, in domo converſari, in clauſtro moderatè loqui, in Eccleſijs præſertim tacere oportet. De oratorio jubet S. Auguſtin: *Nemo in oratorio aliud faciat, niſi ad quod factum eſt; unde & nomen accepit oratorium.* In ſcholis *garrientes* notantur, & à Pædagogo dignâ caſtigatione plectuntur: quid ſi hodie rediret S. Paulus ad noſtras Eccleſias, & tot videret diſſolutiones fidelium, irreligioſas collocutiones, leves garritus, riſus & cachinnos; quoties hic Gentium Ludimagiſter bacillo corriperet garrientes: *mulieres in Eccleſijs taceant!* Mulieres præcipuè; quia fœmina animal loquax & garrulum eſt, ut obſervat D. Chryſoſtomus, reddens rationem, cur Paulus mulieri ſilentium in Eccleſia indicat. An non putatis, dæmonem in Eccleſia notare, & inſcribere garrientes? Experientia demonſtrat ex Scala cœli: ubi legitur, quòd quidam devotus Sacerdos celebratâ miſsâ retrò altare viderit diabolum ſcribentem in pergamento longiſſimo: cúmque pergamentum ei deficeret, cœpit dentibus ampliare more ſutorum, ut majorem poſſet recipere ſcripturam: ad quem accedens Sacerdos in virtute Jesu Chriſti præcepit diabolo, ut præſenti omni populo diceret, quid ſcripſiſſet? Audacter is reſpondit: ſcripſi hic omnia mendacia, detractiones, aſpectus impudicos, cogitationes immundas, garritus, vanitates & omnia peccata populi, quæ hodie in iſta Eccleſiâ cōmiſerunt; quia hæc facta in Eccleſijs Deum graviter offendunt, & lætificant

Proverb. 10. v. 19.

Eccli. 22. v. 6.

S. Auguſtin. lib. de con. vita cleric.

1. Corinth. 14. v. 34.

S. Chryſoſt. hom. 1. ad Titum.

Joan. Junior. Ord. Præd. & magnum ſpec. Exempl.

nos inimicos DEI. Tunc Sacerdos aſſumpto pergamento, & peccatis lectis, populo ſvaſit pœnitentiam. Cúmque admonitione Sacerdotis perfectè fuiſſent confeſſi, illa tota ſcriptura fuit deleta de pergamento, & dæmon confuſus receſſit.

300. Cæterùm verò ad rem præſentem efficaciſſimè facit quidam D. Chryſoſtomi locus, quo docet, nos tunc opportuniſſimè loqui, cùm ita loquimur, „ut à Chriſto intelligamur. [Diabo„li, inquit, linguam habet, qui ut „diabolus loquitur. Quæ igitur ve„nia nobis dabitur, imò verò quæ „ſupplicia non pendemus, quando „linguam noſtram, qua Dominicam „deguſtavimus carnem, diaboli ſpon„tè linguam efficimus? Non faciamus, „oro; ſed omni ſtudio atq; curâ cone„mur, ut Dominum lingua noſtra di„ſcat imitari: quod ſi faciemus, non „dubito, quin ante Tribunal Chriſti „magnâ cum fiduciâ ſtabimus. Vbi ni„ſi quis in hac vitâ humiliter loqui di„dicerit, non intelligetur tunc à Chri„ſto. Quemadmodum enim ſi Roma„nus fortè fuerit Judex, non percipiet „rationes tuas, niſi latinè loquaris: „ſic etiam Chriſtus non audit, neque „attendit, niſi linguâ ſuâ utaris. Diſca„mus igitur ita loqui, ut Rex noſter; „& eâ linguâ verba proferre, qua ipſe „utitur. Imitemur diligenter linguam „illam in omnibus. In luctum inci„diſti, cave ne magnitudine doloris „os tuum evertatur; habes Chriſtum, „quem imiteris, nam & ipſe Lazarum „flevit. Timor incubuit tibi non par„vus, loquaris rurſum ſicut Chriſtus; „nam & ipſe propter te diſpenſatio„nis ratione in formidinem incidit; „dicas etiam tu, *veruntamen non ut ego* „*volo, ſed ut tu.* Lachrymas effundis, „moderatè id facito, ut Chriſtus. „Inſidijs circumventus es, & mœror „te occupavit, Chriſtum imitare, „qui & inſidias paſſus eſt, & con„triſtatus dixit: *Triſtis eſt anima mea* „*uſque ad mortem.* Omnium tibi re„rum exempla præbuit, ut terminos „conſerves, & conſtitutas regulas non „transgrediaris. Hoc modo poteris „os poſſidere ori Dominico ſimilli„mum: hoc modo in terris gradiens, „cœleſtem linguam habebis, datas tibi „in mœrore normas, datas in ira, da„tas in luctu, datas in ſolitudine, di„ligenter conſervans.] Digna hæc authore ſuo ſententia, merebatur juxta literam à nobis ad imitationem referri.

Oportet loqui ore & more Domini. S. Chryſoſtom. hom. 10. in c. 19. Matth.

Diverto nunc ex hiſce luſtratis opportunæ loquelæ circumſtantijs ad quandam Normandiæ civitatem, non ignobilem, Aranchanam; quò me ſubitò vocavit quædam Pica loquax, ſuo lepôre auditores ad ridiculam admirationem caſûs emergentis inducens. Erat hæc Pica cuidam œnopolæ domeſtica, & humanam loquelam imitandi ſtudio perquam laborioſa. Audiverat aliquando à Patrefamilias ad conjugem dici: *Muſtum deficit*; Germanis; **Der Moſt iſt auß.** Apprehendit hos terminos pica, & altero die extra januam ſuæ caveæ inſidens, quoties videbat tranſeuntem hominem, clamoroſè repetebat: *Muſtum deficit*: **Der Moſt iſt auß.** Ex quo emptorum nemo ingrediebatur de more hauriendi muſtum, quod pica clamabat deficere. Graviter inde œnopola indignatur, ægrè ferens, muſtum ſuum hac die prorſus nemini fuiſſe venale: nec advertit cauſam hujus defectionis, niſi quòd ancilla dixerit heræ, ſe hæc & hæc audiviſſe ſæpiùs à pica effutiri. Ergo impatiens Materfamilias picam arripit, & ad ſeveram caſtigationem ter quaterve aquæ gelidæ immergit, vix non ſubmergit. Evadens pica tam frigidum baptiſmum, ocyùs ad focum ſe recipit, tremit, & vicino calore gelu diſpellit. Interim vacca in ſtabulo ſuum excluſit fœtum; & quia vitulus propter auræ frigiditatem calore indigebat, pariter ad focum deportabatur. Videns pica hunc vitulum pari tremore algere & madere, quæſivit eum, quaſi ex compaſſione benediſtinctè alloquens: nunquid & tu dixiſti, muſtum deficit: **Haſt auch geſagt / der Moſt iſt auß:** Putabat

301. *Vana & otioſa locutio plerumque damnoſa eſt.*

Kellerus in quarta Cent. tur. hiſt. ex Ludovico Garon le Chaſſe Ennuy.

bat enim pica, ex pari demerito ſimilem caſtigationem vitulo contigiſſe. Non contingit facilior error, quàm in labijs vanè, inconſideratè, & inutiliter loquentis; præſertim quando in popinis proficiente multo deficit ratio, deficit modeſtia, deficit conſcientia: tunc loquaci ſtrepitu occulta quæque prodeunt, panduntur ſecreta, frigeſcit charitas, humor intumeſcit, & tremor ſubortitur: tunc loquacitatis temeritas prorumpit in convitia, maledicta, blaſphemias, perjuria, rixas, pugnas & cædes: tunc quando deficiente prudentiâ
Pſal. 11. v. 2. & 3. muſtû proficit, *diminutæ ſunt veritates à filijs hominum: vana locuti ſunt unusquiſque ad proximum ſuum*; non conſiderando, quid præjudicij importent verba ex proficiente muſto prolata. *Vana locuti ſunt*, hoc eſt, mendacia, quia diminutæ veritatis; *vana*, hoc eſt, inutilia, frivola, inania, ſuperflua, non ſolida: *vana*, id eſt, temporalia, caduca, & tranſitoria: *vana*, hoc eſt, ventoſa & otioſa. *Otioſum ver-*
S. Gregorius 3. parte paſt. admonit. 15. *bum eſt*, definiente S. Gregorio, *quod aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut intentione*
Matth. 12. v. 36. *piæ utilitatis caret*: & de hoc, quod locuti fuerint homines, reddent ratio-
Ariſt. l. 3. de generat. animal. c. 2. nem in extremi die judicij. Ariſtoteles obſervat, *ova ventoſa* fieri in quibusdam avibus, non tamen avibus boni volatûs; & hæc ſterilia non facere unquam pullos: non proveniunt verba otioſa ab animâ boni volatûs, ſed irregularis, temerarij, vertigino-
S. Bernardus ſerm. de tripl. cuſtodia. ſi. S. Bernardus ab hiſce ventoſis ovis, „& otioſis verbis, ita dehortatur. [Ne„mo veſtrûm, Fratres, parvi æſtimet „tempus, quod in verbis conſumitur „otioſis: ſiquidem tempus acceptabile eſt, & dies ſalutis; verbum volat irrevocabile, volat tempus irremediabile; nec advertit inſipiens, quid amittat.]

302. *Continentia linguæ difficilis.* Non rarò contingit Picæ loquaci, ut in ſtudioſitate addiſcendæ cujusdam propoſitionis aut pronuntiationis obmuteſcat, diu in ſilentio ſe præparans ad erumpendas voces; aut tandem ex indocilitate parœmiæ dicendæ planè crepet, ac elangueat. Caſus eſt notabilis, quem refert Plutarchus *Plutarchus de ani. maturum compa-ratione* de Pica repentè loquaci. [Tonſor quidam, officinam Romæ habens pro templo Fori Græci, garrulam ad miraculum usque & loquacem alebat picam. Hæc verba humana, voces ferarum, & organorum crepitus reddebat: nullius illa coactu, ſed meditans ipſa, elaboránsque, nihil, quod non exprimeret & ſimularet, prætermittere ſolebat. Fortè funus divitis cujuſpiam illac multis tubis, & lugubribus ducebatur epicœdijs. Quia verò eo loco de more conſiſtebat pompa; tubicines celebres, qui canere jubebantur, diu illic moram traxêre. Pica poſt illum diem muta & elinguis erat, neque vocem ſuam in laboribus neceſſarijs emittebat. Quapropter qui mirati antè fuerant ejus vocem, his majori miraculo erat ſilentium; & mutum acroama, quibus quotidianum illac erat iter. Conijciebatur autem in ejusdem artis opifices venenì ſuſpicio: major pars à tubis ſuſpicabatur præſtrictum fuiſſe ejus auditum, atque unacum auditu vocem extinctam. Cæterùm neutrum horum fuit; ſed meditatio, vi imitatrice in ſeipſam revocata, vocémque velut organum aptante, & inſtruente. Pôſt enim repente apparuit & intonuit vox, neque ex ſolitis illis & priſtinis ſimulacris quidquam, ſed tubarum cantilenas ijsdem periodis ſonabat, varietatésque omnes ac vocum cunctos numeros peragebat.] Hoc nempe lubricæ noſtræ linguæ malum eſt, quòd licet ſubinde per aliquot dies ſeſe à pernicioſa loquacitate cohibeat; tandem ad ſubſiſtendum impotens, ſubitò iterùm prorumpat in verba, & validos offuciarum aut cavillarionum profundat torrentes. Ita qui lubricâ graditur viâ, ubi vel ſemel incautè ſibi proſpicit, pronus repente corruit, pœnásque ſuæ curioſitatis exſolvit. Labile membrum eſt lingua, & inquietum; teneri non poteſt, ut anguilla: quam quidem in ſuo continere officio, majus eſſe cenſuit S. Auguſtinus, quàm ci- *S. Auguſtin. ſerm. 3. ad Fratres in Eremo.*
vitates occupare. Nemo equidem ab hac

hac labe ſe excipiat, quæ etiam perfectas & religioſas animas ſubinde ſolet coinquinare, teſtante S. Jacobo

Iacob. 1. v. 2. in ſuâ Canonicâ: *Siquis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Addit

Eccleſ. 7. v. 29. Eccleſiaſtes, vix *unum de mille reperi.* Quòd ſi verò præter intentionem effrænis lingua ſepes tranſſiliat & pontes, atque æquo plus loquatur, indulgendum eſt aliquid humanæ infirmitati. At verò diu diſſimulare injuriam non condonatam, palliare ſcintillantem paſſionem, præſtolari opportunam occaſionem, ſubitóque tandem proſilire in puncturas, emittere picas, obijcere nævos, convitiare ſubtiliter, mordaciter invadere; hoc denique ſignum eſt depravatæ mentis, malignantis naturæ, quæ famam, tranquillitatem, ac proximi decorem poſt ſe deſtruit, invadit, corrumpit.

Pſal. 139. v. 4. *Acuerunt linguas ſuas, ſicut ſerpentis; venenum aſpidum ſub labijs eorum: qui cogitaverunt iniquitates in corde ſuo, totâ die conſtituebant prælia.* Diogenem aut Agathonem imitentur hæ picæ, & lapide ori impoſito ſilentium ſibi præcipiant; aut certè inſtar mordacium canum dentes potiùs ſilici, quàm proximo impingant.

303. Loquacitas infamatoria deteſtabilis. Illud præterea obſervatur in picis, quòd de indemnitate loci vel horti, ubi nidificant, ſolertem gerant curam, inſidiàſque latitantium multis clamoribus manifeſtent, ita ut ſæpè propter ejus clamores à nocendi propoſito revocentur. Latet fur ſub frutetο; pica clamoroſa prodit: inſidiatur gallinis vulpes; pica clamoroſa manifeſtat: canis, aut catus aviculis inhiat; pica clamoroſa vociferatur,

Plinius & Iſidorus. *inſidiæ ſuper te Samſon.* At verò quando ipſamet pica inſidiatur, furatur, aut malũ machinatur, taciturnè procedit, & vult ſilentium ab omnibus ſervari, ut nemo facinoris ſui arbiter aut teſtis eſſe debeat. Paucos hìc credo futuros, qui non in Picarum exuvias aliquoties ſe transforment: prout aiunt, hanc formam picarum eſſe Sagis familiarem; variiſque exemplis

Delrio lib. 2. diſq. mag. ſect. 2. Stengelius lib. 3. c. 6. demonſtrant PP. Martinus Delrio & Georgius Stengelius, adducentes experientias, quibus, dum à venatoribus bombarda intenderetur in picas, deprehenſæ ſunt fuiſſe mulieres, arte præſtigiatoriâ apprimè inſtructas. De ijs ego potiùs tracto, qui picarum more ſuas nequitias exactiſſimè occultant, alienos exceſſus clamoroſè propalant: ſuas abominabiles exorbitantias, iniquitates, practicas, tam alto diſſimulant ſilentio, quàm denſo operculo picæ ſuas rapinas contegunt: nemo de ijs quidquam ſciat, ſuſpicetur, aut loquatur prorſus nemo. At verò ubi vel parum conſtiterit de proximi errato, de humano, quod ſubijt, deliquio; quanti clamores ubique intonant? quot ſtrepitus excitantur? quæ curſitatio per ædes? quæ referendi & calumniandi indoles? quot nefariæ proditionis inventiones? quàm injurioſi paſſim agitantur garritus de delinquente, de complicibus, de præteritis & conſequentibus? De Picis Braſſilicis aiunt, quòd ijs Natura roſtrum concreaverit longè majus, quàm totum eorum corpus poſſit exæquare; ijs ingentem copiam granorum piperis coacervatam ſibi reſervant. Itáne verò tot cumulant injurias, calumnias, & acrimonias maledici proditores? [Hujus rei vindictam horribilem valde, & mirabilem vidi, inquit Thomas Cantipra- Cantipratan. l. 2. cap. 1?

„tanus. Novi, ordine, non re; nomine, non actibus Sacerdotem, qui in tantùm vitio linguæ deditus erat, ut potiùs de ſe peſſima mentiretur, quàm non ſocios vel cohabitantes ſibi criminibus infamaret. Hic ante mortem raptus in furiam, tantâ in ſe debacchatus eſt cæde, ut proprijs dentibus linguam maliloquam laniaret, & palàm cunctis oſtenderet, quòd quia linguâ ſuâ doloſè egerat, & venenum aſpidum ſub labijs ejus, quaſi ſepulchrum patens guttur illius fœtorem deterrimum exhalaret; & per quæ peccaverat, per eadem torqueretur.]

Jam verò quod proprium eſt Picæ, 304. Secreta revelare eſt deteſtabile.

tacere non poſſe, latentia quæque

& ſecreta prodere, manifeſtare occulta; id multò magis plangendum in ijs, quibus picarum

- - Facundia priſca remanſit,
Raucáque garrulitas, ſtudiúmque immane loquendi.

Non equidem velim, quempiam exiſtimare, me loqui de Sacramentalis Tribunalis Præſide, qui ex humano, Divino, ac naturali jure obligatur eſt, arctiſſimo ſilentio tegere ſecreta pœnitentium delicta; ne alioquin exſciſſione linguæ à ſacris Canonibus perfida plectatur loquacitas. Illorum potiùs increpo garrulam perfidiam, qui naturali jure tenentur de ijs nihil palàm facere, quæ proximo poſſent vel in famæ, vel in corporis aut fortunarum diminutionem cedere; niſi oporteat coram habente legitimam juriſdictionem de propoſitis interrogatorijs modeſtum deponere teſtimonium. Suppono autem ex communi Theologorum ſententiâ, *Secretum eſſe id, quod à nemine vel à tam paucis ſcitur, ut neque ſit famoſum neque notorium.* Exinde omnes gentes averſatæ ſunt manifeſtantes occulta delicta, in damnum boni publici non patrata. Diodorus Siculus refert, Ægyptios hujusmodi proditoribus protractam linguam evulſiſſe: Paulus Jovius addit, eos fuiſſe à Romanis vel ad furcã, vel ad vivicomburiũ damnatos. Magna in his adhibenda eſt cautela, ne vel proximo, vel Chriſtianæ Juſtitiæ graviter officiatur. Quid de ijs ſentiendum, qui familiaris viciſſitudinis jura obliti, arcana propalant, amicç fidei ſanctiſſimè concredita? Eccleſiaſtici eloquio, *qui denudat arcana amici, perdit fidem, & non invenit amicum ad animam ſuam.* Acerbiſſimè ſenſit hanc improbam loquacitatem D. Auguſtinus, qui diſertis verbis, *Secretorum revelatione*, ait, *inter amicos nihil turpius, nihil execrabilius, nihil amoris vel gratia retinens inter amicos; ſed omnia replens amaritudine indignationis, & odij, atque doloris felle cuncta aſpergens.* Quæ in Capitulis, Dicaſterijs, Tribunalibus aut Prætorijs, Conſiliisque Politicis ac militaribus pertractantur, exactâ ſunt taciturnitate celanda. Pulcherrimorum conſiliorum fruſtrationes, & fœdi rerum exitus ſecretorum evulgationi ſunt adſcribendi. Fæmineo ſexui ſi quid arcani credas, id in vas pertuſum te immiſiſſe putes; per mille rimas effluet. Nullis propè tenetur ſecreti legibus mulier. Prærogativa hujus ſexûs eſt, nunquam, nusquam ſilere. Amat vulgari, videri, audiri: & ſi ſocia, ſi contubernalis, ſi amica deſit, ſecretiſſima quæque inimicæ aperiet. Quid? quòd voluptatis ſuæ, & libertatis magnam eſſe putet partem, ſi quod concreditum ipſi ingenuâ quadam libertate in amicæ ſinum profundat. Et certè quisquis rem mulieri commiſit, vulgari voluit: nec certior alia evulgandi ratio, quàm vel unius plerumque mulieris fidei rem committere, maximè ſi ſecretum pactus fueris: quo enim tu & ſanctiùs imperaveris, & ſanctiùs illa ſpopondent, hoc avidiùs in narrationem properabit, imò & provolabit. Neque enim ſatis illi iviſſe eſt; volare vult. Alas addit narrandi concredita, deſiderium; addit & timor, vereri enim credas diſrumpendam, ſi diutiùs hoc è recenti torculari muſtum pectoribus ſtringat. Ne mirere: ſervitutis enim genus eſſe quoddam putat, non poſſe loqui; libertatis, poſſe. Et quis vir hîc accuſet mulierem? Si ſilere ipſe non potuit, cur ſecretum à muliere ſperat? in criminis paritate, nónne majus primum manet authorem? Vult ſecretum ſuum vir? imperet linguæ: laxa vir? ne damnet mulierem, cujus omnis ſapientia in ore eſt. Hujusmodi veriſſimos ſimul ac clariſſimos diſcurſus exaggerat Scribanius: cujus nobiliſſima parœmia jam ſuperiùs effulſit; quòd *Taciturnitas ſit optimum, ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum.*

Diodorus Siculus l. 2. c. 2.

Paulus Jovius l. ſi quis parag. de panis.

Eccli. 27. v. 17.

S. Auguſtin. lib. de amic. c. 23.

Scribanius in Politico-Chriſtiano c. 27 & 13.

Restat unicum, quod in Pica 305.
obſervat Plinius. De terra & ſpinis in diverſis locis duos ſibi conſtruit nidos, ut ſi ex uno fuerit pulſa

Aſſentationis ac ſuſſurij loquacitas cavenda.

pulſa, ad alterum migret: exitum ſtruit ab introitu diverſum,& utrumque foramen ſpinoſâ ſepe bene munitum. Cùm diligentiùs viſum ab homine nidum ſenſerit, ova transfert aliò. (Plinius l.10. c.33.) Hoc in his avibus, quorum digiti non ſunt accommodati complectendis transferendisque ovis, miro traditur modo; namque ſurculo ſuper bina ova impoſito ac ferruminato alui glutine, ſubditâ cervice in medio, æquâ utrinque librâ deportant aliò. Advertitis utique, quo tendam: Nemo delinquit frequentiùs aut graviùs linguâ, quàm bilingues, ſuſurrones, & aſſentatores; qui aliâ viâ ingrediuntur, & exeunt aliâ; qui dicunt bonum malum, malum bonum; qui ova ſua utrisque humeris transferunt; qui duplici utuntur nido, uno quo in faciem benedicant, altero quo in tergum conijciant maledicta. Et in hac bilingui duplicitate *Alpi pen ea bas was tot habet ni quot gras*, ſuſurrando tranſpoſitis ſyllabis hoc idem ſignificat, *Pica habet tot albas pennas, quot nigras*: ut ubique pateat, nunquam candorem animi ſuſurronibus & aſſentatoribus eſſe ſine fuligine, nec fuliginem ſine candore. Rarò ſeparata eſt ab aſſentatione ſuſurratio: hæc tertio plurimùm obeſt, illa ſibi plurimùm conſulit. Vtraque ordinariè eſt oleum peccatoris, impinguans caput Magnatum, ac quorumcunque Superiorum, aut eorum, à quibus aliquid ſperatur. (Seneca in præfat. q. Nat.) Vt propterea Seneca adulatores deſcribat artifices ad captandos Superiores; qui quantâ eis difficultate obſiſtant, his præter cætera tradit, Luciliam ſuum informans. [Par illis, etiamſi bene caveris, non eris. Mihi crede, capieris, ſi proditioni ipſi te trades. Habent hoc in ſe naturale, blanditiæ; etiam cùm reijciuntur, placent: ſæpè excluſæ, noviſſimè recipiuntur. Hoc enim ipſum imputant, quòd repellantur; & ſubigi ne contumeliâ quidem poſſunt.] Et ementitur, tamen nihil minùs habet quidem aſſentatio, amicitiam ac benevolentiam: & ut Plautus (Plautus in Truculento.) dixit, *lingua ejus in melle & lacte, cor autem in felle & aceto*. Vnde non niſi apparentem benevolentiam continere agnovit Diogenes, cùm dixit, in (Apud Stobæum ſer. 14.) aſſentatione veluti ſepulchro quopiam, ſolum amoris nomen inſcriptum eſſe; amorem verò ſincerum, eóque nomine dignum, revera abeſſe. Nolo eſſe in hoc aſſentationis puncto prolixior, ne ipſemet ambidexter agere, & hac fatuitate larvatus cacozeliam exhibere videar. Brevi compendio has picas bicolores, bicordes, bigradas, bicolas fulminat Eccleſiaſticus: (Eccli. c. 28. v. 15.) *Suſurro & bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes.*

306\. Debet omninò prolocutio noſtra ſimilis eſſe Horologio, ex rotis & dentibus compoſito, cui Symboliſta ſubſcriberet: *NON SINE PONDERE SONUS*. (Horologij motus & ſonus eſt regula prolocutionis.) Neque enim moverentur rotæ, neque ordinarentur temporis menſuræ, neque horarum ſpatia diſcernerentur, niſi appenſi pōderis gravitas maturam & opportunam imprimeret commotionem. Famiani Stradæ huc tendit hortatio. (Famianus Strada.)

Diſcite NON ullam SINE PONDERE reddere vocem.

Quod ipſum Spiritus Sanctus Eccleſiaſtici prolocutione expreſſit: *Labia imprudentium ſtulta narrabunt: VERBA autem prudentium ſtaterâ PONDERABVNTVR.* (Eccli. 21. v. 28.) Vult dicere, prout interpretatur S. Petrus Damiani ad Petrum Cerebroſum: *Prudens quæ dicenda ſunt ponderat, & tanquam cautus viator ſolerter attendit, ubi lingua ſua veſtigium figat. Ille* (hoc eſt, imprudens) *quidquid occultum eſt per impatientiam fundi, producit in medium.* Horologium tali maturitatis & conſiderationis pondere actum, proſequitur ſuum ordinatiſſimum curſum, omnibus ex alto demonſtrans puncta laboris & otij, *VTROQVE INDICE CONCORS.*

Æneus hinc monitor turri ſonat, & ſimul horas
Mobilis inſcripto lingula in orbe notat.

Ex quo relatus Famianus politicum documentum extrahit, & præſertim pro Magnatibus & Principibus concludit: (Famianus Strada l. 2. prolus. Acad. 4.) *Diſcite (ne multa) ore, manûque loqui.*

Sed

Sed & antequam ſonet campana ex rotarum motu, quàm *SECUM MULTA PRIUS* perpendit Horologium? quàm tardè incedit? quàm frequenter ſe reflectit? quàm exactè ad hanc & illam ſuâ inquietudine reſpicit partem? usque dum reſolutione factâ, bis, ter, vel denique plenariè ſonet. Omnino graviter penſanda ſunt verba, antequam exprimenda; nec debet lubrica lingua præcipitanter turbare rotarum ordinem. Chilon, à Laërtio relatus, inſtruebat viros graves: *Non committendum eſſe, ut lingua præcurreret animum.* Et Agapitus in quadam Paraneticarum Epiſtola exhortabatur Juſtinianum Imperatorem: *Contemplator bene priùs, quàm mandes, quæ fieri velis: ſic fiet, ut ſemper jubeas prudenter, quæ fas eſt: lubricum enim eſt inſtrumentum lingua.* Famianus Strada paulò antè adductus, poſtquam accuratè Horologij artificium deſcripſit, ad graviores perſonas talem annexuit perſvaſionem.

Laërtius c. 3. c. 4.

Agapit. Epiſt. Paranet. 34.

At vos Heroës, quorum metimur ab ore,
Et regimus veſtro tempora noſtra ſono:
Diſcite NON DARE Poſcenti RESPONSA, PRIUSQUAM
MULTA AGITET SECUM MENS operoſa diu.

Ipſa etiam Campana ab ordinato Horologij motu percuſſa NOSCITUR EX PULSU; ſeſeque manifeſtat, an ſit horaria, vel quadrantaria. Divulgat enim ſubitò vocem ſuam, ac omnibus oppidi incolis ſui clangoris ſignificatione confert operationum regulas, & functionum periodos dictat. *In linguâ enim ſapientia dignoſcitur; & ſenſus, & ſcientia, & doctrina in verbo ſenſati.*

Eccl. 4. v. 29.

Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini in frivolâ, vanâ, calumnioſâ, denigratoriâ, propalatoriâ, aut aſſentatoriâ loquacitate; ſcientes, vos propter quodlibet verbum otioſum tremendo Judici rationem ſeveram reddituros. Me verò quotiescunque audieritis de hoc Cathedrali Pulpito liberaliùs, prolixiùs, ardentiùs & copioſiùs dicentem; ita conabor palàm loquendi ſubire munus, ut cum Gentium Doctore poſſim ſubſiſtere: *Coram DEO in Chriſto loquimur; omnia autem, Chariſſimi, propter ædificationem veſtram.* Amen.

2. Corinth. 12. v. 19.

IN

PENTECOSTES.

CANDIDA COLUMBA.

Die ſchneeweiſſe Tauben.

LEMMA.

Viſa eſt igni prodire Columba. Valerandus Varanius.

THEMA.

Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Ioan. 14. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS XXXIII.

Tantùm dignificata eſt Candidæ Columbæ ſpecies, ut ex ejus apparitione non ſolùm Divina Spiritûs Sancti præſentia, ſed etiam munificentiſſima liberalitas in ſeptem Donis ſvaviter eluceſcat.

387. Columba Spiritum Sanctum ſymbolizans.

ADeſte hujus magni Aviarij pennati Incolæ, & quo colorum ſplendore, quo plumarũ apparatu, quêis vocibus ac cantilenis muſicalibus poteſtis, hodiernam inſtruite Solennitatem, quam veſtram totius anni noſcitis eſſe principalem. Vbi enim Sanctiſſimæ Triadis Divini Collegæ conſultârunt de creaturis quibusdam ſelectioribus, ſpecialiter ſibi attribuendis; placuit æternò Patri per rubum ardentem, per nubem lucidam, per columnam ignis, per fulgura & tonitrua terribiliter ſe manifeſtare: placuit æterno Verbo tanto Hypoſtaticæ unionis vinculo ſibi conjungere Humanam Naturam, ut inter DEUM & hominem, infinitum & finitum, creatorem & creaturam, reſultaret quædam admirabilis idiomatum communicatio: Placuit æterno illi Flamini, à Patre Verbóque procedenti Sancto Spiritui, ex omnibus animantibus eligere Alitem unam, & ex omnibus alitibus eligere *Columbam* unam; ſub cujus ſpecie & candore ſeſe manifeſtaret hominibus. Non deſunt, qui locum Geneſis, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, volunt explicare de quadam candidiſſimæ Columbæ ſpecie, ſub qua tunc Spiritus Sanctus ſuper immenſam illam totius Vniverſi ferebatur molem: nam & Arabs legit: *Volitabat, ut ales ſe gerebat, alis ſe movebat*; & Sanctus Hieronymus: *Incubabat, ſive confovebat aquas*; & Lippomanus: *Spiritus DEI volabat, ſeu volitabat.* Verùm irrefragabile omnium quatuor Evangeliſtarum teſtimonium hic evincit, quòd Chriſtus à Joanne baptizatus confeſtim aſcendit de Jordanis aquâ, & apertis cœlis *vidit Spiritum DEI deſcendentem ſicut Columbam, & venientem ſuper ſe.* Non erat quidem vera illa & organica Columba, fuit tamen verum ſolidúmque corpus habens formam Columbæ, propter eximia ſua decora Spiritum Sanctum ſymbolizantis: ut meritò Columbæ ad tam Divinam

Geneſ. 1. v. 2.

Matth. 3. v. 16. Luca. 3. Marc. 1. Ioan. 1.

S. Auguſtin. de Agone Chriſtian. c. 12.

ſymbolizationem ſublimatæ ſpecialis quædam debeatur prærogativa laudis, qua omnes Muſicalis Alitum Collegij dotes longè antecellat. Promittit hodie Servator noſter amicabilem quandam viſitationem, illi conferendam ad conteſtandum reciprocæ dilectionis affectum, qui ſermonem ejus ſervaverit. *Si quis*, (*Ioan. 14. v. 23.*) inquit, *diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Pater & Filius ſe inuicem diligendo, ſpirant Spiritum Sanctum; & dum ad diligentes ſe veniunt, Spiritum Sanctum portant. & quidquid hic donorum continet, dilectis ſuis fidelibus conferunt. *Veniunt* (*S. Auguſtin. tract. 76 in Ioan.*) *ad nos*, inquit Sanctus Auguſtinus, *dum venimus ad eos: veniunt ſubveniendo, illuminando, implendo; venimus obediendo, intuendo, capiendo.* Dum illi Divini Sanctiſſimæ Monadis Triumviri ad nos veniunt donando, veniamus & nos ad illos *capiendo* (hìc ſinat concionator candidam columbam ſuper populum evolare) ſed utique capiendo columbam, quæ ſua manſvetudine, ſimplicitate, innocentia, fœcunditate, zelo & amabilitate, cæteriſq; ornamentis Spiritûs Sancti dona delicioſiſſimè importat: Vt ſit nobis ſummæ conſolationis argumentum, ex Columba non tantùm Spiritum Sanctum cognoſcere, ſed etiam ejus ſeptem munificentiſſima dona ex candidæ Columbæ actionibus capeſſere, liberaliter ac ſvaviter demonſtrare.

308. Theologica verſatur inter Sacræ Scripturæ Interpretes controverſia, cur Spiritus Sanctus in Chriſtum à Joanne baptizatū ſub ſpecie columbę deſcenderit, in Apoſtolos verò Jeroſolymis congregatos illapſus ſit ſub ſpecie flammæ, ac ignearum linguarum? Varias hujus diſcriminis rationes aſſignant SS. Patres. S. Auguſtinus ſuper Joannem dat hanc cauſam: quia in regeneratis per baptiſmum requiritur ſimplicitas columbæ, ut abſit dolus; in adultis verò fervor fidei, & charitatis. S. Chryſoſtomus ſic diſcurrit.

(*Columbæ & ignis ſpecies cur propria Spiritui Sancto. Act. 2.*)

(*S. Auguſtin. tract. 6. in Ioan.*)

(*S. Chryſoſtom. in 3 hom. 13. in Matth.*)

„[Cur autem in ſpecie venit columbæ? Manſvetum hoc animal, & mundum eſt. Quia igitur ipſe Spiritus, manſvetudinis eſt ſpiritus, propterea in ejus ſpecie apparuit.] Adducens deinde rationem, cur ad ſignificandam diluvij terminationem redierit columba ad arcam Noë, portans ramum olivæ, addit. [Nam tum quoq; deſperatis jam omnibus rebus liberatio facta eſt atque correctio; ſed tunc utique per pœnam, modò verò per gratiam, atq; ineffabilem indulgentiam Redemptoris. Propterea & columba cernitur, nequaquam olivæ ramum ferens, ſed omnium malorū liberatorem nobis evidenter oſtendens, ſpémque ſuggerens proſperorum.] Itaque ubi nunc adepti ſumus gratiam Spiritûs Sancti figuratam in columbâ, expectamus tempus judicij per ignem. Venerabilis Beda aliam affert rationem. [Ideo Spiritus Sanctus (*Beda ſuper Marci 1.*) ſuper Salvatorem in ſpecie columbæ apparet, quia non veniebat, ut per zelum peccata puniret, ſed ut per manſvetudinem toleraret; in igne verò ſuper ſimplices homines apparuit, ut eos ad punienda in ſe peccata Spiritûs fervor accenderet, quæ Deus per manſvetudinem vindicare parceret.] Alia eſſe poteſt diverſitatis ratio: nam Spiritûs Sancti primaria munera duo ſunt, ſcilicet protegere & accendere. Quemadmodū columna illa, quæ Hebræos duxit per deſertum, (*Num. 9.*) de die fuit columna nubis, protegens eos ab æſtu, de nocte columna ignis, illuminans & calefaciens; ita Spiritus Sanct⁹, velut nubes ſuâ manſvetudine protegit, & ſolatur homines; velut ignis ſuo lumine illuminat & fovet: velut columba prolifica ditat ſuis donis; velut ignis verò accendit ad amorem. Item columba ſymbolum eſt reconciliationis ac reparationis mundi, quam Spiritus Sanctus fecit per Chriſtum: unde ejus ſymbolum fuit columba afferens ramum virentis olivæ ad Noë, per hoc ſignificans, ceſſaſſe diluvium irámque Dei, ac ſiccitatem terræ redditam, hominibus pacem. (*Geneſ 9. S. Chryſoſt. cit.*) Item quia columba avis eſt amicabilis

lis & gregalis, notat unionem & ſocietatem fidelium in Eccleſiâ, quam efficit Spiritus Sanctus per baptiſmum Chriſti. Item Columba candida eſt, ſvavi odore paſcitur, ac ſuos mirè amat pullos: ſic Chriſtus candidiſſimus eſt, virtutum odore paſcitur, ac filios ſuos intimè diligit, manſionémque cum illis facit. Sed verò non minoris conſiderationis eſt, quòd Columba amet candida tecta, ſub quibus nidificat.

Ovid. l. de Triſt. Eleg. 8.

Aſpicis, ut veniant AD CANDIDA tecta Columba?
Accipiat nullas ſordida turris Aves?

Columella l. 8. c. 8.

Vbi inter Naturaliſtas præſertim Columella obſervat, quòd *totus locus & ipſa Columbarum ſella poliri debeant albo tectorio, quoniam eo colore præcipuè delectatur hoc genus avium.* Et poſt pauca addit: *Locus autem ſubinde converti, & emundari debet. Nam quantò eſt cultior, tantò lætior avis conſpicitur.* Ideo ſcilicet Spiritus Sanctus in ſpecie Columbæ apparere dignatus eſt, ut oſtenderet, cum quanto deſiderio ac beneplacito habitet in anima mundâ, ſanctâ & immaculatâ: quàm gratanter involet *AD CANDIDA* tecta innocentium cordium. *Nihilo enim*, inquit Ludovicus Sotus Major, *DEVS, id eſt, Sponſus cœleſtis magis delectatur, quàm cordis munditie.* Ideóque Chriſtus animarum Sponſus hodie promittit: ego & Spiritus Sanctus *ad eum*, hominem ſcilicet candidæ, puræ & ſanctæ mentis, *veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Sotus Maj. in c. 2. Cant.

309. Si hæc omnia non ſufficiant; convenientiſſimè Columba repræſentat Spiritum Sanctum ſeptuplicem, ſeu ſeptem ejus Dona, quibus Chriſtum exornatum eſſe oſtendit, quando ſuper eum in ſpecie candidiſſimæ Columbæ apparuit; ut impleatur, quod per Iſaiam dictum eſt: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectûs, Spiritus Conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Verè enim in Chriſto hæc omnia Sancti Spiritûs dona Fidelium Eccleſiæ ſatis manifeſta apparuerunt, quæ priùs ab humanis oculis erant longè abſcondita; quos quidem tam acutè velim in hæc myſteria intendatis, ut aciem capacitatis veſtræ in objectis tam ſubtilibus non debilitetis. Enimverò quando Verbum caro factum eſt, *Sapientia* Patris, quæ priùs erat incomprehenſibilis, a ſolis Angelis intellecta, ſub viſibili & comprehenſibili forma hominibus apparuit. Spiritus verò *Intellectûs* relucet ex Baptiſmatis myſterio copioſiſſimo, in quo tota Trinitas eſt revelata; Pater in voce Patris, Spiritus in ſpecie Columbæ, Filius quando dictum eſt: *Hic eſt filius meus dilectus.* Spiritus *Conſilij* ex paſſione ejus relucet: ibi enim Chriſtus ejuſmodi nobis ſalutis remedia conſuluit, ut proſpera mundi contemneremus, & adverſa pati non ſubterfugeremus: in paſſione etiam divinum Conſilium patuit de Humani generis Redemptione, quod & ipſi diabolo antea fuit abſconditum; ſi enim cognoviſſet, traditionem Judæ non intimâſſet: hinc poſtquam cognovit, Chriſti mortem per uxorem Pilati diſſvadere voluit. Spiritu *Fortitudinis* infernum confregit, & nos diabolum conculcare docuit. Quòd autem reſurrexit, & Scripturas Apoſtolis aperuit, & inter eos per quadraginta dies converſatus eſt, Spiritum *Scientiæ* nobis exhibuit cognoſcendum: maxima enim ſcientia eſt, à vitijs removeri, & in mundo licitè converſari: prius autem inſinuavit per reſurrectionem, qua à morte vitiorum removemur; alterum per converſationem cum Apoſtolis exemplariter inſtitutam. Quando ad cœlum aſcendens captivitatem noſtram ſublevavit, & inde Spiritum Paraclitum hominibus miſit, Spiritus *Pietatis* fuit: unde admonuit nos ſanctè vivere, atque piè ſervire, ut ſimiliter conſcendamus cum eo, qui adeò nos piè dilexit. Denique Spiritum *Timoris* ſecundus ejus nobis innuit Adventus, ubi omnibus reddet, juxta quod quilibet geſſit in vitâ ſuâ: *Quantus tremor eſt futurus,* 310. *quando Iudex eſt venturus, &c.*

Dona Spiritûs Sancti quomodo nobis manifeſtentur in Chriſto.

Iſa. 11. v. 2.

Vidimus hactenus diſcrimina multa, cur Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos in ignis, ſuper baptizatum Chriſtum verò in columbæ ſpecie, non tantùm

Sapientiæ donum quomodo reluceat ex columbæ perſpicacia.

intrinſecè fortiter operantem, ſed etiam extrinſecè manifeſtè viſibilem ſe præbuerit. Dum omnes hodie de flammis & ignibus cœleſtibus ardent, nobis certè

Candida tum viſa eſt igni prodire columba.

Cùm inclyta Altilium univerſitas electæ ſuæ ſorori columbæ de tanta dignificatione accinit, applaudit, congratulatur: cujus equidem encomia tantò reſonant elegantiùs, quantò luculentiùs Spiritus Sancti dona ex columbæ proprietatibus relucent. Et quidem ut ordine ab Angelico Doctore poſito procedamus, Columba ſecùs fluenta & aquas habitare atque ambulare ſolet; ibi enim per reflexionem facilè poteſt inſidiantem accipitrem obſervare, ejúſque crudeles ungues protinùs avolando evadere. Dum Columba juxta rivulos nitidiſſimatum aquarum frequenter ambulat, paſcit & nidificat, ut tantò citiùs poſſit ex aquæ ſpeculo advertere Æſali inſidias, dicit ſecum: *VEL VMBRAM CAVEO.* Mox adeſt Richardus de S. Victore, & *Solent columbæ*, dicit, *ſuper rivos aquarum reſidere, ut umbram accipitris in aquis videant, & ita ſuper aquam ſe projicientes ungues ejus evadant. Ita boni umbras dæmonum in Scripturis vident, dum omnimodam deceptionem eorum ibi reperiunt.* Et S. Bernardus, poſtquam hanc ipſam proprietarem columbæ explicuit: *ſic & tu*, concludit, *ſoror honeſtiſſima, in meditationibus Sanctarum Scripturarum eſto aſſidua; quia in eis poteris cognoſcere, qualiter hoſtium inſidias valeas declinare.* Spectat hoc ad *Sapientiæ donum*, per quam Sancti reſident juxta fluenta Sacræ Scripturæ, ut diabolicos ſecuri effugiant incurſus. De hac columbina ſapientia ſuum Dilectum, hoc eſt, Chriſtum commendavit Sponſa in Canticis: *Oculi ejus*, inquit, *ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lota, & reſident juxta fluenta pleniſſima.* Vix unquam candida anima capitur à ſtygijs prædonibus; tametſi enim operationes terreſtres exerceat, ex cryſtallinis tamen Divinæ Sapientiæ aquis clarâ reflexione elucere videt pericula, è quibus ſe tempeſtivè proripiat, & protinus ad ſecuritatis aſylla recipiat. Enimverò Spiritus Domini, eſt Spiritus Sapientiæ, quæ de rebus diviniſſimis & altiſſimis ſpeculatur, & ad altiſſima omnes inferiores dirigit operationes, contingentias, conjuncturas & importantias: nullis enim malis premitur ſapiens, ſed occurrentia mala in proprium convertit comodum, utpote qui novit tranquillâ & turbatâ tempeſtate exercere virtutem. Phidias excellentiſſimus Architectus etiam ex metallo & marmore noverat ſuas effingere ſtatuas, ſi aurum & ebur deficeret: ſic qui dono ſapientiæ ſunt prædití, omnia in abyſſum Divinæ refundunt Providentiæ, & ad ſupremum Divinæ gloriæ dirigunt apicem, quæcunque experiuntur inter homines, ſuſcipiunt à fortunâ vel caſu, ab elementis tolerant, ab innumeris inſidijs patiuntur; quæcunque tandem vident, meditantur, agitant, verſant, ab Altiſſimo ſibi provenire judicant, & referunt in Altiſſimum Divinæ Sapientiæ fontem. Nihil hìc poſſunt ſolitarij paſſeres, nihil audaces fringillæ, nihil fugitivi tremuli, nec picæ loquaces, nec ſociabiles graculi, nec aliæ cœli volucres; præſtant in hoc Sapientiæ dono candidæ *Columbæ ſuper rivulos aquarum, juxta fluenta pleniſſima.* Ad Sanctos Dei amicos D. Gregorius hunc textum determinat, quòd ſcilicet ſe Conſilijs Sacræ Scripturæ ex toto addicant, ranquam ſupremo Altiſſimæ ſapientiæ oraculo, ut videlicet nihil agant, niſi quod ex reſponſo Scripturarum audiunt, & quaſi in aquam ſe projicientes hoſti illudant: quæ Scripturæ fluenta pleniſſima dicuntur, quia de quibuscunque ſcrupulis conſilium quæritur. Hunc Sapientiæ Spiritum præpoſuit tota amicorum Dei Societas regnis, divitijs & ſedibus; & ex hoc fluento Scripturarum delicatiſſimas hanſerunt Divinæ Voluntatis conſequentias. Adducit D. Hieronymus S. Paulam, quam in Epitaphio ejus tam dignis celebravit laudibus. [In pericu-„lis,

S. Thomas 1. p. q. 39. a. 6.

Richardus de S. Victore, c. 17. in Cant.

S. Bernardus ſerm. 55. de modo bene vivendi.

Cant. 5. v. 12.

S. Gregorius ſuper Cant.

S. Hieronymus in Epitaph. S. Paulæ.

„lis, inquit, loquebatur Paula: Qui „vult venire poſt me, abneget ſemet„ipſum, & tollat crucem ſuam, & ſe„quatur me. Cùm everſio totius pa„trimonij nûntiaretur, aiebat: nudus „exivi de utero matris. In crebra in„firmitate: Habemus theſaurum iſtũ „in vaſis fictilibus, donec mortale „hoc induat immortalitatem. In mœ„rore cantabat: quare triſtis es anima „mea, ſpera in Deo. Cùm nimio fer„vore virtutum nonnullis videretur „inſana: Theatrum, ait, facti ſumus „mundo, Angelis & hominibus: nos „ſtulti propter Chriſtum.] O eandidam columbam ſuper rivos aquarum cœleſtium!

311. *Intellectûs donum indicat columbæ comeſtio.* De columbâ obſervant Ornithologi, quòd roſtro non laceret, ſed grana & alimenta ſua integra trajiciat in ſtomachum: unguibus & roſtris ſunt aliæ volucres rapaces, carpunt, frangunt, dilacerant, diſſipant & conterunt; at verò columba grana deglutit integra, decoquit & conſumit. *Intellectûs donum* exinde colligo. Quid eſt Intellectus. Eſt donum Dei, quo poſſumus occulta myſteria penetrare, præſertim verò Sacræ Scripturæ abſconditos ſenſus, figuras, cæremonias, facta & ſententias ritè intelligere atque explicare: adeóque per Intellectum præſentia negotia & objecta intimè attingimus, & ex publicis privata, ex minutis magna, ex propinquis remota, & *ex diviſis integra* colligimus & attingimus. *S. Chryſoſtom. in cap. 6. Matth. hom. 21.* D. Chryſoſtomus Intellectum, prout eſt animæ potentia, corporali oculo comparat: *Quod oculus, inquit, eſt corpori, hoc intellectus eſt animæ: ſicut poſtquam corporalium oculorum lumen extinctum, pleraque jam membra uſu & officio deſtituta ſunt; ita & mente cæcatâ innumeris malis vita tua ſcatebit.* Et paulò pòſt: *Quando lucerna extinguitur, quando gubernator mergitur, quando dux ipſe captivus; quæ tandem obedientibus ſupererit ſpes ſalutis? Ita ſi occæcamus iſtum oculum, quo alij quoque debemus lumen inferre; unde jam ipſi poterimus aſpicere?* Idipſum de intellectu, prout eſt Spiritûs Sancti donum, rectè exaggeratur. Si enim Divini ſenſûs oculus eſt occæcatus; ſi lucerna Divini verbi extincta; ſi Judex controverſiarum Fidei contemptus; ſi ſanæ doctrinæ dux in vincula conjectus; ſi eloquia Dei diminuta, enervata, contrita; quis tandem vias Domini rectas ambulabit? quis inter caligines, & tenebras ſæculi videbit? quis in Fidei, ac ſalutis negotio non formidabit? quis liberè prodibit contra Catholicæ veritatis inimicos? quis Divinorum eloquiorum cibo animam ſaturabit inanem? *Mente cæcatâ innumeris malis tua vita ſcatebit.* Ergo qui hoc donum obtinent, acuti ſunt luminis, Scripturas & Fidei dogmata non lacerant neque mutilant, unam credendo partem, alteram non credendo; non ruminant nec rimantur curiosè, quomodo hoc vel illud Deo ſit poſſibile, ſed omnia integrè vident, & bonâ fide ſine multa diſcuſſione digerunt, quæcunque ab Eccleſiâ eis proponuntur credenda. Sectarij noſtri temporis non ſunt candidæ columbæ, ſed oſſifragæ aquilæ, quæ cibum ſuum diſſipant, Agni paſchalis oſſa confringunt, Sacram Scripturam mutilant; ſententias integras Divini eloquij pervertunt, mantiſſas addendo, demendo capita, mutando ſenſũ, perperam medullã exponendo, libros integros ex Sacrorũ canone amputando; ut Tobiam, Judith, Eſtherem, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Baruch, aliquot Danielis capita, duas S. Joannis, Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos, & Apocalypſin; Epiſtolam etiam S. Jacobi, S. Judæ, unam S. Petri, &c. Non ita boni & veri Fideles: qui Fidei dogmata ſibi propoſita, mox integra arripiunt, ſanctè credunt, benè intelligunt & cognoſcunt, & cum Petro fidem ſuam integrè ac ſalubriter in Chriſtum rejiciunt: *Nos credidimus & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius DEI.* *Ioan. 6. v. 70.*

312. *Conſilij donum explicatur.* Candida noſtra Columba tam bona eſt, ut non tantùm proprios foveat pullos, ſed etiam alienis ovis incubet, & alienis pullis conſulat de competente nutrimento. Non imitatur Cuculum, qui ſua ova alijs fraudulenter

ſupponit excludenda; nec præciſè, ut Anſer, ſua propria excludit ova: unde ſpeciatim ejus ova ſignari jubet Pierius, ne alioquin ſuppoſitis alienis etiam anſerinis ovis ab incubatione deſiliat. Ad *donum Conſilij* hoc ſpectat, quo nitimur in quibuſcunque circumſtantiis operationes noſtras ritè & ſanctè inſtituere; & inſuper in quibuſcunque dubijs illud eligimus, quod ſaluti animæ noſtræ maximè proficuum aut neceſſarium fuerit. Et à quo digniùs ſanctum requiramus Conſilium, quàm ab illo *Magni Conſilij Angelo*, qui non tua diligit, nec quærit, ſed te diligit ſine te, & tibi conſulit ſaluberrima: *Nullus* enim, ut S. Gregorius Magnus loquitur, *fidelior tibi ad Conſilium poteſt eſſe, quàm qui non tua ſed te diligit.* Nolebat Deus Synagogam ſuam, tam ſanctè & laborioſè conditam, in rebus fidei expoſitam relinquere gravibus periculis; ſed inſuper ei ordinavit *Sancta Sanctorum*, quem locum dixerunt *domum Conſilij*: quem Summus Sacerdos intrare debuit, ut in occurrentibus difficultatibus & dubijs conſuleret Dominum; queîs quidem Conſilijs tantùm profecerant, tam ſecurè progreſſi erant Iſraëlitæ, ut multo tempore in puritate Religionis perſiſterent congregati, & gentium etiam plures ſuæ Synagogæ incorporarent. Cor tuum ad Deum erige, & in eo domum Conſilij diſpone, ut ibi habitet magni Conſilij Angelus; hoc eſt, qui omnes tuas ſanctè dirigat operationes, téque in dubijs edoceat, & de ſalutis propoſito deliberantem, reddat ſecurum. Hoc Conſilium facit, ut non ſolùm ſe, ſuáſque actiones rectè inſtituat Chriſtianus; ſed etiam, ut paria conſilia in alios diffundat, eos inſtruendo, dirigendo, fovendo, Chriſto pariendo, & in Chriſtianis moribus ferventer inſtituendo; quod eſt, aliena ova excludere. Hoc dono Conſilij prædìti Sancti Apoſtoli, Judæos & Gentiles diabolicâ ſervitute preſſos, Chriſti fide imbuerunt, ſuóque ſanguine & ſudore Deo genuerunt. Quo labore S. Joannes adoleſcentem ſeductum, & in latrocinia lapſum, ad frugem reduxerit; quo Sanctus Paulus Galatas priùs Chriſto à ſe genitos, & ad Judaiſmum relapſos, iterum parturierit; quomodo Apoſtolici viri barbaras gentes ſuis Conſilijs foverint, & in Eccleſiæ gremium repoſuerint, crebris repetitionibus per annum commendatur. Pulcherrimo encomio circa hanc Conſilij fœcunditatem de S. ſuâ Matre Monicâ ſcribit „D. Auguſtinus. [Nutrierat filios, to„ties eos pariens, quoties abs te (Deus) „deviare cernebat. Poſtremò nobis „Domine omnibus, qui ante dormi„tionem ejus in te conſociati vivebamus, ita curam geſſit, quaſi omnes „genuiſſet; ita ſervivit, quaſi ab omni„bus genita fuiſſet.]

Pierius l. 24. hierogl.

S. Gregorius l. regiſt.

Galat. 4.

S. Auguſt. l. 9. Conf. c. 9.

312. Columba non nidificat ſuper agitabiles arborum ramos, nec ſuper conculcabilem terram, nec in obvijs quibuſque ædium angulis; ſed in foraminibus petrarum, ſed in cavernis maceriæ; ut fortiter ſubſiſtat nidus, nec facilè expiletur ab obvijs prædonibus. Hoc ad *Fortitudinis* donum ſpectare debet, quo à Spiritu Sancto habilitamur ad cordatè aggredienda pericula, ad difficultates ſuperandas, & omnia adverſa pro Dei glorioſo nomine magnanimiter ſuſtinenda. Hac Fortitudine muniti, tot laureati Chriſti Martyres perſequentium Tyrannorum plagas, vincula, carceres & tormenta generoſiſſimè ſunt perpeſſi, ac pro veræ fidei confeſſione, uſq; ad ſanguinem ac mortem glorioſiſſimè decertârunt. Fortitudo animi, quæ in coronatis capitibus timores contēnit inutiles, pallidas deſpicit formidines, & obruentiū malorū impetus pertranſit, illam D. Pauli gnomam ſuo clypeo inſcribit: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Poſſum, inquit, rugientibus ora obturare leonibus; poſſum efferas cicurare tigrides; poſsū ſuperare rotas & gladios, extinguere ignes, emollire petras; poſsū diſſimulare injurias, excipere verbera, portare vincula, carceres ſanctificare: expaveſco de malo tentando, exulto in malo ſuperando, patiens in ærumnis, dura erga molles, delicata erga duros, in periculis ſecura, in arduis ſincera, in agendis indefeſſa,

Fortitudinis donum quàm ſit potens.

Philip. 4. v. 13.

feſſa, in adverſis æquanima, in proſperis modeſta, in omnibus caſibus immutata & invicta fortitudo. Quòd tanta poſſis, ô eximium Donum, ô Regia animi Fortitudo, haud equidem admiror, quando etiam D. Bernardus ſibi accinit: *Quidni omnia poſſibilia ſunt innitenti ſuper eum, qui omnia poteſt?* Nullibi firmiùs erigitur obeliſcus, quàm ſupra petram? quidquid ſupra petram ſubſiſtit, nec ventis evertitur, nec tempeſtatibus deijcitur, nec mole ſubſidet, nec baſe cedente inclinatur. *Petra autem erat Chriſtus*, habens foramina & cavernas plagarum, in quibus velut in tutiſſimis præſidijs anima nidificat; ut affectuosè eam alloquitur Sponſus in Canticis: *Veni Columba mea, in foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ*: q. d. Columba mea, ſi fortis & inexpugnabilis eſſe velis, veni & abſcondere in vulneribus meis, & inprimis in meo latere lanceâ percuſſo, coſtis quaſi maceriâ cincto. Illud arx eſt munitiſſima; oſtium ejus eſt vulnus, adeò anguſtum, ut ſolis & quidem dilectiſſimis Columbis ingredi liceat, hoſtibus verò aditus intercludatur. Quidquid agant aliæ cœli volucres; ponat aquila in arduis nidum ſuum, in littore maris halcyon, acanthis inter tribulos, in arborum cavernis ſturnus, ciconia ſuper tecta, ſub tectis hirundo, in pratis alauda, in arundineto mergus; nidificent cæteræ, ubicunque velint: Columba dum ſibi foramina petræ, & cavernas maceriæ ſeligit, *SECURA NIDIFICAT*, omniúmque firmiſſimè ac fortiſſimè quieſcit. *Et reverâ*, inquit S. Bernardus, *ubi tuta, firmáque infirmis ſecuritas & requies, niſi in vulneribus Salvatoris? Tantò illic ſecurior habito, quantò ille potentior ad ſalvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur: non cado, firmatus enim ſum ſupra firmam petram.* Nec diſcedit Columba à ſuo columbario aut hero, tametſi ſingulis menſibus, quoties prolificat, ei tollantur pulli; cùm tamen aliæ aves ſublatis ſibi pullis priores deſerant nidos, alióque migrent. Præſtant idipſum

S. Bernardus ſerm 83. in Cant.

1 Corinth. 10. v. 4.

Cant. 2 v. 14.

S. Bernardus ſerm 61. in Cant.

magni DEI fortéſque amici, quia malunt omnia perdere, & terrenas dimittere fortunas, quàm à Domino DEO ſuo recedere: quin potiùs cum fortiſſimo Jobo, poſt rerum omnium jacturam, in amore & ſervitio DEI perſiſtunt, cùmque in maximis ærumnis conſtanter benedicunt.

Columba meliora grana eligit, deteriora negligit; non ſedet ſuper fœtida cadavera, ut corvus; ſed, ubi non poteſt competentem & mundum invenire cibum, ad Arcam redit. *Scientia donum* hinc emicat; quo qui præditus eſt, cognoſcit res temporales ad ſalutem conducibiles, & modum illis utendi, benéque applicandi. Dixit olim Cicero, *non eſſe vocandum ſapientem eum, qui multa ſcit, legit vel vidit; ſed eum, qui bene uti poteſt ijs, quæ ſcit.* Hoc præſtat donum Sapientiæ; per quam aperitur via intrandi in Sancta Sanctorum, & penetrandi ad intimam DEI familiaritatem. Doctum & qualificatum te reddit hæc Scientia, quòd, ſi vita tua ſit ſimilis currentium in ſtadio; ita poſſis currere, ut accipias bravium; ſi ſcholæ; ita diſcas, ut ex parte Beatorum rex denomineris; ſi militiæ; ita pugnes, ut obtineas de hoſtibus victoriam: ſi emporio; ita nundineris, ut lucrum congeras; ſi theatro; ita perſonam tuam agas, ut plauſum reportes: ſi peregrinationi; ita ambules, ut feliciter attingas ſcopum: ſi exilio; ita patiaris, ut in Patriam redire delectet: ſi agriculturæ; ita ſemines, ut cum gaudio metas centuplum, & manipulos bonorum operum cœleſti horreo invehas: ſi denique vineæ; ita in ea labores, ut recipias denarium conſtitutum à Patre cœleſti. Ecce, quid præſtet Scientiæ donum, ut te doceat *eligere bonum, & reprobare malum*: maximè verò etiã è tribus bonis, honeſto ſcilicet, jucundo & utili, cęteris neglectis honeſtum aſſumere, utpote rationi convenientiſſimum, & ſolùm honore dignũ: Neq; enim conſultum eſt omnibus credere, audire, vel imitari: ſed *quidquid agas, prudenter agas, & reſpice finem*; illum

314. Scientiæ donum quàm rectè diſtinguat.

Cic [illegible]

lum utique ſublimem ac Divinum, ad quem præferenda ſunt anima corpori, cœleſtia terrenis, virtutes ſcientijs, honeſtum utili & jucundo.

315. *Pietatis donum quomodo ſe habeat.*

Columba manſueta eſt avis, & quia felle caret, non iraſcitur, neque animal ullum lædit. Quòd ſi etiam fel habeat, certè haud in viſceribus, ſed ultimâ ſpinæ parte, quam uropygion vocant, remotâ ſatis à nobilioribus vitæ organis, habere debet. Hirundines, & paſſeres muſcas capiunt; terram unguibus vertunt gallinæ; pleræque aves roſtris ſuis lancinant prædam: neutrum facit Columba, quia pia eſt, & acrimoniâ caret. Vtrumque columbæ decorum eſt, & quòd ejus *VISCERA FELLE CARENT*, & quòd internam tranquillitatem cum externo candore conjungat; ſit *INTVS ET EXTRA* ſpecioſa. Virtuoſiſſimè olim divinus Plato ad Deos precatus eſt, *O amice Pan, & alÿ omnes Dÿ, date mihi ut pulcher intus efficiar, & quæcunque extrinſecus habeo, intrinſecis ſint amica.* Sed vel maximè pietas, benignitas & manſvetudo reſident in viſceribus Columbæ, felle carentis: utpote quæ etiam inter injurias neſcit amaritudine, vel irâ concitari. Laudantur & commendantur ab his decoris Joſephus in patremfamilias, Moyſes in ſubditos, David in filios, Salvator in perſecutores pius & benignus: *Qui cùm malediceretur non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti ſe injuſtè*, & viſcera pietatis ſuæ nemini abſcondebat. *Pietatis donum* inde enaſcitur, quòd erga DEUM reverentes, erga proximum lenes evadimus, neque erga eum irrationabili irâ excandeſcimus. Neque enim litigioſos, aut pugnaces nos eſſe jubet Apoſtolus, *ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſvetudinem ad omnes homines.* Ita ut neminem lædamus verbo, aut verbere; nullius animum, aut poſſeſſionem turbemus; felle iracundiæ careamus, aut certè iram non niſi conſideratiſſimè aut tardiſſimè exſeramus. Præſertim verò hac animi pietate inſigniti eſſe debent Superiores ac Prælati, dum ſubditos corrigunt, aut propter humanos errores caſtigant; quos utique inſtruere oportet *in ſpiritu lenitatis.* Spiritus enim pietatis, admonitionum manſvetudine ſuam dicitur inſpirare lenitatem. Appoſitam Hector Pintus adducit comparationem. „[Quemadmodum, inquit, inter Chirurgos ille eſt laudabilior, qui leniùs „tangit vulnera, quàm qui aſperè manus imponit; ſic ille præſul prudentior eſt cenſendus, qui potius lenitate & moderatione, quàm ſeveritate animi vulneribus medetur. Et ut „Chirurgus, ſecturus membra corrupta ac labefactata, non impletur „irâ, quin potiùs tunc majorem tranquillitatem oſtendit, ne perturbatio „impediat artem; ſic præſul in reprehenſionibus & punitionibus debet „magnâ uti temperantiâ, ne irâ turbatus modum tranſeat.] Hoc ſenſu etiam Eccleſia Prælatos canit, ac celebrat de pietate nominatim. Cæteroquin ubi viſcera replentur amaritudine, tametſi extrinſecus aliqua relucceat pietas: *Nemo*, inquit Abſolon Abbas, *ſibi blandiatur de bona ſpe exterioris converſationis, formam PIETATIS foris prætendens in bonis operibus, ſi conſcientia crimino ſa eſt, ſi deſiderÿs carnalibus intus æſtuat, ſi odio, vel invidiâ, cæteriſque vitÿs ſpiritualibus intus obſeſſus eſt: quia bonis exterioribus Chriſtus non paſcitur, quæ charitatis pinguedine non informantur.*

Plato circa finem Phædri.

1. Petri. 2. v. 23.

Tit. 3. v. 2.

Galat. 6. v. 1.

Hector Pintus in Iſa. 40.

Abſolon Abb. ſerm. 6.

Columba non crocitat ut corvus, 316. non pipit ut Gallina, non canit ut Philomela, non gattit ut hirundo, non tinnit ut Tinnunculus, non clamat ut Gallus, non meditatur ut paſſer, non tyrat ut alauda, non ſtrepitat ut ciconia, non intonat ut fringilla, non alias imitatur volucrum voces; ſed ſola omnium gemit, gemitúmque pro cautu habet. *Nihil tam amicum gemitibus*, ait S. Auguſtinus, *quàm Columba: diu noctúque gemit, tanquam hic poſita, ubi gemendum eſt.* S. Bernardus, Hugo Cardinalis, Guerricus Abbas, & alij SS. Patres unanimiter obſervant, quòd Columba *GEMITIBVS GAVDET.*

Timor Dei gemebundus quò tendat.

S. Auguſtin. in Pſal. 141

DEI. Spirituoſum ſymbolum timoratæ & pœnitentis animæ. *Quæcunque*
S. Nilus Ab. Paran. n. 54.
iniquè feciſti, ait S. Nilus Abbas, *omnia cum gemitibus recordare: oritur enim hinc anima continua compunctio.* Et S.
S. Bernardus ſerm. de Cant. Ezech.
Bernardus ſuo more meditabundo, atque ore columbino: *Cùm veſpera ingruerit*, inquit, *non deerit ſacrificium veſpertinum, cùm INSTAR COLVMBÆ GEMENS, lachrymas fundam in tribulatione. Donum Timoris DEI* inde juvat cognoſcere, quo ſancti delectantur in gemitu pro peccatis, & ab omni peccato abſtinent, quod Divinæ Bonitati adverſatur, dignúmque eſt juſtâ DEI caſtigatione: prout compendioſo mandato complectitur
S. Bernard. ſerm. 54. in Cant.
S. Bernardus: *Time, cùm arriſerit gratia; time, cùm abierit; time, cùm denuo revertetur.* Gemendum eſt ob præterita peccata, & filiali timore timendum, ne forte pro eis omnino nondum ſatisfecerimus. Hoc timore perculſus D. Petrus ad omnem Galli cantum ſuum deflebat peccatum: & S. Auguſtinus etiam in extrema infirmitate, jugiter & ubertim flendo, pœnitentiales legebat Pſalmos. S. Paulam
S. Hieronym. in Epitaph. D. Paulæ.
viduam induit D. Hieronymus velut gementem columbam. [Ita levia,
„inquit, plangebat peccata, ut illā gra-
„viſſimorum criminum crederes reā.
„Cúmq; à nobis crebriùs moneretur,
„ut parceret oculis, & eos ſervaret E-
„vangelicæ lectioni, aiebat: turpanda
„eſt facies, quam contra DEI præce-
„ptum purpuriſſo, & ceruſsâ, & ſtibio
„ſæpè depinxi. Affligendum eſt cor-
„pus, quod multis vacabat delicijs.
„Longus riſus perpeti compenſandus
„eſt fletu. Mollia & ſerica pretioſiſſi-
„ma, aſperitate cilicij compenſanda.
„Quæ viro & ſæculo placui, nunc
„Chriſto placere deſidero.] Gemendum inſuper eſt ob pericula incidendi in nova peccata, & timendum, ne perdamus gratiam DEI ac cœleſtem
Eccli. 25. v. 15.
hæreditatem. *Beatus homo, cui donatum*
317. *eſt habere timorem DEI: qui tenet illum, cui aſſimilabitur?*

In columbæ ſpecie Spiritus Sanctus ſæpè viſus.

Hæc ſunt cœleſtia Spiritûs Sancti dona, tam appropriatè per candidam columbam ſymbolizata, ita ut haud ampliùs nobis debeat videri mirum, ſi hic Divinorum chariſmatum Spiritus non ſolùm ſuper baptizatum Chriſtū ſub ſpecie nitidiſſimæ columbæ viſibilem ſe exhibuit; ſed etiam ſuper Magnos Eccleſiæ Præſules, aut Verbi DEI Præcones, in ſpecie columbæ exlitus delapſæ viſus eſt, ut eos donorum ſuorum vel inſtrueret ornamentis, vel ornatos demonſtraret. Nam an- Baronius. Petrus Diac.
no 238. è ſublimi devolare viſa eſt columba in caput S. Fabiani, deſignans eum ordinandum Papam. Rurſum anno 604. in caput S. Gregorij Papæ I. eùm quid de Sacris literis ſcribere vellet; ut vidit Petrus Diaconus. Anno 1084. in humeros Gregorij VII celebrantis. Anno 1145. duæ viſæ ad caput Eugenij Papæ, in præſentia Armeniæ Legationis miſſam celebrantis. Item Pius IV. Summus Pontifex deſi- Aſtolfus in annal. Ital.
gnatus eſt per columbam, cùm adhuc eſſet Joannes Angelus Cardinalis Medicæus. Ravennatum Eccleſia tres numerat Epiſcopos, S. Marcellinum, & ſanctos Eleucadium ac Aderitum diſcipulos S. Apollinaris, quos per indicium involantis candidæ columbę ad infulam aſſumpſit. In ordinatione S. Baron. anno 386.
Joannis Chryſoſtomi devolans alba columba ſtetit ſupra caput ejus, eámque vidit Flavianus Patriarcha. D. Ambroſio Samſedonio ex ordine Prædicatorum, & S. Petro de Alcantarâ, dum Verbum DEI annuntiarent; B. etiam Jacobo Salomonio, dum Confeſſiones exciperet, viſa eſt alba columba ſuper humeros ſedere, & in aures inſtillare, quid pro DEI gloria & ſalute proximi loquerentur. Cùm S. Guido ad mortem ægrotaret, cunctis, qui aderant, ſpectantibus, lumen cœlitus fuſum ſuper DEI ſervum in columbæ ſpecie deſcendit, eujus ſplendore tota domus illuſtrata eſt; & cùm aliquamdiu apud illum hæſiſſet, audita eſt hujuſcemodi vox: *Veniat dilectus noſter ad accipien-* Surius 12. Sept.
dam æternæ jucunditatis coronam; quia fidem ſervavit. Mox advolantes ij, qui in domo erant, DEI famulum in cœleſtem manſionem commigrâſſe invenerunt. Hac de causâ Mahomet impoſtor albam columbam aſſvefe-

cit,ut advolaret ad ſuam aurem, ponendo grana in aure, quæ colligeret & comederet columba; ut hac ratione populo perſvaderet, familiarem ſibi eſſe Spiritum Sanctum, eúmque ſibi ſuggerere ſuam legem, & dictare Alcoranum, imò ſecretiſſima DEI conſilia revelare. Idem effecit, ut columba ſchedam ad ſe adferret, in qua aureis literis erat ſcriptum: *Quicunque taurum domuerit, rex eſto.* Ipſe autem taurum, quem anteà nutriverat, facilè edomuit; ideóque à ſtultâ plebe rex eſt ſalutatus.

Cornelius ſuper 3. Matth. v. 16.

Incomparabilis ergo dignitatis prærogativa in noſtram reſultat Columbam, quòd ſit ſpecies dignificata ex omnibus Alitum ſpeciebus repræſentare præſentiam Spiritûs Sancti. Et vos, Auditores, exinde addiſcite, quam ſpeciem Alitum maximoperè debeatis obſervare, ad hoc, ut Spiritus Sanctus apud vos diverrat, & vobiſcum maneat. Anima S. Amatoris inter chorus Sanctorum in cœlum evolare viſa eſt in ſpecie Columbæ, à multis conſpectæ: idipſum de S. Abbate Spe, de S. Virgine & Martyre Julia, aliíſque magnis DEI amicis Eccleſiæ annales tradunt. S. Georgia, Virgo Arvernenſis, ab integro candidarum Columbarum grege ad Eccleſiam & tumulum comitivam accipiebat, quæ omnes poſt peractam Sacrificij conſecrationem à ſummo templi tecto, cui interim inſederant, viſæ ſunt directâ viâ ſurſum in cœlos aſcendere. Vt & hæc vobis contingant indubitata Divinæ gratiæ, ac æternæ ſalutis argumenta, eſtote chariſmatum Spiritûs Sancti æmuli, atque inſuper *ſimplices ſicut Columbæ.* Amen.

FERIA II. PENTECOSTES.

UNICUS PHOENIX.

Der ainßige Sonnenvogel.

LEMMA.

- - - *Sponte crematur,*
Vt redeat; gaudétque mori, feſtinus in ortum. Claudianus de Phœnice.

THEMA.

Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Ioan. 3. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS XXXIV.

Ex admirabili Phœnicis obitu, & reſuſcitativo ejus vivicomburio, lux quædam myſtica ſe diffundit, quâ gratiæ ſanctificantis operationes in nobis præclarè exhibentur.

318. Phœnicis & Veſpertilionis comparatio oppoſita. 2. Corinth. 6. v. 14.

DUo miræ oppoſitionis Animantia produco hodie, Auditores; quæ vel ipſi D. Paulo negotium faceſſunt, difficulter ſibi imaginanti, quæ ſit *Societas luci ad tenebras*? ſplendori ad fuliginem? diei ad noctē? cœlo ad infernum? Naturæ miraculum! quòd cùm omnibus Alitibus perfectis ex ovis generari, atque excludi ſit ordinarium, duabus ſortibus alia competat generationis via, quàm ovipara; & iis quidem tam longè inter

ter ſe diverſis, ut maſiem diem cum nocte, cum tenebris lucem, cum cœlis infernum, quàm has avium ſpecies conjungere & ſociare. Vna quidem noſtris in terris frequenter videtur. Vah! abſurdam beſtiam, quæ tenebrarum filia, aſpicientibus movet ſtomachum! Hæc eſt tetrica, implumis,tenebroſa,& execrabilis Veſpertilio. Quis haud novit eam, aut exhorruit in conſpectu ejus aliquando? Altera eſt *rara avis in terris* noſtris, paucisque gentibus cognita. O glorioſum Dei opus! ô nobiliſſimum magni hujus Aviarij decus! Vnicus nempe Phœnix, ex Arabiæ montibus prodiens, qui humanam longè ſuperat admirationem, & omnium oculos ad ſe videndum gratioſè invitat. Non ponit ova Veſpertilio, ſed turpes ſuos partus effundit, lactátque ad morem vaccæ uberibus. De Phœnice ſcribunt admiratione digna Philoſophi, & cum Hiſtoricis Sancti Patres. Quæ duo ſibi invicem collata ita vivaciter ſtatus gratiæ ſanctificantis, & peccati mortalis ſibi oppoſitos, objiciunt ſpectandos, ut nemo futurus ſit ex hominibus tam ſtolidus, qui ampliùs *magis diligat tenebras, quàm lucem*; ſi contemptâ Veſpertilionis fœditate ſibi eligat raram Phœbæi Phœnicis pulchritudinem, ac Divinum propè apparatum. Phœnicem igitur hodie eligamus, & in Lucido ejus partu Sanctificantem Gratiam venerabundi ſuſpiciamus. Prodibit ex ejus nido tam clara ac Deifica Lux, quæ omnes animæ tenebras repente diſpellat, & ſeſe quàm maximè deſiderabilem omnibus Deum diligentibus in ſequenti diſcurſu exhibeat: prout converſâ methodo per Spiritûs Sancti gratiam luculenter declarabo.

319. *Phœnix an detur in rerum naturâ? Caſpar. Schottus l. 9. mirab. c. 61.*

In tam ſublimi Sanctitatis argumento, non eſt à fronte celebris inter Ornithologos controverſia diſſimulanda, an detur Phœnix in rerum naturâ? Qui affirmant, à Caſparo Schotto ex Philoſophis, Sanctis Patribus, & Doctoribus referuntur plurimi; & hi quidem majori ex parte conſentiunt, in alijs diſſentiunt. Conſentiunt omnes, quòd ſit unicus, pulchrior pavone, aquilæ magnitudine, & auro fulgens circa collum; cæterâ purpureus, ceruleo-roſeis caudam pennis diſtinguentibus, caput plumeo apice honeſtante. Novus autem Phœnix ita de veteri producitur, ut vetus in eo quaſi in ſeipſo videatur reviviſcere. Lactantius in peculiari carmine de Phœnice ave ita cecinit.

Mors illi Venus eſt: ſolâ eſt in morte voluptas. *Lactant.*
Ut poſſit naſci hâc, appetit antè mori.
Ipſa quidem, ſed non eadem; quia & ipſa, nec ipſa eſt,
Æternam vitam mortis adepta bono.

Diſſentiunt in ætate: nam Manilius 660. ei vitæ annos tribuit; Solinus 540. Mela 500. Martialis 1000. Tzetzes 7006. Diſcrepant etiam circa modum generationis. Aiunt enim aliqui, eum ſibi pectus vellicare roſtro, & ex cruore vermiculum enaſci; mox pullum, ſene mortuo. Alij communiter dicunt, parentem ſtructo in palmæ vertice ex caſſiâ, nardo, cinnamomo & myrrhâ nido, ſe ſuperimponere; & excitato alarum agitatione ad radium Solis incendio, in medijs odoribus vitam finire, atque comburi; ex eóque cinere, Phœnicem alterum quaſi eundem reviviſcere. Confirmant authoritate Taciti ac Plinij, aſſerentium, quòd allatus ſit in Vrbem Phœnix Claudij Principis cenſurâ, anno V. C. 800. & in comitia propoſitus. *Plinius l. 10. c. 2.* Superiori etiam ſæculo David Abaſſinorum Imperator in eâ Epiſtolâ, quam ad Pium III. Pontificē miſit, ſcribit, in ſua ditione famigeratum totâ retrò antiquitate Phœnicem reperiri. Qui fortiter negant, rationes in contrarium adducunt validiſſimas: tum quia perfectiſſimum hoc animal, ſicuti vermes & inſecta, à cœlo tanquam à causâ propriâ ex putrefactione naſceretur; tum quia in Geneſi jubet Deus nato recèns mundo animalia creſcere, & multiplicari; ſeptenáque & ſeptena in Arcam introduci: tum quia citatus Plinius in illa relatione *Geneſ. 1. v. 22. Ibid. 7. v. 2.*

mox addit: *ſed quam falſam eſſe nemo dubitaret*. Si enim illa avis fuit capta, cùm unica ſit, ſuam reliquo tempore ſtruem conficere haud potuit: aut ſi capi tunc potuit, cur non etiam aliàs ab orbe condito tot ſæculis præteritis capta eſt? quæ ſi aliàs etiam capta fuit, non una fuit, cùm rurſum fuerit viſa: aut igitur Phœnix non fuit, aut non ſola. Hinc porrò orta eſt fabula, quòd Ægyptij in civitate Heliopoleos Solem hieroglyphico Phœnicis expreſſerint, & eum veluti avem orientem atque occidentem, tum renaſcentem fecerint. Authoritati conformior eſt opinio affirmativa, rationi negativa.

320. Phœnicis exiſtentia & ſymbolizatio adſtruitur.

Verumenimverò in re tam incertâ plurimum deferendum eſt Sanctis Patribus: nam ut antiquiſſimos, Tertullianum, Euſebium Cæſarienſem, Lactantium, Cyrillum, Epiphanium, Ambroſium, Gregorium Nazianzenum, Hieronymum, aliósque piâ reverentiâ præteream; Clemens primus Romanus Pontifex, & S. Petri individuus comes, in illo volumine, quod ſub Apoſtolicarum Conſtitutionum nomine editum eſt, de Reſurrectione Chriſti efficax aſſumit argumentum contra Gentiles ex Phœnicis reviviſcentiâ; quam quidem Gentiles communiter pro conclamatâ veritate tradebant. S. Cyprianus Virgineum partum hoc partu Phœnicis demonſtrare velle videtur, dicens: *Quid mirum videtur, ſi virgo conceperit; cùm Orientis avem, quam Phœnicem vocant, in tantùm ſine conjuge naſci vel renaſci conſtet, ut ſemper & una ſit, & ſemper ſibi ipſa naſcendo vel renaſcendo ſuccedat?* S. Auguſtinus in ſuo volumine ad Fratres in eremo, quod, cùm in Concilio Aquiſgranenſi cap. 112. & 113. citetur, omnem videtur dubietatem ſuperare, clariſſimis terminis ſic ſcribit: *Quid enim agit Phœnix, niſi quia dum ſeneſcit, ad partes calidiſſimas volat, ligna ſicciſſima congregat, & lignis congregatis, aliis ligna percutit, & ſic ignem accendit, & in eodem ſe comburi permittit: ex quibus cineribus vermiculus naſcitur, & poſtmodum Phœnix alia efficitur.* Nobiliſſima eſt cogitatio, qua nullus dicitur in mundo Phœnix præter Chriſtum, qui à Propheta vocatur *Oriens, & Sol Iuſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus.* Ipſe aſcendit in palmam Crucis, & in eâ velut in nidulo, omni genere virtutum, velut aromatū odoribus conſito, binas alas, duplicē charitatis ſpiritū (cujus ſcintilla currum S. Eliæ, & Seraphici P. Franciſci quadrigam accenderat) explicans, atque ſanguinem fundens, cum vivens perfoſſo corpore, tum mortuus fodicato pectore, in Cruce dicere potuit cum Orientis principe Jobo: *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Vel ut poſt Rabbi Salomonem, ac antiquiores Hebræos vertit Tertullianus: *In nidulo meo moriar, & ſicut Phœnix multiplicabo dies meos.* Ipſe quidem corruptionem non ſenſit, nec in cineres aut vermes redactus eſt; ſi tamen ejus depreſſionem ac contritionem ſpectes, non modò vermem, ſed nihilum dixeris. Affectuosè Familia Piſana Chriſto Servatori, Crucem ſuam portanti ad Calvariæ montem, tanquam Phœnici portanti aromatica ligna ad ſuum vivicomburium, ſubſcripſit ex Claudiano: *BVSTVMQVE, PARTVMQVE.* Et argumentatur benè S. Epiphanius, deſcribendo Phœnicis reſtauratione, ad Chriſti Reſurrectionē ſic: *Cur igitur Iudæi iniqui, Domini noſtri Ieſu Chriſti triduanam Reſurrectionem non crediderunt, cùm avis trium dierū ipſa ſe reſuſcitet? Aut quomodo ſeipſum à mortuis ſuſcitare non potuit, cùm de illo dixerit Propheta, Iuſtus ut Phœnix florebit?* Sed & S. Zeno Virgini ſingulari Deiparæ ubi appropriaſſet Phœnicis typum, utpote *quæ nobilitatē generis ſui non à parentibus accipit, nec liberis tradit; ſed ipſa ſibi uterque ſexus, ipſa omnis affectus, &c.* deinde etiam ad glorioſam Chriſti Reſurrectionem vertit calamum; in qua defuncta Chriſti Humanitas futura, vel facta ſit *MOX EADEM.* *Phœnix*, inquit, *avis illa pretioſa, Reſurrectionis evidenter nos edocet jura; quæ cùm maturi lethi tempus advenerit, à ſemetipſa in citatis ſacris ignibus libentiſſimè concrematur. Sepulchrum nidus illi; favilla nutrices; deni-*

Clemens Romanus lib. Conſt. Apoſt.

S. Cyprianus in expoſitione ſymboli.

S. Auguſtin. ſerm. 18. ad fratres in Eremo.

Malach. 4. v. 2.

Iob. 29. v. 18

Claudianus de Phœn.

S. Epiphanius in Phyſiolog.

S. Zeno ſerm. de Reſurrect.

denique poſt monumentum, feſto exultat in tumulo, non umbra ſed veritas, non imago ſed Phœnix; non alia, ſed quamvis melior alia, tamen prior ipſa. Omitto plurimos alios SS. Patres, Phœnicis veritati & exiſtentiæ ad moralem explicationem conclamantes.

321. Anima ſanctifica ta Pœnitentiſſimilis. Non immoror eximijs hiſce applicationibus & argumentis, ex vel pro Phœnice affluenter allatis; ad gratiam ſanctificantem reflecto orationem meam. Hæc enim, velut *rara avis in terris*, deficientem reficit animam, ſuſcitátque defunctam peccato; ubi pretioſa pœnitentiæ aromata fuerint comportata ad Solis aram; & quidem Juſtitiæ Solis, Orientis ex alto: cúmque fuerit excitatum Divini amoris incendium, & in illud projectum cor pœnitens, contritum & humiliatum; reſultabit, ac reſurget ex cineribus anima pœnitrix tanquam Phœnix; reviviſcent antiqua merita coram Divina acceptatione, quæ erant per peccata lethalia mortificata; ex ſeipſo vetere homine reſultabit novus, *MOX IDEM*, qui ſecundùm DEUM creatus eſt. Sic ex ſeipſa reſurgit anima,

Ipſa quidem, ſed non eadem, quia & ipſa, nec ipſa eſt,

Æternam vitam mortis adepta bono.

Sed non reſurgit per ſeipſam à vetuſtate erroris, à morte peccati; niſi ſplendor & lux ignis accenſi extinctum reficiat calorem, & obſoletum reſtituat decorem. Nempe ad renovationem interni hominis non ſufficit ſola cœleſtis auxilij aſſiſtentia, ſed requiritur etiam concurſus humanæ cooperationis; & econtra. Prout demonſtrat Phœnicis renovatio, ad quã non ſufficiunt ſoli ſolares radij, ſed etiam requiritur agitatio alarũ ad excitandam flammam aromaticam; pulcherrimo ſymbolo noſtræ cooperationis, declarato per lemma: *UTRIUSQUE AUXILIO.* S. Baſilius Magnus hoc totum propoſitum intra ſequentes terminos concludit: *Neque in rebus bonis conatus humanus, ſublatâ ope divinâ, perfectè unquam, quod vult, poterit adipiſci. Neque item viciſſim divinum præſidium ad nos, nullo noſtro ſtudio,*

S. Baſilius M. conſtit. Mo. naſt. c. 16.

venturum putandum eſt. Sed ad perfectum virtutis cumulum conjuncta ſimul eſſe utraque hæc oportet, & humanum ſtudium, & auxilium cœleſte. Eſto igitur anima peccaminoſa, tanquam inveteratus Arabiæ deſertæ Phœnix; ligna aromatum comportata, ſint ſerij & ſolidi pœnitentiæ actus: ignis accenſus & excitatus, ſit motivum Divinæ charitatis: cineris materia ſit cor, deteſtatione ac contritione delictorum exſiccatum: Sol Oriens ſit Chriſtus Dominus DEUS noſter, cujus infiniti valoris merita, tanquam influentes radij, novam tribuant vitam conſcientiæ vermi: Lux ex hoc incendio reſplendens, & efficacem inſtillans virtutem reviviſcenti animæ, ſit gratia habitualis ſeu ſanctificans, admirandis ſuis proprietatibus ad eximiam novi Phœnicis pulchritudinem ſplendidiſſimè conducens. Exinde elucet conceptæ claritas juſtificationis ac ſanctitatis, quæ per lucem ipſam illuſtrem ſui copiam exhibet conſiderantibus.

Quare in hanc Lucem ex vivicomburio Phœnicis noſtri, vel etiam ex glorioſiſſimi Juſtitiæ Solis ortu & aſpectu reſultantem, ut accuratiores conijciamus oculos; Concilium Tridentinum, quid ſit ſanctificans illa qualitas, ſic deſcribit: *Gratia habitualis eſt nitor quidam ſpiritualis, infuſus animæ à DEO propter merita Chriſti; quo homo ex injuſto ſit juſtus, ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Conſentiunt Theologi cum irrefragabili Alexandro de Ales, quòd gratia ſit candor lucis æternæ, quæ intellectum clarificat, voluntatem inflammat, atque animam totam venuſtat. Et ſicut radius Solis ſpeculum percutientis expreſſam Solis imaginem efformat, æmulam Solis, & propè cum eo pulchritudine ac claritate certantem; ita per gratiam animæ imprimitur DEI effigies, quam D. Thomas vocat expreſſam DEI imaginem; ſic ut anima quodammodo efficiatur divina: cum hac tamen differentiâ, quòd radius ſecum corporis ſolaris ſubſtantiam non trahat, neque enim

322. Gratiæ ſanctificantis ratio formalis exponitur. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7.

Alexander de Ales. 1 p. q. 99.

Sol eſt in ipſo ſpeculo: at unacum gratiâ ipſa Spiritûs Sancti Perſona in animam illabitur; ita prorſus, ut ſi ubique per immenſitatem ſuam non eſſet, in anima tali reverà adeſſet. Jam verò reflexus quodammodo gratiæ radius corpus ipſum illuſtrare, & per oculos hominis, reliquóſque corporis artus, atque externam morum membrorúmque compoſitionem nonnunquam emanare ſolet, & pulchritudinem Juſtis tribuere. Idipſum inſinuâſſe videtur Job, dicens: *Lux vultûs mei non cadebat in terram*; tacitè inſinuans, virtutum internarum, & ſanctitatis ſplendorem exteriùs emicantem, non inanem aut inutilem eſſe, ſed proximos recreare, atque ad amorem Dei accendere. Hinc ex Sanctis plurimi non erant ore à naturâ formoſo, & ſpectabili, & tamen jucundiſſimũ præbebant adſtantibus ſpectaculũ, potentiſſimúmq; virtutis incitamentum: ijs nempe Dominus conferebat ſplendorem, & lux ſanctificans vultus eorũ *non cadebat in terram*. Argumenti hujus claritas declarationem non exigit, ſed parabolam. Regia Sponſa ob patratum delictum ſui Domini diſgratiam incurrit: Rex qui graviter deſpectum reſentit, averſum ſeſe & indignabundũ exhibet Sponſæ, eámque de throno & thoro deturbat: Sponſa exorbitantiæ ſuæ pœnitens, Regi ad pedes ſe proſternit, commiſſum profitetur errorẽ, ac ſuppliciſſima veniam & amniſtiam precatur, ſpondétq; proinde digniſſimam obſervantiam Regiæ Majeſtati debitam. Placatus Rex humiliatam Sponſam elevat; culpam amorosè condonat; pretioſum inſuper clenodium ejus pectori affigit, in conteſtationem ſui renovati affectûs, quo eam in priſtinum amorem ac gratiam ſuſcipit, regníque Dominam & hæredẽ denuntiat. Simile quid contingit animæ peccatrici: hæc enim tanquam æterni Regis Sponſa, per originale vel actuale peccatum gravem incurrit Divinæ gratiæ jacturam; & jure cœleſtis hæreditatis privata tãdiu exiſtit, quouſq; humiliata peccatum confitetur, veniam petit, & emendationẽ promittit. Tum verò Deus eam in ſuã recipit amicitiã, & lumine juſtificationis, ſeu ſanctificantis gratiæ eam exornat; quo tanquam pretioſiſſimo monili inſignis, hæreditatem æternæ vitæ capiat, & cum Propheta conſolabunda dicat: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo: quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento Iuſtitiæ circumdedit me, quaſi Sponſum decoratum coronâ, & quaſi Sponſam ornatam monilibus ſuis*. Et ſic homo peccator ex inimico Dei evadit in amicum, ex injuſto in juſtificatum, ex reprobo in electum, ex exhæredato in hæredem regni cœleſtis: non quidem ob propria merita pœnitentiæ abſolutè, ſed ob Chriſti merita infiniti valoris, quorum intuitu Deus converſionem dignificat pœnitentis animæ, eíque juſtificationis gratiam confert; alioquin gratia non eſſet gratia, ſed ex mercedis & juris æquitate: ut bene cum S. Paulo diſputant Theologi.

Job. 19. v. 14.

Iſa. 61. v. 10.

323. Lux & gratia ſunt prima diſtinctiva.

Ambulemus nunc in eã gratiâ, quæ ſit nitor ſeu lux ſpiritualis animę. O Divina qualitas, rara & unica, ad noſtram juſtificationem à Deo ordinata! Lux eſt omnium rerum ſenſibilium præſtantiſſima: tam clara enim eſt, ut non poſſit occultari: tam ſubtilis, ut hactenus difficulter potuerit ab humano ingenio penetrari; ut diſtinctiùs cognoſcatur, quid non ſit, quàm quid ſit. Eſt enim lux ornamentum mundi, cœli riſus, flos colorum, jucunditas naturæ, creaturarum vita, filia ſolis, oculorum cupediæ, regina ſpecierum, recreatio ſpiritûs, ſimulacrum Dei, creaturarum fœdus, ſapientum admiratio, & ſupremi Numinis paludamentum. Quemadmodum nihil tenebris deformius, obſcurius, abſurdius; ita nihil luce diſtinctius, elegantius, clarius: & tamen lux iſta ſenſibilis cum tanto encomio deprædicata, vix quidem umbra eſt ſanctificantis gratiæ, qua homo amicus conſtituitur, & hæres Dei. Quando Protoplaſtes ab opere creationis progreſſus eſt ad opera diſtinctionis; primum omnium reſultabat lux, quæ eſſet regula & menſura

Geneſ. 1. v. 2. 3. ſura reliquorum. *Terra erat inanis & vacua; & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Dixitque DEUS: fiat lux.* Quamdiu homo privatus eſt hujus gratiæ luce, chaos eſt ſuo decore privatum; terra eſt, & terrena ſpirat; tenebra eſt, ſuâ confuſione & obſcuritate deliteſcens; faciem abyſſi induit, & perditionis ærumnam. At verò quamprimum Divina irradiantis gratiæ lux oritur animæ, pulſis procul torporibus, rejectâ tenebrarum abyſſo, diſperſo peccati chao, incineratâ erroris vetuſtate prodit homo ad novam vitam, ad ſanctas operationes gratiæ; ita ut ob eximium ſui ſplendorem, cœleſtem etiam Curiam in ſui trahat admirationem.

324. Gratia omnia opera dignificat. Eorum, quæ in creatarum rerum ſerie continentur, prima, quæ à Summo Artifice *Boni* prædicatum obtinuit, recenſetur lux. *Et facta eſt lux, & vidit DEUS lucem, quòd eſſet bona: & diviſit lucem à tenebris.* Quam DEI ſententiam ſic deinde exaggerarunt Philoſophi, ut dicerent, ſi DEUS compoſitionem pateretur, *veritatem* ei pro animâ, *lucem* pro corpore daturos eſſe. Hinc & tam diſcors de ejus naturâ, & bonitate diſputatio. Julianus lib. de ſole. Julianus putavit, lumen eſſe Divinæ imparticipatæque mentis actum, per Solem quaſi per feneſtram effuſum, atque per omnia porrectum: qui quidem juxta Platonicos conſtituat ſecundum Divinitatis gradum, rerum omnium ideas in ſe contineat, atque ſit DEI Verbum; à quo ſcripſit Plato factum fuiſſe hunc mundum ſpectabilem. Sed verò vel maximè *bona* Lux eſt, quia *diffuſiva ſui*: cùm enim ſit miræ fœcunditatis & beneficentiæ, in omnes partes ſeſe effusè communicat; & eſt præcipuum inſtrumentum, quo cœleſtia corpora in inferiora influant. Ob quam cauſam D. Ambroſius ſcripſit, lucis naturam utpote plurimùm ſui communicativam, nec in numero, nec in menſurâ aut pondere, ut res alias creatas, conſiſtere; quanquam adhuc finitam & limitatam habeat eſſentiam, ac poteſtatem. *Vidit DEUS lucem, quòd eſſe bona.* Gratia ſanctificans non tantùm ſeſe totam communicat animæ, eámque quaſi velut actus moralis informat, ſed etiam omnem ejus operationem elevat ac dignificat, ut in conſpectu DEI cœleſti remuneratione digna & grata acceptetur. *Nec ſomnus Sanctorum*, ait S. Gregorius, *vacat à merito, ſive bibant, ſive comedant, ſive laborent, ſemper majores ſibi vitæ æternæ gradus promerentur.* S. Gregorius in moral. Ad vos hæc tendit oratio, qui in avibus cœli luditis; qui ad aratrum applicatis manus, & in ſudore vultûs veſtri pro pane lucrando laborioſum enervatis corpus: ad vos, qui in officinis ad incudes calidum laminatis ferrum, & in varias deducitis formas: ad vos, qui in bello juſtè ſuſcepto vel acuta evaginatis arma, vel graves temporum ſuſtinetis ærumnas: ad vos, qui in ſupremis Principum Dicaſterijs ac Tribunalibus, pro magnâ Themide, & partium litigantium æquitate juſta decernitis: ad vos, qui ad altare Summi Numinis adoletis incenſum, & ab altaris œconomiâ veſtras depromitis Præbendas: ad vos, qui ſub quacunque conditione & ſtatu occupati eſtis, laborantes manibus aut induſtrijs veſtris; quamdiu in gratiâ ſanctificante eſtis conſtituti, *ſemper majores* cum directâ ad DEUM intentione *æternæ vitæ gradus promeremini. Scimus*, inquit Paulus, *quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8. v. 28. Hoc certè de Phœnicibus loquitur; ſed verò de Veſpertilionibus & tenebricoſis noctambulonibus D. Auguſtinus addit: *Improbis & reprobis omnia cooperantur in malum, & ipſa oratio convertitur eis in peccatum.* S. Auguſtin. ſolilog. c. 28.

Lux magiſtra noſtra eſt, & fidus Achates: nam in dijudicandis obtutibus nos inſtruit, & in via nobis lubricum oſtendit periculum, ne lapſu aut caſu evertamur. 325. Gratia cum peccato non conſiſtit. O quot fregerunt cervicem, quot luxârunt brachia & pedes, quot præcipitati ceſſerunt fato, quot in extrema deducti diſcrimina! quia juxta Servatoris noſtri teſtimonium: *Qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat.* Joan. 12. v. 35. Quippe in tenebris nocturna fallunt ſubinde ſpectra; decipit apprehenſa vel ignota locorum differen-

rentia; impingit elata cervix; errat vagabundus & dubius pes; palpat deſerta manus; acutiſſimus caligat oculus; ubique periculum in tenebris, incertitudo ambulatoria, phantaſtica deceptio, timoroſa defatigatio, error Sap. 5. v. 6. & miſeria! *Ergo*, clamant illi apud Sapientem Noctambulones, *erravimus à viâ veritatis, & lumen juſtitiæ non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis! Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles!* Nunquid in volutabro rotantur, qui potentes ſunt in ebrietate? nunquid impingunt ad aurea & argentea ſimulacra, qui Mammonæ immolant ſacrificium laudis? nunquid tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant, qui ambitiosè per Scalas Jacob conantur aſcendere? nunquid iracundi incidunt in tribulos, & invidioſi ſuos præ livore excutiunt oculos? quia erraverunt à viâ veritatis, ambulando in tenebris. Hinc *contritio &* Pſal. 13. v. 3. *infelicitas in viјs eorum & viam pacis non cognoverunt.* Sed verò quamprimùm exoritur in tenebris lumen divinæ gratiæ rectis & juſtis corde, ceſſat periculum, auferuntur poſita offendicula, ſerenatur conſcientia; *ſuaviter* inſuper *equitat, quem DEI gratia portat*: nec tam repente ſolaris radius Erebi diſpellit caliginem, quàm gratiæ ſanctificantis claritas mortalium Proverb. 4. v. 18. peccatorum tenebras abigit. *Iuſtorum autem ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem.*

326. Gratia conſcientiæ teſtis & index.

Lux in dubio rerum materialium dubias diſſolvit quæſtiones, & veritati teſtimonium perhibet efficaciſſimum: quandoquidem infera ſuperáque omnia quaſi aureæ cujusdam veſtis ſplendore circumfundit, & ubique diſtinctionem, rerúmque varietatem & veritatem commonſtrat; atque in mixtis corporibus alioquin abſconditam multiplicium colorum picturam ſuæ præſentiæ nitore oſtendit. *Quid pulchrius luce*, inquit Hugo Hugo de S. Vict. re. de S. Victore, *quæ cùm in ſe colorem non habeat, omnium tamen rerum colores ipſa quodammodo colorat*? Ipſa in cœlo, planetis, iride, cryſtallo, & hujus generis objectis variè modificata varios repræſentat colores, & ſine luce jacent cuncta veluti ſitu & ſquallore obſita; per eam verò omnium corporum pulchritudo confeſtim apparet. Quò pertinet illud Esdræ: *Tunc dixiſti de* 4. Esdræ 6. v. 40. *theſauris tuis proferri lumen luminoſum, quo appareret opus tuum.* Et quemadmodum is, qui domum vult conſtruere, primùm explorat, unde ei lumen infundat, tanquam *primam gratiam*, ſine quâ tota tenebris horret domus; ita dum hoc præclarum mundi ædificium DEUS conderet, nequaquam paſſus eſt diu illi tenebras incubare, ſed *dixit & facta eſt lux.* Et quare non nemo fugit lucem, ac quærit tenebras, dum intendit operari malum? Nempe excæcata eſt nox, & tenebroſo ſuo pallio iniquitatem contegit; at verò lux tacitis ſuis radijs ubique auſcultat, ſuis oculis omnia conſiderat, & ſuâ loquacitate teſtimonium perhibet veritati. *Oculus adulteri obſervat* Iob. 24. v. 15. *caliginem, dicens: non me videbit oculus: & operiet vultum ſuum.* Quotquot in gratiâ ſunt conſtituti, læti ſunt, ſereni ſunt, & omni conſolatione repleti; quia tenebræ in ijs non ſunt ullæ, ſed cum D. Paulo gloriantur: *Gloria no-* 2. Corinth. 1. v. 12. *ſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis & ſinceritate DEI, & non in ſapientiâ carnali, ſed in gratiâ DEI converſati ſumus in hoc mundo.* Cum D. Auguſtino ad teſtem S. Auguſtin. lib. contra Secundinum Manichæum. veritatis ſecuri refugiunt: *Senti de Auguſtino, quidquid libet; ſola me in oculis DEI conſcientia non accuſet.* Claritate internâ ſunt repleti, ita ut eorum non officiatur luminibus; conſolatione, quia nihil contriſtabit juſtum, quidquid acciderit ipſi; tranquillitate, quia non poteſt in ijs conſurgere Sathan, qui perturbet Iſraël; jucunditate, quia DEI amicitia triſtitiam non admittit: *Neque enim habet amari-* Sapient. 8. v. 16. *tudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam & gaudium.* Vbi econtra ſtatus peccati amaritudinem confert, converſationem inquietat, tædium animi perennat, rationem tenebris offundit, & animam omni ſincerâ conſolatione expoliat.

O ſtul-

O ſtulti, qui plùs diligunt tenebras quàm lucem, plùs peccatum quàm ſanctitatem!

327. Sanctitatis inſtantanea actio.

Lux cùm ſit excellentiſſimæ naturæ, quamdiu non invenit in ſubjecto contrarium, à quo retardetur, in totam ſuæ activitatis ſphæram incredibili ſe celeritate, ac momentaneâ quâdam actione diffundit, per corpora diaphana, vitrea, cryſtallina, aquea, aërea, & quæ cum cœlis habent affinitatem. Vbi fortè per denſam nubem illapſus lucis impeditur, quamprimum amota eſt denſior plaga, totum hemiſphærium ſolares radij clarificant, & intimè penetrant.

Eccli. 42. v. 16.

Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloriâ Domini plenum eſt opus ejus. Ecquis figens oculos in hunc inexhauſtum luminis fontem, non totum ſeſe profundat in laudem & gloriam Dei, qui incomparabili ſuâ virtute tam illuſtre perfecit opus? Ipſemet ſupremus Artifex lucis celeritatem inveſtigandam propoſuit ingenioſo Jobo, quaſi per ænigma interrogans: ſi quid nôſti in quæſtionum phyſicarum ſubtilitatibus; ſi ſis Magiſter

Iob. 38. v. 24.

in arte, edicito, *Per quam viam ſpargitur lux, dividitur æſtus ſuper terram?* Sed verò lucis celeritatem longè ſuperat ſanctificantis Gratiæ actio inſtantanea, quæ nullâ poteſt opacitate impediri, quò minùs totam perluſtret & clarificet animam; *ipſe enim Spiritus*

S. Leo ſer. 1. de Pent.

veritatis, ut loquitur S. Leo, *facit domum gratiæ ſuæ luminis ſui nitore fulgere, & in templo ſuo nec tenebricoſum aliquid vult eſſe, nec tepidum.* Et hoc quidem meritò: nam quantò majorem Deus cum homine contrahit amicitiam, tantò illuſtriori affectu & ardentiori amore homo Deum proſequatur, neceſſe eſt. Profectò ſub hac luce inſtan-

S. Gregorius l. 29. moral. c. 12.

tanea S. Gregorius ſanctitatem intellexit, & pulcherrimè Deum ſic ſciſcitantem induxit. [Dic, quo ordine juſtitiā meam occultis ſinibus cordium infundo: cùm & per acceſſum non videor; & tamen viſibilia opera hominum inviſibiliter immuto: cùm unam eandémq; mentem modò hàc, modò illâ virtute irradio; & tamen per ſparſam lucem adhuc ex parte aliqua eam in tentationis tenebris remanere permitto. Requiratur homo, neſciens, per quam viam ſpargitur lux? Ac ſi apertè dicatur: dum dura corda emollio, dum rigida inflecto, dum aſpera mitigo, dum frigida accendo, dum debilia roboro, dum vaga ſtabilio, dum nutantia confirmo, intuere, ſi vales, incorporaliter veniens quibus ea meatibus illuſtro. Hæc quippe omnia nos facta cernimus, & qualiter intrinſecùs efficiantur, ignoramus.] Nobiliſſima conſideratio duplicis quæſtionis, quâ Deus Jobum urget; ubi enim priùs de luce inquirit, quam ſcilicet viam capiat, dum ad nos de cœlo tam celeriter & inſtantaneè illabitur; ſubdit aliam de via, quam æſtus agit, dum nobis ſe repentè objicit. Vbi per lucem ſanctitas, per æſtum labor intelligitur. Itaque poſt lucem ſtatim adeſt æſtus, quia virtutis ſtudium multis difficultatibus implicatur. Nam hoc ipſo, quòd Deus è cœlo lumen ſpargit, quo aliquē illuſtrat, & fulgore ſanctitatis clarū facit, mundi rectores & principes tenebrarum, qui in terrā miſſi dicuntur, rabido æſtu inflammantur, accenduntur atque excitantur, ut contra eum agant & perdāt: & eo ipſo, quòd quis bonorum operū claritate lucet, æſtus ardoris invidiæ ſuccendit dæmonem, ut varijs diverſiſque modis illum expugnandum aggrediatur. Vtroque modo appoſitè ad præſens negotium diſcurrit Gregorius.

Denique lux animantium corporibus & naturalem decorem addit & vigorem, dum extrinſecos eorum habitus diſtinctivo colore exornat, & vitales ſpiritus vivifico reficit calore: utrumque enim, & *colorem*, & *calorem*, à luce prodire jā audivimus. Hinc etiam, qui ægro ſunt corpore, plerunque meliùs interdiu quàm noctu habent; ac non pauci appetente vere, Soléque ad nos remeante, ex hybernis convaleſcunt morbis. Huc pertinet, quod D. Dionyſius docet, *lucem movere ad vitam, nutrire, augere, perficere, exprimere, purgare, renovare.* In homine eximia latet imago, ſed ſuo vigore & decore privata, quam- 328.

Gratia imaginem Dei in homine obſcuratam reſtituit.

S. Dionyſius lib. de div. nom. c. 4.

diu tenebris peccatorum offunditur. Imago quam nec Dædalus, nec Phidias, nec Prometheus ullus poſſet invenire aut imitari, ſed ſola ſupremi Artificis induſtria perfecit: *Imago*, inquam, *Sanctiſſimæ Trinitatis*. Ecquid præclarius vidit rerum Natura in inventione, quid divinius in imitatione? Et tamen, quàm diu anima gravi obnoxia eſt peccato, languet & obſcuratur imago: quàm primùm lux ſanctificantis irradiat Gratiæ, protinus reviviſcit ſuóque decori reſtituitur Imago. Nam licèt hæc in nobis reluceat per naturam, & ſic per eam ſimus in Deo; per gratiam tamen efficitur, ut inſuper etiam ſimus cum Deo. Itaque hæc Dei Imago in potentijs animæ noſtræ tam ſpecioſè reſultans, ſi fortè per peccatum antecedens fuerit obſcurata, vigorem & decorem, ſimul & omnium præcedentium mortificatorum meritorum reviviſcentiam, recipit à ſuperveniente ſanctitate ex alto. O incomparabilis pulchritudo ſanctificantis luminis! Quis ingens capere poſſet gaudium, ſi quis noctu ut pauper Irus concederet cubitum, & orto ſole reſurgeret uti ditiſſimus Crœſus? ſi quis veſpere ageret conditionem laborioſi ruſtici, manè perſonam potentiſſimi Monarchæ? ſi priùs cum ulceroſo Lazaro cubaret in ſterquilinio, mox ut glorioſus Salomon ſederet in throno? ſi paulò antè omnium miſerrimus, evaderet ſubitò in feliciſſimum? O mortalium ſtoliditatem & veſaniam! Gratia hominem efficit amicum Dei, hæredem regni; peccatum hominem efficit inimicum Dei, hæredem inferni: & tamen *dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem*, amicitiam diaboli quàm Altiſſimi, magis peccatum quàm gratiam, magis interitum quàm ſalutem, magis mortem quàm vitam, magis noctem quàm diem, magis temporalia quàm æterna, magis terrena quàm cœleſtia, magis occaſum quàm ortum, magis exilium quàm patriam, magis amaritudinem quàm dulcedinem, magis caliginem quàm ſplendorem.

Hæc tam ſingularia dum de gratiâ juſtificante luculenter illuſtro, expaveſco, quaſi lucis radijs perſtrictus, pro complemento adducere, quod religioſiſſimus noſtri ſæculi Pater Bartholomæus Saluthius publicâ Concione expoſuit ſpectaculum. Is, ſi ignotus ſit Auditori, in Ordine noſtro Fratrum Minorum de Strictori Obſervantiâ, dum lecturâ Theologicâ pluribus annis præclariſſimè fungeretur, ita tamen licentioſè vixit, ut ab ipſo Summo Pontifice Gregorio XV. ad diuturnam quatuordecim annorum pœnitentiam includeretur Romæ in Conventu noſtro S. Petri de Monte aureo. Itaque priùs diffuſæ ſunt tenebræ ſuper faciem univerſi hominis iſtius, ad vanitates irreligioſas prorſus excentrici. *Et dixit DEUS, fiat lux. Et facta eſt lux* gratiæ primò prævenientis, atque illuſtrantis; tum verò etiam ſucceſſit lux gratiæ juſtificantis, tam copioſè in Saluthio operativa, ut adhuc in pœnitentiâ conſtitutus operaretur mirabilia, collatæ ſanctitatis radios diſpergendo ex rimis ſuæ occluſæ cellulæ; & poſt completam quaterdennalem rigoroſiſſimam pœnitentiam, prodiret velut novus Phœnix ex cinere & cilicio, Vrbem totámque Italiam dictis, ſcriptis, & miraculis ædificaret. Ejus Prophetiæ, & Beatificationis proceſſus, Romæ in Caſtello S. Angeli, tanquam aliqua pretioſior Eccleſiæ ſupellex aſſervatur. Factus Concionator Apoſtolicus populoſas Italiæ civitates ſuis concionibus uſque ad medullam ſpiritûs commovebat, & efficaciſſimè ſollicitabat corda filiorum hominum ad recuperandam juſtificationis gratiam, peccatis perditam; ſuáſque conciones confirmabat concomitantibus & ſequentibus ſignis. Aliquando Romæ in Eccleſiâ noſtrâ Aracælitanâ, dum coram populoſiſſimo Auditorio, & plurimorum Cardinalium coronâ, Verbum Dei ardentiſſimâ Concione vellet proponere, cum totius Auditorij exordiali conſternatione, orationis ſuæ telam taliter orditur. Ex Divinæ Ma-

jeſta-

jeſtatis imperio, quisquis præſentium Auditorum diabolico poſſeſſore infeſtatur, ille altè aſſurgendo ſe manifeſtet. Erat hoc imperium altum, inſolens, & *quaſi poteſtatem habens*: cui ſecundò prolato omnes tacent, rei eventuræ expectatione ſtupefacti. Tertiò idipſum jubet P. Saluthius: tum ecce! quidam ex plebeis ſurgit opifex, dicens, ſe ſub diaboli inſidentis dominio detineri. Tum P. Saluthius: Et tibi, clamat, maledicte ſpiritus, in virtute Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti præcipio, ut altâ & clarâ voce veritatem profitearis, quot numero ex præſentiâ tot mille hominum ſint in gratiâ Dei conſtituti? Aderant autem ex omni ſexu, ſtatu, natione & religione plurimi, de ſua juſtificatione plurimùm præſumentes. O quanta hîc conſcientiarum recollectio! quis ſtimulus & pavor! Tacet, & ridet diabolus primò, ac ſecundò; tandem tertiò juſſus fateri, cùm tam potenti imperio ampliùs haud poſſet reſiſtere; hilariter altè & expreſsè pronuntiavit, erigendo tres digitos: *ex omnibus præſentibus ſunt tres de gratia DEI, reliqui omnes ſunt mancipati mei.* Exinde P. Saluthius ſuum proſequitur intentum, de gratiâ ſanctificante tam penetranter perorando, perſvadendo & commovendo, ut unà totius Auditorij corda in copioſiſſimas lachrymas per oculos erumperent. Sequebatur conſternatio gravis: erubeſcebant in ſuâ purpurâ Cardinales; Clerici & Religioſi præ anguſtiâ ſpiritûs gemebant, *dicentes intra ſe, & pœnitentiam agentes*: deponebant fœminæ luxum, & proſtitutæ nuditatis incitamenta honeſtabant; omnes ad Deum converſi conabantur ſervitium diaboli excutere, & per veram cordium contritionem ac vitæ emendationem ad Dei gratiam atque amicitiam redire. *Rara avis in terris!* Rigoroſa & importantiſsima Interrogatio, quot ex præſenti Auditorio ſint in gratia ſanctificante conſtituti? Et quis præſumat ad hanc reſpondere vel unum verbum, conſcius ſuæ malè diſpoſitæ conſcientiæ? Et tamen, ô malitia perverſa! ô perverſitas execranda! noluerunt intelligere, ut bene agerent, & æternam hæreditatem ſanctitate & juſtitiâ obtinerent; ſed *dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*, & quidem lucem gratiæ & amicitiæ Dei.

Vidiſtis, Auditores, quænam ſit illa *rara avis in terris*; quàm concinnè ſeſe ex ſuis reſuſcitet cineribus? quo incendio ardeat? qua luce ſplendeat? qua coruſcatione refulgeat? Procul hinc ad tenebras, Veſpertiliones! Phœnices vos omnes, per gratiam ſanctificantem renatos, atque utinam etiam confirmatos in gratiâ, cordialiſsimè ſaluto ijs D. Pauli verbis ad Epheſios: Epheſ. 5. v. 8. 9.
Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; ut filij lucis ambulate: fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate.

Amen.

QVÆ EST

SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

TRIFISTULARIS SEMENDA.

Der Indianiſche drey Züngling.

LEMMA.

Unum, de triplici carmine, Nomen habet. Mirandula.

THEMA.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Matth. 28. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS XXXV.

Vario laudis, honoris, & gloriæ apparatu SSS. Trinitas in Divinis Perſonis vel ſpecialiter, vel æqualiter, proponitur glorificanda ac celebranda.

319. Semenda tritona ad S. Triadem relata.

DUm omnes pro dignitate hodiernæ Solennitatis Dominicalis præſtolantur ex magno noſtro Aviario provolantem quandam inſolitæ raritatis cantatricem, inſonat Triſiſtularis Semenda, & ſuæ delectabilitate melodiæ, & ſuæ propagationis ordine, omnes in admirationem rapiens Auditores. Refert enim Nicolaus de Comitibus, in ulteriore India avem eſſe, *Semendam* nomine, Trifido ſeu potiùs Triſiſtulari roſtro, quo muſicum ſonum, ad cujus imitationem paſtores haud inſvave inſtrumentum compoſuerint, edat. Hanc, aiunt, præſentire mortem ſuam, eâque propinquante ligna deferre in nidum, cantilare, & alarum percuſſione ligna incendere, atque comburi; inde vermiculum gigni ex cineribus, qui poſtea in avem ejusdem ſpeciei excreſcat. Ex cujus argumento, Phœnicis poſſibilitatem multi probare videntur.

Caſp. Schottus lib. 9. mirab. c. 61 parag. 4.

Quidquid verò Scaliger de Triſiſtulari eius cantu in dubium vel mendacium ducat, illud totum aufert Nierenbergius, de Tritone ave diſſertis verbis ſcribens. [*Svaviſſimi avicula concentûs Hiſpaniolam incolit. Tribus vocibus canit: ſcilicet pænè indiviſibilibus modulis variat cantum, ab acutâ voce in alias ſubitò dilapſa, ne videatur una omnes edere, unóque ſpiritu multos formare tonos, tanquam ſi à tribus gutturibus fabricarentur. Anonymus manuſcriptus teſtatur, ſe audiviſſe: censétque, nullam avē edere jucundiores cantus, & oppidò præſtare Luciniæ inexplicabili propemodum dulcedine. Negat à ſe viſam hanc avem, ſolùm auditam: ſed aliorum teſtimonio pulcherrimam prodit, & mirifico colorum ornatu variegatam.*] Non diſcedo ab hiſce authoritatibus, & dum Triſiſtularem Semendæ vocem inſonare audio, ad Sanctiſſimæ Trinitatis Divinarum Perſonarum in unâ indiviſâ Eſſentiâ im-

Scaliger Exerc. 218 ... ſtet.

Ioan. Euſeb. Nierenberg. hiſt. nat. l. 10 c. 14.

imperſcrutabile myſterium me refle-ᵭo, utpote quòd *Tritonæ Avis* ſatis plauſibile Divinæ Triadis exhibeat ſymbolum: nam ſicut Semenda *unum de triplici carmine nomen habet*, ita juxta Mirandulanum, Divinitatis Trias *unũ de triplici Nomine Numen habet*. Quod quidem carmen in ſano ſenſu intelligendum, ut ſcilicet illud *de triplici Nomine* ad ſolas Divinas Notiones ſeu Perſonas expreſsè referatur. Jam non de inſolita Semendæ reſtauratione per vivicomburium, non de ornatiſſimo colorum apparatu in pennis relucentium; ſed de ſolo Triſiſtulari carmine ſollicitus, totum orationis meæ nervum eò intendo, ut tantæ Summi Numinis Triadi unicè applaudat; & ſub hoc ſolenni plauſu laborioſè diſquirat, an tanta ſit inter Divinas Perſonas æqualitas, ut extra gratitudinis officium una haud poſſit ſpecialiter glorificari, nec inhonorari Perſona, quin etiam reliquæ ſimul glorificentur, aut inhonorentur? Intercurrentes pietatis ſubtilitates, quæ de imperſcrutabili Myſterio iſto ſeſe paſſim profundunt, velut radios à Sole, etiam ſupremis Theologis difficiles, ita ad hominem liquidabo, ut etiam pro ſuo quisque captu poſſit aſſequi, quid ſit erigere manus, libare preces, implorare opem, referre gratias, aut ſignare frontem *in nomine Patris, & Filij & Spiritûs Sancti*.

Eduardus c.14. Mirand. apud Theoph. Raynaud. in Heteroclitis Spirit.

330. Specialem cultum voco, qui v. g. exhibetur Patri, nihil ex propriâ & formali intentione referendo ad alias Perſonas: qualis eſt, quo quis cum Filio loquitur, profitendo fidem ſuam de ejus diſtinctione à Patre & Spiritu Sancto. Proinde licèt beneficia, quibus à Deo afficimur, ſint omnibus Divinis Perſonis communia, utpote quòd opera Dei ad extra ſint indiviſa; & eo titulo omnes Perſonæ æqualiter nobis colendæ veniant: nihil tamen vetat, eo nomine ſpecialem cultum alijs Perſonis non exhibitum exhibere Verbo, quòd terminaverit Humanitatem; quia cultus ſpecialis non ſupponit obligationem ſpecialem, contractam ex aliquo beneficio per eam Perſonam præſtito: coli enim poteſt, quòd eſt ens omnino neceſſarium, abſque ullo ordine ad actionem ejus liberam. Itaque poteſt coli SS. Trinitas in ſe indiviſa; aut Deus abſolutè, prout eſt in ſe infinitè potens ac perfectus, aut aliqua Perſona, prout ens eſt planè neceſſarium, & in ſe conſideratum: & ſic plures Theologi ſentiunt apud Theophilum Raynaudum, ingeniorum ſui ævi efflorentium quendam Phœnicem. Quod quidem intelligendum eſt de cultu ſpeciali, in quo nihil admiſceatur, quo officium ex ſe Religioſum in actione ſua contrahat abſurditatem. Cujusmodi fuit, quod ante aliquot annos impiè ab impijs factum, & celeri pœnâ ab irato Numine punitum recenſet præfatus Author. Quæ quidem res adeò referta ſceleribus & blaſphemijs ſcatet, ut potiùs videretur premenda. Attamen ex facto etiam horrendo, nunquam ſopitum Dei oculum conſiderantibus competens poteſt fructus ſuccreſcere. Quare erumpat ſanè, pudens licet ac horrens oratio. Apud Montem Albanum, haud procul Toloſâ, Anno 1619. Sectarij quidam, ſerotinam ſymphoniæ gratulationem ad amaſiarum januas cùm obiviſſent, invitante eorum uno, cogitationem ſuſceperunt, ut quod officium amaſijs exſolverant, etiam exhiberent Creatori. Cùm probaſſent conſilium, eo animo ante templum, in quo profana Calvini ſacra peragi ſolita, omnis ſimul eorum chorus coaluit. In deliberationem verò venit primùm, cuinam è tribus Divinis Perſonis ea Symphonica gratulatio eſſet præ reliquis exhibenda. Et Patrem quidem tanquam Antiquum dierum, & præ ſenio moroſum, atque à concentu abhorrentem communi ſententiâ excluſerunt. Nec ad Filium quoque verti placuit, quippe melancholicum, nec niſi cruces, & clavos, ac ſpinas præferentem, & voluentem animo. Tandem igitur circa Spiritum Sanctum, tanquam lætitiæ fontem, de omnium ſententiâ decretum eſt gratulationis officium: quo ubi non absque compluribus joculatorijs blaſphemijs perfuncti ſunt, ad propria redic-

Poteſt coli una Divina Perſona ſine alterâ.

Theoph. Raynaud. in Heteroclit. punctual. ſect. 3. fol. 13.

redierunt. Non eſt in longum protracta divina ultio, ſumpto initio à cæterorum incentore. Is mox acerrimâ febri correptus, immanes clamores perinde ac deſperatione actus ſuſtulit. Et circa ejus domum, priusquam blaſphemam evomeret animam, auditæ ſunt ſymphoniacæ gratulationes, ijs geminæ, quarum blaſphemè edendarum author fuerat. Crimine ab uno diſce, quanti ſit in Spiritum Sanctum jocari; etſi non ſemper ſubſequens pede pœna claudo, Divinam vindictam demonſtret. Dummodo igitur adjunctum quodcunq; dehoneſtans ſemoveatur, ſpecialis venerario unius Perſonæ, prout entis neceſſarij, & ſecluſo ordine ad quodvis beneficium, innoxia eſſe poteſt atque ordinata. Hinc & ipſa Eccleſia ſpecialibus invocationibus in Litanijs unam Perſonam ſpecialiter invocando appellat, *Pater de cœlis DEUS*, non invocando alteram; Feſta etiam uni appropriat, quę nō appropriat alteri; & multa alia uni tribuit terminativè, quæ non tribuit alteri; licet formaliter omnis oratio noſtra, & deprecatio, ad totam Sanctiſſimam Trinitatem referatur.

331. Peccare poſſimus ſpecialiter in Divinas Perſonas.

Sed nunquid ſicut una aliqua Perſona ſpecialiter eſt venerabilis, ita etiam ſpecialiter eſt violabilis; eò quòd ſcilicet admittatur peccatum aliquod, quod ſit injuria unam duntaxat feriens Perſonam, & non alteram? Videtur ſimilis hìc convincere argumentatio; ita quòd, licèt offenſâ unâ Perſonâ Divinâ æquè ſuſtineant omnes injuriam, adhuc tamen per nonnullam accommodationem & appropriationem, ſicut attributa quædam & actus eis reſpondentes, ita & peccata oppoſita, appropriatione quâdam, uni alicui poſſint tribui Perſonæ. Qua ratione de peccatis & blaſphemiâ in Spiritum Sanctum multa tradunt SS. Patres, & Doctores cum Græci, tum Latini; inter quos Bleſenſis expoſitio plurimum affert lumen intellectui caliginoſo. [Potentia, inquit, „ad Patrem, Sapientia ad Filium, „Charitas ad Spiritum Sanctum pertinet. Non eſt quod dicitur peccare in „Patrem, peccare in filium, peccare in „Spiritum Sanctum. Quando enim ex „fragilitate peccamus, peccamus in „Patrem, quaſi contra potentiam. „Quando verò ex ignorantiâ peccamus, peccamus in Filium, quaſi contra Sapientiam. Quando verò ex „malevolentiâ peccamus, peccamus „contra Spiritum Sanctum, quaſi contra dilectionem. Et ideo peccare in „Patrem, ſive in Filium, hic vel in futuro remittitur: quia qui ex fragilitate vel ignorantia peccat, ſicut aliquâ excuſationem habet in culpa, ita „aliquam remiſſionem debet habere „in pœna; ſive in hoc ſæculo, ſi pœnituerit, ut faciliùs conſequatur indulgentiam; ſive in futuro ſæculo, ſi „in malo perſeveraverit, ut tolerabiliorem ſentiat pœnam. Qui verò „ex malitiâ peccant, eorum delictum „nullam habet excuſationem. Et ideo „pœna eorum remiſſionem habere „non debet: quia ſi pœnituerint in hoc „ſæculò, plenâ ſatisfactione multandi ſunt; ſi verò non pœnituerint, plenâ damnatione in futuro „ſæculo puniendi. Et ideò hi tales „nec hìc, nec in futuro ſæculo, remiſſionem accipient: non quia pœnitentibus venia denegatur, ſed quia „pleno peccato plena retributio debeatur.] Eodem modo accipiendum eſt, quòd peccata quibus violatur charitas, aut quibus malè ædificatur proximus, dicantur contriſtare Spiritum Sanctum, eúmque contemnere. S. Chryſoſtomus locum quendam ad Epheſios, in quo ſpecialis fit mentio de contriſtatione Spiritûs Sancti ſuo more ſic explicat. [Vnicuique, inquit, præcipit, ut pro viribus „proximum ædificet. Qui verò horum „alios admonet, multò magis ſeipſū. „Et *ne contriſtetis*, inquit, *Spiritum Sanctum*. Illud horrendum magis eſt ac „terribilius, quod & in ea, quæ ad „Theſſalonicenſes eſt, dicit. Nam & „illuc tale quid dicit, utpote: *Qui „ſpernit, non hominem ſpernit, ſed „DEUM*. Ita & hìc: ſi contumelioſum „verbum dixeris, ſi percuſſeris fratrē, „non

Bleſenſis ep. 10.

S. Chryſoſt. hom. 14. ſuper Epheſ. 4. v. 30.

1. Theſſal. 4. v. 8.

„non illum percuſſiſti, ſed Spiritum „contriſtaſti. Deinde addit beneficium Spiritûs, quo major reddatur „reprehenſio: *Et ne contriſtetis*, inquit, „*Spiritum Sanctum, in quo obſignati eſtis in* „*diem redemptionis.* Hic Spiritus nos „regalem eſſe gregem oſtendit; hic „nos ab omnibus prioris vitæ actibus „cohibuit; hic non eſt paſſus, ut con- „juncti eſſemus illis, qui iræ Dei ſunt „obnoxij. Et tu illum contriſtas? Vi- „de, quomodo ad Theſſalonicenſes „quidem terribiliter: *Qui enim ſpernit,* „inquit, *non hominem ſpernit, ſed DEVM.* „Hic verò cum quadam reverentia: „*Ne contriſtetis*, inquit, *Spiritum San-* „*ctum, in quo obſignati eſtis.* Hæc ipſa „obſignatio in ore tuo eſt poſita. Nec „tollas ſignacula. Os ſpirituale nihil „tale loquitur.] Simili modo D. Chryſoſtomus pronuntiat, per adulterium & quodcunque fœdum commercium, ac ſui etiam ipſius inquinationem absque compare, ſperni & injuriâ affici Spiritum Sanctum. Quæ omnia accipienda ſunt de contriſtatione ac injuriâ Spiritûs Sancti per ſolam appropriationem, eò quòd illi peculiariter adſcribatur Charitas & Sanctificatio, quia procedit per amorem: licèt ob communem omnibus Perſonis eſſentiam, & fontalem Sanctitatem, hujusmodi peccata in omnes Perſonas Divinas æquè incurrere dicantur.

S. Chryſoſtom. hom. 5. in Ep. ad Theſſal.

332. Caſtigati violatores Trinitatis.

Sed verò hanc ſpecialem Divinarum Perſonarum violationem proſequendo; quis neget, Arium & Macedonium peculiariter violaviſſe Filij & Spiritûs Sancti Perſonas, quibus eſſentialem abrogaverunt Divinitatem? Ipſe Christus per viſum B. Antoni objectum, coarguit blaſphemiæ in ſe, mediam Trinitatis Perſonam (alio quidem ſenſu, quàm apud Nazianzenum Spiritus Sanctus dicitur *media Patris & Filij Perſona*, hoc eſt, nexus amborum) ſæpè ſæpiùs commiſſæ per Diaconum, cum quo S. Epiſcopus ſolebat Divinum Officium decurrere; quòd cùm glorificaret in cujusque Pſalmi metâ Patrem & Spiritum Sanctum, præ celeritate tamen mali uſûs maculam ſibi inuſiſſet, tranſiliens ſemper Filium; de quo ſuo dedecore ſpeciali expoſtulavit. Eſt & illud celeberrimum ſpecialis violationis exemplum. Græci poſteriores dicti ſunt peccaſſe in Spiritum Sanctum, quia licèt eum pro Deo agnoverint, Proceſſionem tamen ejus à Patre Filióque admittere renuerunt. Unde juſto Dei judicio prædâ facti ſunt Turcis, obtrito eorum Imperio, & Regiâ ſub Conſtantino octavo Palæologo vi captâ (ſicut ſub Conſtantino magno cœperat) ultimo impetu militibus demandato ipſo die Pentecoſtes 28. Maij, & impreſſione potenter factâ ac urbe captâ die ſequenti 29. Maij, Anno 1452. Ex quo eventu apparet, Spiritum Sanctum vindicâſſe ſuam injuriam, & obtritos ac dejectos voluiſſe eos, qui noluerunt agnoſcere ſuam à Patre & Filio Proceſſionem. Quod poſt exactum triennium à denuntiatione factâ per Nicolaum V. Romanum Pontificem de imminenti Græcis ruinâ, & ficulneæ ſucciſione, ſi juxta Evangelicum Verbum poſt tertium annum perſtarent infrugiferi, id eſt, rebelles Spiritui Sancto, Græcanicâ obdurationе ſpecialiter violato, fertur eveniſſe. Pari ratione Hildebrardus (poſteà Gregorius VII.) Archiepiſcopum convincit violari per Simoniam Spiritûs Sancti, qui non potuit glorificare Spiritum Sanctum, ſicut glorificaverat Patrem & Filium. Et quidam impii 1611. ipſo die Pentecoſtes in monte Virginis, quia ſanctitatem loci ac Dei violârunt, excitato incendio magnam partem cremati, alii autem obtriti ſunt, dum fugam capeſſunt. Et quid illi expectare debent, qui feſtivitates hiſce Divinis Perſonis ab Eccleſiâ appropriatas peſſimè feriant: qui antematutinam Nativitatis, aut Paſchatis Domini noctem ſortilegijs, chartifoliis, alearum ſtrepitu, ludorum tumultibus, compotationum exceſſibus ad graviſſimum usque ludibrium Divinorum myſteriorum impendunt? Quid illi, qui in ſummis hiſce ſolennitatibus Divinæ Trinita-

D. Thomas. opuſc. 1. c. 9.

In vita S. Antoni l. 1. c. 18.

Bellarm. l. 2. de cur. ſe dolio.

Gobelinus ad l. 1. cont. Florent.

Hildebrardus in orat. Lugd.

Raynaudus citatus.

tis,

tis, nundinis, equorum curſiationibus, ebrietatibus, aliiſve exorbitantijs ſuperna myſteria profanant? Quid illi, qui cantilenis, picturis, figmentis, dogmatibus, aut quibuſcunque exhibitionibus toti Triadi, aut alterutri ejuſdem Perſonæ debitam religionem defalcant? Severa utique imminebit tantorum delictorum caſtigatio, & ultio tremenda.

333. Harmonia SS. Triadis in ſeipſa reſonans.

Itaque propter omnimodam æqualitatem Divinarum Perſonarum, Semendam noſtram Triſiſtularem audiamus omnibus æqualiter accinere gloriam & honorem; præſertim quando ipſa Sanctiſſima Trinitas ex ſublimiſsimis Scripturæ locis quandam videtur ſvaviſſimam harmoniam edere. Eam cœleſtis Pater expreſſiſſe creditur, per Regium Pſalten intonans: *Exurge gloria mea, exurge Pſalterium & cithara.* D. Rupertus clariùs plectra movet, & hoc cœleſtis Patris Pſalterium ac citharam reſonantiùs „explicat. [Gloria, inquit, Patris DEI „Filius, perfecta laus & ſempiterna „muſica: utpote ſumma Sapientia, „quæ de corde nata ejuſdem Patris „æterni muſici citharam noſtræ hu„manitatis aſſumpſit, quam & con„fractam ab invidis & ſtultis pueris, „qui ad cantum ejus ſaltare debue„rant, rurſus per gloriam reſurrectio„nis reformavit, & inviolabile Pſalte„rium fecit. Illa, inquam, gloria ſive „Pſalterium Alleluja noſtrum eſt.] Hanc ait eſſe cauſam, cur à Septuageſima uſque ad Paſcha omittatur Alleluja; quia ſcilicet per prædictũ tempus ea confractio recolitur, & ſublatio ejus de terrâ viventium; propterea dimittitur Alleluja. De Spiritu S. pari jure dixerimus, eum eſſe æternam muſicam, quandoquidem per dilectionem procedit. Dilectio autem bene compoſita, quanti ſit ad concentum muſicum excitandum, intelligi poteſt ex eo, quòd dilectio ſit plenitudo legis, ejúſque integra obſervatio: quam eſſe excellentiſſimam muſicam, & decachordum Pſalterium, S. Auguſtinus pulchrè proſequitur; ut rectè intelligatur, concentum & numeroſam DEI gloriam, ad eum peculiariter pertinere. Quomodo etiam præclarè Gregorius Nyſſenus diſcurrit de gloriâ Spiritûs Sancti, redun„dante in Patrem & Filium. [Spiritus, „inquit, gloria eſt: ſicut alibi Chriſtus „dicit Patri, *Glorifica me gloriâ, quam „habui à principio apud te, antequam mun„dus eſſet.* DEus enim Verbum, qui „ante mundum gloriam Patris habe„bat, quia extremis diebus factus eſt „homo, oportebat, ut caro propter „unionem cum Verbo illud fieret, „quod Verbum, &c. Fit autem hoc, „quia illud accepit, quod habebat „ante mundum. Hoc autem erat „Spiritus Sanctus. Nihil enim aliud „eſt ante ſæcula, præter Patrem & Fi„lium & Spiritum Sanctum. Idcircò „ait: *Gloriam quam dediſti mihi, dedi „eis.*] Eſt ergo ſumma DEI glorificatio, quæ in Patre, Filio ac Spiritu Sancto, velut trichordo Pſalterio reſonat.

Pſal. 107. v. 3.

Rupertus l. 4. de offic. c. 5.

S. Auguſtin. conc. 1 in Pſal. 32 ad v. 2.

Greg. Nyſſ. orat. ad Theophilum.

334. Glorificatio S. Trinitatis per Angelos. *Iſa. 6. v. 3*

Non minor eſt glorificatio totius Sanctiſſimæ Trinitatis, quam apud Iſaiam Seraphini expendunt Divinis Perſonis, alterutro choro clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEVS Sabaoth: plena eſt omnis terra gloriâ tuâ.* Cui Seraphinorum ſenſui inhærens Eccleſia, ex ea ipſorum glorificatione morem hauſit in Sacris myſterijs ſimiliter inclamandi; prout ex antiquiſſimis Canonibus, & Jacobi ac Marci Liturgijs, adeóque ab ipſis Apoſtolis à quibus Triumphalis glorificatio appellabatur, deducit Clemens in ſuis Conſtitutionibus. Continet autem hæc glorificatio luculentam expreſſionem fidei de Trinitate, per trinam acclamationem *Sancti*, & unam *DEI*: ſic enim juxta Hildebertum

Ter poſitum Sanctus Trium notat eſſe; ſed unum

Declarat Dominus atque DEVS Sabaoth.

Hujus proinde Seraphici hymni uſus comprobatur ex pervulgatâ illâ hiſtoriâ, quam refert Nicephorus cum alijs. Poſt continuum ſex menſium terræ motum, pleriſque everſis urbibus, & quinquaginta ſeptem turribus

Clemens l. 8. Conſt. c. 16.

Hildebertus carm. de myſt.

Nicephorus l. 14. c. 46. & Damaſc. lib. de Triſag. Baronius 446.

cum

cum magna parte murorum Vrbis Conſtantinopolitanæ collapſis, cùm Theodoſius Junior & Proclus Patriarcha unacum univerſo populo, ex metu ruinæ in campo degerent, & quodam die, motu terribiliùs ferociente omnes magno cum ſenſu proſtrati Dei miſericordiam implorarent; puer repentè abreptus de media turbâ & ſublatus in excelſum, mox denuò dimiſſus, retulit ſe audiſſe Angelos, ſanctam hanc glorificationem concinentes (coincidit, quod alij ponunt, *Sanctus DEVS, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis*) & ut omnes idem concinerent, admonuit. Quod cùm jubente Proclo illicò factum eſſet, terræmotus ſtatim reſedit. Puer expoſitis, quæ acceperat, mandatis efflavit animã. & Theodoſius cum Pulcheria, ut hæc glorificatio per univerſum orbem uſurparetur, vulgato diplomate conſtituit, additâ feſti, 24. Septembris, quotannis celebrandi indictione. Non pangunt Deo hanc hymnodiam, quibus eſt lingua nequam, aut ſordidis verbis ſanctitatem profligantibus inquinata. D.Chryſoſtomus inſigniter increpãs „turpiloquium. [Perpende, inquit, „cum quibus tempore myſteriorum „adſtes? Nempe cum Cherubin, cum „Seraphin. Seraphin neminem vituperant, ſed unus & idem uſus ota illorũ adimplet, nempe benedicendi „& glorificandi Deum. Quomodo ergò „potes cum illis dicere *Sanctus, &c.* qui ore tuo ad vituperium abuteris.] Reipsâ Deum violas, & luto verborum in ejus dehoneſtationem redundantium hoc triſagion reſpergis.

S. Chryſoſtom. hom. 14. in epiſt. ad Epheſ.

335\. Non difficilem glorificationẽ Sanctiſſimæ Trinitatis celebrat Eccleſia, quæ continetur verſiculo, *Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto*, ſingulis Pſalmis poſtponi ſolito. Quæ quidẽ clauſula probabiliſſimè jam ab Apoſtolorum tempore fuit introducta, ad diſtinctionem Judaicæ pſalmodiæ; quia Judæi paſſim ignorabant Trinitatem Divinam. Deinde verò magis invaleſcebat ad liquidam Catholicæ Fidei profeſſionem contra hæreticos, vel gradus facientes, vel inæqualitates inter Perſonas; hinc quamvis initio hæc doxologia præcisè cõtineretur verbis illis, *Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto*; tamen quòd Ariani Filiũ eſſe Patre juniorem blaſphemarent, nec vellent gloriam ejus eſſe coæternam gloriæ Patris, inſtitutum eſt, ut adderetur huic glorificationi, *ſicut erat in principio, &c.* Quod non ſolùm in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientẽ, & per totam Africam, Italiam, ac Germaniam ad blaſphemię proclufionem rectè invaluit. Porro ob reverentiam Sanctiſſimæ Trinitatis, ut aſſurgeretur à canentibus in fine Pſalmorum ad hanc doxologiã, mandavit ſuis D. Benedictus; præcipiendo inſuper, ut ad reverentiam Trinitatis ter dicerent, *Domine labia, &c.* Omnes Catholici unanimiter tam ſanctam glorificationem uſurpârunt; & quidem plenam, non mutilam, non truncatam non oblæſam. Contra quam Sathanas ementiens Monachum, ad precandum de more invitatus, truncavit eam priore verſiculo: & Monacho ſodale defectum ejus ſupplente evanuit, non ferens tam perfectã laudem. Alium gravem errorem ſuo tempore exortum meminit Vigilius: quòd ſcilicet, cùm omnes Catholici Pſalmos clauderent verſiculo, *Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto*, ab aliquibus una ſubducatur ſyllaba; & conſequenter perfectum minuatur Trinitatis vocabulum, dicendo, *Gloria Patri, & Filio Spiritui Sancto.* Quamvis ergo ipſa ratio nos doceat, quòd ſubductâ unâ ſyllabâ *&*, Perſona Filij & Spiritûs S. una quodammodo eſſe Perſona deſignatur: tamen ad errorem talium convincendum ſufficit, quòd Dominus Jesus Chriſtus deſignans, in invocatione Trinitatis credentium debere Baptiſma celebrari, dixit: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti.* Sed cùm æqualibus diſtinctionibus Patris & Filij & Spiritûs Sancti juſſerit nominari, conſtat illos omnino à doctrina Domini deviare, qui aliquid huic confeſſioni voluerunt derogare. Malignè ac diabolicè Sectarij Lanſacum, Caroli IX. Gallorum Regis Legatum, in urbe Berling,

Glorificatio Trinitatis per verſum: gloria Patri, &c. S. Baſilius lib. de Spir. S.

S. Benedictus c. 9. reg.

Pratum ſpir. c. 119.

Vigilius Ep. ad Eleuther. num.

Primandus l. 1 hiſt. lib. 12. n. 11. anno 1565.

ling, Joachimi Marchionis Brandeburgenſis Sede, ad Veſperas in ſpelæo ſuo audiendas invitatum, novitate per ipſos inductâ turbârunt, cùm in clauſula cujuſque Pſalmi, loco hujus glorificationis, perterricrepa ſcloporum diploſio in fornicem vibrata intonuit. Diſplicet DEO graviter ſuæ glorificationis diminutio, aut irreverens in Choris pronuntiatio: hinc in noſtris Chronicis ob rituum neglectum ultio Divina fuit in viſione monſtrata. Cùm enim pio Religionis more Fratres noſtri ob reverentiam SS. Trinitatis ſe conſueverint ad verſū *Gloria Patri, &c.* humiliter inclinare, piger quiſpiam hoc non curaverat. At poſt mortem viſus eſt ſtare ſuper exilem columnā, quaſi poſitam in medio mari; in quâ centies per diem, & toties per noctem cogebatur profundè inclinari, cum ſummo timore decidendi in mare, quatenus ſic neglectæ cæremoniæ culpam expiaret. Hæc una eſt exigua & perennis retributio, quam SS. Triadi pro tot bonis in nos effuſis rependere poſſumus: quæcunque enim à DEO accepimus bona, totius Diviniſſimæ Trinitatis ſunt munera; quandoquidē omnis hujuſmodi collatio fiat per ſapientiā, bonam voluntatem, atq; potentiam, quæ omnia ſunt toti Trinitati communia. Cùm ergò pro tot bonis rependerimus SS. Trinitati gloriam & honorē, nihil ultra eſt quod reponamus, ad gratificandum tantæ Majeſtati.

Chron. Min. parte 1. l. 9. c. 22.

336. De hac nominali glorificatione etiam ad realem quandam tranſeamus, videndo, quomodo etiam in ſignis externis poſſimus *afferre DEO gloriam & honorem, & afferre gloriam nomini ejus.* Spectat huc inprimis antiquus uſus imprimendi panibus notā trilateram, adhibitā interſectione per gladium: de quo S. Paulinus Alipio ſcribit. [Panem unum Sanctitati tuæ, unitatis gratiâ miſimus, in quo etiam Trinitatis ſoliditas continetur.] Mittit panem unitatis gratiâ; quia panis ob adunationem granorum ſymbolū eſt unitatis: notam verò pani impreſſam oportuit eſſe trilateram, ut ſignaret Trinitatem Perſonarū Eſſentiæ adjungendam: hinc adhuc hodie multis in locis panes crudos eâdem trilaterâ, vel etiam crucis figurâ, incidi compertum habemus. Sicut panis cibus eſt corporis, ita libri & doctrina iis contenta cibi ſunt animæ: hujuſmodi autem libros de SS. Trinitate Patres ſcripſerunt innumeros; inter quos S. Aug. libris quindecim hoc ſolum Myſteriū pertractavit, roborando illud, illuſtrando, & ſolidando in ſua veritate contra hæreticos. Alij ſcripſerūt de SS. Trinitate, ut ligna comportarent, quibus nutriri poſſet ignis amoris Domini (conſentaneè ad præceptum latum Levit. 6.) & pietatis ſtudium erga hanc Triadem excitari, ac foveri: quo in genere præſtat S. Ignatius Loiola, qui in hujus Myſterij arcana jam à tyrocinio ſpiritualis vitę admiſſus, in raptu extraordinario librum de eo Myſterio exaravit, diſſertum omni ſenſu pietatis, & ſpirantem, quæ hauſerat de tam alto Myſterio, verè myſteriorum vertice. A ſcripturis ad picturas veniamus, quæ magnam inter ſe habere videntur affinitatem. Neque in imagine vivâ SS. Triadis hæreamus, conſiſtente in tribus hominis potentijs, intellectu, memoriâ & voluntate; neq; in creaturis cæteris ejus veſtigium multiplex inquiramus: de picta aut ſculpta imagine ſuppetit oratio, per quam ex communi Eccleſiæ, & potiorū Theologorū conſenſu, debitè & prudenter poteſt exhiberi pietatis & gloriæ ſtudiū Trinitati. Improbè & imprudenter multi hoc Myſterium per imagines expreſſerunt: quibus meritò addenda non tam imago Chriſtianæ Trinitatis, quā impia fatuitas & jactantia, aut imitatio ejusdē, quam Choſroës ſecundus Perſarum rex in domo ſua ad modū cœli fabrefactā oſtentabat. Hic enim inſolentiſſimo faſtu cùm ſe DEUM Patrem venditaret, ad ſuā dexterā collocāſſe fertur crucem, quam vocabat Filiū; ad ſiniſtram verò poſuiſſe *Galli gallinaceū*, quem Spiritū S. appellabat. Abeſſe figmentum ab eâ narratione facilè perſvadebitur, qui legerit apud Nicephorum Conſtantinopolitanum, repertum eſſe ab Heraclio inter Choſroës ſpolia

Rebus externis quomodo glorificemus Deum.

S. Paulinus Ep. 43. in fine.

Petrus Maff. l. 1. vita S. Ignat. c. 7.

Sigonius anno 615. Siffridus in Chron.

Niceph. Conſtant. in hiſt. Anno 615.

lia, ſimulacrum ejus ſpecie Tonantis. Hanc etiam & alias Imagines Trinitatis Tricipites, vel in uno capite tria ora aut tres naſus præferentes, Cerberos & Geryones meritò reijcimus: imò nec Triſiſtularem Semendam adbiberemus, niſi ejus admirabili cantu in glorificationem tanti myſterij fuiſſemus provocati.

337. *Imagines SS. Trinitatis quænam admittendæ? Trident. ſeſſ. 25 c. 2.* Non admittunt Catholici quaſcunque Sanctiſſimæ Trinitatis imagines aut picturas materiales, ſed illa tantùm ſigna, per quæ Deus in Sacris literis innoteſcere dignatus eſt; ut Antiqui dierum, aut Columbæ, aut præſertim Hominis, in cujus formâ cum hominibus converſatum eſt Verbum. Pleriſque veterum nummis & monumentis, manus è nube prodiens Patrē repræſentat; Filius Agni, & Spiritus Sanctus columbæ ſpecie exhibetur. Et hanc metaphoricam imaginem, velut ſimpliciſſimam Trinitatis effigiē, commendat Joſephus Scaliger, cōquerens, *Ioſeph. Scaliger comm. in Numiſma Conſtant.* quòd poſtea loco talium ſymbolorum fuerint introductæ picturæ humanarū Perſonarum, quas Veteres averſabantur. Sed verò cur non poſſimus Dei imagines nobis ſub humana ſpecie proponere, quando ipſe Deus ea ſpecie & formâ apparere ſæpè dignatus eſt, prout Thyræus latiùs demonſtrat? *Thyræus lib. de apparit. Dei viſib. Origenes tract. 25. in Matth. S. Auguſtin. lib. de fide & ſymb. c. 7.* Majorem faciunt difficultatem Origenes & S. Auguſtinus, qui graviter videntur invehere in illas cathedras & ſeſſiones, dexteram Patris, ſiniſtram Filij. [Tale enim ſimulachrum, ait Au„guſtinus, Deo nefas eſt Chriſtiano „in templo collocare: multò magis „nefarium eſt in corde collocare, ubi „verè eſt templum Dei, ſi à terrenâ „cupiditate atque errore mundetur.] Prudenter tamen & ſanè intelligendus eſt uterque Pater; nam neutri diſplicent imagines propoſitæ Divinarū Perſonarum, ſi abſit error & falſa perſvaſio, quòd Deus reverà eam poſitionē habeat, & quòd prout Divina Perſona eſt, habeat formam humanam, & mole membrorum corporeorum circumſcribatur. Clariſſimè enim difficultatem enodat ipſemet Auguſtinus, „mox in ſequentibus dicens [Ad dex„teram ergo intelligendum eſt dictū „eſſe in ſum̃a beatitudine, ubi juſtitia „& pax & gaudium eſt, ſicut ad ſini„ſtram hædi conſtituuntur; id eſt, in „miſeriâ propter iniquitates & labo„res atq; cruciatus. Sedere ergò quod „dicitur Deus, non membrorum poſi„tionem, ſed judiciariā ſignificat pote„ſtatem, qua illa Majeſtas nunquā ca„ret, ſemper digna dignis tribuendo.] Itaque hujuſmodi imagines ſunt aliquod ruditatis noſtræ adminiculū, & ut per corporea mā̄ducamur ad purā Dei actualitatem, tales Diviniſſimæ Trinitatis imagines adhibemus. Quod idem proportionaliter facimus, cùm *S. Dionyſius in cælſt. hier.* Angelorum, qui meri ſunt ſpiritus, corporeas admittimus formas, ut ſint ſymbola ſpiritualium perfectionum Angelis propriarum.

338. *Varia exercitia religionis erga SS. Trinitatem.* In hac extrinſeca & reali SSS. Trinitatis glorificatione admirabilis fuit Franciſci Folliani è Societate Jesu, erga tantum Myſterium eximiè affecti pietas ac religio. Is enim auguſtiſſimam Trinitatem Summi Dei ita coluit, ut licèt frequentiſſimè ſvaviſſiméque pronuntiaret, nunquam tamen niſi aperto, inclinatóque capite appellaret. Multa ſuo marte de ea commentatus eſt, multa ab alijs lucubrata pulcherrimo charactere deſcripſit; ſed nomen ipſum Dei, aut Divinæ Trjadis, nunquam niſi grandioribus literis expreſſit. Multa in quotidiano vitæ uſu vel faciebat, vel dicebat, in hujus ineffabilis Myſterij gratiam; quæ licèt alicui minutiora videri poſſent, confirmatæ tamen Pietatis ſunt argumenta. *Philippus Alegambe in Bibliotheca Script. Soc. IESV.* Inhabitabat Romæ Triangulare cubiculum. Tribus aſſeribus pro ſtrato utebatur: Trigonum habebat pectinem, & Tridentem: Triplicem ſemper veſtem gerebat. In Sacro, Præfationi, quam temporis ordo præſcribit, alteram de Sanctiſſima Trinitate (probante Pontifice) ſubmiſsâ voce ſubjungebat. In menſa cultrum, fuſcinulam, & cochlear in formam triquetram diſponebat: panem ter cruce ſignabat, tria ex illo fruſtula ſcindebat, & deinceps

ceps terna prioribus aſſumptis. Nunquam plùs, quã tribus ferculis veſcebatur: cibos ſi tripartiti dabantur, non attingebat; nec ſi terni fructus unâ lance inferebantur. Alia priùs in tres partes dividebat, quàm attingeret. Minutiores fructus (ut uvas, & amygdala) ternos ſimul in os inferebat. Ter quâque cibatione bibebat. Obambulabat in triangulum: roſarium habebat tridens, & tricolore licio conſertum. A legendo, ſcribendóque poſt ternum folium interquieſcebat. Sæpè triangula pingebat æquilatera, illorúmque proprietates Divinis myſterijs accommodabat. Solenne ipſi erat effatum: *Tria ſunt omnia.* Solem fixo ſæpè contemplabatur obtutu; in eóque lucem, ſplendorem, calorem, tanquam Trinitatis veſtigium venerabatur. Ad omnem Sacroſanctæ Triadis commemorationem profundiſſimè inclinabat corpus; coram eius imagine terram prono vultû contingebat. Nomen Divinum *Triadis* non niſi de genu ſcribebat. Novis ædificijs curabat, ubi poterat, ejus effigiem addi, eidem templa ac ſacella dicari. Ad ejus feſti Solennitatem toto ſe octiduo, geminato conſvetæ pœnitentiæ & orationis penſo comparabat. Pridie veſperi, Sacerdotalem in ſacello induebat apparatum, & ſic totâ nocte pervigil ante aram conſiſtebat. Summo mane inter inexplicabiles animi delicias, Sacrum ad horam producebat: eadémque contentione pietatis octavum diem peragebat. Et DEUS ponderator ſpiritum, adſtipulatus eſt tantæ erga ſe pietati: nam Servus DEI poſt triduanum ex morbo decubitum, cùm tres digitos cordi formâ triangulari impoſitos veluti amoris ſui ſignaculum teneret, ſanctiſſimè è vivis exceſſit; & exſecto poſtmodum cadavere, tres in corde ſubalbeſcentes flammulæ, tuberculorum inſtar, ſunt inventæ, quæ parte adverſâ in unam coaleſcebant. Prodigium affine ei, quo in urbe Vaſatenſi tres guttæ cœlitus demiſſæ in unam coaleſcentes, Catholicos ejus loci ab Arianis obſeſſos mirificè recrearunt. Et alteri, quo è corpore B. Claræ noſtræ à Monteſalco educti tres globuli carnei, ejusdem ſinguli, & conjunctim ponderis viſuntur.

Gregor. Turonenſis, l. 1. mirac. c. 13. Thomas Boſius l. 15. de ſignis, c. 3.

Tantum de glorificatione Sanctiſſimæ Trinitatis nobis hodie Triſiſtularis Semenda cecinit. Si & nos DEUM unum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate, omni pietatis ac religionis affectu fuerimus proſecuti, ea nobis Tritona Avicula añuntiabit tam abſconditi Myſterij comprehenſivam viſionem, quæ S. Eliſabetham Thuringiæ Dominam, pientiſſimam viduam, ſuaviſſimo ſuo cantu ad cœleſtes delicias paulò ante mortem invitavit. Amen.

DO-

SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI.

QVÆ EST

SECVNDA POST PENTECOSTEN.

PELICANUS AMOROSVS.

Der liebreiche Leffler.

LEMMA.

Quid non cogit Amor.

THEMA.

Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus. Ioan. 6. v. 56.

SYNOPSIS CONCIONIS XXXVI.

Amor Chriſti erga Eccleſiæ Filios, in amaritudine Paſſionis dulcis, & in Euchariſtiæ dulcedine cruentus, vitam præſtat & gaudium ſalutis.

339. Pelicani amor erga pullos, & Chriſti erga fideles.

NOn avem Diomedæam, non Catharactam Jubæ, non Boraurum aut Ardeam ſtellarem, neque Porphyrionem, neque Onocrotalum aut Truonem ſignificare intendo, dum hodie in Venerabilis Sacramenti Euchariſtiæ panegyrin produco avem Ægyptiam, Pelicanum ab Ornithologis appellitatum: de quo Caſsiodorus (Caſsiodorus) „hanc tradit deſcriptionem. [Pelica„nus avis Ægyptia eſt, ciconijs cor„poris granditate conſimilis: quæ na„turali macie ſemper affecta eſt; quo„niam ſicut Phyſiologi volunt, tento „inteſtino per viſcera, quidquid eſca„rum accipit, ſine aliquâ decoctione „transmittit. Non gregatim, ut cæte„ræ aves, volat, ſed delectatione ſe „ſolitariâ conſolatur.] Colore eſt albus, ſicut cygnus; ſolus Aiguanus eum ait eſſe pallidum. Semper macilentus eſt corpore, eò quòd cibos non digerat: cum ſerpentibus & lacertis bellum gerit, & crocodillorum (Aldrovandus l. 19. Ornith. c. 1.) lacti inſidiatur: ſolitudinem amat, & in ſublimi nidum ſibi ponit, atque ex omni parte circumvallat contra ſerpentem ipſis infeſtum. Sed verò præ omni volucre amoroſus eſt Pelicanus, dum prolem ſuam proprio paſcit ſanguine, eámque ad vitam reſuſcitat, paterno affectu revivificans: *VIVE CRVORE MEO*! Candidum, ſolitarium & amoroſum Pelicanum hâc in Solennitatis Euchariſticæ octavâ exponit nobis Sancta Mater Eccleſia; & talem quidem, qui pullos ſuos viſcerali paſcit cruore, ac propriam Carnem eis pro Divino communicat alimento. *Caro mea*, inquit, *verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: qui carnem meam manducaverit, & biberit meum*

ſanguinem; in me erit, & ego in illo manebo, & ipſe vivet propter me. Intenſiſſimi hi ſunt amoris affectus, ſuper quibus S. Thomas Angelicus ſe reflectit in hymno de Sanctiſſimo Chriſti Corpore, ad propoſitum noſtrum ſic intonando: *Se naſcens dedit ſocium, conveſcens in edulium, ſe moriens in pretium, ſe regnans dat in præmium.* Ad hoc, ut unum idémque nobiſcum fieret, amor eum induxit, ut ſemetipſum in cibum & nutrimentum noſtrum daret. Quis autem DEUM illum non amabit, qui ex abundantia amoris, eſca, panis, caro & ſanguis noſter factus eſt, ut à vili terræ vermiculo manducaretur, eò quòd tenerrimè illum amârit. *Ama amorem illum,* inquit S. Auguſt. *qui amore tui deſcendit in ſubſtantiam panis, & ibi amorem ſuum amori tuo copulavit, humiliando ſe, ſublimando te, conjungendo lumen ſua æternitatis limo tua mortalitatis.* Hic ergò ſcopus noſtræ orationis erit, amoroſum Pelicanum in Venerabili Sacramento Euchariſtiæ vobis exhibere ſpectandum; qui dum vos ſuâ Carne, & Sanguine pretioſiſſimo paſcit tanquam lectiſſimos pullos, etiam reciprocum à vobis requirit amorem, in tam Divino ſibi Myſterio præſtandum: prout attentæ veſtræ Pietati dulci oratione demonſtrare conabor.

S. Thomas in hym. Euch.

S. Auguſtin. lib. de Catbec. rudi.

140. *Pelicani amor ignitus, & cruentus erga pullos.*

Quidquid graves de Pelicani veritate dubitent Authores; amor ejus erga prolem triplici ratione fulcitur. Primam affert Ælianus, qui ait, Pelicanos ſimiliter ut ciconias in enutriendis pullis ſuis ſingulari benevolentiâ uti; nempe, ut, cùm aliunde cibus non ſuppetit, eſculenta priùs comeſta evomant, & in educandos fœtus convertant, atque ad volandum pullis imperitis duces exiſtant: exinde erga ſenes parentes gratitudinem concipiunt pulli, eóſque alunt, & ingreſſum volatúmque eorum promovent. Secundò ait Orus Apollo, Pelicanum pro pullis ſeſe igni tradere; is enim in defoſſa humo, ova collocat. Quod ubi deprehenderint homines, locum illum arido bovis ſtercore circumlinunt, cui & ignem ſubjiciunt. Pelicanus autem conſpecto fumo, dum pennis ſuis ignem vult extinguere, earum agitatione magis accendit: ſicque conflagrantibus ejus alis, facilè ab aucupe capitur. Quam ob rem non exiſtimârunt conſentaneum eo uti Sacerdotes Ægyptij, cùm omnino pro liberis in diſcrimen ſeſe conjiciat. Tertiò Pelicanus ad vitam proli reddendam cochleato ſuo roſtro ſanguinem ſibi extrahit. Hoc autem alij aliter referunt. Maximus Græcus ſcriptor aſſerit, ſerpentem viſo Pelicani nido ac pullis ejus, circumſpectare undique, unde ſpiret ventus, indéque venenum inſufflare, quo ij moriuntur: Pelicanum, cùm deprehendit mortuos, nubem ſpectare, & in ſublime volare, & alis latera verberare, quoad ſanguis exeat; quem ubi per nubem inſtillârit, pullóſque perfuderit, illos excitari. Adſtipulatur Maximo S. Hieronymus, in ſuis Epiſtolis ſcribens, occiſos à ſerpente pullos vivificari ab utroque parente. S. Epiphanius cenſet, pullos necari à matre, ſuſcitari autem à patre. [Præ omnibus vòlucribus, ait, Pelicanus eſt amans „prolis: fæmina nido incubat, pullos „ſuos cuſtodiens, ipſóſque fovet at„que complectitur, *& nimijs oſculis „ſauciat*; perforat itaque illorum la„tera, & illi moriuntur. Poſt tres ve„rò dies accedit mas Pelicanus, & „mortuos invenit pullos, & valde an„gitur, ac dolore impulſus proprium „latus percutit & terebrat, emanát„que ſanguis, quem ſuper mortuo„rum pullorum latera inſtillat, qui „ſic vitæ reſtituuntur.] S. Petrus Damiani ex aliorum ſententia ait, pullos mox ut incipiunt creſcere, utrumque parentem impugnare, vieiſſim verò à parentibus repercuſſos occidi: tertiâ die matrem incumbentem in eos, latúſque ſuum roſtro aperientem, inſtillato ſanguine illos ſuſcitare. Multa eſt Doctorum de moribus & actionibus Pelicani diſceptatio, quæ nil impedit, quo minùs à Pelicano ad Euchariſticum amorem oculos animóſque noſtros convertamus.

Orus Apollo hierogl. 51.

S. Epiphan. ad Phyſiol. ſerm. ...

S. Petrus Dam. l. ... Ep. 18.

Caſparus Schottus l. 9. mirab. c. 6.

Enim-

541. *Chriſtus multâ ratione Pelicano ſimilis.* Enimverò ad Jesum Chriſtum Dominum noſtrum tota ſe vertit orationis noſtræ emphaſis: ſiquidem ipſe perregium Pſalten hoc ſibi Pelicani ſymbolum appropriat, *Factus ſum*, (*Pſal. 101. v. 7.*) inquit, *ſimilis Pelicano ſolitudinis*. Cujus ſolitudinis? Pelicanus, inquit Hugo, eſt avis quæ habitat in ſolitudine; & Chriſtus in ſolitudine uteri virginalis habitavit, quæ homini fuit invia, & incognita viro. Non ſolùm in utero, ſed etiam in Nativitate, Chriſtus ſimilis factus eſt Pelicanò. Sic enim S. Auguſtinus ait, [Puto intelligi Chriſtum natum de Virgine; ſolus enim ſic, ideo ſolitudo; in ſolitudine natus eſt; quia ſolus ita natus.] Aliter idipſum S. Gregorius de Chriſti Nativitate interpretatur [Caput noſtrum, ait, Pelicanus fuit ſolitudinis, quando natus eſt in Judæa, quæ erat ſola civitas plena populo; Prophetis videlicet & juſtis orbata, & Spiritûs Sancti virtute deſtituta.] Sed verò Hugo Cardinalis aptiùs ait, Chriſtum ſimilem fuiſſe Pelicano in Nativitate, quia natus eſt in ſolitudine præſepij, inter duo animalia reclinatus: quod tantò verius eſt, quantò certiùs locus Nativitatis Chriſti fuit ſpelunca exciſa in rupe ad extremam & Orientalem partem urbis Bethlehem. (*S. Hieronym. Ep. 18. ad Marcellam.*) Adhuc multò magis, cùm Pelicanus ſit avis Ægyptia, quæ in ſolitudinibus Nili, & Ægypti paludibus verſatur, Chriſtus ſimilis factus eſt Pelicano ſolitudinis, quando ab Herodis perſecutione fugiens in Ægyptum, & ibi ſolitariè vivens, ſegregatus eſt ab amicis, affinibus, cognatis, civibus, & notis familiaribus ſuis. Denique ad inſtar Pelicani ſe habuit, cùm pullos ejus Adamum & Evam, protoparentes noſtros, in nido Paradiſi ſerpens diabolus peccati inobedientiæ veneno infecit; quos Chriſtus, imenſâ in nos charitate, in cruce exaltatus, percuſſo latere, quaſi per corporis ſui nubem, ad vitam, & cum illis nos omnes revocavit. Ad inſtar Pelicani ſe habuit, inquit Auguſtinus; (*S. Auguſtin. in Pſal. 101.*) qui mortuis pullis proprio ſuo ſanguine vitam reſtituit: *Habet hac avis*, inquit, *magnam ſimilitudinem carnis Chriſti, cujus ſanguine vivificati ſumus.* Si tamen, præſertim juxta S. Epiphanij ſententiam allatam, quis opponat, quæ ratione ſimilitudo iſta ſubſiſtere poſſit; cùm Pelicanus id ſibi proprium habeat, quòd pullis ſuis priùs vitam eripiat, antequam eandem illis reſtituat? quod certè ei, qui mortis deſtructor & vitæ eſt largitor, nec convenire nec appropriari poteſt: reſpondebit Auguſtinus. *An non illi etiam congruit: Ego occidam, & ego vivificabo? Ego percutiam, & ego ſanabo? An verò Saulus perſecutor moreretur, niſi de cælo percuteretur? Aut prædicator excitaretur, niſi illius ſanguine vivificaretur.* Duos habet ille Divinus ſanguis effectus prorſus mirabiles, qui ſunt, occidere & vivificare, percutere & ſanare, deſtruere & reædificare: occidit hominem veterem, & novum vivificat; antiquos naturæ corruptæ mores tollit, excitat autem novos legi Evangelicæ conformes; mortem infert perſecutori, vitam autem prædicatori confert. *Prædicator non excitaretur, niſi illius ſanguine vivificaretur.* Tantum vulnus amoris in ſuo pectore Divinus geſſit Pelicanus, ut nos quoque vulnere & amore ſuo ſauciaret, imò ut à ſerpente ſaucios, & occiſos ad vitam revocaret, cuivis credentium inſpirans, *vive cruore meo.* Multiplici ſanè ratione Chriſti in Cruce concisi amor à ſauciato Pelicano ſymbolizatur: *SIC HIS QVOS DILIGO.* Vox Chriſti eſt in Cruce vulnerati, & pretioſiſſimum ſuum ſanguinem fundentis ad vivificandos Electos ſuos. *Pelicanus*, inquit Hugo Victorinus, (*Hugo Victorinus l. 1. de beſt. c. 33.*) *ſanguine ſuo pullos lavando vivificat, quia Chriſtus proprio ſanguine ſuo redimendos lavat. Mors enim Pelicani paſſio eſt Chriſti.* Et Cardinalis Petrus Damiani: (*Petrus Dam. l. 6. Ep. 18.*) *Sapientia*, inquit, *Dei in Cruce pendens latus aperuit: ſicq; peremptos ad vitam ſacroſancti ſanguinis ſui profluvio revocavit.* Sicut ex percuſsâ petrâ in deſerto proſilierunt aquæ viventes ad vivificandum populum, torridâ ſiti algentē; ſic in Cruce Domini prodijt Ex Vulnere Salus, quando

do poſt apertum latus ejus *continuò exivit ſanguis & aqua.* Hoc eſt, quod
Eccli. 4. v. 12. fortè voiuit inferre Eccleſiaſticus: *Sapientia filijs ſuis vitam inſpirat* Et pro-
1. Petri. 2. v. 24. teſtari Apoſtolus: *Cujus livore ſanati*
S. Ambroſius l. de Spiritu S. c. 8. *ſumus.* Veriſſimum dictum eſt S. Ambroſij: *plagaChriſti noſtra medicina eſt.* Hinc quando Apoſtoli in horto volebant Chriſtum evaginato gladio defendere, omnino juſſit gladium in vaginam mittere, & ictum cohibere,
Luca. 22. v. 51. clamando: *Sinite uſque huc.* Vbi relatus Ambroſius explicat: *Noluit enim perſecutorum vulnere defendi, qui voluit ſuo vulnere omnes ſanare.* Et certè ſimilis factus eſt Pelicano ſolitudinis, qui proles ſuas ardentiſſimo amoris æſtu *PARIT ET REPARAT*; prout devo-
S. Bernardus tract. de diligendo DEO. tiùs agnoſcit S. Bernardus. *Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto? & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus, quàm factus. Nam qui me ſemel & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò & dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, ſed & indigna.*

342. Amor Christi incomparabilis in Eucharistia. Tridént. ſeſſ. 13. c. 2. Sed verò ſuper omnia decora Divini Pelicani, ſplendet ac fulget incomparabilis Amor in ſacratiſſimo Eucharistiæ myſterio, *in quo Salvator divitias Divini ſui erga homines amoris velut effudit*; prout viſceroſè loquitur Tridentinum Concilium: in quo nobis carnem & ſanguinem ſuum liberali profuſione, ad nutrimentum & vitam animæ communicavit: in quo amoroſum ſibi aperuit pectus, ac multiplici dilectionis lancinatione eviſceravit, ut nos languentes filios ſuos tam Divino reficeret ſui corporis & ſanguinis pretioſiſſimi Sacramento. Luculenta quidem amoris Chriſti erga nos anteceſſerant argumenta; ei tamen dilectioni velut colophonem appoſuit Euchariſtiæ inſtitutionem; in qua nobis tanta collata ſunt, qualia priùs nunquam à Chriſto accepe-ramus, intenſiſſimi amoris argumen-
Guerricus ſerm. de Aſſump. ta. Gloſſa eſt Guerrici Abbatis devotiſſima, qui præfatus, quòd quamdiu Chriſtus in terris hæſit paſſibilis atque mortalis, parciùs dulcedinem ſuam & amorem in filios prodiderit; jugiter addit. [Cùm autem tempus, quo „ab eis receſſurus erat, inſtaret, tunc „veluti vinci tenero eorum affectu viſus eſt, ut magnam multitudinem „dulcedinis ſuæ, quam eis abſconderat, diſſimulare non poſſet. Hinc „illud eſt: *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Tunc „enim propemodum omnem vim „amoris effudit amicis, antequàm etiam „ipſe ſicut aqua effunderetur pro inimicis. Tunc eis Sacramentum corporis & ſanguinis ſui tradidit, & celebrandum inſtituit; neſcio, virtute „an charitate mirabiliore, hoc novum genus manſionis adinveniens „in conſolationem receſsûs ſui, ut ſi „diſcederet ab eis ſpecie corporis, maneret non ſolùm cum eis, ſed etiam „in eis virtute Sacramenti.] Potens omnino Charitatis in egentes incentivum, ductum à tanta Chriſti Charitate erga nos; & quidem tam ſvavi támque dulcedinis referto myſterio teſtatâ, exprompto inter ſummas Chriſti amaritudines: ſcilicet cùm jamjam admovendum ori ſuo fel præſentiret; & flagra, ſpinas, clavos, crucem, lanceam, ac reliquum mortiferæ amaritudinis apparatum imminentem, & veluti pro foribus inſtantem videret, *Dominus IESVS, in qua* 1. Corinth. 11. v. 23.
nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit.

Mirabilis omnino, & vel ipſos bea- 343.
tos Spiritus in extaſim abripere apta, Dulcedinis
conſociatio tantæ dulcedinis Charita- & amari-
tis Chriſti, & tantæ amaritudinis, tudinis in
quantâ perfundebatur, cùm hoc Sa- Eucharistia conſo-
cramentum inſtitueret. Sanctorum ciatio admirabilis.
Patrum ſententia eſt, quòd Chriſtus Theoph. Ray-
inſtituendo Euchariſtiam, prævene- naudus in
rit Paſsionem ac mortem à Judæis Eucharistico
mox inferendam; ita ut hæc inſtitutio sect. 3. c. 1.
fuerit paſsio ante Paſsionem, & rectè à S. Gregorio appelletur imitatio Paſſionis Chriſti, à S. Cypriano autẽ paſſio Domini: & hoc quidẽ ratione anticipatæ præſenſionis inſtantiũ cruciatuũ, & mœſtitiæ inde voluntariè admiſſæ, quam aliqui ob vigorem & claritatem prænotionis tantopere extulerunt, ut cenſuerint nihil acritudine

diſcre-

diſcrepaſſe à morſu angoris ex præſenti irrogatione tormentorum. Tali ergo ac tantâ perfuſum amaritudine in ea vitæ clauſulâ Chriſtum Dominum,tam dulces eibos appoſuiſſe ſuis, inter quos parricida unus, Magiſtri optimi cruorem ſitiens, jámque de eo crudeliſſimè pactus, nec ignoratâ deinceps ſimili perfidorum & bonorum convivarum mixturâ, ſvaviſſimum ex proprio carne & ſanguine epulum, per gyros ſæculorum ad orbis usque metam continuandum diſpoſuiſſe: mirabilem planè conſociationem dulcedinis pius quàm felleæ, ex acore malorum impendentium voluntatem acerbiſſimè afficientis, oſtentat, qualem contrariorum conſociationem nullibi uſpiam eſt invenire, tametſi luſiſſe perſæpe natura, & miras contrariorum conjunctiones affectaſſe ſit viſa. Celebrat Ennodius Aponum fontem,ubi pacificus ignis anhelat mixtis aquis, ac,ne pereat Nymphis Vulcanus,mergitur illis: celebrantur à Majolo fontes juxta ſe poſiti, quorum alter memoriam, alter oblivionem auget; fontes, qui frigidis aquis ignes evaporant, adeò ut veſtes exurent; fontes frigidi, magnum in modum æſtuantes & ſalientes; fontes,qui accenſos extinguunt faſces, accendunt extinctos; fontes,qui turbantur, dum quis loquitur, aut rettò accedit ad illos,quieſcunt,ſi taceat;aut qui, ſi muſica ibi inſonent inſtrumenta, velut exultando tumeſcunt: & multa ſimilia naturæ miracula producit allatus Majolus. Aquæ & Ignis coalitum in conchâ margaritiferâ ad unionis efformationem, agnoſcit & demiratur S. Ephrem tractatu de Margaritâ pretioſâ. Sicut etiam S. Chryſoſtomus in nube (quæ quid aliud, quàm aqua?) ſociatum aquæ ignem per fulgur exilientem concelebrat, ad illud Pſalmi: *Fulgura in pluviam fecit.* Quid ſimultanea hyemis & æſtatis pacificè in eadem arbore per æquas partes jugatio, apud Indos occiduos; quam procul à commento abeſſe prodit Joſephus à Coſta? Tandem in media Oceani ſalſugine,fontes aquæ puriſſimæ, absque omni ſalis amaritie ſcaturire varijs planè locis, Author eſt Agricola. Tacebo de luminis ſimul ac tenebrarum, noctis ac diei conſociatione,in eodem aëre, apud Ægyptios Hebræis tunc infeſtos; quam Theodotus Ancyranus tantoperè ſuſpicit, ut vera eſſe admitterentur non ad naturæ opificium, ut cæteræ mirabiles anterius adductæ conſociationes, ſed ad Divinam manum ſupra naturæ fines operantem. Mira ſunt hæc Naturæ opera.

Majolus coll. 13. — S. Chryſoſt. in Pſal. 134. — Joſephus à Coſta l. 4. hiſt. Ind. c. 32. — Agricola l. 3. de Effluentibus c. 2. — Theodot. Ancyranus hom. de Nativit. Chri.

144\. Verumenimverò hæ omnes contrariorum vel pugnantium conſociationes, ad illam tantæ dulcedinis, quantam hæc Charitas prodidit, & tantæ amaritudinis ex objectu inſtantium cruciatuum in Chriſti pectore per tempus ſupremæ Cœnæ, comparantur nequicquam. Perinde quippe feciſſe videtur Chriſtus in ſacro illo Epulo, ac ſi Paſſionis acerbitatem cum ſvavitate convivii nexuiſſet. Quod ipſum D. Auguſtinus obſervavit, nectens Euchariſtiæ inſtitutionem cum extenſione in Cruce & clavifixione: tractans enim titulum Pſalmi,quo inſinuatur factum Davidis mutâtis vultum ſuum corã rege Achis, ait,eam mutationem vultûs pertinere ad Euchariſtiæ myſterium; meritóque additum eſſe,quòd David *affectabat & tympanizabat ad oſtia civitatis, & ferebatur in manibus ſuis, & procidebat ad oſtia portæ, & ſaliva decurrebant ſuper barbam ejus.* Ad Chriſtum referenda tota actio: ipſe *affectabat* enim, dum tactus eſt eximio & extraordinario Charitatis & miſericordiæ affectu erga mortales; & ad oſtia civitatis æternæ, corda ſcilicet noſtra peccato obſerata, *tympanizabat* per ſui corporis extenſionem in ligno: ut enim tympanum fiat, caro, id eſt,corium in ligno extenditur; ac proinde dictus eſt Chriſtus tympanizare, quia crucifigebatur,& in ligno extendebatur. Neque hoc tantùm in Golgotha, aut in Paraſceve Paſchæ, ſed in cœnaculo, & pridiè Paraſceves, anteoccupatâ voluntariè externâ illâ Paſſione,quando *ferebatur in manibus ſuis*: quod alij

Paſſio Chriſti in Euchariſtia dulciter anticipata. — S. Auguſtin. in Pſal. 33. con. 1. — 1. Reg. 21. v. 13.

cuivis impoſſibile, in Chriſto comprobatum eſt verum; cùm commendans ipſum corpus ſuum, dixit in Cœnâ ultimâ, *hoc eſt Corpus meum*, geſtans ſe manibus ſuis, & delibutus barbam, *ſalivis ſuper eam decurrentibus*; verbis, inquam, illis in ſpeciem infantilibus, & infirmis (prout incredulis ad primam auditionem viſum eſt, hodiéque videtur) virtutem ejus tegentibus. Tunc igitur affectabat Chriſtus & tympanizabat, ſicut tympanizat & lancinat pectus Pelicanus: infoſſam quippe præ conceptæ Paſſionis amaritudinibus voluntatem, affectione mellitiſſimâ dulciſſimæ erga nos Charitatis ſcatentem oſtentabat. Nuſpiam enim, etiamſi mole acerbitatum veluti obtereretur, majorem Charitatis dulcedinem ab optimo ac ſuaviſſimo Salvatore habemus. Vtpropterea meritò idem S. Auguſtinus inferiùs circa ejusdem Pſalmi verſiculum, *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*, in hunc modum diſſerat [Apertè modò de ipſo Sacramento vult dicere, quod deferebatur in manibus ſuis: *guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*. Nónne aperit ſe Pſalmus, & oſtendit tibi illam quaſi inſaniam & furorem conſtantem, ſanam inſaniam & ſobriam ebrietatem illius David, qui figuratè Sacramentum Dominicum oſtendebat, quando illi miſeri coram rege Achis dixerunt: *Quomodo eſt?* Quando dicebat Dominus, *niſi quis manducaverit carnē meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam*; & illi in quibus regnabat Achis, id eſt, error & ignorantia, dixerunt: *Quomodo iſte poterit nobis dare carnem ſuam manducare?* Si ignoras, guſta & vide, quàm ſuavis eſt Dominus.] Hanc ob cauſam antiqua Eccleſia induxit in uſum, ſub tempus Communionis decantandi citatum Pſalmum trigeſimum tertium, ut hanc in Chriſto ſuum Corpus præbente amoris ac ſuavitatis emphaſin, ex adjuncto illo ſummæ amaritudinis, quâ tunc occupabatur, ſapidiorem inter communicandum redderet fidelibus.

S. Auguſtin. citatum in Pſal. 33. v. 9.

Clemens Rom. 8 conſt. c. 13.

345 Hæc quidem mirabili dulcedine nobis redundare videntur; ſed verò ipſa Divini amoris dulcedo contentionem de ſe ſuſcitare videtur, num major exhibeatur amoris dulcedo in Incarnatione, quàm in Euchariſtia. Infeſtum fortè erit, quod dicturus ſum de prævalentiâ in Euchariſtia. Scio, quæ de terrâ Chriſti, lacte & melle manante, Tertullianus; & quæ de torrentibus mellis ac butyri, in Myſterium Incarnationis corrivatis diſputat Sanctus Gregorius circa illud Job. 20. *Non videat rivulos fluminis torrentes mellis & butyri*: quod ad Chriſtum ſic accommodat in Incarnatione. [Mel quippe ex aëre, butyrum verò ex carne eſt. Summi autem Patris Vnigenitus, cùm ſit Deus ſuper omnia, homo factus eſt inter omnia. Qui cùm nos dulcedine Divinitatis ſuæ & Myſterio Incarnationis teplevit, melle nos pariter, & butyro ſatiavit.] *Apparuit*, juxta Pauli ſententiam, in hoc Myſterio *Benignitas & Humanitas Salvatoris noſtri DEI*: ubi S. Thomas, *benignitatem* refert *ad bonam igneitatem*, id eſt, bonam amoris in dulcedinem liquantis flammam, quæ in Myſterio Incarnati Verbi exarſit maxima. Prorſus nunquam ſic apparet benignitas gratiæ & liberalitas omnipotentiæ Dei, quàm in homine Mediatore Dei & hominum, homine Chriſto Jesu. Miraculum Charitatis agnoſcit in eo Myſterio S. Chryſoſtomus. [Miſertus, inquit, genus noſtrum, miſit ad nos animarum corporúmq; medicū, Vnigenitum ſuum Filium, & paternis ſuis finibus exurgentē, fecitq; ſuſceptâ ſervi formâ è Virgine naſci, & nobiſcum converſari, & omnia noſtra ferre, ut genus noſtrum peccatis oppreſſum jacens, à terris in cœlum ſubvehere poſſet. Et hoc obſtupeſcens tonitrui Filius, conſiderans queCharitatis Divinæ excellentiam, quam erga genus noſtrū declaravit, clamabat & dicebat: *ſic enim Deus dilexit mundū*. Vide, quanto miraculo plena hæc dictio. *Sic* inquit, magnitudinem expendens, quam dicturus erat; pro-

Chriſti dulcis dilectio in Incarnatione.

Tertullian. lib. de reſur. c. 26.

S. Gregorius 15. moral. c. 9. Job. 20. v. 17.

Tit. 3. v. 4.

S. Chryſoſtom. hom. 27. in Geneſ.

Joan. 3. v. 16.

„propterea ad hunc modum exorſus „eſt: *ſic dilexit*. Dic igitur nobis B. Jo„annes, quomodo *ſic*? dic menſuram, „dic magnitudinem, doce nos excel„lentiam. *Sic DEUS dilexit mundum, ut* „*Filium ſuum unigenitum daret; ut omnis,* „*qui credit in illum, non pereat, ſed ha*„*beat vitam æternam*. Vidiſti cauſam „Adventûs Filij hanc eſſe, ut per „fidem in illum ij, qui perituri erant, „ſalutis occaſionem invenirent?] Hæc & alia Divinæ erga nos Charitatis abyſſum, & Beneficentiæ affluentiam conſtituentia, omnes cogitationes mortalium, omnem humanam linguam tranſcendere, conteſtatur Sanctus Chryſoſtomus; & annuunt paſſim Patres reliqui, quoties Verbi propter nos carne circumdati mentio incidit, ſummam DEI Charitatem, & exprompram dulcedinis in eo Myſterio ubertatem, ſuprà quàm alibi uſpiam valeat deprehendi, ſuſpicientes. Et verò hæc Incarnationis Verbi viſceralis & medullata dulcedo, adhuc magis etiam à Pelicano adumbratur, qui *VISCERA VISCERIBUS* paſcit & reficit. Filij ſunt pars, & partus viſcerum paternorum; hinc & à patre totis viſceribus amantur & tractantur. Dilexit Deus hominem, ut Pelicanus ſuos pullos: & ut illi ſubveniret paternaliter, in extremis miſeriarum terminis conſtituto, miſit Verbum ſuum; hoc eſt, Filium ſuum ex Divinæ Eſſentiæ viſceribus progenitū,
Galat. 4. *factum ex muliere, factum ſub lege*, & quidem in ſimilitudinem hominis peccati. Explicat ad propoſitum Cornelius à
Luc. 1. v. 78. Lapide dictum Zachariæ: *Per viſcera miſericordiæ DEI noſtri, &c.* & affectuosè dicit ſic. *Cauſam Meſſiæ Incarnati aſſignat viſcera miſericordiæ, id eſt, viſceralem intimámque, & ex imo cordis ſinu fundóque manantem miſericordiam DEI noſtri: qui ſumma miſeria noſtra miſertus, ut illi ſuccurreret, ſua viſcera, id eſt, Filium ſuum Unigenitum, in ejus Incarnatione dedit, & quaſi in nos effudit*. Exinde conſtat, dulcedinem Incarnationis Verbi eſſe viſceralem, qua ampliùs ſuavior dari poſſe haud admodùm liquet.
346. Quo non obſtante intrepidè dicere auſim, quòd Verbum jam carne circumdatum in homine ſuſcipi per Euchariſtiam voluerit, arctius quodammodo, ac dulcius Divinæ erga nos Charitatis ac dulcedinis argumentum ſuppeditare, quàm quòd Verbum propter nos homines, & propter noſtram ſalutem ſit incarnatum. Sanè Laurentius Juſtinianus parem nobis Charitatem ex Sacramentali præſentia, ac iis, qui Chriſtum in formâ viſibili palàm conſpexerint, exhibitam contendit; & penetrantem adhibet ratiocinationem, quam ex ejuſmet verbis tali perſvaſione præſento. Nequaquā Chriſtus deſinit, quin noſtrum erga ſe ſuccendat amorem. Suâ quippe nos ditavit præſentiâ, quâ amantis animus vehementi utitur Charitate. Pro dono namque hoc nobis præſtitit ſingulari. Nam profecturus ad Patrem, & ab his carneis oculis non videndus, cùm in ultima Cœnâ cum diſcipulis recumberet ſuis, tanquam ſingulare viſibilis præſentiæ corporalis ſolatium, quam ſubtrahebat de mundo, & inferebat cœlo, corporis & ſanguinis ſui Sacramenta reliquit; ſub quibus non corporeis ſenſibus, ſed ſpiritualibus cognoſcibilem ſe fecit, quoniam tota ibi eſt præſentia corporalis. Poterant quippe tunc nimiùm triſtari de illius tam citâ abſentiâ, qui cum ipſo fuerant converſati, ſi non hoc roborarentur Myſterio. Poterant quoq; poſteri nō imprudenter diffidere, ſi & ipſi eſſent dulci ejus fraudati præſentiâ. Cunctos in unâ eâdemque pacis ſtabilitate firmavit. Univerſis dedit ſeipſum, præſentibus & futuris. Præſentibus ſe palpabilem viſibilémq; exhibuit, futuris autem ſub accidentium velamine ſe minimè denegavit. Non tamen minùs iſtis, quàm illis contulit. Unus enim idémq; Chriſtus, qui in corpore paſſibili cum Apoſtolis converſatus eſt, & qui ſub panis & vini accidentibus univerſæ ſe præbuit frequentandū Eccleſiæ Catholicæ. Diſpar modus, & unus Emmanuel; inæqualis viſio, ſed æqualis fides. Ambo per fidem ambulaverunt. Non verò minùs beati ſunt, qui non viderunt, & cre-

A nobis Chriſti in Euchariſtia major, quàm in Incarnatione.

Laur. Iuſtin. lib. de caſto connubio Verbi & animæ c. 14.

crediderunt, quàm qui viderunt, & crediderunt. Non autem beati, qui viderunt & crediderunt de eo, quod viderunt, ſed de eo, quod crediderunt. Aliud viderunt, & aliud crediderunt. Quot viderunt in carne Verbum, & tamen non credentes perierunt! Non enim vitam dabat, quod apparebat, ſed quod latebat. Ideò diſcipuli beati; quia in eo, quod latebat, credebant. Juxta illud: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis.* Et licèt per viſibilem Christi adhuc viatoris præſentiam prodita ſit eximia ejus erga nos charitas, ob perpeſſiones & incommoda, quibus ſe fecit obnoxium, maximèque quia erga ingratiſsimos diffundi à ſe tantam animadvertebat dulcedinem; non tamen deſtituimur iiſdem intenſiſsimæ charitatis argumentis, ex Sacramentali præſentiâ producibilibus. Quis enim non ſtupeat, quis non miretur cum gaudio, & exultet præ admiratione, cùm Regem Majeſtatis & Deum gloriæ ſic tegi voluiſſe, ſic cogitaverit ipſi placuiſſe abſcondi? Non tantùm abſcondi, verùm etiam in humano corpore reclinari; non à ſolis bonis & juſtis, ſed etiam ab injuſtis ſceleratiſque peccatoribus, quorum vita in luxuriæ fœtore ducitur, in ſæculi voluptatibus nutritur, in ludis, comeſſationibus, ebrietatibus, fraudulentijs, rixis, contentionibus, æmulationibus, obſcœniſque conſumitur actibus, ſe permittat tractari manibus, premi dentibus, & ore contingi. Nam ſi hoc Sanctis concederet, magnum utique foret: quid autem, ſi hoc etiam tribuit ijs, à quibus blaſphematur indeſinenter? Semel pretio traditus eſt in carne, ſed millies in Sacramento. Die unâ ſuæ pertulit ludibria Paſsionis, quotidie verò ab infidelibus miniſtris ſuper menſam Altaris. Semel in Cruce pendens expiravit, quotidie autem myſticè, quoties in Altari immolatur: *Hæc*, inquit, *quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Prorumpit tandem citatus Juſtinianus, velut extra ſe factus, in exprompti erga nos amoris magnitudinem [O memoriale ſaluificum! ô ſacrificium ſingulare! ô hoſtia acceptabilis Deo Patri! panis vitæ, pabulum ſvave, refectio jucunda, vitule ſaginate, immaculate Agne, mellifluum manna! Quis dignè poteſt te ſumere, ſufficienter laudare, ad plenum intelligere, ſincero affectu venerari, & totis deſideriorum ſuorum præcordijs tenere? Deficit cor meum cogitando de te, non valet lingua mea loqui de te, nec quantùm capio, ſufficio magnificare te. Da mihi Domine eruditum ſenſum, linguam magniloquam, ad tui Sacramenti promenda magnalia. Non enim quanta ſunt, humanus valet explicare ſenſus, neque Angelicus intellectus: Solus ille novit iſta, qui ſolus voluit & potuit facere tanta ac talia. Non tamen ab ejus debet laude ceſſare etiam peccator, quamvis impar etiam juſtiſſimi, ſit omnis illius laudatio.]

Matth. 16. v. 17.

Quantò major Pelicani erga pullos eſt dilectio, tantò ardentiùs pulli feruntur in parentem, & ineffabili gratitudine ſuppetias ferunt ſenio languenti. Portat enim filius fortis parentes decrepitos ſuper alas ſuas; nutrit illos optimis allatis alimentis; defendit ab injurijs quibuscunque, & omni exhibitione ſeſe gratum rependit. Nec admirationis exinde oritur materia; nam juxta Poëtam,

NON GRAVAT ISTE LABOR volucres, relevando parentem;
Scilicet alatus pondera neſcit Amor.

Et communiter Hugo Victorinus de omnibus alitibus ait: *Quantum temporis impenderint in fœtibus educandis, tantum & ipſæ invicem à pullis ſuis aluntur.* Et hoc eſt pientiſſimum Gratitudinis argumentum, *PAR PARI REFERRE.* Quòd ſi tanta Dei erga nos Charitas, tantáque amoris flagrantia in hoc Sacramento; quantam à nobis viciſſim Charitatem, quantum affectum in Deum ex hoc myſterio exiſtere, conſentaneum eſt? Si Christus communicanti ait, *vive cruore meo*, *CORPORE VIVE MEO*; an non viciſſim audiat, *quid-*

347. Amor Christi in Eucharistia reciprocandus. Hugo Victori. l. 1. de beſt. c. 42.

Pſal. 115. v. 12. *quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Illationem his verbis S. Chryſoſtom. hom. 24. in 1. Cor. conceptam profert D. Chryſoſtomus. „[Hoc corpus nobis dedit comeden- „dum, quod fuit immenſæ dilectio- „nis. Nam quos amamus, etiam „mordemus ſæpiùs. Quamobrem Job „quoq; ſervorum ſuorum amorem in „ipſum indicans, dicebat, quòd ſæ- „pè illi, ipſum valde amantes dixe- „rant, quis dederit nobis impleri ejus „carnibus? Sic etiam Chriſtus nobis „dedit, ut impleremur ejus carnibus, „ad majorem nos attrahens amici- „tiam. Accedamus ergo ad eum cum „fervore, & ardente charitate.] Ejuſ- dem D. Chryſoſtomi monitum eſt, ſi rectè Caput noſtrum intelligimus, & quam in nos præſetulit charitatem, S. Chryſoſtom. hom. 45. in Ioan. ſurgendum nobis eſſe à Sacrâ menſâ ignem ſpirando, ac præferendo leo- num ardorem: *tanquam leones*, inquit, *ignem ſpirantes ab hâc ſacrâ menſâ rece-* S. Cyrillus l. 2. Glaphyr. in Pentateuch. c. de feſto agni. *damus.* Quo ſpectans S. Cyrillus, dum tractat, cur carnes Agni non eſſent comedendæ, niſi aſſæ igni, reſpondet; cauſam eſſe, quòd oporteat eſſe in- flammatos Spiritu, & Charitate in Deum flagrantiſſimâ ſuccenſos, qui ad Communionem Corporis Chriſti accedunt, eóſque, ut Paulus dicit, Rom. 12. v. 11. Actis S. Franciſci. c. 8. *Spiritu fervere.* Talis erat Seraphicus noſter Pater Franciſcus; qui flagra- bat erga Sacramentum Dominici Cor- poris fervore omnium medullarum, ſtupore admirans permaximo, illam chariſſimam dignationem & dignan- tiſſimam charitatem: ſæpè commu- nicabat, & tam devotè, ut alios devo- tos efficeret, dum ad ſvavem imma- culati Agni deguſtationem, quaſi Spi- ritu ebrius, in mentis ut plurimùm rapiebatur exceſſum. Et hæc quidem Charitas in Deum ob communica- tam Euchariſtiam, non tantùm fla- grans & ſuccenſa eſſe debet, ſed etiam perennis, & indiſſociabilis; ut poſſit Rom. 8. v. 35. cum Apoſtolo dicere, *quis nos ſepara- bit à Charitate Chriſti? Tribulatio, an an-* *guſtia, an perſecutio, &c.*

348. Gaudium ex amore Euchariſtico.

Denique ſicut pullis ex Pelicani patris ſanguine redit vita, ita ex Eu- chariſtico hoc amore dignè ſuſci- pientibus Chriſti Fidelibus reſultat gaudium, vivifica nempe Diviniſſimi alimenti digeſtio. Amoris enim fru- tex eſt gaudium; quod quidem ex tanti Sacramenti participatione, tan- tique erga nos Divini amoris uſurâ, exiſtere eximium debet: prout præ- fatus S. Laurentius Juſtinianus, agens S. Laurent. Iuſtin. ſerm. de Euchar. n. 1. de Verbi nobiſcum connubio, dul- ciſſimis affectibus quaſi ex Epithala- „mio depromptis explicat. [Huic ca- „stiſſimæ Sponſæ nedum in virginali „adhæſit utero, ut eſſent duo in car- „ne una, verum etiam in corporis & „ſanguinis ſui Sacramento, quatenus „ſint duo in uno ſpiritu; ſi tamen ſpi- „ritualiter manducetur: quoniam „qui adhæret Deo, unus ſpiritus fit „cum eo. Eia igitur nunc lætare Ma- „ter Eccleſia, & cum univerſis filijs „tuis exultationis & gaudij conven- „tum age, quoniam meruiſti fieri ma- „ter & filia, nupta & Virgo, fœcun- „da & caſta, ita ut qui fecit te, naſce- „retur ex te, & habitaret in te; adeò ut „cum omnium admiratione veraciter „diceres: *Et qui creavit me, requievit in* „*Tabernaculo meo.* Meruiſti, inquā, Dei „& Domini, præceptoris & Sponſi, fra- „tris & Redemptoris tui ſaginari car- „nibus & ſanguine ebriari, cum ſo- „brietate ſpiritûs & amoris tempe- „rantiâ. Quamobrem de te Pſaltes „eximius, Sponſo Chriſto cecinit „dicens: *Vxor tua ſicut vitis abundans,* „*in lateribus domus tuæ: filij tui ſicut no-* „*vellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ.* „In circuitu planè menſæ Altaris, filij „tui, quos per verbum veritatis ge- „nuiſti Deo, Sacratiſſimi corporis „Domini paſcuntur edulio; tam piè, „tam devotè, ut in voce Pſalmi, in „exultatione mentis, in fidei Confeſ- „ſione, epulantium feſtivus in aulâ „cœleſti concrepet ſonus. Singulare „prorſus dilectionis accepiſti pignus „in hujuſmodi participatione myſte- „rij, certámque de Sponſo tuo præ- „ſentiam, cui optimè tui amoris æſtus „aperire, vota perſolvere, fundere „orationes, gratias agere, decantare „hymnos, ingeminare preces, exhi- „bere laudes, atque ſvaviſſima valos

„plæ devotionis depromere carmi-„na.] *QVID NON COGIT AMOR?* ut Pelicanus ſuis pullis propriam carnem & ſanguinem offerat pro alimento? Quid gaudii & conſolationis Euchariſticus confert amor, dignè communicantibus de hoc ſacratiſſimo myſterio? O delicioſa dignatio? *Quis paſtor oves proprio paſcit cruore*, præ obſtupeſcentiâ animi & gaudij exuperantiâ interrogat S. Joannes Chryſoſtomus. *Et quid dico paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partûs dolores filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipſe non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.* Deficit anima cujusque Fidelis in hoc ſalutare DEI, præ gaudio & conſolatione medullari. O intima, & diviniſſima amantis DEI communicatio!

S. Chryſoſtom. hom. 83 in Matth.

Quidquid tandem de auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento poteſt adferri vel in conſtitutione Myſterij admirabile, vel in commemoratione Cœnæ adamabile, vel in communicatione amoris delectabile, vel etiam in conſolatione Fidelium ſaturabile; illud totum ex Divinæ Charitatis viſceribus promanat, ex amoroſi Pelicani pectore redundat, reboante ſæpiùs voce cœlitus illapsâ, *vive cruore meo!* Amen.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

PERDIX PERDITA.

Das verlohrne Rebhünlein.

LEMMA.

- - - *Metuit ſublimia caſus.* Metamorph. 8.

THEMA.

Si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat illam. Lucæ. 15. v. 4.

SYNOPSIS CONCIONIS XXXVII.

Quantò vertumnoſior eſt diabolus ad perdendos Electos, tantò Chriſtus officioſior ad quærendos, & revocandos; cujus proin vocationi facilè obſequuntur, & ad vitam Juſtitiæ redeunt, tandem finaliter in ea perſeveraturi.

149. *Chriſtus varia officia ſubit.*

FOrmas DEVS aptus in omnes, par omni ephippio & ſeſſioni, par omni officio & functioni, celebratur ab Antiquis Gentilibus Vertumnus, ille pretioſus Mercatorum Deaſter; qui in propriâ perſonâ ſibimet Genethliacum accinit carmen apud Propertium.

Opportuna mea eſt cunctis natura figuris:
In quamcunque voles, verte; decorus ero.

Propert. l. 4. eleg. 2.

Ma-

Majori ſanè jure hoc prædicatum DEO Optimo Maximo competit, qui ab immenſo ſuo amore commotus, juxta illud Pauli ad Corinthios, *omnibus omnia factus eſt, ut omnes faceret ſalvos*. Propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo, & Incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, & *Homo factus eſt*. Sed verò etiam ut Homo *formas DEVS aptus in omnes*, nunc factus eſt Leo de tribu Juda, mox Agnus ad occiſionem ductus; nunc lapis angularis, mox Angelus pacis; nunc vitis fructificans, mox agricola laborans; nunc contemptibilis vermis, mox pretioſa margarita; nunc lucerna ardens & lux mundi, mox nubes diei; nunc panis de cœlo deſcendens, mox via ambulantium pedibus conculcata; nunc Propheta magnus in Iſraël, mox opprobrium hominum & abjectio plebis. *Formas DEVS aptus in omnes; paſtor ovi, gallina ovo!* Non tantùm bonus eſt Paſtor, qui nonaginta novem oves dimitit in deſerto, ac *Perditam* quærit, inventámque ſuis imponit humeris, & convocatis amicis ad congratulationem oſtendit: ſed etiam, velut Gallina, pullos ſuos ſub alas congregat, mirâ in eos compaſſione affectus. *Paſtor ovi, Gallina ovo.* Si, *Perdix* à *Perdere* nomen habet, nemini magis appropriari debet, quàm Humani generis inimico, qui fur erat ab initio: *Fur autem non venit, niſi ut furetur, & mactet, & PERDAT*; dum econtra Chriſtus ita obſervat voluntatem Patris ſui, *ut omne, quod dedit illi, non PERDAT ex eo*, ſed reducat, & reſuſcitet: & *ſi* per inſidias infernalis Perdicis *perdiderit unam* prolem *ex illis*, *dimittit* reliquas *in deſerto, & vadit ad eam, quæ perierat, donec inveniat illam*. O vos omnes, quotquot ab infernali Perdice eſtis abducti, ſeducti & *Perditi*, reſpuite cacabantem, & agnoſcite crocitantem matrem; renuntiate diabolo, & recurrite ad DEUM Patrem, ac Dominum noſtrum JESUM Chriſtum: agnoſcite vocem Paſtoris vocantis, Gallinæ crocitantis, matris invitantis; contemnite autem nænias, & dolos Perdicis furantis ac ſeducentis. Habent nempe hoc Prædeſtinati, ut quamvis à DEO per peccatum aliquod deficiant, & *perditionis* iter ſubintrent, Divinâ tamen inſpiratione revocati, facilè convertantur, & ad viam Juſtitiæ redeant. Quod utique pro conſolatione veſtra erit vobis thema gratum & acceptum, à me hodie promovendum in nomine Altiſſimi.

1. Corinth. 9. v. 22.

Joan. 10. v. 10.

Joan. 6. v. 39.

350\. Ab ingenioſâ fabulâ exordior Perditæ *Perdicis*, perdentiſque periodum. Dædalus Athenienſis, artificum omnium ſuæ ætatis præſtantiſſimus, primus invenit perpendiculum, terebram, glutinum, vela, antennas, ſtatuas nervis & rotis occultis mobiles, quæ automata vocantur. Hic ex invidia, prout ordinariè *figulus figulo invidet*, faber fabro, Perdicem ſororis filium de muro arcis Athenarum deturbavit, quòd is ſerram, circinum, tornum excogitâſſet: quem Minerva, ingeniorum fautrix, in avem cognominem in ipſo caſu ſuo transformavit. Quam ob cauſam Dædalus, judicium & damnationem metuens, in InſulamCretam exulatum profugit; ubi Labyrinthum conſtruxit, multiplici & intricatâ viarum perplexitate irremeabilem. Nec tamen induſtria manſit, aut ingenium Perdici,

Perdicis fabula Sacè thema applicata.

Sed vigor ingenij quondam velocis, in alas,
Inque pedes abijt; nomen, quod & antè, remanſit.
Non tamen hæc altè volucris ſua corpora tollit,
Nec facit in ramis, altóque cacumine nidos:
Præter humum volitat, ponitque in ſepibus ova;
Antiquique memor metuit ſublimia caſus.

Ovid. 8. met.

Nempe circinum & tornum adinvenit *Perdix* Sathanas, ut in circuitu, & gyro impios ambulare faciat, usque ad capitis vertiginem, & animæ everſionem: ſed & ipſe ab initio in circuitu gloriæ ſuæ ſupra DEUM ſeſe

ſeſe effronter extulit, hinc in ſuis adinventionibus deprehenſus à Dædalo Vniverſi, hoc eſt, Deo Ter Opt. Max. Artifice, de cœli ſublimitate deturbatus, & in cognominem avem, non à Minervâ, ſed à propriâ malitiâ, iniquarum adinventionum fautrice, eſt transformatus. Ex hoc ſublimi caſu ita aggravatus eſt ingenij ejus vigor, ut *in locis humentibus, & in virore calami* ſubſiſtere debeat, nec ampliùs poſſit in alto cœli vertice ſuos nidos ponere. Humi circumvolat, quærens quem perdat, & inter perplexos Labyrinthi hujus ſæculi receſſus ſeducat; & qui ſemel ſublimè cecidit, quò non ampliùs ſit reverſurus, antiqui memor impoſterum *metuit ſublimia caſus.*

351. Brevis eſt & punctualis fabulæ in genus moris deductio; ſed multò conſtabit magis diabolica perdicis ſymbolizatio, ſi ad perditionem aperiendam noſtra magis accedat oratio, & dolos diſcutiat, quibus etiam acutè oculatos dementat Perdix. Scribit Solinus rerum naturalium ſolertiſſimus „indagator, his verbis. [Si quis homi„num, ubi incubant Perdices, appro„pinquabit, egreſſæ matres venienti„bus ſe ſponte offerunt, & ſimulatâ „debilitate, vel pedum vel alarum, „quaſi ſtatim capi poſſint, greſſus fin„gunt tardiores: hoc mendacio ſolli„citant obvios & eludunt, quoad pro„vectæ longiùs à nidis avocentur. „Nec in pullis ſtudium ſegnius ad ca„vendum: cùm enim viſos ſe per„ſentiſcunt, reſupinati glebulas pe„dibus attollunt, quarum obtentu „tam callidè proteguntur, *ut lateant* „*etiam deprehenſi.*] Fx hoc aſtu S. Baſilius diabolum Perdici comparat: difficulter enim ſuis patitur eripi unguibus, quos fortiter prehendit: multis perplexitatibus traducit animarũ aucupes paſtores, ne inveniãt, quod quęrunt. O quàm conſultè ſeſe munirent homines terræ glebâ *A FACIE PERSEQVENTIS!* Hæc terræ gleba in conſiderationem vocare poteſt memoriam mortis, per quam ab inviſibili inimico tueri poſſumus, cum adjecto lemmate Perdici ſic obglebatæ proprio: *TVEOR DVM TEGOR.* Certè S. Gregorius propoſitum iſtud aſſequitur vigilanter: *Perfecta*, inquiens, *vita eſt mortis meditatio, quam dum juſti ſollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt.* Aut non minùs appoſitè ad aliam utilitatẽ hæc glebæ ſuperinjectio ſervire poteſt, ſcilicet ad ſignificandum tumulum ſepulchralem, qui tandem omne malum, omne periculũ, & omnes diaboli inſidias à ſe excludit, & latentem defunctum ab hiſce laqueis im̃unem reddit: *TVEOR DVM TEGOR.* Hunc ſenſum ſapientiſſimus Seneca pulcherrimè explicat in quadam Epiſtolâ, quâ Marciam ob prœmaturam extincti filij ſui mortem conſolatur. *Exceſſit*, inquit, *filius tuus terminos, intra quos ſervitur: excepit illum magna & æterna pax; non paupertatis metu, non divitiarum curâ, non libidinis per voluptatem animum carpentis ſtimulis inceſſitur, &c. Tandem ibi conſiſtit, unde nihil eum pellat, unde nihil terreat.* Sed & ipſi filij diaboli nôrunt aſturè ſuos palliare errores, obiectis terræ glebis humanæ naturæ cæcitatibus. Sic ſic perdicibus ſub gleba occultatis rectè inſcribitur: *DEPREHENSÆ LATENT.* Quod congruè ad malos & perditos homines refert Origenes, apud D. Thomam Angelicum dicens: *Malorum hominum eſt, culpas ſuas excuſationis causâ aut nullas eſſe oſtendere, aut leves & paucas.*

Aliunde etiam ſalaciſſimam perdicem imitantur, quæ cùm caput habet abſconditum, totum corpus ſuum abſconſum credit; & ita ſtulta eſt, ut cùm neminem videt, à nemine ſe credat videri: id ipſum imitantur per malitiam excæcati, ut, cùm non agnoſant nec percipiant vitia ſua, & ſordida delicta, etiam à nemine ſciri vel videri credant; quamvis omnibus manifeſtâ confuſione noti appareant. Comminatur his Deus per Prophetam Nahum: *Revelabo pudenda tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Hac cæcitate faſcinati malitioſi, perdicum more, unus poſt alterum, ſociâ conſequen-

Perdicis aliquot proprietates malitioſis additæ.

Solinus c. 18. Plinius l. 10. c. 33.

S. Baſilius in hex. hom. 8.

S. Gregorius l. 13. mor. c. 10.

Seneca in conſol. ad Marciam. c. 19. & 20

Origenes apud S. Thom. in catena aurea.

Nahum. 3. v. 5.

Eccli. 11. v. 32.

ſequentiâ,in Sathanæ retia devolvuntur,& unà ſimul trahuntur ad introitum Inferni, ex viâ iniquitatis & perditionis ad officinam æternorum ſuppliciorum.

352. His omnibus gravior eſt locus, ſed demonſtrando propoſito accommodatior, quem D. Propheta Jeremias ſolerti verborum pondere depromit. *Perdix*, inquit, *fovit, quæ non peperit: fecit divitias, & non in judicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in noviſſimo ſuo erit inſipiens.* Tradunt nempe Ornithologi, perdicem alterius perdicis aliena ova furari, eis incubare, excludere pullos; qui eùm adoleverint,& vocem audierint excludentis,ab eâ incubante quaſi alienâ avolant ad primam & veram matrem, quæ ova poſuit, cujus vocè naturæ inſtinctu ſequuntur & agnoſcunt. *Falsâ matre contemptâ, protinus ad veram pertinaciter revertuntur*; inquit S. Petrus Damiani. Itaq; in ſenſu literali tales ſunt, juxta Prophetã, Sedecias & Judæi, aliiq; divites, qui non in judicio, id eſt, nõ juſtè, ſed iniquè uſuris, rapinis, aliiſq; malis artibus, per fas & nefas divitias congregant, aliena rapiunt, & faciunt ſibi theſauros, quos brevi diripient Babylonij, vel ſubità mors aut caſus ſubtrahet: quando dicetur eis illud Lucæ: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraſti, cujus erunt? Nihil enim inſipientius eſt, quàm non prævidere futura, & brevia putare perpetua*, ait S. Hieronymus. Senſum tropologicum fusè tradit S. Ambroſius. Perdix, inquit, quæ à perdendo nomen accepit,& Hebræis vocatur *core* à clamando & vocando, eſt Sathanas, qui clamavit in Cain, in Pharaone, in Judæis,& omni perfido, indieſq; adhuc ſuâ voce multos allicit ad ſe,& prædatur: ſed Dominus Jesus hunc perdicem, id eſt, diabolum, prædatus eſt ſuis pullis, id eſt, fidelibus, inclamans illud Proverbiorum: *Venite, comedite panem meũ, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* Et illud: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Quocirca Theodoretus hic perdicem illicem accipit, ad cujus vocem & cacabiſmum cæteræ advolant,& in retia incidentes capiuntur. Sic & S. Auguſtinus, hæreticos, ait, inſtar perdicum congregare, quæ non pepererunt: Chriſtianos enim, quos maximè Chriſti nomine ſeducunt, jam per ipſius Chriſti Evangeliũ natos inveniunt,& faciunt illos divitias ſuas, non ſanè cũ judicio, ſed cum temeritate inconſideratâ. Neq; enim, experientiâ teſte, hæretici unquam hactenus adierunt Gentiles aut paganos, ut eos primitus converterent; ſed converſos à Catholicis perverterunt,& fecerunt hæreticos. Imo hæretici, æquè ac diabolus, aliena ova *DIREPTA FOVENT*; Deiq; & Eccleſiæ Conſilijs ac doctrinis tam aſtutè incubant, ut ea ſuo foru fœtúq; pervertãt,& quaſi ex viperinis ovis regulũ excludant. v. g. docet Sacra Scriptura, Chriſtum pro noſtris ſatisfeciſſe peccatis: ova bona, ova ſancta; queîs incubant hæretici inferendo: Ergo non eſt opus noſtrâ pœnitentiâ, labore, dolore, Miſſæ ſacrificio, cęteriſq; operibus meritorijs. Pari ratione, cũ Deus ſanctas pœnitentiæ, eleemoſynæ, Religionis, aut alterius virtutis inſpirationes menti ſuggerit; ova bona, ova ſancta: diabolus ijs incubat, ut eas perdat, divertat aut pervertat, ut vel non fiant, aut ſi fiant, malo fine, modo aut medio fiant, vel Indiſcretè fiant, ſcilicet nimis multùm aut nimis parum, cum exceſſu vel defectu. Exinde qui ſapit, advertat, ut has ab illis ſecernat, & inſtar pullorum perdicis ad veram matrem, id eſt, ad Deum advolet. *Falsâ matre contemptâ, protinus ad veram pertinaciter revertuntur.*

353. Proinde Chriſtus nos excluſit è ſpiſſo ignorantiæ ovo, è tenebris & erroribus, quibus ante ejus Adventum mundus adeò erat involutus, ut vix pauci ſcirent, quid cœlum, quid infernus, quid Dei vel naturæ lex, quid ipſemet Deus, quid ejus Providentia, Potentia & Bonitas eſſent; quãdo mundus impuram Venerẽ, homicidã Martem, fraudulentũ Mercurium, adulterum Jovem, falcigerum Saturnum pro Numine veneratus adoravit. Ex hac caligine nos Chriſtus eduxit, dum ve-

[Margin notes: Perdix fovet, quæ non parit: literaliter & tropologicè explicatur. Jerem. 17. v. 11. — S. Petrus Dam. l. 6. ep. 15. — Lucæ 12. v. 20. — S. Ambroſius ep. 48. & l. 6. hexam. c. 3. — Proverb. 9. v. 5. — Matth. 11. v. 28. — S. Auguſtin. l. 11. contra Fauſtum. c. 13. — Chriſtus perditos clamore ſuo revocat.]

lut pullos ſuos ſub alas congregavit: & quia idenudem usque ad raucedinem clamavit, *foris prædicans, in plateis dans vocem ſuam, in capite turbarum clamitans*; verè dicere potuit, *raucæ factæ ſunt fauces meæ.* Viderat ſcilicet, cùm è cœlo proſpiceret, *omnes declinaviſſe, & ſimul inutiles factos fuiſſe*, alienámque ſecutos matrem: qui cùm ſe in ſtagnum perditionis mergerent, & per Prophetas fruſtrà revocarentur, Deus ipſe Incarnatus fotas prodijt, & ſtygio Miluo pullos eripuit. Mediâ ergò mundi ætate clamitare cœpit Chriſtus; & præſertim clamavit in Cruce, dum in alto nidum ſuum poneret. Quem clamorem S. Ambroſius, exponens illud Jeremiæ, *Perdix fovit, quæ non peperit*, cum Sathanæ perdicis clamore componens, agnoſcit in latronis per Chtiſtum abductione, univetſam peccatorum congregationem paritet abductam: quod eſt ſymbolum inſignis planè, ac Divinæ potentiæ. Sic habet poſt pleraque de „Chriſti variis clamoribus. [Clamavit „etiam in cotpote ſuo; ſicut Scarabæus „in ligno. Clamavit, ut inſidiatorem „falleret, & circumveniret dicens: „*DEUS DEUS meus, quare me dereliquiſti?* Clamavit, ut deſpoliaret, reſpon„dens latroni: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Itaq; ubi clamavit „Iesus, continuò perdix ille à congre„gatis in dimidio dierum ſuorum de„relictus eſt. Vnde & quidam naturæ „perdicis etiam iſtud aptandum puta„runt, eò quòd aliena diripiat ova, & „foveat ſuo corpore, atq; ſuâ fraude „partus alienos ſtudeat acquirere. Sed „(quod aiunt, Cornicis oculũ; habent „enim & volatilia ſuas artes) ubi iſtud „adverterit, cujus aut ſingula ova di„repta, aut cubile fuerit in vaſum, ſol„licitata ſoboles errore ſimilitudinis, „ſpeciei ſimulatione decepta, etſi in„firmior viribus, induit ſe atq; armat „verſutiâ: & cùm labor omnis impen„ſus nutrimentorum educantem ex„hauſerit, atq; adoleſcere pulli cœpe„rint, tunc vocem emittit, & quâdam „pietatis tubâ prolem advocat; quæ „naturali quodam auditu excitata, „agnoſcit parentẽ, & ſimulantẽ deſe„rit. Ita cùm vult congregare, quæ non „peperit, amittit, quos nutriendos pu„tavit. Non ſuperfluè igitur & Jesus „clamavit, ut quia totius mundi popu„lus, voce perdicis, blanditijs, arte, ſpe„cie deceptus, ab Authore proprio de„viaverat, lubricas artes ſecutus; veri „patentis voce revocatus, fallacem „relinqueret, atque in dimidio dierũ „ejus fraudulentum deſereret: id eſt, „ante finem hujus ſæculi, cui eripuit „nos Dominus Jesus, & ad æternam vi„tam vocavit. Itaque nunc, mortui „mundo, vivimus Deo.] Validus crocitantis gallinæ clamor, perditos ad ſe pullos ſvaviter invitans, & advocans. *Paſtor ovi, Gallina ovo.*

Prov. 1. v. 20.

Pſal. 68. v. 4.

S. Ambroſius Ep. 48.

Sed & ipſi pulli à petdice perditi 354
æquè natutalis agnoſcunt vocem matris, quàm ovis perdita in deſerto errans vocem ſuſcipit quærentis paſtoris. Quo dolo Perdix aliena ova ſurripit, eáque tanquam propria confovet; ſic & dæmon Prædeſtinatum Chriſtianum circumvenire, & agere ſolet, ut Deo relicto ſe ſequatur. Sed quid? Qui à Sathanâ in fraudem adductus eſt, is cùm veri Patris ſui, Dei ſcilicet revocantis, & Gratiæ tanquam Matris requirentis vocem audit, *falsâ matre contemptâ protinus ad veram revertitur*, nidum domúmque natalem repetit: neque enim per peccatum aut ſeductionem ita in ſenſum reprobum datus eſt, ut finaliter in hoc perditionis ſtatu perſeveret; ſed ut per pœnitentiam convertatur, Divinæ gratiæ cooperetur, ad Deum redeat, *metuátque* impoſterum *ſublimia caſûs*, & in finali ſanctitate confirmatus perſeveret. Perdix perditus erat Petrus, qui turpi perjurio negârat Chriſtum, Patrem ac Præceptorẽ ſuum: ſed verò mox ubi ſvavibus miſericordiæ oculis, & clementiæ nictibus *reſpexit illum Dominus*, agnovit ſubitò gravem, quem commiſerat, errorem; & ideò amaras diſſolvebatur in lachrymas: agnovit bonũ Paſtorem ovis, quæ perierat; & ideò balãdo ſuam deplorabat miſeriam: agnovit Patrem filius, qui omnem fidei ſuæ ſubſtantiam in ancillas atrij Principis Sacerdotum prodegerat; & ideo

Prædeſtinati poſt lapſum facilè reſipiſcunt.

Lucæ 22. v. 61.

ideo reverſus ex animo, primam gratiæ ſtolam promeruit; agnovit ſe abreptum à materno nido, & inter perplexitates erroris ſeductum; & ideò *falsâ matre contemptâ, protinus ad veram reverſus eſt* Eccleſiam Sanctorum. Poſſem hic perdicum more in varias excurrere inductiones, Pelagias peccatrices in deſerto quærere, in patulis campis inimicos admirari Paulos, in theatris Geneſios Chriſtianorum Myſterijs illudentes exhibere, in magicis circulis præſtigiatores aſpectare Cyprianos, in aulicis pompis anxios ſuſpicere Borgias, in civium turbis ſtultiſantibus applaudere Jacoponis: poſſem innumeros Dei amicos, magnos quidem & mirè in ſanctitate exaltatos concelebrare, qui cùm ad manifeſta perditionis pericula ſint devoluti, vel ad difficiles caſus ſublimè præcipitati, vel à perditore Sathana ſeducti, illuſi, ſurrepti, alienati; omnes tamen ex primâ illâ æternæ Prædeſtinationis influentiâ, ob connaturalem quaſi nativæ virtutis ſympathiam reverſi ſunt ad vocem clamantis & vocantis, clamantis ad pœnitentiam, vocantis ad gratiam. *Sic ſcilicet genuina proles falsâ matre contemptâ, protinus ad veram revertitur*; ac proinde malo ſuo cautior factus, poſt lapſum, poſt periculum, ictus piſcator ſapit, *Antiquique memor metuit ſublimia caſus.* Sic dum pulli genuini *REDEUNT AUDITA MATRE*, ſeductis peccatoribus ſtatuunt mnemoſinon perfectæ converſionis, ut internæ ſimul atq; externæ vocationi cooperantes revenantur ad Deum, quem dereliquerunt. Hugo Victorinus hoc ſymbolum declarat conformiùs. *Cùm pulli vocem propriæ genitricis audiunt, quodam naturali inſtinctu eam recognoſcunt. Similiter cùm aliquis diabolo ſubjectus fuerit, & vocem Eccleſiaſticæ Prædicationis audit, ad Eccleſiam quaſi ad Genitricem propriam relicto diabolo tranſvolat, ut ſub alis Divinæ protectionis ulteriùs in pace vivat.*

Hugo Vict. l. 1. de beſt. c. 50.

355. Diabolus ſub varijs formis omnis perditionis Author.

Quod exorſus de Vertumno piâ ſententiâ in Chriſtum retuli, quòd ſit *formas DEUS aptus in omnes*; alio epiphonemate S. Hieronymus in Sathanam detorſit, illa Poëtæ criſi uſus: *Cui nomina mille, mille nocendi artes.* Millenis ſcilicet appellatur nominibus, eò quòd in mille transformetur formas, & millenas habeat rationes perdendi. *Cui nomina mille.* *Bos* nuncupatur à Moyſe in Numeris, *carpens herbas uſque ad radices*: à S. Jobo dicitur *Draco*, quòd malarum ſuggeſtionum venena evomat: à Jeremiâ *urſus*, quòd ſine pietate in extremam perniciem & ruinam uſque ſæviat; à Davide *ſerpens*, quòd inſidiosè inſiliat; aut *ſcorpio*, quia dum occidit, amplexus fingit; aut *aſpis* & *baſiliſcus*, quia ejus plagæ abſq; Dei gratia ſunt irremediabiles: à Salomone *vulpes*, quòd pernicioſas aſtutias uſurpet; aut *canis*, quia virtuoſos allatrat & mordet: à Chriſto apud Matthæum dicitur *avis*, quòd bonum ſemen ex agro Dominico diripiat: apud Lucam *muſca*, ob importunitatem & inſolentiam ſuam: à S. Petro *Leo*, quia quærit, quem devoret: à Joanne in Apocalypſi *Equus*, quia indomabiliter ferox eſt. Dicebat quondam Deus per Iſaiam: *Ecce ego creavi fabrum, ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum. Ecce ego creavi interfectorem ad diſperdendum*; hoc eſt, *Diabolum*, prout interpretatur Divus Hieronymus, *malorum omnium artificem, non neceſſitate naturæ, ſed mentis arbitrio.* Hic eſt Faber ille, qui in ſuâ officinâ omnis generis inſtrumenta fabricare novit & arma; ad perditionem omnis generis hominum: pro cujusque ſtatu fraudes in promptu habet; cujusvis moribus, & humori ſe accommodat: formidoloſos terrefacit, præcipitat audaces & animoſos, allicit cupidos, diſſolvit Joviales, perturbat ſollicitos, conſtantes indurat, mœſtos confundit, iracundos inflammat, tepidos ſtupefacit, negligentes deijcit, excæcat ſuperbos, doctos inflat, illudit ſimplices; modeſtos in puſillanimitatem, juſtos in arrogantiam, ze-

Iſa. 54. v. 16.

S. Hieronym. in Iſa. 54.

loſos in præſumptionem, pœnitentes in periculoſam devoluit ſecuritatem. *Ecce ego creavi interfectorem ad diſperdendum.* Et ob hanc cauſam, momentaneis experientijs probatam, Job ait, quòd in apparatu diaboli ex fronte procedant ruina & perditio.

Iob. 41. v. 13. *Faciem ejus praecedit egeſtas.* Legunt Septuaginta: *faciem ejus pracedit perditio.* Nuſquam hæc peſtis conducitur, quin ſecum ſemper perditionem trahat & perniciem: *cùm ipſe ſit Abadon, exterminator diſperdens, non mirum, quòd prodromus & ſatelles ſit ipſa perditio,* inquit Origenes. (Orig. in Apoc. 9.) Verè Sathanas eſt Apocalypticus ille Abadon, qui vaſtatorem ſeu exterminatorem ſignificat, ideóque ſocias ſecum jacturas & perditiones ſemper trahit. Vt meritò ſibi timeant perfectiſſimi Dei ſervi, ſcientes, quòd apud hunc Abadonem non ſit propoſitum adeò firmum, adeò rigida diſciplina, nec ita conſummata ſanctitas, quin vaferrimis ejus inſidijs & machinationibus expugnentur. Longis noſtris illudit jejunijs, orationes diu continuatas irridet, pſalmodias ſanctas explodit, ſolitarios contemnit receſſus, nullam æſtimat perfectionem aut ſanctitatem; quippe qui ſe generis humani ſuprema gloriatur proſtraviſſe capita, viciſſe Patriarchas, Prophetas deſpexiſſe, domuiſſe Nazaræos, ſeduxiſſe Apoſtolos, Sacerdotes prophanâſſe, effæminâſſe Monachos, extraxiſſe violenter è cellis religioſos, ex eremis Anachoretas, virgines ex Aſceterijs; deturbaſſe è pulpitis Doctores, magiſtros è ſuggeſtibus. *Et quomodo non calumniabitur ſingulos, qui totam irritavit terram, corrupit regna, poſuit univerſum orbem deſertum?* (S. Ambroſius in Pſal. 118.) ait S. Ambroſius. Itaque illuſtratum eſt illud Jobi gnomon: *Faciem ejus pracedit perditio.*

356. (Ovis perdita pericula, ratio & reparatio.) Porro à *perditione* redeamus ad *Perdicem*, à perdice ad *avem* aut *ovem* perditam, quam recuperat ille, qui cùm ſit α & ω, inter a & o in ſeipſo non parit differentiam, *Paſtor ovi, Gallina avi.* Tot tantiſque modis à diabolo in perditionis errorem abducuntur genuini pulli à ſua matre, oves propriæ ab electorum grege; ſed verò dum vera mater vocanti ac lamentanti ſimilis, ſylvas queſtibus replet, tunc adulta jam ſoboles, voce propriæ genitricis audità, cutam queruli clamoris intelligit; atque ita ad originariam ſedem læta pervolat, nutrimenti generis ſui conſcia, & adulteri nutritoris oblita. O quanto gaudiorum affluxu repertus pullus ſub alis genuinæ ſuæ matris quieſcit! quàm arctè ejus ſocietati connectitur? quàm circumſpectè cavet ab ea ſeparari, antiquíque memor *metuit ſublimia caſus!* Sed verò etiam bonus Paſtor, *ſi perdiderit unam* à diabolo deceptam & abductam oviculam, cum quanta ſollicitudine quærit, *unus unicam!* Concilium Aquisgranenſe pulcherrimum (Conc. Aquisgran. c. 11.) inſtituit dialogum inter ovem perditam, & paſtorem requirentem. Renuit ovis perdita reperiri, renuit ad gregem reduci, renuit imponi humeris: at verò paſtor nullis parcit conatibus; indefeſſo tramite feſtinat, ut tollat ovem ballantem; antevertit callem, ſaltat, ſibilo ſtupefacit, clamat,
„[Tu vis errare, tu vis perire, ego nolo. Revocabo errantem, requiram perditam, velis, nolis, id agam. Etſi me inquirentem lanient vepres ſylvarum, per omnia anguſtâ me coarctabo; omnes ſepes excutiam; quantum mihi viriû terrens Dominus donat, omnia peragrabo; revocabo errantem, requiram pereuntem, & quod forte eſt, perfringam.] Quem dialogum coram Auguſtiſſimo & Invictiſſimo Imperatore Leopoldo I. in Eccleſiâ Cæſareâ Aulicâ ad B. Virginem Lauretanam Viennæ Auſtriæ Ord. Eremitarum Diſcalceatorum S. Auguſtini quidam nominatus Concionator imitatus fuiſſe videtur muſico dramate, quo in ſcenam prodijt *per DIta oVICVLA rVrsVM reperta.* His enim vocibus ovis perdita affectuosè quæritur, ut reducatur.

Veni, veni Ovicula ad me, Echo. *me.*
Veni tenella, veni relicta, Echo. *icta.*
Veni miſella, veni afflicta.
Veni, veni Ovicula ad me! Echo. *me.*
Rigidi montes, frigidi fontes
Reddite meam.

Torrida calles, horrida valles
Reddite meam.
Tumidum Nemus, humida Eremus
Reddite meam,
Amiculam meam, Oviculam meam,
Veni, veni ad me, ad me! Echo. *me*
Cur viam refugis totam amabilem?
Cur piam reſpuis, & tam placabilem?
Dic quis te præpedit terror? Echo. *error.*
Erroris veteris abrumpam Stamina,
Stellantis ætheris fundam ſolamina,
Veni, quid pectore giras? Echo. *iras.*
Iras promeritas terget in Numine,
Quando te Veritas merget in flumine
Cruento cœlici Agni.

357. Quanto amore & ſtudio Chriſtus reducat animam perditam.

Tanta eſt dilectio boni Paſtoris, erga ſuam oviculam perditam! tanta Chriſti charitas erga unam animam, quam non minoris æſtimat, quàm totum gregem; adeò ut unaquæque anima cauſam habeat ſanctâ quadam præſumptione gloriandi, dum videt, quòd Deus, qui illam creavit & redemit, eandem quoque in pari pretio habeat, quo omnes Angelos beatos, vel omnes animas creatas. S. Thomas conſiderans ea omnia, quæ Deus pro toto humano genere ſimul eſt operatus, in ſpecie de anima ait: *Propter ſe ſolam qualibet anima reputat, illa omnia eſſe facta.* Et hoc quidem conformiter dicitur menti Apoſtoli ad Galatas ſcribentis: *In fide vivo filij DEI, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

S. Thomas de beat. op. 63. c. 7.

Galat. 2. v. 20.

Ponit in his ultimis verbis difficultatem os aureum Chryſoſtomus, quaſi Paulus gratiam omnibus communem ſibi feciſſet propriam. [*Quid facis,* inquit, *ô Paule, cùm communia propriè tibi vendicas, quæ pro toto terrarum orbe acta ſunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixiſti, qui dilexit nos, ſed, qui dilexit me.*] An non idem ipſe eſt Apoſtolus, qui Romanis de Deo teſtatus eſt, quòd Chriſto *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit?* Sed verò Chryſoſtomus ipſemet præſentem difficultatis nodum diſſolvit. [*Declarat,* inquit, *hoc quoque par eſſe, ut quiſque noſtrûm non minus gratias agat Chriſto, quàm ſi ob ipſum ſolum adveniſſet: neque enim recuſaturus erat vel ob unum tantam exhibere diſpenſationem, adeò ſingulum quemque hominem pari Charitatis modo diligit, quo diligit orbem univerſum.*] Collimat S. Bernardus mellifluo ſuo calamo inſinuans, quòd ſi vel unicam ſolam animam redempturus fuiſſet Chriſtus, non fuiſſet effuſurus vel unieam ſanguinis ſtillâ minùs eo, quem pro univerſo hominum genere effuderat. Sic enim fatetur Bernardus: *Tradidit ſemetipſum pro me, quia eâdem Charitate, qua mortuus eſt pro omnibus, mortuus eſt pro ſingulis.* Agnoſcit hanc gratiam prædeſtinata anima, & facili perſvaſione poſt lapſum redit ad Dominum, *falsâque matre contemptâ protinus ad veram revertitur.*

S. Chryſoſtom. ibid.

Rom. 8. v. 32.

S. Bernardus, ſerm. 42. in Cant.

358. Paſtoris gaudium de ove repertâ.

Sed quid tandem Paſtor, inventâ ove? quid mater, reperto pullo? De Carolomanno, Caroli Martelli Regis Sveviæ & Auſtraſiæ filio, tradunt annales, quòd anno 750. ſceptris & coronis valedixerit, & clandeſtinâ fugâ in D. Benedicti familiam religioſam ſe receperit. Vivens in monte Caſſinate ſub Abbate Petronacio, ſub cucullo latebat incognitus, & ovium gregem paſcere jubebatur. Contigit, ut ovicula quædam in ſpinetis errans præ laſſitudine ampliùs gregem ſequi non poſſet; hinc ergo Carolomannus boni paſtoris munus adimplens, quærit per avia & devia oviculam perditam, & inventam ſuis imponit humeris, ac Paſtorali gaudio ſimul ac compaſſione plenus ſuper humeros eam reducit ad caulam. *Et cùm invenerit, imponit in humeros ſuos gaudens.*

Annal. Eccleſ. Anno 750.

Lucæ 15. v. 5.

Quam quæſivit & ſitivit,
Suſcipit præſentem,
Inter ſpinas & ruinas
Miſerè hærentem,
Sine luce, ſine duce
Anxiè degentem.

Obſervat S. Gregorius Nyſſenus, quòd benigniſſimus Paſtor Chriſtus, poſtquam oviculam hanc propriâ culpâ perditam invenit, eandem non caſtigârit, nec dirè tractârit, ſed ſummâ cum benignitate exceperit: *Non punivit, non duxit ad gregem urgendo, ſed ſuperimponens humero, & portans clementer, annumeravit gregi.* Et ideò ſaluberrimum eſt illud S. Ambroſij monitum,

S. Ambroſius l. 7. de pœnit. c. 14.

nitum, quod omnibus animarum regimini gerendo admotis ſuggeſſit ſalubriter: *Qui ſtudet humanæ infirmitatis emendare vitia, ipſam infirmitatem ſuis debet ſuſtinere & quodammodo penſare humeris, non abjicere: nam Paſtor ille Evangelicus laſſam ovem vexiſſe legitur, non abjeciſſe.* Sed & ipſa ovicula ſeſe humeris bajulantis accommodat Paſtoris, ut ab eo leniter ſvavitérque vehatur. Injecerat ſeſe ſuper cervi-
S. Ambroſius in c. 15. Lucæ. cem Chriſti S. Ambroſius, quando dixit: *Humeri Chriſti Crucis brachia ſunt, illic peccata mea depoſui, in illa patibuli nobilis cervice requievi.* Injecit ſe
S. Auguſtin. c. 7. meditat. S. Auguſtinus, verè priùs ovis perdita, quando ad DEUM converſus dicebat: *Ego ſum tui cauſa doloris, ego tuæ culpa occiſionis, ego tuæ mortis meritum, ego tuæ Paſſionis livor, tui cruciatûs labor.*

Non excedam terminos orationis meæ, quando nec Perdices in Bœotia terminos à naturâ ſibi in aëre aſſignatos poſſunt ſine vitæ diſpendio transvolare. Non tam pullus perdicis agnoſcit vocem crocitantis matris, quàm ovis errans revocantis paſtoris ſuſcipit ſignum: ſive ſub alis matris, ſive ſuper humeros paſtoris, ſecura & ſvavis vita ducitur: & plerunque *gratior eſt DEO fervens poſt culpam vita quàm ſecuritate torpens innocentia.* Itaque revertatur à viâ perditionis, & Sathanæ faſcinationibus ereptus peccator ad Chriſtum redeat, ut in æternæ Prædeſtinationis libro ſcriptus, inter Beatos & Electos lætus reſpiret.

Amen.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

SAPIDUS RUSTICULÆ FIMUS.

Die eingemachte wolgeſchmackte Schnepffenfette.

LEMMA.

- - - *Stant niſi vota ſuper.* Alciatus Embl. 127.

THEMA.

Per totam noctem laborantes NIHIL cœpimus. Lucæ 5. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS XXXVIII.

Variâ diſquiſitione captum NIHIL conditur, & pro ſelectiſſimo ferculo invitatis convivis, bonis & malis, ad ſaginandæ animæ decias liberaliter diſpenſatur.

359. NIHIL in prædam aucupij cedit. FAteor obligationem meam, quâ hodie Spectabile Auditorium, in frequentandis concionibus tam indefeſſum, in auſcultando tam ſedulum, in dijudicando tam gratioſum, & in obſequendo tam ſtudioſum, pro Eccleſiæ noſtræ Dedicatione digno quodam ferculo ex Aucupij noſtri delicijs reficerē. Tentavi modos venandi omnes: poſui nodos turdis, alaudis retia, anatibus laqueos, decipulas fringillis; ſed ubi-

que

que vanum & inane aucupium. Miſi inſuper piſcatores ad lacum Alpaltidem, qui anguillas, gobios aut umbras capeſſerent; ſed hi vacuas lagenas portantes redierunt, conſtantem objicientes excuſationem, *per totam noctem laborantes nihil cæpimus.* Interim, ut ſecuriùs agerem, etiam venatores direxi ad ferarum latibula, ut afferrent aliquid de venatione ſua, vel armum de hinnulo, vel dorſum de cervo, vel de porco caput, vel de lepore toxam: ſed & iſti defatigati redierunt, ingeminando, *per totam noctem laborantes nihil cæpimus.* Ita verebar, me deſtituendum. Ergo ocyùs ad Aucupes recurrendum erat, & quidem omnium vaferrimos, in filis trahendis expertiſſimos, in nodis ponendis ſubtiliſſimos, & in retiaculis tendendis celerrimos. Obſtupeſcite hanc Aucupum indolem; nam ſcandunt ſublimè, ſine ſcalis; vagantur in aëre, ſine alis; currunt ſuper funes, nec tamen ſunt ſalij; ejaculantur, ſine nitrato pulvere; affigunt retia, ſine clavis; eviſcerant prædam, ſine venatorio cultro; alliciunt ſine fiſtulâ, ſine cantu; deplumant, nec pennas abjiciunt; reficiunt tentoria, nec acum adhibent. Hos itaque aucupes, in arte maximè magiſtros, mox ubi videram, lætus inclamabam. Boni viri, quid otij perennaſtis? Reſpondent alacres: *per totam noctem laborantes.* Sed verò etiam cœpiſtis aliquid? *Cæpimus*; quis dubitet? Dignúmne pretio ſit, & hoſpitum convivio? *Nihil* dignum. Quanti conſtat hæc veſtra præda? *Nihil.* Apponitur certè pto bolo delicioſo, & pro tali omnium gulis æſtimatur? *Nihil.* Quid illam magè ad guſtum perficit, aſſatura vel conditura? *Nihil.* Quid hoc demum reſponſi? *ex nihilo nihil fiet*: num aliud nihilo exponitis? *Per totam noctem laborantes NIHIL cæpimus.* Vbi ſpes omnis corruit, & in *nihilum* reſoluta diffluxit hoſpitalitatis promptitudo. *Stant niſi vota ſuper*: quibus hoc *nihilum* ita hodie condiam Auditorio meo, ut ſaturati Spiritu, ſibi videri poſſint interfuiſſe quaſi convivio regum. Guſtate & videte, in nomine Domini.

Ne dubio ſuſpenſi hæreatis, quaſi 360.
convivij noſtri apparatus ex mero *nihilo* inſtruendus, pro ſaginandâ animâ haud quidpiam obtineret; tractamentum hoc ex *nihilo* pingue ſatis eſt, ſapidúmque fimo. [Araneæ tela, ars, dolus, labor, venatio.] *Nihil* enim Germanis tantùm valet, quantùm Schnipp; communi ſiquidem germaniſmo loquuntur: Er iſt kein Schnipp werth / ich wolt kein Schnipp darumb geben / nicht ein Schnipp iſt darhinder / ꝛc. Diminutivè loquendo, idem ſonat, quod *nihil valet*: atqui Schnipff vel Schnippe Anglis & Belgis Ruſticulam ſeu Scholopacem ſignificat; quæ tam pretioſa eſt palato, ut etiam cum fimo & ſtercote ſuo Magnatum menſis ad luxum gulæ inferatur; cujus ſolus nidor appetentiam irritat. Itaque ex *nihilo* Ruſticola vobis hodie diſpenſabit bonos bolos & fruſta. Deinde in Eccleſiæ Dedicatione quis meliore ſorte aucupio præſit, quàm artificioſæ Araneæ; [Aranearum opus.] quæ cùm libero jure ubique paſſim venentur, vel maximè in arcuatis Eccleſiarum fornicibus ſua latibula conſtituunt: in ijs enim ſcandunt ſine ſcalis, ſurſum, deorſum, ad omnem circumferentiam; vagantur in aëre ſine alis, ſubtiliſſimo filo ſuſpenſæ: & mira præſtant, quæ paulò antè ſunt inſinuata; ut, niſi maturè eorum opera intercipiantur, ex domo Dei videantur efficere deſertum, aut ſpeluncam venatorum. Non pigebit hìc texturam, artem, latibulum, & inſidias horum aucupum ex Plinio referre. [Plinius l. 11. c. 24.]
„[Orditur telas, inquit, tantique operis materiæ uterus ipſius ſufficit: ſive ita corruptâ alui naturâ ſtato tempore (ut Democrito placet) ſive eſt quædam intus lanigera fertilitas: tam moderato ungue, tam tenero filo & tam æquali deducit ſtamina, *ipſo ſe pondere uſus.* Texere à medio incipit, circinnato orbe ſubtegmina adnectens; maculíſque paribus ſemper intervallis, ſed ſubinde creſcentibus, ex anguſto dilatans, indiſſolubili nodo implicat. Quantâ arte celat pedicas ſcutulato rete

graſ-

„ad capiendas muſcas circà graſſan„tes? quàm non ad hoc videtur per„tinere crebra tapexitas telæ, & „quædam polituta artis: ipſa per„le tenax ratio textrinæ? quàm la„xus afflatus, ad non reſpuenda, „quæ veniant? ſinus, derelicto la„xo prætenui ſummâ parte, ut ar„bitrari liceat illa, quæ difficile „cernuntur; atque ut in plagis li„neæ offenſæ præcipitantur in ſi„num? Specus ipſæ, quæ concamera„tæ architecturâ? Et contra frigora, „quantò villoſiot? quàm remotus à „medio, aliúdque agenti ſimilis; in„cluſus verò ſic, ut ſit, nec ne, intus „aliquis, cerni non poſſit? Age, firmi„tas quanta irrumpentibus ventis; quę „pulverum mole degravante? Latitu„do telæ ſæpe inter duas arbores, cùm „exercet artem, & diſcit texere. „Longitudo fili à culmine, ac rurſus à „terrâ per illud ipſum velox recipro„catio, ſubitque pariter ac fila dedu„cit. Cùm verò captura incidit, quàm „vigilans & paratus ad curſum? Li„cet extremâ hæreat plagâ, ſemper in „medium currit, quia ſic maximè to„tum concutiendo implicat. Sciſſa „protinus reficit ad polituram ſar„ciens. Namque & lacertarum ca„tulos venantur: hos primum telâ in„volventes, & tunc demum labra „utraque morſu apprehendentes, „amphitheatrali ſpectaculo cùm „contigit.] Hæc accuratè Plinius.

361. Et ne deſit de hoc Altilium genere, Araneis, inquam, non alatis, nec pennatis, ſed præcisè per ſua viſcera in aëre pendentibus & operantibus, opportuna ſymbolizatio, pauci ſunt ex Sapientibus, qui earum mores ad laudabilem imitationem trahant. Ad exhibendum, Magnates civilibus legibus non teneri ſed tantùm ſubditos, pingatur tela Araneæ, & fingatur de latere ad latus: ex una parte captivæ teneantur muſcæ & culices; ex alterâ verò patiatur amplam & gravem ſciſſuram, cum inſcriptione: *DISCINDVNT MAGNA.* Accedat Anacharſis apud Plutarchum, & ſymbolum declaret ex legibus. *Vt Aranearum telas corvi perrumpunt, muſcæ implicantur: ita leges plebeculam vexant, à potentibus violantur impunè.* S. Gregorius Nazianzenus aliam inducit conſiderationem de Araneis; & dum obſervat, eas tantùm debilibus ſatiari prædis, à fortibus autem & magnis expaveſcere, ſubſcribo ſubridendo: *INFIRMIORA PRÆDATVR.* Exinde Nazianzenus contra Eunomianos Hæreticos inſultat, & in ſpecie quendam Antagoniſtam increpat: *Cur Aranearum telis imbecilliores illaqueas, quaſi rem eo pacto ſapienter ac præclarè geras?* Neque ſufficit hæc pro exponendo Myſterio increpatio: accedit Elias Cretenſis, & ampliori dilucidatione occultum intellectum manifeſtat: *Cur ratiocinationum tuarum retibus, nexis quidem illis inſtar Aranearum telæ, at infirmis, illaqueare imbecilliores conaris?* Eleganter autem ad eas telas ſyllogiſmos eorum, pravâſque ratiocinationes comparavit: *Nam ut illis muſcæ, parváque tantùm animalcula capiuntur: ſic eas contrà ROBVSTIORA PERRVMPVNT. Eodem modo ſyllogiſmis hujuſmodi homines imbecillâ ſcientiâ præditi implicantur, à robuſtioribus autem faciliùs etiam, quàm Aranearum telæ, diſcerpuntur ac diſſipantur.* Sed & Hypocriſin adumbrat Aranea, quæ non vehementi ventorum turbine, ſed *LEVI RVMPITVR AVRA.* Ex quo S. Gregorius Magnus de humani applauſûs typho, ad rem ſuo more ſic loquitur. *Aranearum tela ſtudioſè texitur, ſed ſubito venti flatu diſſipatur: quia quidquid hypocrita cum labore peragit, aura humani favoris tollit; & dum in appetitu laudis opus deficie, quaſi in ventum labor evaneſcit.* Hoc eſt, tota hypocritæ machinatio in *NIHIL* evaneſcit. Imò & ipſa malignitas appoſitè ab Aranearum opere figuratur: quod enim operatur Aranea *IN NVBILO TANTVM*, turbido & pluvioſo tempore, in ſuda autem & ſerenâ lucis affluentiâ quieſcit; idipſum imitantur maligni, qui *in turbidis aquis piſcantur*, & æmulos ſuos tunc vel maximè adoriuntur, quando ſciunt eos tribulationum & perſecutionum *nubilo* obtenebrari. Et verò ſive *exleges Magnates*, ſive hæretici, ſive hypocritæ, ſive denique quicunque

Ex eges, hæretici, hypocritæ & maligni Araneis comparantur.

Plutarchus.

S. Gregorius Nazianz. orat. 1 contra Eunom.

S. Gregorius l. 8. moral. c. 16.

que maligni, in haſce Aranearũ telas
ſeſe eviſcerent, præciſè in *NIHILO*
reputantur labores eorum.

362. Nihili ratio inveſtigatur. Quantuſcunque ſit Araneæ labor,
vanus tamen eſt, & inutilis: vix enim
ad ullos hominum uſus conducit,
& facilè diſijcitur aut pede, aut ma-
nu, aut ſcopâ. Scribit Lampridius,
Heleogabalum ſervis imperâſſe, ut
omnes Araneas in Vrbe colligerent;
cùmque ad decem millia pondo col-
legiſſent, ſubjeciſſe Imperatorem: *vel* Lampridius in hiſt. Imp. l. 8. c. 1.
hinc intelligendũ, quàm magna Roma eſſet.
Sed & illud nonnulli tradunt Autho-
res, nullum eſſe animal, quòd plures
quàm duos habeat oculos, præter-
quam Aranea Hę enim, ſi minores ſint,
quatuor habent oculos; ſi verò majo-
res, ſex; aliquæ etiam octo habere no-
ſcuntur. At verò quo fine hiſce ani-
malculis Natura de tot oculis provi-
dit? Nimirum ut in capiendis muſcis,
quarum ex corporibus paſcuntur, toti-
dem velut Argi exiſtant. Totum ſcili-
cet opus, & tota Araneæ natura eò col-
limat, tota ſe eneruat induſtria, ut circa
muſcas occupetur, muſcas capiat, &
deniq; valeat prorſus *Nihil*: Nicht ein
Schnipp. *Totâ nocte laborantes nihil ca-
pimus.* Hoc opus eſt hominum, ener-
vare ſe, telas Aranearum contexere, &
tandem circa NIHIL eſſe occupatos.
Authoris hypognoſtici verba ſunt hu-
jus Nihili explicativa l. 1. circa finem.
*Solet dici à plurimis, dum aliquid deſpici-
tur, aut pro parvo æſtimatur, vel certè
quòd penitus non ſit, NIHIL eſt*: Nicht
ein Schnipp. Divus Auguſtinus gra-
vi locutione rationem *nihil* reducit
ad malum ſeu peccatum, quo erat in- S. Auguſtin. ſoliloq. c. 3. in Pr.
„quinatus. [Miſer, inquit, factus ſum,
„& ad *nihilum* redactus ſum, & neſci-
„vi: quia tu es veritas, & ego non erã
„tecum. Ad nihilum duxerunt me
„iniquitates meę, quia tu es Verbũ, per
„quod facta ſunt omnia, ſine quo fa-
„ctum eſt *nihil*; & ideò ſine te factus
„ſum *nihil*, quia eſt *nihil*, quod ad *nihi-
„lum* ducit. Quia quæcunq; per Verbũ
„facta ſunt, valde bona ſunt. Quare
„bona ſunt? Quia omnia per Verbum
„facta ſunt: Et ſine ipſo factũ eſt *nihil*;
„quia *nihil* bonum ſine ſummo bono
„eſt, ſed malum eſt ubi non eſt illud
„bonum, quod utiq; *nihil* eſt: quia *ni-
„hil* aliud eſt malum, quàm privatio
„boni: ſicut *nihil* aliud eſt cæcitas,
„quàm privatio luminis. Malũ igitur
„*nihil* eſt, quia factum non eſt. Sed
„qualiter malum eſt, ſi factum non eſt?
„Quia malum privatio boni eſt, per
„quod factum bonum eſt. Eſſe ergo
„ſine Verbo malum eſt, quod eſſe
„non eſt; quia ſine ipſo *nihil* eſt. Se-
„parari ergo à Verbo, eſt eſſe ſine via,
„ſine veritate, ſine vita; & ideò ſine
„ipſo *nihil*, & ideo malum, quia ſepa-
„ratur à Verbo, per quod facta ſunt
„omnia valde bona. Separari autem à
„verbo, per quod omnia facta ſunt, *ni-
„hil* aliud eſt quàm deficere, & à facto
„tranſire in defectum: quia ſine ipſo
„eſt *nihil*. Quoties ergò à bono de-
„vias, à Verbo te ſeparas, quia ipſum
„eſt bonum: & ideò *nihil* efficeris, quia
„ſine Verbo es, ſine quo factum eſt *ni-
„hil*.] Hactenus S. Auguſtinus. Sed &
plerique alij Patres, in peccati deſpe-
ctum, aiunt, peccatum eſſe *NIHIL*:
non quòd intendant pravis commiſſio-
nibus negare rationem poſitivæ enti-
tatis; ſed quòd velint, peccatum quod-
cunq; tametſi umbrã interdum aliquã
ſvavitatis vel utilitatis obtendat, eſſe
dignum deſpectione; nec conſectan-
dum, ſed averſandum & deteſtandũ
eſſe. Quantumcunq; igitur peccatores
& filij hujus ſæculi vanitates & de-
licias venentur, agnoſcunt tandem mi-
ſeriam ſuam: *totâ nocte laborantes NI-
HIL CÆPIMVS*: Nicht ein Schnipp.
Vniverſaliter quisquis in curis & ex-
penſis, in fortunis & honoribus, in glo-
riâ & gratiâ humanâ aucupandis ſuos
intendit nervos, omnino juxta Alci-
biadem Lucarinũ expendit irrita ſua
VISCERA PRO MVSCIS. Appoſitè Pe-
trus Bleſſenſis in ſuis Epiſtolis hoc ſi- Bleſſenſ. Ep. 14.
lum pertexit; &, *Perdita*, inquit, *vita
homines ſe laboribus torquent, cruciant cu-
ris, expenſis eviſcerant. Nónne figuram
Araneæ gerunt, quæ de ſuis viſceribus te-
lam texit, ut capiat muſcam viliſſimam?
Quid eſt inanis gloria, quam venantur,
niſi muſca viliſſima, murmuroſa, ſordi-
da?* Et ſi ampliùs ſcire velis, bulla,
fumus, color apparens, deniq; *NIHIL*:
pro quo obtinendo nõ ſequitur in Ara-

 nea,

nea, niſi *ANIMA* ſub malis *TABESCENS.* Prout in hunc ſenſum Cardinalis Bellarminus conſiderat verſum Pſalmi, *Tabeſcere feciſti ſicut Araneam, animam ejus*: & ſic comentatur. *Inſtar Araneæ, quæ laborat in texendâ telâ, ut capiat muſcas, & interim ipſa exſiccatur, & conſumitur. Sic enim anima hominum carnalium, juſto DEI judicio, perpetuò laborant in rebus temporalibus acquirendis, & in eo labore conſumunt ingenium, & mentem; & inde anima exſiccatur omni humore gratiæ, ut ne cogitent quidem de ſalute ſua, neque ullo deſiderio tangantur veræ felicitatis*; tandémque liberè fateantur, *Totâ nocte laborantes NIHIL cæpimus.*

Bellarminus ſuper v. 12. Pſalmi 38.

363. Non eſt fimus aut ſtercus aliquod tam ſapidum in Alitibus, nec tam delicioſum in avibus ullis, quàm Ruſticulæ excrementum; quæ longo ſuo perdicali roſtro foramina terræ, & tinearum terebratos receſſus in arboribus penetrat, editóque ſubinde clangore vermiculos attrahit, & in pinguedinem ſuam convertit: inde tam delicata ſaginatio Ruſticulæ; hinc tam ſpirituoſum ejus fimetum, quod menſis Regum & Magnatum infertur. Hæ mundi deliciæ carniſque illecebræ, iſti honorum & dignitatum gradus, hi auri & gemmarum congeſti theſauri, quibus tam anxiè inſidiatur humana cupiditas, & inexplebilis inhiat luxus, qui ex infimis terræ mariſque receſſibus congregantur; quid ſunt aliud, quã vermiculata quędam impinguatio, & ambitioſus *fimus*, & æſtimabile ſtercus, denique verbo, *Nihil*? D. Paulus eximium addit condimentum huic ſtercori, dum carnis excellentias, velut mercator ſua lucra raráſque merces, plurimo pretio æſtimaret; videlicet quòd eſſet circumciſus, ex genere Iſraël, de tribu Benjamin, Phariſæus, Legis zelotes, & Juſtitiæ obſervantiſſimus Miniſter: has tamen carnalis Judaiſmi prærogativas, poſtquam Chriſti Evangelij veritatem & dignitatem agnovit, nõ tantùm non æſtimavit ampliùs, ſed etiam pro damnis, & impedimentis habuit veritatis & ſalutis à Chriſto percipiendæ. *Veruntamen*, inquit, *exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam JESU Chriſti Domini mei, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Non tantùm *omnia* Judaiſmi bona, ſed etiam omnino *omnia*, id eſt, res omnes, eloquentiam, opes, delicias, gloriam, favores, & quidvis aliud, quod mundus hîc amat & miratur, pro Chriſto & propter Chriſtum exiſtimo eſſe detrimenta & damna, imò ſtercora. Si mundus ſympoſia æſtimat, quæ proci amaſijs ſuis pro venerei affectûs ſinceratione exhibent, tanquam dulcoroſa carnalis amoris ſpectacula; ego *arbitror ut ſtercora.* Si mundus guloſa Heliogabali convivia, aut pretioſa Cleopatræ pocula, pro eximia ſuſcipiat humanæ felicitatis parte; ego *arbitror ut ſtercora.* Si mundus penſiles Semiramidis hortos, aut delicioſas Neronis thermas, aut jugiter manantes ejuſdem fontes, pro jucunditatis allectamento objiciat; ego *arbitror ut ſtercora* Si mundus Belliſarij glorioſas victorias, inæſtimabiles Crœſi divitias, aut multiplicatas Mahometis concubinas, pro humanæ beatitudinis puncto deprædicat; ego *arbitror ut ſtercora.* Et quæcunque alia mundus vel magnificat in Architecturis, vel ſuſpicit in honorum gradibus, vel extollit in officiorum miniſterijs, vel celebrat in libero voluptuoſitatis arbitrio; ego *arbitror ut ſtercora.* Sic quilibet ſentit, qui poſt Paulum de hoc Ruſticulæ fimo piè, ſanctè & religioſè judicat: ijs enim omnis pulchritudo, honor, divitiæ, & deliciæ habentur ut ſtercora. Vt meritò in quâvis terrenæ cupiditatis appetentiâ quadret illud S. Hieronymi monitum, quo Paulinum Monachum de morigerâ vivendi diæta inſtituit: *Sit vilis & veſpertinus cibus, olera & legumina: qui Chriſtum deſiderat, & illo pane veſcitur, non quærit magnopere, de quàm pretioſis cibis ſtercus conficiat.* Quæcunque tandem inſit rebus omnibus voluptuoſitas in appetendo, aut ſapor in fruendo, aut gaudium in conſummando; niſi Deum aut Chriſtum ſapiant, *ego arbitror ut ſtercora.*

Terrena omnia à D. Paulo habentur ut ſtercora.

Philipp. 3. v. 8.

S. Hieronym. epiſt. ad Paulinum.

ſtercora, & omnino nihil : Nicht ein Schnipp. Tantus eſt inter Ruſticulæ *ſimum*, & *Nihilum* ſymboliſmus. Abbas Ferrus ſymbolum ſibi adſciſcit, Aquilam altè hærentem, & irretortis oculis confixam in ſolis radios ac pulchritudinem lucis, cum piâ cenſurâ: *PAR PVTAT ESSE NIHIL*. Et certè incomparabilis eſt claritas animæ, per gratiam ſanctificantem, aut virtutis operationem, ipſámque veram ſapientiã Deo omnis claritatis fonti intentæ & conformatæ. *NIHIL enim*, ſcribit S. Auguſtinus, *tam pulchrum atque jucundum, quàm ipſum ſolum mentis intuitu & cordis aviditate contemplari DEVM, & miro modo inviſibiliter cernere inviſibilem.* Et concurrit ad præſentem ſenſum Olimpiodorus, dum : *Accidit*, inquit, *hoc omnibus, qui Dei munere circa ſpiritualia occupantur, & ad ea contemplanda mentem attollunt, ut mundana hæc omnia parvi pendant*; & arbitrentur ut ſtercora, atque *Nihil*.

S. Auguſtin. l. meditat. c. 27.

Olimpiodorus in c. 5. Eccleſiaſtici.

364. Exinde magnificus ferculorum apparatus liberali infertur convivio, ſeligendus usque ad animæ ſaturitatẽ, & ingluviem ſpiritûs. Itaq; , dic ſodes, quid eſt homo vanus, quantumcunq; procerus, dives & potens, ut eum magnifices, & erga illum apponas cor tuum? ſi cum cœlo, cum terrâ universâ, cum totâ hominum atq; Angelorum multitudine comparetur, nunquid nõ arena eſt exigua ad littus Oceani? pulviſculus ad telluris molẽ? ſtilla aquæ ad mare? momentum ſtateræ ad Vniverſi pondus? ſcintilla ad Divinæ Majeſtatis ſplendorem? Ex his omnibus *nihil cæpimus*: Nicht ein Schnipp. Nam ut D. Iſaias vaticinatur, *Omnes gentes* non jam ſunt arena, pulvis, ſtilla, momentum, ſcintilla: hæc enim cũ Vniverſi mole, utpote finitâ, proportionẽ aliquam habent; at cum Deo, *quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi NIHILVM & inane reputata ſunt ei.* Quid vita noſtra mortalis, tam anxijs ſubjecta laboribus, tam periculoſis preſſa afflictionibus, tam fallacibus faſcinata phantaſijs, tam inanibus ſpebus lactata? Quid hìc illi mihi dicent vitæ longioris candidati, qui non ſolùm montes ſibi aureos, verùm & aurea vitæ fila quàm longiſſima & feliciſſima pollicentur; qui excubant omni nervo atque animo in exquirendis arripiendíſque rationibus, quibus diutiùs miſeri eſſe poſſint, &, quæ falli aut vitari nequeat, mortem effugiant? An opus eſt ab Apoſtolo Jacobò teſtimonium mutuare, ad convellendam illam vitæ nimis amantium falſam, & inanem opinionem; quòd ſit *vapor ad modicum parens*? aut ab Oſea, quòd ſit *ſpuma tranſiens*? aut à Nazianzeno, quòd ſit *volans ſomnium*? aut à communi Proverbio, quòd ſit *bulla evaporans*? *NIHIL cæpimus*: Nit ein Schnipp. Seneca vitæ totius celerem periodum

Quæ nobis videntur æſtimabilia, coram Deo & in ſe ſunt NIHIL.

Iſa. 40. v. 17.

Jacob 4. v. 15.

Oſe. 10. v. 9.

„miratur his verbis. [Vidiſtine, quàm „intra paucas horas ille ordo, quamvis „lentus diſpoſitúsq; , tranſierit? Hoc „totam vitam noſtrã occupavit, quod „totum diem occupare non potuit? „Hoc itaq; mihi dico, quoties tale ali„quid perſtrinxerit oculos meos, quo„ties occurrit domus ſplẽdida, cohors „culta ſervotũ, lectica formoſis impo„ſita calonibus, quid miraris? quid „ſtupes? Pompa eſt; oſtenduntur iſtæ „res, non poſſidentur; & dum placent, „tranſeunt.] Verè *nihil* etiam per longiſſimos vitæ actus cœpimus; quia *qua pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Quid divitiæ tam anxiè quæſitæ, tam amarulenter poſſeſſæ, tam turbulenter perditæ? Quid ſupremi honorum apices? quid regnorum Monarchiæ? quas vel Aſſyrii per mille trecentos nonaginta duos perennaverant annos; vel Sennacherib à plurimis expilatis regnis corraſerat; vel Romanorum victoriæ in omnes Orbis parallelos extenderant; vel Græcorum virtutes ſubactis nationibus fecerant terribiles? *Nihil cæpimus*: Nicht ein Schnipp. Creſolius, hanc vanam hominũ occu„pationem perpendens, ait. [Homo ex „*nihilo* ſubitò emicuit, obſtetricante „manu Dei; in *nihilo* proſapia ejus, in „nihilo ut proprio inſidet, in eodẽ vis „illius omnis atque potentia, & ſi bre„viter deſinere lubet, homo eſt *nihil*, „imbecillitate veſtitum.] Antecedẽter

Seneca ep. 118.

Pſal. 89. v. 9.

Creſolius ư. de ſtirſtu. pag. 511.

Ss 2 Pſaltes

Pſaltes regius ad eandem cecinit lyram, explodendo divitiarum ac po-

Pſal 75. v. 6. tentiæ vanam ſpeciem: *dormierunt*, inquit, *ſomnum ſuum, & NIHIL invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Par currit diſceptatio de actu peccaminoſo. Quid eſt peccatum, quod turbatæ mentes tam perniciosè diligunt, tam occæcatè quærunt, tam periculosè amplectuntur, tam ſcandalosè promovent, tam damnosè tuentur? *Nihil cæpimus*: Nicht ein Schnipp. Audio hìc

S. Gregorius Nyſſenus tr. 1. in Pſal. c. 7. præclarè S. Gregorium Nyſſenum in-
„terloquentem. [Qui peccat, ſolet
„quodammodo pro *nihilo* peccatum
„ducere, & pro quovis ſcelere perpe-
„trato defenſionem inſtituere; ut cui-
„vis in quocunque malè commiſſo
„promptum ſit dicere, *Nihil* eſt cu-
„piditas, *nihil* ira, & alia hujus gene-
„ris *nihil* ſunt.] Virgineus Evangeliſta hoc aſſertum fundavit, de Verbo Pa-

Ioan. 1. v. 3. tris loquens: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt Nihil*; hoc eſt, peccatum. Hinc Aimonius & alij Ludovicum, Carolomanni filium, cognomento *Nihil* vel *nihili* nominant, eò quòd Sanctimonialem Deo devotam nefario ſacrilegóque ſibi copulaverit conjugio; ſicque peccatum grave, quod *nihil* eſt, hoc facto contraxerit, quod ſibi pro agnomine appropriavit. Et quid de meritis noſtris actibúſque virtuoſis ſentiendum? quid de pœnitentiæ lachrymis ex contrito corde profuſis? quid de eleemoſynis ex Charitatis motivo copiosè diſtributis? quid de duris abſtinentijs, & carnalis petulantiæ macerationibus? quid de ingentibus laboribus pro Dei gloriâ exantlatis? quid de rebus maximis in bonum Eccleſiæ præclariſſimè geſtis? Nunquid opera noſtra in ſanctitate facta digna æternæ retributionis acceptantur, niſi ab infinitis Chriſti meritis ad hunc effectum dignificentur? *Nihil cæpimus*: Nicht ein

Pſal 55. v. 8. Schnipp. *Pro NIHILO ſalvos facies illos.* Fateor, plurimum etiam eſſe virtuoſis actibus in ſe tribuendum, eóſque ſuâ mercede proportionatâ eſſe digniſſimos; ſine tamen condignificatione

Rom. 8. v. 18. meritorum Chriſti, *non ſunt condigna Paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

365. Hæc quidem fercula ex *nihilo* tam ſapidè condita, tam ſpecioſè propoſita, ita communi Auditorio proſtant ſorbillanda, ut omnibus libera pateat facultas, ex hoc *Nihilo* partem ſeligendi, quæ arriſerit. Nunc hoſpites utrâque aure erecti in duas ſeſe dividunt ſortes, quarum una indecoro apparatu amicta, exuvias contaminatæ præſefert animæ; altera feſtivo ſplendore conſpicua, Sanctitatem & Juſtitiam commendat. Vtriſque, malis & bonis, juſtis & injuſtis, prædeſtinatis & reprobis, ſpecialis ſua portio competit de hoc ſaporoſo Ruſticulæ fimo. Et quidem hìc ex perverſis ac malitioſis ſciſcitor; num de Divinis Benedictionibus, déque regijs refectionibus, pars ulla competat Hypocritis, ſua philacteria dilatantibus, & extenuantibus facies, ut videantur ab hominibus; quandoquidem D. Iſaias illos meritò increpat:

NIHILUM peccatorum graphicè exemplificatum.

Iſaia 41. v. 24. *Ecce vos eſtis ex Nihilo, & opus veſtrum ex eo, quod non eſt.* Dicant & abeant, *nihil cæpimus*: Nicht ein Schnipp. Num illis modicus ſufficere poſſit Ruſticulæ bolus, quorum appetentia fortunarum nec etiam toto terrarum Orbe ſaturabilis apparet; utpote quòd ex

Eccli. 10. v. 10. Eccleſiaſtici ſenſu, *NIHIL ſceleſtius ſit, & NIHIL iniquius, quàm amare pecunias?* Dicant & abeant, *nihil cæpimus*: Nicht ein Schnipp. Sunt, qui confidentiam ſuam ponunt in ſecundis placatæ Fortunæ aſpectibus, eíque menſam ponunt, ſuper quam affectata jugiter manantis mellis libamina alternant: ſed verò ubi Jeremiam in-

Ierem. 2. v. 37. crepantem perceperint, *contrivit Deus confidentiam tuam, & NIHIL habebis proſperum*; dicant & abeant, *nihil cæpimus*: Nicht ein Schnipp. Quid ijs competat, qui invidiâ & odio tam validè torquentur, ut alienam proſperitatem ſuam miſeriam, aliorum lucem ſuas tenebras, aliorum divitias ſuam inopiam, aliorum virtutem ſuam maculam, aliorum promotionem ſuam dejectionem eſſe cauſentur; Amano ſimiles, dum pari livore

Eſth. 5. v. 13. diſtorti fatentur, *nihil habere me puto, quamdiu videro Mardochæum in palatio.* Dicant & abeant, *NIHIL cœpimus:* Nicht ein Schnipp. Quid cum illis, qui acediâ & tædio tam turpiter torpent, ut nec de neceſſarijs vitæ corporalis, nec de congruis æternæ ſalutis remedijs ſibi providere ſatagant; prout D. Paulus memorat ad Theſſalonicenſes: 2. Theſſal. 3. v. 11. *audivimus quosdam ambulare inquietè inter vos, NIHIL operantes.* Dicant & abeant, *nihil cœpimus:* Nicht ein Schnipp. Filij ſæculi hujus, qui croceis & purpureis ſuperbiunt paludamentis, alto incedentes gradu, poſt carnem alteram luxuriantes, enutriti in vanitatibus atque ineptijs, poſtquam comminantem Prophetam Amos audiverint, Amos. 6. v. 13. *Væ qui lætamini in NIHILO, & dicitis: nunquid non in fortitudine noſtra aſſumpſimus nobis cornua;* dicant & abeant, *nihil cœpimus:* Nicht ein Schnipp. Vbi tot mortalium video laborantes totâ nocte peccatis obſcuratâ, & *nihil* capientes, noſtris videntur oberrare oculis illi inſenſati apud Sapientem, ſerò nimis ſuum agnoſcentes errorem, irritúmque laborem, dicentes intra ſe, & præ anguſtiâ Sap. 5. v. 6. ſpiritûs gementes: *Ergo erravimus à via veritatis, & Iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Serus & inconſolabilis eſt hic damnatorum gemitus; nec poteſt ulla hominum lingua metum illum, terrorémque graphicè deſcribere: nulla labia ſatis magnã vim obtinent, illos implacabiles ploratus, ſtatúmque miſerrimum declarandi. [Gemunt, inquit S. Cyrillus, S. Cyrillus orat. de exitu animæ. continenter & ſine intermiſſione; ſed nullus eſt, qui miſereatur: vociferantur ex profundo; ſed nullus eſt, qui exaudiat: lamentantur; ſed nullus eſt, qui liberet: exclamant & plangunt; ſed nullus eſt, qui commoveatur. Tunc ubi hujus mundi jactantia? ubi inanis gloria? ubi deliciæ? ubi voluptas? ubi petulantia? ubi apparatus? ubi requies? ubi ornatus? ubi pecuniæ? ubi nobilitas? Vbi tunc delectatio? ubi corporis virilitas? ubi falſa illa, & inutilis mulierum pulchritudo? ubi tunc impudens & effrenata audacia? ubi tunc veſtimentorum comptus? ubi peccandi impura, & frivola delectatio.] Hæc omnia quid contulerunt nobis? *Nihil:* Nicht ein Schnipp. Quid inde magni, boni, aut conſtantis cœpimus? *Nihil cœpimus:* Nicht ein Schnipp. *Quid nobis profuit ſuperbia? Nihil:* Sap. 5. v. 8. Nicht ein Schnipp. *Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Nihil:* Nicht ein Schnipp. Ita penitus in *nihilum* æternæ convertuntur miſeriæ, qui pro piſcando *nihilo* ſua retia laxant in capturam.

Præſtantiore tractamento de noſtræ Ruſticulæ fimo digni ſunt, qui feſtivè ornati, ſanctitatis & integritatis virtuoſæ habitum aſſumpſerunt; moribus decori, virtutibus compti, ſanctificante gratiâ illuſtres, & omni moralium ornamentorum genere inſignes. 366. Nihilum luſtorum pretioſum & meritorium. His enim quid vel ad convivij perfectionem, vel ad mentis ſaturitatem, vel ad virtutis excellentiam appeti ampliùs aut deſiderari poſſit? *Nihil:* Nicht ein Schnipp. Beatos hos prædico, quia ſunt ſuâ ſorte contenti; nec cupiunt ampliora, nec ambiunt altiora, nec requirunt meliora, ſed modico ſuo ſaturati, illo Apoſtoli verbo quieſcunt: *In omnibus divites facti eſtis, ita ut nihil vobis deſit:* 1. Corinth. 1. v. 5. Nicht ein Schnipp. Conſolatos ſuſpicio in calamitatibus, divites in egeſtate, lætabundos in miſerijs, in perſecutionibus fortes, in ſiniſtris caſibus erectos, in concuſſionibus integros, in neceſſitatibus opulentos; utpote quibus Divina Providentia opportunis remedijs ſuam ſupponit manum. Vt rectè reſponderint illi primi Evangelicæ perfectionis Sectatores interroganti Magiſtro: *Quando miſi vos ſine ſacculo & perâ, nunquid aliquid defuit vobis? Dicunt ei, NIHIL:* Luc. 22. v. 35. Nit ein Schnipp. Videntur quidem fatui & inſipientes huic mundo, dum nihil per oſtenſionem fingunt, ſenſum verbis aperiunt, vera in ſe diligunt, falſa devitant, bona gratis exhibent, mala libentiùs tolerant quàm perpetrant; nullam injuriæ ultionem reddunt; pro veritate contumeliam lucrum exiſtimant;

pro maledicentibus orant, paupertatem quærunt, poſſeſſa relinquunt, rapienti non reſiſtunt, percutienti alteram præbent maxillam: ſed verò
Sap 8. v. 7. Chriſtiana perfectio eos hanc *ſobrietatem & prudentiam docet, & juſtitiam & virtutem, quibus in vita utilius hominibus eſt NIHIL*: Nicht ein Schnipp. Amabili tranquillitate Dei timorem retinent viri ſancti & perfecti: quia quamdiu ſub tentorijs carnalibus verſamur & pellibus, tela hoſtilia nos involitant, & jam victores nonnunquã
S. Hieronym. in reg. Monach tit. de fide & timore. confodiunt: prout D. Hieronymus teſtatur, ſcribens. *Nunquam tuta eſt humana fragilitas; & quantò magis virtutibus creſcimus, tantò magis timere debemus, ne de ſublimibus corruamus.* His autem nunquam non ſcientibus inſidias atque pericula ſua, in hoc confli-
Eccli 23. v. 17. ctuũ theatro *NIHIL melius eſt, quàm timor DEI; & NIHIL dulcius quàm attendere mandatis Domini*, conſequenter delectabilius *nihil*: Nicht ein Schnipp. Denique perfecti Dei amici ex *nihilo* dignum Chriſto præparant cœnaculum. Quomodo ex *Nihilo*? De Civitate ſanctâ, quæ Chriſto hoſpitium præ-
Pſal. 86. v. 1. beat, Pſaltes Regius inquit: *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*, hoc eſt, in cacumine excellentium virtutum. At verò ipſorum montium, univerſæque terræ fundamentum, quodnam
Job 26. v. 7. eſt? Utique *nihilum*. *Qui appendit terram ſuper NIHILUM.* Refert Thaulerus, cuipiam optanti ſcire, quando quóve modo dignè communicare poſſet; reſpondiſſe Chriſtum: *Qui non habet, quod ſuum eſt, & cui placent omnia à me facta*: adeóque qui novit, ſibi ineſſe boni *Nihil*; complacet autem in amore, & confidit ſibi in benignitate meâ. Vis ergo fundamentum hoſpitij & templi, quod Deo parare debes? Abyſſum *nihili* tui, & ſimul infinitæ Dei potentiæ, bonitatis & ſapientiæ abyſſum pro fundamento jace. In corde tuo *nihilum* tui requirit, ſe ſolum & unicum ibi vult poſſeſſorem: ſuper hoc humilitatis fundamentum, tuum ipſius *nihilum*, acceptiſſimum Chriſto præparatur cœnaculum. Cor nempe contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet; quod ſibimetipſi dicit, *ad NIHILUM redactus ſum, & neſcivi.* Pſal. 72. v. 22. In tantum diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ut, quod ipſis poſſit officere ad malum, ſupeſſit *nihil*: Nicht ein Schnipp.

Denique ne huic opiparo tracta- 267.
mento quidquam deſit, etiam hau- Quatuor Spiritus in refocillationem propinantur.
ſtum propino *Nihilo* ſaturatis: ſunt enim ſicca liquidis temperanda, & humidis conſiſtentia. Auff ein Schnipp/ gehört ein Schlipp. Optarem adminiſtrationem ſuper dolium S. Confeſſoris Nonnoſi, quod in fundendis vino vel oleo nunquam defecerat: ô quàm copiosè ex tali fonte vobis libarem gelidos dulcéſque liquores! Inepti ſunt, qui circa rimoſum Danaidum dolium ſeſe fatigant; dum enim cum illis perfidis ſororibus, ad inferos propter im̃ane trucidatorũ maritorũ ſcelus damnatis, aquam vaſe perforato haurire ſatagunt, verè ingeminant, *Per totam noctem laborantes nihil cæpimus.* Sic nempe laborant in caſſum omnes, qui operantur iniquitatem. Itaque ex magno illo & veterano Altiſſimæ noſtræ Paupertatis dolio (cui inſcriptam lege teſſeram, *NIHIL ha-* 2. Corinth. 6. v. 10.
bentes, & omnia poſſidentes) præcipui vobis quatuor Pincernæ pocillantur. Primus, extaticus Divus Petrus Alcantarenſis, ſobriæ libat ſpiritum Devotionis, ad Religioſos Dei cultus, & perennes virtutum actus exercendos. Hæc nempe eſt incipientis animæ beatitudo, per ſpiritum Devotionis, uniri cum ſuo Patre, ei adhærere, atque in eum taliter transformari, ut *nihil* cogitet, *nihil* loquatur, *nihil* amet aut æſtimet, niſi quod amat & æſtimat Pater cœleſtis. Ad quam unitatem & conformitatem tandem pertingit, ſi vitam & mores Jesu Chriſti tam ſibi familiares faciat aſpectu continuo & meditatione, ut ejus Spiritum imbibat omnino, omnes malignorum Spirituum inſtinctus & carnis deſideria evacuando. Bibite amici hunc dulciſſimum Devotionis ſpiritum,

1.Corinth 12. v. 13. ritum, & in ſobrietate dicite: *uno ſpiritu potati ſumus*. Alter, Thaumaturgus D. Antonius Paduanus, ebriæ libat ſpiritum Sapientiæ; qui caſtas facit germinare Virgines, & puras mentes Divinis muneribus perficit. Hæc Sapientia tunc inebriat humanam mentem, cùm de Divinis Scripturis latentis Spiritûs Sancti fluenta per contemplationem attrahuntur. Philo Carpath. ſuper Cant. 1. Philo Carpathiorum Epiſcopus utrumque Teſtamentum duabus mammis confert, conſiderans illa verba Sponſi in Cantico: *Meliora ſunt ubera tua vino.* [Vt duo, inquit, ubera duæque mammæ hinc inde pectori affixæ cor ambiunt; ita & duo Teſtamenta ex Spiritu Sancto ſpiritualem nobis potionem, Divini lactis inſtar effundunt, nóſque ſuper delectationes omnes humanas ſanctiſſimè lætificant atque tuentur.] Adeò Divus Antonius hoc ſpiritu Sapientiæ inebriatus eminuit, ut conſtanter aſſeveraret illa Sapientis verba: Sap 7 v. 8. *divitias NIHIL eſſe duxi in comparatione ipſius*. Tertius, Seraphicus Doctor Sanctus Bonaventura, alacris ſpiritum Jucunditatis propinat; qui animam Deo amicam exhilarat cœleſtibus delicijs, & ſecuram reddit æternæ retributionis. Ita enim per Pſalmiſtam promittitur: *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Pſ. 35. v. 9. Cùm enim accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, & fit Divina, & exhilaratur ab ubertate domûs Dei. Vltimus, Seraphicus Pater S. Franciſcus, ſaturatæ offert ſpiritum Contritionis; quo anima diſponitur ad deteſtandum *Nihilum* peccati, & amandum *verum eſſe* Optimi Dei. De hiſce extractis ſpiritibus, dum præfati Pocillatores plenis faucibus hauſerunt, vos ſaltem ſorbillate ad guſtum animæ.

Eviſcerarem me, ceu Aranea, ſi longiùs orationis fila protraherem ad capiendum, & condiendum *Nihil*. Bene, optimè vobis conducat hic conditus Ruſticulæ fimus, hoc multiplex *NIHILI* condimentum, hæc ſpirituoſa potitatio. Si vobis videar dixiſſe *Nihil*, dixiſſe tamen volui; & ſi non præſtiti *aliquid*, juvat ſaltem præſtitiſſe *Nihil*; ultra quod aliæ cupediæ non, *STANT NISI VOTA SVPER*. Am.

DO-

POST PENTECOSTEN.

GRYPHS ARRIPIENS.

Der angriffige Greyff.

LEMMA.

Vnguibus hamatis, roſtróque immanis adunco. Virg. l. 6. Æneid.

THEMA:

Qui dixerit fratri ſuo, racha; reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue; reus erit gehennæ ignis. Matth. 5. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS XXXIX.

Ne fiant homines lupi, nec fratres fratribus Gryphes, ſummè abſtinendum eſt à puncturis, calumnijs, improperijs & cavillationibus.

368. Gryphum natura & conditio.

GRyphem habet India quadrupedem volucrem, robuſtiſſimis & recurvis unguibus, dorſo nigrum, priore parte rubrum, albicantibus alis, ore aquilino, igneis oculis; difficilem captu, niſi rapiatur pullus aut involucer. Nidificat in altis montibus. Congreditur cuivis ferè animali, equis maximè infeſtus. Aurum fodit apud Bactrianos in deſertis locis. Nidos ex eo ſibi texit, & propè accedentes abigit. (Ælianus l. 4. animal. c. 27.) Quocirca aurum venari ſtudentes, mille aut bis mille armati eò perveniunt, ſimúlque ligones & ſaccos afferunt, ſilentem Lunam obſervantes. Quòd ſi Gryphes fallant, duplicem commoditatem aſſequuntur, quòd & eorum vita ab atrocitate ſervetur, & ſimul aurum domũ avehant; purgatóq; auri ſcorio pro periculis ingentes opes comparent: ſi verò in furto deprehendantur, perierunt. Cùm ſemel eò profecti ſunt, non niſi triennij aut quadriennij intervallo revertuntur.

Mira & penè incredibilia addit Aldrovãdus, quòd ſcilicet unicus Gryphs (Aldrovand. de Gryphe.) & magnitudine, & corporis robore octo etiam leones centúmque aquilas ſuperet, utpote qui vel equum unacum inſidente equite, vel binos etiã conjunctos boves, unguibus ſuis, qui boum cornibus multò longiores ſunt, & ex quibus incolæ cyathos conficiunt, abripiens, è viâ in nidum ſuum importet. Quidquid de fabuloſâ Gryphum exiſtentiâ multi diſputent Ornithologi, eos in rerum naturâ dari, certum eſſe debet ex Levitico, (Levitic. 11. v. 13.) prohibente Gryphes manducari. *Hæc ſunt, quæ de avibus comedere non debetis, & vitanda ſunt vobis, aquilam, & Gryphem, & halietum.* Vbi Cornelius à Lapide id quod certius eſt, determinat, intelligendo ſub Gryphe [Aquilæ genus maximum, quod maximè aduncum habet roſtrum & ungues, éſtque fortiſſimum & rapaciſſimum:] adeóque avis valde magna, *VNGVIBVS ET ROSTRO ATQVE ALIS ARMATVS IN HOSTEM*, quæ omnibus reliquis, corporis vaſtitate, audaciâ & fe-

& feritate terrorem incutiat: *Unguibus hamatis, roſtróque immanis adunco.* Et quid de Gryphibus ſollicitamur, quando in hodierno Evangelio tales exhibentur Gryphes, qui unguibus & roſtris penetrant usque ad diviſionem animæ, ac medullas cordis lancinant? ij nempe, qui fratri ſuo proximo, contumelias, injurias, improperia, criſes, puncturas, cavillationes & maledicta offundunt, dicendo *racha*, vel *fatue*. Deſideratisne videre hujusmodi Gryphũ immanem crudelitatem? Ecce eam vobis hodie varijs exhibebo argumentis, in nomine Domini.

369. *Qui dixerit fratri ſuo, Racha.* Teſtatur Raſis apud Geſnerum, quòd *Aucha* ſit avis eximiæ magnitudinis, de cujus pennis conficiantur pharetræ pro ſagittis; de unguibus poeula, libandis vinis aptiſſima. Et fortè hæc ipſa eſt avis, apud Geſnerum alio loco *Ruch* appellata, atque ultra Inſulas Madagaſcar reperta, tantæ magnitudinis, ut pennarum calami duodecim adæquent longitudine pedes; tantæque fortitudinis, ut ſola poſſit immanem arripere Elephantem, tollere, abducere, dilacerare, paucíſque bolis pro juſta refectione deglutire. Conveniunt etiam cum Ornithologis Philoſophi plures, in Æthiopiâ aliisque Mediterraneis plagis pabulari beſtias exoticæ magnitudinis; & quidem varias aves tam fortes, ut bovem vel equum valeant ad ſuos nidos pro pullorum eſcâ deportare. De Gryphibus illud obſervant Vollateranus & Philoſtratus, quòd licet omnia reliqua animantia feritate ſuâ ſuperent, Tigridi tamen vim inferre haud poſſint, utpote nimis agiliter declinanti. Non poteſt, AA. tanta ex Naturaliſtis enumerari Gryphum crudelitas, quantam in ſemetipſo patitur, quisquis à proximo ſuo improperijs, & injurioſis punctutis laceſſitur. Quod cùm juxta Cæſareas Leges, *verbo, ſcripto & facto* contingere poſſit, acerrimè tamen cordolium irritatur, ſi honeſto viro aut ingenuæ Perſonæ immittantur amaricantium puncturarum ungues, & roſtra cavillantium verborum; quêis proximo vel improperantur errata, vel imponuntur conficta, vel fama corrumpitur, vel honor invaditur, vel animus in amaritudines diſſipatur. Nemo eſt, qui non graves intra ſeſe ſuſtineat inquietudines, excitet odia, ad verſos impellat affectus, opportunas meditetur vindictas, vel turbatos protrahat motus, ſi eum *Unguibus hamatis roſtróque immanis adunco* invaſerit inſidiator: rarus ille Tigris, tam agilis in declinando, in mente tam compoſitus, in ſenſu tam perfectus, ut improperia & puncturas non doleat, non ſentiat, non graviſſimè ferat, ſuſcipiat, averſetur.

Gryphis & improperijs crudelitas.

Geſnerus in Gryphe.

L. item apud Labeonem §. 1. ff. de injurijs.

Sapientiſſimus ille Rex ſummopere conabatur inter ſuos conſervare humanam ſocietatem, quæ ſine placido converſationis officio in truculentas redigitur ferocias: & quia convitia diſſipant affectuum unitatem, ex corde pullulantium, cordolium iſtud diſvadere voluit: *Pungens oculum deducit lachrymas; & qui pungit cor, profert ſenſum.* Nobilis comparatio cordis cum oculis, oculorum cum corde: utrumque enim eſt præſtantiſſimum hominis membrum, tenerrimum ac ſenſibiliſſimum; & ſicut oculus eſt ſedes lachrymarum, ita cor eſt ſedes paſſionum & affectionum animi, quas maximè per oculos oſtendit. Quod eſt oculus in capite, idem eſt cor in pectore; adeóq; ſicut oculus eſt quaſi cor capitis & ſenſuum exteriorum, ſic viciſſim cor eſt quaſi oculus pectoris & ſenſuum interiorum. *Pungens oculos, deducit lachrymas; & qui pungit cor, profert ſenſum.* Hoc eſt. Sicut oculus, dum pungitur, oſtendit ſe hanc puncturam ſentire & dolere, húncque ſuũ ſenſum & dolorem teſtatur per lachrymas, quas velut ſui indices emittit atq; profundit: ita ſimiliter, *qui pungit cor*, id eſt, mentem, minando, laudando, terrendo, interrogando, agitando, vexando, objecta amoris vel odij proponendo, hic *profert ſenſum*; id eſt, affectus iræ, lætitiæ, timoris, pruritat & prodi facit, ut illi ſe has minas, laudes, terrores, vexatiões, puncturas, ſentire per ſigna externa ſignificent. 370.

Punctura cordis quàm doloroſa.

Eccli 22. v. 24.

Ita planè; ſicut oculus, qui tener, illicò in punctura ſuũ dolorem per lachrymas ſignificat, ita cor ſuam in puncturâ ſenſationem per affectus internos & externos manifeſtat. Sed quî cor pungatur, & homo non omnino expirer? Enimverò Medicorum eſt obſervatio, quòd corde hominis vel modicum iancinato aut puncturato, protinus deſinat ſenſus, & abeat anima: cùm omnia corporis membra, nervi, venæ, cartilagines, oſſa poſſint affectu quopiam affligi, ſolum cor intactum eſſe debet. Hinc in hydropico protinus deſinit ſpirare vita, quamprimùm tumeſcens humor cor attigerit: cor enim fons vitæ eſt; primum in homine ſpirat, poſtremum, quod expirat: unde antequam morbus cor oppugnaverit, ſenſus deficiunt. Quid ergo ait Eccleſiaſticus? *qui pungit cor, profert ſenſum?* Paulus à Palatio enodat „quæſtionẽ ſic. [Vis cognoſcere, qua„li ſenſu quilibet eſt? Punge cor ejus, „illum aliquo verbo exſtimula, aliquâ „injuriâ vel moleſtiâ affice. Vt enim „naturale eſt, oculo puncto lachrymas „proferre, ita cordi puncto ſui ſpeci„men & indicium producere. Facilè „abſcondas cor tuum, ſi tibi detur co„gitandi locus: at ſi ſubitò pungaris, „ſubitò proferes, quis ſis; ſcilicet man„ſvetus, patiens, humilis, aut econtra.] Mens hominis tenera profectò eſt, & delicatè ſentit puncturas, penetrantes cor usq; ad medullas animæ, & diviſionem ſpiritûs. Dolor in carne ex diviſione partiũ unitarũ provenit, ſi vulnus inferatur; ſæpiùs tamen contingit, ut ex fervore vel furore, ut etiam ex ſtupore nullus ſentiatur dolor: quin & inflicta plaga oleo, aut emplaſtro redintegratur. At verò puncturæ cordis vulnerant, ſed non cruentant. Sæpenumero inveniri licet cor tam ingenuum, quod hujusmodi incruenta vulnera ſentiens exclamet: Ah! quàm ægrè hanc injuriam ſuſtineo! quantùm de illato improperio doleo! maluiſſem excipere alapam, impingere in pugionem, armum corporis deperdere, lethaliter ſauciari, quàm acerbis puncturis ad tantum doloris fremitum exagitari. Vlceroſa ſunt vulnera cordis, quæ difficulter ampliùs oleo reconciliationis, aut emplaſtro Chriſtianæ dilectionis poſſunt redintegrari. Nulla oblivio, nulla temporum mutatio cicatricem amovebit. Morſus eſt capræ, arbori impactus, qui juxta Novarrinum, nullâ arte vel remedio coaleſcet. Rectè, ſapientiſſimè: *qui pungit cor, profert ſenſum.*

Alexander Aphrodiſæus l. 2. probl. 124.

Paulus à Palatio ſuper Eccleſ.

Novarrinus lib. 3. ſac. ſell. n. 115.

371. Conſiderationes appoſitiſsimas producit Theophilus Raynaudus, noſtro ævo clariſsimus, in Triade Fortium; ubi plura diſſerens de mellificatione Apum, in laudes melliflui S. Bernardi relatâ, tandem hortatur, ut tametſi in omnibus aliis apẽ imitemur, in pungendo tamẽ ab apis aculeo caveamus. Omnino non ſimus, quod fuci ignavi, & à præſepibus arcendi: nec ſimus veſpæ, quæ quidẽ favos faciunt, ſed improbatos ac degeneres: nec ſimus crabrones, ſolâ nocendi pertinaciâ & aculei virulentiâ nobiles: ſed neq; Apes etiam omni ex parte eſſe debemus (ſi tamen æqua ſit à Gryphibus ad Apes deductio.) Infigit apis aculeum, pungit, penetrat, ſed vulneri ſuo „immoritur. [Habet ſpiculum ſuum, „& inter mella fundit venenum, ſi „fuerit laceſsita; animámque ponit in „vulnere, ardore vindictæ,] ut D. Ambroſius obſervavit. En imago avidè meditantis ultionem! qualem proinde Divus Chryſoſtomus ex hoc ex„emplo ita affatur. [Nõne vides Apẽ, „quemadmodum immoritur aculeo? „Per illud animal nos docet Deus, ne „proximos afficiamus triſtitiâ. Ipſi „namq; priùs mortem excipimus. Et „illos quidẽ fortè paululum lædimus; „nos autem non ampliùs vivemus, „quemadmodum nec illud animal. Et „ſi laudat illud Scriptura, quòd ope„rarium ſit, aſſerens, *cujus opus Reges, & „privati ad ſanitatem offerunt*; nihilo „tamen ipſi prodeſt ne moriatur, „ſed omnino moriatur eſt opus. „Ergò ſi illam non liberat malefa„cientem in reliquis præſtantia, mul„tò minùs nos.] Ita apis pungendo moritur, & convitioſus ſuo aculeo in animâ interimitur. Sanctus Gregorius

Apis dum pungit, moritur.

Raynaudus in Heg. Fort. fol. 115.

S. Ambr. l. 5. hexam. c. 21.

S. Chryſoſt. hom. 66. ad popul.

rius hanc Apum aculeationem ſcitè ad mordaces refert convitiatores & ſuſurrones.

S. Gregorius hom. 11. in Ezech.

Apes, inquit, *in ore mel habent, in aculeo vulnus: & omnes qui linguâ blandiuntur, ſed latenter ex malitiâ feriunt, apes ſunt; quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, ſed occultè feriendo vulnus inferunt.* Imò, quod Apibus proprium eſt, mordaces punctura proferens, *ANIMAM IN VVLNERE PONIT*; juxta metaphoram à Virgilio inſinuatam.

Georg. 4. v. 236.

Illis ira modum ſupra eſt, & læſa venenum
Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinquunt
Affixa venis, ANIMASQVE IN VVLNERE PONVNT.

Sic Apis ſuæ animæ prodiga, *DVM FERIT, PERIT.*

Hugo Card. in c. 18. Eccleſiaſt.

Et juxta Hugonem Cardinalem, de injurioſis ac pernicioſis punctoribus loquentem, *Plus ſibi nocent, quàm alÿs: quia cùm alios vulnerant & ſagittant, ſeipſos gladio peccati occidunt.* Et veriſſimum eſt illud

S. Proſper in Epigram.

S. Proſperi carmen.

Nam quicunque alium molitur lædere, primum
Ipſum ſe jaculo percutiet proprio.

Aliud longè præſtantius ſymbolum palponum, eſt Apis: nam & hi ore mel præferunt, ſed aculeis pungunt; collaudant præſentem, & palàm demulcent, abſentem pungunt, & ſpiculis obtrectationum clam figunt.

Petrus Dam. l. 2. Ep. 9.

Psal. 117. v. 12.

In quam rem concinnè diſſerens Petrus Damiani ait, id eſſe, quod expoſtulabat S. David, *circumdederunt me ſicut apes.* „Eò item accommodat. [Quòd „Iſraëlitæ, dum ire per deſertum ad „terram Promiſſionis properant, „priùs caſtra metati ſunt, ſicut ve„tus habet editio, in Gaï; deinde „veniunt in Dibongad. Gaï nimirum „interpretatur *Cahos.* Et quid per „cahos niſi cor intelligitur hominum „perverſorum, obſcurum, tetrum, „atque profundum? *Pravum eſt enim „cor hominis & inſcrutabile, & quis ho„minum cognoſcit illud?* Dibongad ta„men ſignificat Apiarium tentatio„num. Poſt chaos itaque ad Apia„rium pervenitur, quia poſtquam cor „obſcurum, doloſum atq; profundũ, „more chai, caligo malitiæ ac fraudis „obtenebrat, ad hoc etiam quandoq; „per iniquitatis augmenta progredi„tur, ut proximos quoſque, velut apes, „& præſentes aſſentationis melle de„mulceant, & abſentes obtrectatio„num aculeis pungant. De Gaï ergo „in Dibongad, de chao venitur ad „Apiarium; quia de fraudulentâ ma„litiâ tenebroſi cordis pravus quiſ„que progreditur ad infligenda ſpi„cula detractionis.]

Clemens Rom.

Clemens Romanus & maledicum & convitiatorem api confert, & aliam adducit analogiæ illius rationem, ſic admonens. [Si pax ad illos rurſus redit, qui eam præmiſerunt; quia non reperit, qui eâ eſſent digni: multò magis maledictio in caput ejus, qui iniquè eam jecit, revertitur; quia is, in quem jacta eſt, non ſit eâ dignus. Quiſquis enim ſine cauſa convitium facit, ſibi maledicit; ut Salomon ait: *Sicut aves volant & paſſeres, ſic maledictio vana non abibit in nihilum.* Et rurſus ait: *Qui convitia inferunt, imprudentiſſimi ſunt.* Vt autem Apis infirmis viribus prædita, poſtquam pupugerit, aculeum amittit, ſteriliſque efficitur; ſic vos, quam injuriam alijs feceritis, hanc vobis facietis: *Lacum aperuit, & effodit eum: incidit in foveam, quam fecit.*] In tantùm aculeus Apum & ſibi, & alteri officit pungendo.

Sed ab Apibus ad Gryphes revertamur, & à minori ad majus argumentemur. 372.

Puncturarum periculoſa caſtigatio.

Quòd ſi enim leves puncturæ & convitia minùs profunda, juxta Paulinum, *importuno vacui culicis murmuri*; juxta Pindarum, *vulpium gannitui*; juxta Chryſoſtomum, *muſcarum bombo, & ſcarabæorum ſonitui* comparantur? Quod ſi Apum aculeus non niſi propriæ mortis pretio infigitur? quid erit ſentiendum de ijs, qui per convitia, improperia, calumnias & puncturas magni Gryphes eſſe volunt, & Mithritadis more venenis victitare? quid de illis, qui in famam, honorem, & virtutes proximi roſtro

adunco ſæviunt, & hamatis unguibus invehunt? quid de ijs, qui omnes ex tonſorum officinis cotes, ex choreis temulentorum bolos, ex garrulorum diffamationibus mendacia, ex hæreticorum pravitatibus errores, ex invidorum inſidijs laqueos, ex relationibus otioſorum dolos colligunt, ut pro ſuâ malitiâ ſibi arma fabricent, ungues acuant, crudeliter ſæviant, & uſque ad cordis medirullium ſuos hamos immittant? *Qui pungit cor, profert ſenſum.* Quid non malorum in orbem humanum induxerunt hamati ungues, aduncáque roſtra? quas amicitias non diſſipârunt? quas controverſias, & iras non germinârunt? quid non odij, rancoris, ſimultatis & crudelitatis inde proſilivit? quantas clades, excidia, deſolationes, horrores & exterminia invexit unica punctura amarulentior? Nunquid non Athenarum florentiſſima civitas igne ferróq; diviſa eſt, eò quòd Magiſtratus ſupremo Romani Exercitûs Duci Lucio pallorem vultûs improperaret? Contigit, ut Romæ funus deferretur ad tumulum; accedit cavillator, mortuum alloquens: *vade nunc ad Cæſarem, ut tuo nomine ſolvat, quod mihi debes.* Auguſtus, ubi hoc improperium ſibi relatum accepit, cavillatorem uſque ad ultimum terunoium ſolvit, & deinde mactari juſſit, reciprocè jubens occiſo: *vade, dic creditori tuo, te eſſe ſolutum.* Sotades Poëta regi Philadelpho commiſſum adulterium incauto poëmate expoſuit; ſed protinùs pœnam luit plumbeo loculo incluſus, & in mare ſubmerſus. *Sic maledictio vana non abibit in nihilum.*

Eccli. 22. v. 24.

Suetonius in vita Auguſti.

373. Calumniarum dura & perennis caſtigatio. In hoc ipſo puncto duo conſideravit manſuetiſſimus Pſaltes: dum enim in Pſalmo centeſimo quarto recapitularet illas terribiles plagas, quibus Deus Pharaonem Ægypti regem afflixit; obſervat pulcherrimè, quòd non gravibus correptionibus, aut verbis impetuoſis regem increpaverit, non duris cavillationibus exagitârit, non convitia objecerit; ſed ſerià præmiſsâ cohortatione plagas ſuas duriſſimas immiſerit: *& non exacerbavit ſermones ſuos.* Exinde in uno ſequentium Pſalmorum reflectit ſe ſuper acerbitate puncturarum; quam graviter abhorrer, ideóque Deum affectuosè precatur: *redime me à calumnijs hominum.* Non horreo paupertatem, humanæ miſeriæ magiſtram; non expaveſco inimicos meos, quos & protectione tuâ, & virtute meâ poſſum vincere; pericula cætera facilè excutio, quæ te duce & directore declinare eſt facile; inſidias & invidias æmulorum aggredior imperterritus, & imperturbatus: at verò ſi quis me improperijs, calumnijs aut puncturis invaderet, vereor, ne ex præcipitatione & vehementia exardeſcentis paſſionis vindicarem malum, invaſorem repellerem aut omnino occiderem, & tua mandata violarem: quapropter rogo te, ô Deus, *redime me à calumnijs hominū, ut cuſtodiam mandata tua.* Quippe ut D. Ambroſius loquitur: *Qui opprimitur calumniâ, non facilè poteſt cuſtodire mandata divina; triſtitia neceſſe eſt plerumque aut timori cedat.* Difficile eſt, incedere inter ſenticetum, nec tamen puncturis lancinari: durum, fovere ignem in ſinu, nec tamen ſentire calorem: incredibile, plagam ſuſtinere, nec tamen ſenſatione affici. Cur David à calumnijs redimi expetiverit, aut præviâ didicit experientiâ, aut ſpiritu Prophetico præſenſit illum calumniarum grandinem, quo à mordaci quondã Impoſtore excipiendus erat. Cùm enim à ſeditioſi filij ſui Abſolonis è regni Metropoli fugeret, & in amariſſimas profuſus lachrymas, diſcooperto capite, ad clivum Oliveti, nudipes unacum exiguo ſuo comitatu præteriens per villam Bahurim fugeret; quidam Semei ex defuncti Regis Saulis familia relictus cognatus, acriter contra fugientem ſurrexit, eique *maledixit maledictione peſſimâ*, & ut Septuaginta legunt, *maledictione doloroſâ*; utpote quòd graviter ſentiret, ſceptrum Juda à domo Saulis ad paſtorem Davidem fuiſſe devolutum. Obſervant Rabbinorum doctiſſimi, quòd Semei quinq; doloroſiſſimas puncturas fugitivo regi improperaverit, Primò;

Pſal. 104. v. 28.

Pſal. 118. v. 134.

S. Ambroſ. ſerm. 15.

3. Reg. 2. v. 8.

Primò: ecquid hic Moabita, pauper, mendicus, proſapiam ſuam trahens ex Ruth Moabitite, quæ nec bucellam habuit, quo miſera veſceretur! Secundò: tales nimirum pœnas meruit comiſſum adulterium, cum ingẽti ſcandalo toti Regno notificatum! Tertiò: prôh homicidam, qui iñocentem Vriam callido mandato expoſuit fronti agminis, ut ictus intereat! Quartò: deſpecte & leproſe, ut quid conſcendiſti thronum Iſraël! Quintò: opprobrium gentis noſtræ, dignè eijceris Regno, quod impiè & tyrannicè invaſiſti! Hæc ſunt improperia, quæ Semei *Unguibus hamatis roſtróque immanis adunco*, fugienti obiecit Davidi: hæc illa doloroſa maledictio, quam nunquam ampliùs Rex poterat heroico ſuo ſtomacho digerere; ita ut licèt moriturus omnibus ſuis inimicis dimiſerit noxas, Salomoni tamen filio ſuo ſucceſſori præceperit, ut illatas olim calumnias in Semeio authore vindicaret. Quid hoc, generoſiſſimè Rex; qui ad totius mundi obſtupeſcentiam innumeras injurias fortiſſimo animo ſuſtinuiſti? tu qui omnis manſvetudinis tuæ DEUM in teſtem advocaſti? tu, qui ſupremum Arbi- *Pſal. 7. v. 5.* trum conteſtatus es: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidã merito ab inimicis meis inanis!* Et quomodo hanc vindictam tuo filio legas contra maledicum Semeium? Nempe, tametſi generoſiſſimus Rex per reliquam vitam ſuam ſemetipſum fortiſſimè vinceret, quominus in juſtam vindictam prorumperet contra calumniatorem; tam doloroſam tamen cordis amaritudinem contra Semeium concepit, ut judicârit, calumnias illatas adhuc à poſteris ſuis in Semeio & poſteris eius eſſe vindicandas. Ita verè, *qui opprimitur calumniâ, non facilè poteſt cuſtodire mandata Divina.* Et rarò non calumniæ conturbant ſapientem.

374. *Puncturas ampliùs Christus ferre non potuit.* A Davide ad Chriſtum Crucifixum me converto quàm devotiſſimè ſciſcitando, quidnã eſt, patientiſſime Domine, quod omnium maximè te in Crucis ſupplicio afflixit? quid illud tormenti genus, quod tibi cordolium ſummoperè exacerbavit? Nunc quidem in hoc amariſſimæ Paſſionis tuæ theatro acutiſſimè perſentiſcis illud, quod olim de ſe Propheta amariſſimè ingemiſcebat: *ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* *Pſal. 68. v. 27.* Et quidnam illud, quod omnem plagarum amaritudinem acerbitate ſuâ ſuperavit? S. Leo *S. Leo ſer. 1. de Paſſ.* Papa appoſitam reddit ſuperadditi doloris congruentiam: *Fixuris clavorum addiderunt tela linguarum.* Quænam illa tela? Vtique ex Gryphum unguibus, aut roſtris fabricata. Scilicet in re expertus eſt Chriſtus, quod Hippocrates Medicorum Princeps in ſuis *Hippocrates l. 6. aph. 40.* Aphoriſmis pronuntiavit: *Duobus doloribus ſimul infeſtantibus, vehementior alterum obſcurat.* Duo acuti dolores ſimul coagebant in eadem Paſſionis cataſtrophe; nempe doloroſa vulnera in flagellatione inflicta, & doloroſi morſus in proceſſu impoſiti; puncturæ clavorum, & puncturæ calumniarum; plagæ ſpinarum, & plagæ linguarum; criſes humorum, & criſes inimicorum. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt* tela linguarum; ita quidem, ut doloroſa vulnera flagellationis ſuperarent doloroſi morſus cavillationis, puncturas clavorum obſcurarent puncturæ calumniarum, plagas ſpinarum ſuperarent plagæ linguarum, criſes humorum ſupprimerent criſes inimicorum. Hinc affectuoſè obſervat S. Matthæus Evangeliſta, quòd Chriſtus in ſilentij & patientiæ ænigmate omnes pœnas, plagas, confuſiones, vulnera, dolores, ictus, ſupplicia æquiſſimè ſuſtinuerit: *Et non reſpondit ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer.* *Mat. 27. v. 14.* At verò dum in illa extremâ luctâ afflictus penderet, & in aures ſuas ſuſciperet deberet improperia improperantium: *Vah! qui deſtruis templum DEI, & in triduo readificas illud. Si filius DEI eſt, deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei. Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvare;* & hujuſmodi. Tum primùm commota ſunt viſcera ejus, & tactus intrinſecus dolore cordis, inter acerbitates & pallores, lamentabiliſſimè ad cœleſtem ſuum Patrem exclamat:

Matth 27. v. 46. *DEVS meus, DEVS meus, ut quid dereliquiſti me?* Hominem conqueri de homine, vulgare eſt: aliquem conqueri de ſeipſo, uſitatum eſt. Deum verò conqueri de Deo, Filium de Patre, & talem Filiũ de tali Patre, & tunc dum moritur, & ſic moritur, *factus Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, ſacramentum eſt, quis explicabit? myſterium eſt, quis capiet? Convertebat Chriſtus undiq; & undique moribundos oculos, ut videret, ſi eſſet, qui eum conſolaretur. Vertit ſe ad Matrẽ: at illa triſtabatur usque ad mortem. Ad Apoſtolos: at illi fugerunt. Ad ſolem: at hic obſcuratus eſt. Ad Angelos; at iſti flebant. Et has quidem omnes ærumnas, plagas & miſerias fortiſſimo animo ſufferebat. At verò ubi blaſphemantes Judæos, irridentes Sacerdores, improperantes milites, & convitiantes audivir Phariſæos, tum primũ vehementior dolor omnes reliquos obſcurabat; ita ut præ amaritudine cordis impetum doloris ferre amplius haud poſſet, ſed validè ad cœleſtem Patrem exclamaret; *ut quid me dereliquiſti?*

375. Puncturis per puncturas obviatur. Sed verò ad aliud tranſeo convitiorum argumentum, non tam à Gryphibus, quàm à Gryphone quodam deſumptum, cujus in Annalibus Boicis frequentior occurrit mentio. Is Caroli Martelli, Regis Francorum filius, Carolomanni ac Pipini Germanus frater, quòd turbulento eſſet ingenio, omni paternæ hæreditatis jure privabatur, ſuámque fortunam ſolâ fratrum benevolentiâ nitentem graviter ferebat. Hinc varia arripuit media, & collecto confeſtim exercitu Laudunum invaſit; ſed verò à fratribus advolantibus Lauduni hærens confeſtim cinctus, clauſus, ac cuſtodiæ mancipatus eſt. *Annales Boici Anno 798. apud Brunnerum.* Irruptiones hujusmodi varias tentavit, & nunc contra Pipinum Gallorum Regem concitavit Saxones; nunc Bavariam ſubitò invaſit; nunc Vtilonem irritavit: ſed verò quotiescunq; Grypho infauſta arripuit arma, toties paſſus eſt infamem repulſam: ordinariè Grypho retorſiones puncturis recepit.

Necdum extincti ſunt Gryphones; quorum obvia copia turbulento impetu nunc caſtrum vitæ munitiſſimum, hoc eſt, cor; nunc famæ ſanctuarium diviniſſimum; nunc mentis firmiſſimum dicaſterium invadit, acerrimè improperat, mordaciter pungit, crudeliter tangit, & odioſiſſimè perturbat: ita ut præ doloris ſenſu haud mirum eſſet, ſi oſſa contabeſcerent, genæ pallerent, ſpiritus vitales deficerent, & animi magnanimitas velut cera ad ignem colliqueſceret. Sed verò ſicut Grypho ille turbulentus pro ſuis irruptionibus recepit diruptiones (Greiff wider Greiff;) ſic ægrè ne tuleris, ſi è Gryphonum numero pro tuis convitijs pari pretio ſolvaris. Juſtiſſima enim pœna talionis eſt, ut ij qui præſumptâ temeritate alios ludunt, illudantur; qui pungunt, lancinentur; qui rodunt, mordeantur; & qui deſpiciunt, contemnantur. Sic Atticus quidam cavillabat Anacharſin, quòd eſſet otiundus de viliſſimâ Patriâ, ſcilicet barbarus Scytha; at verò dextrè reponebat Anacharſis: *mihi quidem probro eſt Patria, ſed tu patriæ.* Androchychas, eò quòd claudicaret, & claudicando ad prælium properaret, acutè à quibusdã ridebatur; at verò is contra eludit: *mihi quidem pugnare propoſitũ eſt, vobis autem fugere.* Hermodius improperabat Iphicrati ſuæ ſtirpis vilitatem; at ille ingenioſè retorquet: *mei generis nobilitas à me incipit, tua autem in te deſinit.* Quidam antiquâ nobilitate illuſtris, ſed valdè pauper, critiſabat alium à mercantiâ ad nobilitatem nuper evectum: *Vah! quàm malè redolent ſacci piperum!* At verò reponit alter: *non ſic Domine, nolite decipi; neque enim ſacci piperum malè redolent, ſed centones mendicorum.* Ad menſam Principis quidam naſutus Medicum cavillaturus interrogat, quæſo, Excellentiſſime Domine Doctor, quanto ſpatio inter ſeſe diſtant Doctor & ſtultus; at ille ingenioſè & argutè reponit, tanto ſpatio ſtultus diſſidet à Doctore, quanto Dominus à me diſſidet. Sic rectè communi Proverbio dicitur: *Qui dicit, quæ non debet; quæ non vult,*

audiat

audiat ipſe. Die ſagen / was ſie nit ſollen; Müſſen hören / was ſie nit wollen. Neque ægrè ſuſtineas, ſi reſpondeatur ſtulto juxta ſtultitiam ſuam.

376. *Contra calumnias legum pœnæ.* Venio tandem ad leges, quibus graviter calumniæ ac convitia taxantur. Cæſarea quidem Jura, juxta *L. quod ſenatus conſultum. ff. de injurijs & fam. libell.* calumniam paſſo actionem concedunt non tantùm civilem, ſed etiam criminalem contra calumniantem: & ſi denuntiatus in actione civili non poſſit taxatâ pecuniariâ multâ injuriam recompenſare, indulgent Jura *in ff. eodem titulo. L. ſi quis injuriam*, ut in actione criminali *luat in cute, quod in ære ſolvere non poteſt.* *L. ſi quis injuriam ff. de injurijs.* Quàm abhorreat lex naturæ & ipſemet rectus rationis uſus ab hujusmodi arreptionibus, nullâ indiget inſinuatione. Legis divinæ in hodierno Evangelio promulgatæ gravis eſt textus, terribilis ſententia: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Exiſtimabant Scribæ & Pharifæi, & docebant, quòd lex ſolummodo homicidium actuale & opere exteriori completum prohiberet: hunc errorem volens Chriſtus tanquam Divinus Legislator corrigere, è cathedrâ definivit, quòd inſuper etiam injuria, ira & odium ſint vetita, eò quòd viam ad committendum homicidium pandant. Cùm igitur hoc ſub graviſſimâ pœnâ interdixerit, jure meritò nunc quoque iram „prohibet. [Qui enim in iracundiam „non effertur, inquit D. Chryſoſto„mus, quantò longiùs ab homicidio „abſtinebit? & qui animi indignatio„nem refrænat, quantò magis manus „ſuas innoxias continebit? Radix „quippe homicidij iracundia eſt: qui „igitur radicem abſcindit, multò fa„ciliùs ramos ejus poterit amputare.] *S. Chryſoſtom. hom. 16. in Matth.* *Qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio.* Racha juxta Hugonem interjectio eſt, indignationem ſignificans proferentis: juxta S. Auguſtinum ſignificat vocem vilipendij, & contemptûs: juxta Albertum Magnum eſt ſignum indignationis cum contumelia, ſine criminis impoſitione. *Albertus Mag. ſuper Evang.*

Itaq; ſi ira inſuper eruperit in vocem hujusmodi, quâ fratri ſuo exprobret vitium aliquod aut naturæ aut fortunæ, is majorem pœnam promeretur, ita ut de eo ad ſententiam dandâ poſſit agi inter Judices. *Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Albertus Magnus injuriæ hujus gravitatem hâc conſideratione examinat. „[Non modicus furor eſt, quem DEUS „ſale ſapientiæ condivit, infatuatum „dicere, ut ait Gloſſa: fatuus dicitur, „qui ex deſtituto regimine rationis, „ſapore caret bonorum morum; & „hoc eſt impoſitio magni criminis, „eum impleta voluntate nocendi.] Inter ea bona temporalia, quæ homo maximi facit, honor & exiſtimatio, ſive fama bona, videtur eſſe pretioſiſſima; hæc autem per injuriam valdè denigratur. Vnde Eccleſiaſticus infamiam appellat *flagellum linguæ*: *Eccli. 28. v. 23.* quia flagellum præter percuſsionem ignominiam ſecum & infamiam adfert, cùm ſit proprium mancipiorum, & hominum viliſsimorum abjectiſſimorúmque ſupplicium: unde illi, qui apud Jeremiam affectum quendam iracundiæ valde vindicativum exprimere volebant, dixerunt: *Venite, percutiamus eum linguâ.* *Ierem. 18. v. 18.* Job, cæteroquin prototypon generoſitatis & patientiæ, in omnibus ſuis ærumnis conſtans fuit & patiens, eàsque heroicâ magnanimitate ferebat: at verò quando ludibrijs, & improperijs infeſtari cœpit, nonnihil viſus eſt impatientem ſeſe exhibere. *Vſquequò affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus?* *Iob. 19. v. 2.* Vlcera quidem corpus perforabant, at verò improperia usque ad animam penetrârunt: nam ut Origenes ait, *ſæpenumero qui corporis cruciamenta toleravit, non paſſus eſt verba.* *Origenes.* Itaque pro horum juſtâ caſtigatione gehenna deputatur: *reus erit gehennæ ignis.* Neque enim immanes Gryphes commodiùs capiuntur quàm igne. Referente Raſi apud Geſnerum, *Raſi apud Geſnerum.* ſubmittit venator duos boves jugales plauſtro ſtraminibus onuſto; atque hæc omnia ſimul petræ appoſitæ fortiter alligat; tum ipſe ſpeculatur pro-

pè

pè in cavernâ benè ſecurus advolantem Gryphem; qui poſtquam hamatos ſuos ungues bobus impoſuerit, & prædam auferre tentaverit, ungues ampliùs extrahere, minùs avolare potest: ergo venator retrò accedit, ſtramini ſupponit ignem, & flammis circumquaque fuſis pennas Gryphis ita exurit, ut impotens reddatur ad vires ſuas ampliùs exerendas. Tum venator armis ſuis propiùs tentans, Gryphem totum ſui juris efficit. Subſcribe huic aduſto Gryphi Evangelicum thema, & dic, quòd factus ſit *REUS GEHENNÆ IGNIS.*

Ergo ne pœnis hiſce taxatis temerè ſubijciamur, & per talionis cenſuram ſimili menſurâ caſtigemur, hamatos retrahamus ungues puncturarum, neque immittamus adunca calumniarum roſtra in famam aut tranquillitatem proximi: neque irrideamus *hominem in amaritudine animæ ſuæ*; ne fiant homines hominibus lupi, nec fratres fratribus Gryphes.

Amen.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

AVES GULOSÆ.

Die gefräſſige Luder-Vögel.

LEMMA.

- - - *Eſcarum infinita vorago.* Mant.

THEMA.

Manducaverunt, & ſaturati ſunt. Marci 8. v. 8.

SYNOPSIS CONCIONIS XL.

Pro ſtatuendâ diſciplinâ menſali Avium quarundam guloſitas inſervit, ex quarum objectâ voracitate curculiones addiſcant ſeſe ſobriè ac morigerè exhibere in ſumendis alimentis.

377. Gulæ pretioſitas & luxus damnoſus.

Siccine rerum humanarum moles innititur guloſo gutturi, cui ſingula Elementa facta ſunt tributaria; Terra quidem per pingues ſuos & innumeros fœtus, Aqua per ſuam fluidam dulcedinem, Aër ſubtili ſuâ penetrantiâ, Ignis denique ſuâ calidâ virtute? O brevem Guloſitatis ſenſum, tenuiſsimâ membranâ in faucibus expanſum! ut ſit altare quoddam, ſuper quod ventricolæ Sacrificuli non tantùm *imponant vitulos*, ſed etiam liberaliter libent, quidquid de vite Malueſia uva propinat. Hoc opus, hic labor, ut in hanc aram inferatur, quidquid ſub varijs condimentis vel ſelectum ex volatilibus, vel ex piſcibus pretioſum, vel ex feris diſquiſitum capere poteſt, & abligurire *Eſcarum infinita vorago.* Et hæc belliſsima Guloſorum ſacrificia, ad quæ omnem ſuæ operæ nervum intendit humana indu-

industria. *Meditatiestis*, inquit clariſſimus Petrarcha, *retia & hamos, & viſcum & laqueos, & rapaces volucres imperio parêre & prædari vobis docuiſtis, ad nihil aliud, niſi ut gula ſatisfiat.* Nôrunt ſagenas in mare immittere, extrahere conchas, & miras piſcium ſpecies congregare, *ut gula ſatisfiat.* Pericula ſubeunt perennata claſſibus nauticis, & ex remotiſſimis Molucenſium Inſulis aromata afferunt, *ut gula ſatisfiat.* Montes oberrant, & obſcuros ſylvarum receſſus pro ferarum inſidijs explorant, *ut gula ſatisfiat.* Et tamen, quod Sanctus Innocentius obſervat, *tam brevis eſt gula voluptas, ut ſpatio loci vix ſit quatuor digitorum, ſpatio temporis vix ſit totidem momentorum.* Natura in omnibus circumſpectè profuſa brevem dedit gulam homini, ut paucis contentus alimentis vitam ſobriam duceret, & temperantiæ terminos non violaret. Hodie quatuor millia hominum circiter in deſerto Chriſtum ſecuti ſunt, ut audirent Verbum ejus: triduo jam ſuſtinuerunt famem patienter, & propter inediam periclitabantur, ne deficerent: itaque ſeptem panes (neque enim plures erant præſentes) benedixit, & appoſuit tot hominum millibus ad manducandum; qui propter acutam ſuam orexin *manducaverunt, & ſaturati ſunt.* Ad quæ verba ſe reflectens Paulus de Palatio, inquit: *Saturati ſunt, non ex pretioſis & curioſis, ſed ex modeſtis & neceſſarijs, ſcilicet pane & piſcibus.* Qua ratione etiam Paulus dicebat: *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Solet temperantia quinque potiſſimùm modis quoad ſumenda alimenta violari, quos brevi verſiculo complexus eſt S. Gregorius Magnus: ſi nempe ſumendis cibis, & gulæ indulgeatur *Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudiosè.* Itaque hodie pro ſtatuendâ diſciplinâ menſali nonnullas producam Aves guloſas, quæ edaciſſimis gurgulionibus deſpument ſuas confuſiones, ut earum intemperie objectâ diſcant ſeſe morigerè ac ſobriè exhibere ad menſam, prout Chriſtiana modeſtia atque perfectio exigunt in nomine Domini.

Petrarcha l. 1. dial. 19.

S. Innocentius de contemptu mundi.

Paulus de Palatio ſuper Matthæum.

1. Timoth. 6. v. 8.

S. Gregorius l. 30. moral. c. 17.

378. Non dico, ut more veterum Eremitarum leguminibus duntaxat, radicibus, fructibus & herbis modicè veſcamini: licèt enim infrunita fames etiam hiſce placaretur obſonijs, provida tamen Natura perperam videretur produxiſſe tot genera ciborum, niſi etiam exinde voluiſſet humanæ appetentiæ vel conſulere ad neceſſitatem, vel gratificare ad oblectationem. Illud maximè attendendum eſt, ut hæc dona cœleſtia ita ſobriè traijciamus in ventriculum pro alimentatione vitæ, ne videamur *frui utendis*: alioquin ſi gulosè, ſi intemperanter manducaverimus, corpus noſtrum, quod templum DEI eſſe debet, non tantùm quoad naturalem vitæ ſanitatem corrumpemus, ſed etiam ad turpiſsima quævis vitia diſpoſitum proijciemus. Vbi gravis eſt, & apposita Tertulliani „ſententia. [Monſtrum haberetur „libido ſine gulâ: cùm duo hæc tam „unita atque concreta ſint, ut ſi „diſsjungi omnino potuiſſent, ipſi „priùs ventri pudenda non adhæ„rerent. Specta corpus, & una re„gio eſt: denique pro diſpoſitione „membrorum, ordo vitiorum. Prior „venter, & ſtatim cætera saginæ ſub„ſtructa, laſcivia eſt. Per edacitatem „ſalacitas tranſit.] Inſigniter etiam in hanc rem Porphyrius confirmat ex uſu apud Ægyptios recepto; quem & lepidum eſt adducere, & ſerium „applicare. [Non eſt, inquit, prætermit„tendum, quod obſervari ſolet in no„bilium funeribus condiendis. Nam „privatim ventrē eximentes, in arca „reponunt. Deinde cum reliquis, qui „curam ſuper funere gerunt, versùs „Solem arcā tenentes, teſtes citant. In„terea unus condientium, ſuper fu„nere orationem habet. Eſt autem „oratio hujusmodi; quam Epiphan„tus ex propria locutione græcè inter„pretatus eſt. Sol omnibus imperans, „vóſque reliquæ potentiæ, quæ vitam

Epularum varietas plurimorum vitiorum eſt fomentum.

Tertullianus lib. de jejun. c. 1.

Porphyrius l. 4. de abſtin.

„hominibus largimini, accipite me, „atque ſempiternis Dijs contubernalem me efficite. Ego enim Deos à „genitoribus mihi demonſtratos, „quamdiu in hoc ſæculo vixi, religioſè perſeverando colui: parentes, qui „meum corpus genuerunt, ſemper „honoravi. Reliquorum hominum „occidi neminem. Depoſitum cuiquam neque defraudavi, neque ullum malum deploratum feci. *Si verò dum vivebam, aliquid de ijs, quorum fas non eſt, bibendo aut comedendo à me protervè geſtum fuerit, non per me peccavi, ſed per illa* (indicans „arcam) *quæ hic ſunt ſepoſita.* Atque „ita locutus, in vicinum flumen ar„cam, in qua venter continetur, „deijciunt: reliquum autem cor„pus ut purum medicamine con„diunt. Iſta igitur oratione, quâ „mortui apud DEUM ſe à pecca„tis excuſantes in cibum & potum „culpam reijciunt, opus eſſe puta„verunt.] Quaſi potentes & nobiles, in quorum duntaxat funere uſus ille vigebat, & quorum peculiares ſunt pauperum expilationes per avaritiam atque rapacitatem, non aliâ ex causâ in eas voragines ſcelerum abripiantur, quàm quia ventri & gulæ ſerviunt, abſtinentiæ immemores curculiones. Nempe deliciæ, & epularum varietates, plurimorum vitiorum ſunt fomenta.

379. *Voracitas præpropera diſſvadetur.* *Manducaverunt* hodierni Auditores poſt triduanam auſcultationem in deſerto: fame ſitique fatigati, itineris difficultate exhauſti, aëris intemperie afflicti quærebant primùm Regnum DEI, cætera ſibi tempeſtivè adijcienda ſperabant; prout inexhauſta DEI liberalitas ſuo non defuit officio. *Albertus M. ſuper Matt.* Albertum Magnum hìc audite ex Avicenna ſubinferen„tem. [Homines delectati in Divi„nis, tempus non percipiunt: iſti nec „tempus, nec famem, nec viam per„ceperunt; & ex hoc meruerunt, „quòd Chriſtus pro eis ſollicitus fue„rit: *miſereor ſuper turbam.* Idem fiet „vobis, ſi primò regnum DEI quæ„retis; non enim injuſtus eſt DEUS, ut „obliviſcatur operis veſtri, & dile„ctionis, quam oſtendiſtis in nomi„ne ipſius.] Itaque tempeſtivè cibus ſumendus eſt, non *præproperè*. Reſtauranda Naturæ deficientia opportunè, non *præproperè*: non more Corvorum, qui cum oriente diluculo, antequam crocitationibus ſuis prodeuntis faciem ſolis ſalutent, ſubitò è nidis ſeſe proripiunt, ut vermibus in roris pinguedine refectis inſidientur, & relicta heri cadaverum fercula requirant: non more Piperivoræ (Pfefferfraß) illius Braſſilicæ Picæ, quæ ſicut roſtrum habet ſe toto majus, ita quod de piperum granis in ventrem ampliùs abligurire non poteſt, continuo & feſtinanter ingenti ſuo roſtro excipit, reſervat, & evomit: non more edaciſſimi Lari, qui, quòd totam eſcam ore devoret, Proverbio locum fecit, *Larus hians.* *Præproperè* nimis multi voraces Aſtydamæ cibis inhiant, & mox è lecto prodeuntes, ad quod in ſomnijs erant irritati, de potu, de obſonio, de ferculorum reliquijs clamant: nondum ſigno S. Crucis muniti, nondum modeſtè veſtimentis induti, non ore, non manibus loti, non DEO adhuc per ullas preces conjuncti, ad penu currunt; doliique jugiter manantis liberalitatem exeipiunt, & internum reficiunt Erinaceum, ut novo fundamento poſito ſubſecuturæ commeſſationis auſpicia renovent, & evaporatæ prioris crapulæ vires reſtaurent. Quibus D. Iſaias cœleſti fulgure comminatur: *Væ! qui ſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis.* *Iſa. 5. v. 11.* Porro Plutarchus id jam ſuo ævo malè uſitatum fuiſſe, poſteris „teſtatur. *Plutarchus lib. de præcept. ſalut.* [Vulgus hominum, qui va„cuationis gratiâ implent corpus, & „vice verſâ explendi gratiâ, invitâ „naturâ, evacuant, ingluvie non mi„nùs quàm inanitate torquentur; „imò verò tanquam deliciarum vin„culo gravantur ingluvie; inanita„tem ſemper ut locum voluptatibus „machinantur.] Et Seneca conſolatione ad Helviam ſcribit: *Seneca ad Helviam.* *Vomunt, ut edant;*

edant; edunt, ut vomant. Epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Dixit Sanctus Bernardus, Gulones non aliud facere, quàm *ingerere, digerere, egerere*: hi verò non digerunt, ſed tantùm ingerunt, & egerunt; quare tantum habent fœtoris, & tormenti in egerendo, quantum habent odoris, & voluptatis in ingerendo. An non rectè dixit Diogenes: *Venter vitæ charybdis eſt?* aut certè *Eſcarum infinita vorago.* Optarem potiùs imitationem Alaudæ, quæ priùs canendo aſcendit, & ſuum *tyriliri tyriliri* in laudem & gloriam creatoris Dei perſolvit; tum fatigata ſe demittit in terram, & granum in agro repertum ſobriâ quadam orexi comedit, ut eo recreata ad ſuas eximias cantilenas ſe iterùm poſſit vivaciter elevare, *QVO ALTIVS, EO SVAVIVS.* Regnùm cœlorum primò quærendum; Deo perſolvendæ preces, oblatio, laus, gratiarum actio; negotia humana ad Dei gloriam honeſtè, & timoratè tractanda; labores viriliter aggrediendi: ac tum demum ordinata menſa paranda, ut virtus deficiens reſtauretur, & homo ad functiones ſuas rectè & animosè ſubeundas habilis reddatur.

380. Menſæ apparatus lautè inſtructus. *Manducaverunt.* Non ita immoror præproperis iſtis Abronibus, quin ocyùs properem ad opipara convivia Æſopi, ubi menſa inſtruitur *Lautè*, & apparatus gulæ prodigè deliciatur. Quam menſæ *Lautè* inſtructæ ambitionem ubi ſpectâſſet Clemens Alexandrinus, ampliori deſcriptione conceptam expreſ- (Clemens Alex. 2. pædagog. c. 1.)
„ſit indignationem. [Multi, ne-
„ſcio quâ vanâ gloriâ, frugalem &
„moderatum victum abjurant, &
„transmarinas eſcas anxiè perqui-
„runt. At mihi quidem venit in
„mentem, eorum morbi miſereri:
„Ipſos autem non pudet ſuas de-
„cantare delicias. Cúmque in freto
„ſunt Siculo, murænas anxio & ſollici-
„to animo perquirunt, & Mæandri
„anguillas, & qui in Melo ſunt hædos,
„& qui in Sciatho mugiles, Pelori
„conchas, & Abydenæ oſtrea: nec
„mœnas, quæ ſunt in Lipara, præter-
„mittunt, nec bolum Mantinicum, nec
„betas, quæ ſunt apud Aſcræos; & pe-
„ctines exquirunt Methymnæos, &
„pſeltas Atticas, & turdos Daphnios,
„& caricas Chelidonias, propter quas
„in Græciam cum quinque mille ho-
„minibus infelix Perſa profectus eſt.
„Phaidis aves præterea coëmunt, atta-
„genas Ægyptias, Medicum pavonem.
„Hæc condimentis immutantes, ij,
„qui ſunt gulæ dediti, obſonijs inhiãt:
„quæcunque tellus & profunda pon-
„ti, immensáque alit latitudo aëris,
„ingluviei ea ſuæ comparantes. Vi-
„dentur reverâ hi inſatiabiles, &
„ſolliciti ac noxij ciborum indaga-
„tores, ad delicias & voluptates ſuas
„mundum irretire, ſibilantibus ſarta-
„ginibus undique circumſtrepentes,
„& circa cochlear ac mortarium totã
„ſuam vitam conſumentes, edaces, at-
„que adeò omnivori homines, mate-
„riam ignis inſtar apprehendentes.
„Quin etiam facilem & parabilem ci-
„bum, nempe panẽ effæminant, quod
„frumenti eſt nutriens, excribrantes;
„ut quod eſt alimenti neceſſarium, ſit
„probrum voluptatibus:] potiùs inani gloriæ ſerviat, ex ea profuſione & edẽdi irritationibus exquiſitis captandæ. Hìc mihi deinceps tutè reliqua conſidera, crateras, tripodas, cados, guturnia, lances, innumerabilia poculorum genera, ſcurras, mimos, citharistas, Poëtas, Oratores, cantores, cantatrices, ſaltatores, ſaltatrices, totum denique petulantiæ ludum. Vides, fomitem aut illectamentum profuſionis & oſtentationis ad intemperantiã gulæ ſpectare. Adeò hominum, voluptates undiq; captantium, ingenia ad varias inſidias & dolos reperiendos elaborârunt. *Vt quid perditio hæc?*

In hujusmodi lautiſſimis convivijs non pauci Gnathones prodigas etiam ſuperaddunt perditiones, quæ gulæ videntur ultimam gratiam præſtare. Recentiore memoriâ Auguſtinus Chieſius Trapezita Romanus Leoni X. & univerſo Sacro Collegio, Regúmque & Principum le- 381. Convivia prodigaliter inſtructa quàm iniqua.

 gatis,

Adrianus Iunius l. 4. animadverſ. c. 6. apud Raynaud de virt. & vit. f. 719. gatis, in filij ſui de ſacro fonte per Leonem ſuſceptione, antiquæ profuſionis exemplum inſtauravit, ademto omni modo eduliorum omnis generis ac miſſuum exquiſitiſſimorum. Quin etiam in extremâ menſâ Pſittacorum linguis varias patinas expletis convivis appoſuit. Argenteas lances, pinuces, cæteráque ex argento eſcaria vaſa Captûs inſtrumenta in præterlabentem Tyberim deijci juſſit, quoties ſcenicum illud ferculorum choragium commutandum foret; & ſæpè commutatum eſt. In hiſce lautis & opiparis conviviis multi ſe gerunt ut Onoctotali, ut Lanij non pauci. *Onocrotalus* cruribus, pedibus & colle olorum ſimilitudinem præſefert; nec differre videretur, niſi faucibus ipſis ineſſet alterius uteri genus, appenſum roſtro longo, largo, rubro, acuro & recurvo in fine, Plinius l. 10. c. 47. inſtar hami. Sub roſtro habet veluti ſaculũ protuberantẽ, quem *ingluviem* appellant. Et huc omnia inexplebile animal congerit, mira ut ſit rapacitas: mox perfectâ rapinâ, ſenſim inde in os reddita in verum aluum ruminantis modo defert. Quapropter Plinius l. 10. c. 2. Melanthius, Poëta tragicus inſignis, collum Onocrotali, aut certè gutturtres longum cubitos habere unicè optavit, quo ſic diutiùs dapum ſenſu frueretur. Hinc Onocrotalus in ſymbolum ingluviei pingitur cum piſce in roſtro, & ſtanti ad ripas fluminis adſcribitur lemma: *PARVUS NON SUFFICIT AMNIS.* Dum ſic Ono- Seneca lib. de vita beata c. 11. crotalum conſiderat Seneca, videtur ad inexplebiles crapulones ſuum reflexiſſe diſcurſum: *Aſpice*, inquit, *Nomentanum & Apicium, terrarum ac maris (ut iſti vocant) bona conquirentes, & ſuper menſam recognoſcentes omnium gentium animalia.* Idipſum metricè exponit Juvenalis in Satyricis.

Iuvenal. Sat. 11.

Interea guſtus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretijs obſtantibus; interius ſi
Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.

Lucanus l. 4. Nec abſimili verſu alludit Lucanus, ad exprimendam ingluviei voraginem.

- - - *O prodiga rerum*
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quæſitorum terrâ, pelagóque ciborum
Ambitioſa fames, & lauta gloria menſæ.

De Lanio diſpar quidem, ſed accommoda ratio ad lautam menſæ prodigalitatem adducitur: nam prædis ſuis ordinarijs haud contentus ad ingluviem *Lanius*, quotidie novem alias enecat aviculas, deſultorio quodam modo ſuam voracitatem expleturus; ut meritò ab Ornithologis Novicida (Neuntödter/oder Neunmörder) Geſnerus de Lanio. appelletur, & ab Authore naturæ quotidie novies caduco morbo caſtigetur. Denique utrumvis vitioſum eſt, & cum Onocrotalis *lautè* ac prodigaliter epulari, & cum Lanijs *perniciosè*. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*: Luca 11. v. 41. eo exemplo, quo hodie Christus ſuppetias reliquorum panum colligi mandavit, & ſeptem cophinis pro indigentium neceſſitatibus imminentibus expendi vel reſervari. Poteſt munifica hoſpitalitas, aut frugalis munificentia, etiam in parandis conviviis apud Magnates & divites moderato ſplendore liberalis apparere, ſi abſint vel in deſtructione prodigalitas, vel in ſuperfluorum largitione erga pauperes immiſericordia. Sæpe de menſâ divitum, quod ſubtrahitur pauperi, obijcitur cani. Non poterat aliquando S. Corbinianus Epiſcopus, & hujus Cathedralis Eccleſiæ primus Fundator glorioſiſſimus, dum aſſideret menſæ Grimoaldi, Sereniſſi- Raderus in ejus vitâ Bav. ſancta Annal. mi Bavarorum Ducis, patienter diſſimilando ſuſtinere, panis portionem à Duce de menſa cani præſenti obijci. Graviſſimo zelo indignatus Corbinianus ſuper facto, Chriſtianæ diſciplinæ plurimùm dedecente, Ducem conſtanter arguit, *non eſſe bonum, ſumere panem filiorum, & dare canibus.* Matth. 15. v. 26. Menſam igitur evertit, fercula proijcit, utpote quæ indigna ſint Divinæ Benedictionis cibaria, ſi canibus fiant cum homine communia; nolle ſe

impo-

impoſterum Eccleſiaſticam talis Familiæ curam gerere, nec paſtorali eam officio amplecti, quæ ſacta non tantùm miſceret profanis, ſed etiam canibus objiceret de menſa Domini edulia devoranda. Surgit ergo, & rebus ſuis compendioſè diſpoſitis, ſine morâ Friſingâ diſcedit; nec fuiſſet eò reverſus, niſi Grimoaldus unacum ſuis Aulicis ejus veſtigijs protinus inhæſiſſet, & multis deprecationibus ac pollicitationibus ſacris mitigatum Corbinianum reduxiſſet: quem tamen Pilitrudis, uxor Grimoaldi, Jezabelici genij princeps, omni clandeſtino conatu machinabatur perimendum. Aſſiſtat utinam hic rigoroſus Corbiniani zelus menſis Magnatum, & authoritate dapiferâ domino atque ſervo, diviti atque pauperi, ſuam dividat portionem de lautâ aut prodigâ
Tob. 4. v. 17. dapum gaſtrimargiâ! *Panem tuum cum eſurientibus & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege.* Corvum imitare, qui de menſâ Regum Iſraël panis portionem abſtulit, & ad S. Prophetam Eliam pro juſtâ refectione in eremum deportavit.

382. Voracitas nimia deteſtabilis. *Manducaverunt.* Ad menſam alij properant, quibus ampliores oculi quàm venter; nulla patina ampla ſatis; nulla dapes ſatis proportionata; *Eſcarum* nimia eſt, ſed & *infinita vorago*: dum enim nulla illis portio ſufficit, *nimis* ſunt voraces ſetculorum, quibus non niſi turpiter ſaturantur. Propè accedunt hi ad refectionem juſtam illius magni apud Bactrianos Ruchi, de quo jam nuper meminimus, quòd duos jugales boves rapiat, & pro competente eſcâ ſuæ voracitati prædetur. Sed multò meliùs appellari poſſunt Gulones; ſive hos inter canes, ſive inter volucres numeremus.
Olaus M. l. 18. c. 5. Majolus colloq. 8. Refert Olaus, Gulonem eſſe canem magnitudine prægrandem, capite atque auribus cato perſimilem, vulpinâ caudâ; tantæque voracitatis, ut diſtento, plùs quàm capere poſſit, ventre repleatur, ac ad anguſta properet, ut compreſsâ alvo cibus egeratur, ac celeriùs ad iterandam voracitatem recurrat: idque ſæpiſſimè repetit. Pellis illi perpulchra eſt, varijs figmentis effigiata; tantâque eſt illarum pellium mollities, ut paſſim iis lecti ſternantur. Verùm hoc admirabile contingit cubantibus, VT SOMNIENT, ſe devorare etiam feras. Præterea qui pelles hujusmodi induunt, voraciſſimi quoque ſunt. Geſnerus autem inter Mergos etiam Gulonem numerat, avem voraciſſimam piſcium, & ideo piſcinis habitatione ſuâ pernicioſiſſimam. Vtriusque applicatio opportuna venit. Porro Ariſtoteles hoc nimiæ voracitatis vitium, eſſe dixit *ſervilium ingeniorum* proprium. S. Chryſoſtomus graphicè ejusdem turpitudinem expreſſit ſic. „[Sicut in navibus ſupra modum „oneratis, magna turbatio eſt nautarum, gubernatoris, proretæ, eorum „qui aſcendunt malum, qui ſuperiora quidem projiciunt in mare, quæ „autem inferiora, perdunt. Sic ſanè „& hoc loco: alia ſupernè evomunt, „alia infernè, & ſeipſos corrumpentes „liberantur. Quod ſanè turpiſſimum „eſt, quia ipſum os uſum recipit poſtremarũ partiũ, & fit illis ignominioſius. Si autem in ore tanta turpitudo, cogita, in anima quid? Etenim „illic omnia procellæ, omnia tenebræ, multa rationum confuſio, quæ „apprehendunt, quæ affligunt, linguâ „ipsâ injuriam clamante. Hinc & ipſa „ventris mancipia ſe arguunt, ægrè „ferunt, ſtudent ut internum ſtercus „abijciant; attamen & poſtquam „abjecerint, neque ſic turbatio quieſcit.] Quæ conſpirent ſententiæ Sapientum contra damnoſam voracitatem nimiam, nemine digniùs quàm experientiâ probantur. Juxta Eccleſiaſticum ex Spiritu Sancto loquentem: *In multis eſcis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usq; ad choleram; propter crapulam multi perierunt; qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Similis eſt conſularis Philoſophi parœmia. [Natura paucis, minimisque contenta eſt; cujus ſatietatem ſi ſuperfluis urgere velis, aut injucundum, quod infuderis, fier, aut noxium.] Etiam infra hominem dejicitur, qui ventri ac

Margin notes (right column): Geſnerus in Mergo. — Ariſtot. 3. Eth. c. 10. — S. Chryſoſtom. hom. 16. in Act. — Eccli. 37. v. 31. — Boëtius de conſol. Phil. l. 2.

ac gulæ ſe mancipat. Ita breviter, ſed
Seneca Ep. 60. luculenter, diſcurrentem audi Senecam. [Hos ventri obedientes animalium loco numeremus, non hominũ, quoſdam verò ne animalium quidẽ, ſed mortuorum. Vivit is, qui ſe utitur. Qui verò latitant, & torpent, ſic in domo ſunt, quaſi in conditivo. Horum licèt in limine ipſo nomen marmori inſcribas, mortem ſuam anteceſſerunt.] Omnium graviſſimum eſt,
Tertullianus l. de jejun. contra Pſychicos c. 16. quod Tertullianus in quadam Apologia contra Pſychium adducit, quem abominabilis arguit idololatriæ, nimiâ voracitate commiſſæ. [*DEUS tibi venter eſt*, inquit, *& pulmo templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos coquus, & Sanctus Spiritus nidor, & condimenta chariſmata, & ructus prophetia. Apud te agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet.*] Vos autem, Auditores, non more gulonis cibum capite nimiâ voracitate, ſed frugaliter more Parci (vulgò Gybitz) qui
Geſnerus in vanello. vel ideo à Plinio hoc nomine Parci inſignitur, quòd licet in volatu ſit inquietus, & valde laborioſus, rarò tamen & parcè de eſcis ſumat, & licèt penes aquas nidificet, rarò tamen & *parcè* de aquis bibat. Ex quo proinde medicalis regula ortum traxiſſe videtur: *Parcus veſcendo, parciſſimus eſto bibendo.* Wer wenig trinckt / vnd nit vil iſt / lebt eines ſpatten Todts vergwiſt.

283. *Manducaverunt.* Atque ut cum D.
Menſam comitetur oratio, nec nimis, ardenter evacuetur. Paulo Romanos exhortante addam, *& exarſerunt in deſiderijs ſuis*: adverto enim, quoſdam nimis *ardenter* cibos aſſumere, traijcere, deglutire. Et hoc quidem *ardenter ut Ardea* (vulgò Raiger) quæ cùm clauſum oſtreum aperire non poſſit, deglutit integrum, intúſque retentum tam diu agitat, donec calore apertum ſentiat; tum enim iterum reddit hians, & quod eſui eſt, extrahit. *Ardenter* ut Struthio, quæ lapides, ferrum, chalybes, & quidquid crudi obijcitur, ardenter deglutit, ac quævis *DURISSIMA CONCOQUIT*: nulla hic maſticatio dentibus neceſſaria, nulla digeſtio ventriculo conſueta; quod obvium accidit gutturi, ardenter ſumitur, ardenter traijcitur, ſed ſine utili temperamento digeritur. Optarem potiùs id, quod Chriſtianæ Diſciplinæ competere debet; ut ardentior eſſet menſam antecedens & conſequens oratio, quàm abliguriens exinanitio. Enimverò ad menſam venientibus, in more poſitum fuit etiam inter Ethnicos, ut non niſi præmiſsâ Numinis invocatione menſæ accumberent, eidémque ſumpto cibo gratias agerent. Sic enim Diogenes Pythago- Pythagora l. de ſect.
„ras ſcriptis ſuis reliquit. [Decet in „principio cœnæ & prandij DEUM in„vocare, non quòd precibus ipſe indi„geat, ſed ut animus noſter DEI re„cordatione illuſtretur. Quandoqui„dem enim à Numine deſcendimus, & „eo participamus, Dijnos judicant, & „meritò omnia juſtè nos agere vo„lunt.] Nec Turci quidpiam ſine prævijs factis cæremonijs comedunt; nec Calecutenſes eſcas ſuas attingunt ſine Sacrificulorum præviâ conſecratione; nec olim Hebræi ſine orationibus prævijs, Samuelis mandato, quidpiam comederunt. Una hæc quidem cauſa agnoſcendi beneficium, ut teterrimam ingratitudinis labem evitemus; ne, quod apud Clementem Clemens Alexand. 2. ſtromat. c. 6.
Alexandrinum Sanctus Barnabas ait, videamur ut porci manducare, qui eſurientes clamant, repleti autem non agnoſcunt Dominum. Tamen illa quoque intervenit pij erga Numen officij idonea cauſa; nempe ut homo, memor donum eſſe Numinis, quòd cibi ſuppetant, utatur iiſdem, ut DEI beneficiatium decet: devitatâ ſedulò offenſâ in eorum uſu, ad quem per eã Numinis invocationẽ accingitur. De gratiarum actione poſt menſam ab Ethnicis frequentatâ, locuples teſtis eſt Plutarchus in convivio ſeptem Sa- Plutarchus in convivio 7. Sapientum.
pientum; ubi etiam in eo gratiarum poſt menſam agendarum ritu, libati Muſis, aliiſq; nonnullis talibus Numinibus vini more expreſſit. Certè Moyſes in Deuteronomio præcepit: *poſtquam* Deut. 8. v. 10.
comederis, & ſatiatus fueris, benedicas Domino DEO tuo. Et rectè Divus

Chry-

S. Chryſoſtom. hom. 53. in Matth.

Chryſoſtomus ingratos Chriſtianos, *ardenter* nimis ſine hymno, ſine prece menſæ aſſidentes, increpat. *Audiant, quicunque velut porci ſimpliciter manducantes, cum ebrietate ſurgunt; cùm deceret gratias agere, & in hymnum menſam deſinere.* Ad hunc piæ gratitudinis ritum magis ſtabiliendum in Concilio Moguntino Bonifacius Papa certas indulgentias comprecantibus impertivit. Eò verò rigoris progreſſus eſt Dominicus de S. Geminiano, eximius Juriſta, ut aſſerat peccato mortali obnoxios evadere, qui hymnum gratiatorium poſt menſam conſveviſſent frequenter omittere. Hæc enim beneficiorum eſt retributio divinorum, ut cùm refecti fuerimus, bene nos confiteamur acceptos. Cæterùm ſi accipientes divina munera taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati, & indigni eorum ſubminiſtratione fraudabimur, ut Deum, quem beneficijs non cognovimus, malis ingruentibus requiramus; & adverſis ſtimulemur ad rogandum, qui proſperis gratias non egérimus ad fruendum. Columbas, Gallinas & pleraſque alias Aves hìc præſtat imitari, quæ, quoties guttulam aut granum aſſumunt, fermè ſemper caput elevant, cœlum reſpiciunt, & Deo pro acceptis eſcis ac alimentis gratias referunt; acſi pro eorum ſymbolo ſerviret Lemma ex Pſalmo deſumptum: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Energica eſt Divi Chryſoſtomi cohortatio: *Opus eſt, nos & menſam petentes, & deſiſtentes, DEO gratias agere: menſa namque ab oratione ſumens initium, & in orationem deſinens, nunquam deficiet, ſed fonte largiùs omnia nobis afferet bona.*

Dominicus de S. Geminiano. — *Pſ. 109. v. 7.* — *S. Chryſoſtom. hom. 79. ad populum.*

384\. *Manducaverunt.* Et quidem deliciatuli Gallonij *Studioſè* conantur gulæ blandiri; ut ex omni ferculorum objecto ſelectiora aſſumant, & more anatum ſuis roſtris cunctas patinas diſquirant: ſic dum quilibet eorum *Studioſus gulæ* vult eſſe, meritò ſuis inſcriptionibus inſerat luridum anagrama: *STVDIO GVLÆ SVS.* Seraphicus noſter Doctor Bonaventura paucis complectitur totius guloſitatis ſyſtema. *Ex gulâ, inquit, procedit inordinata delectatio, & hos fructus ſecum habet: ſollicitudinem in quærendo, ſtudioſitatem in præparando, multiplicitatem in diverſificando, voracitatem in ſumendo.* Planè non alius germanus finis aſſumptionis ciborum eſt, quàm alere & delectare: prout frequenter Clementis Pædagogus notat eos, qui tanquam ad viaticum, non tanquam ad nutrimentum edulia reponunt, nec finem comedendi ſpectant, naturæ nimirum ſuſtentationem. Indidem etiam D. Chryſoſtomus eruit telam adversùs nimiam in cibis adminiſtrandis ſtudioſitatem. [Perſtringamus, inquit, cupiditates, quæ ex delicijs, quæ ex pulmentarijs, quæ ex coquis, quæ ex menſarijs, quæ ex farcinatoribus ſuccenduntur: (vereor certè iſta omnia enarrare. Veruntamen dico, nec ſilebo) phaſianos aves, jura fuſim artificio mixta, humidas & ſiccas carnes, leges de iſtorum ordine varias. Nam quaſi Rempubl. gubernantes, aut acies expedientes, ſic quid primùm, quid deinde afferendum ſit, ſanciunt: Et alij quidem piſcibus farcinatas, ſubtili arte contextas, primò offerendas eſſe aſſerunt, alij ab aliis rebus originem cœnæ faciendam contendunt: ita magnum certamen de iſtis committitur. Nam & de qualitate, & de multitudine, & de ordine diſputant: quódque peius eſt, quibus obrui merentur, in his gloriantur. Nam alij usque ad meridiem, alii diem integrum, alii per totam etiam ſequentem noctem, produxiſſe prandia iactant. Conſidera miſerrime hominum, quam venter menſuram flagitat, & pudebit te immoderatiſſimæ atque ineptiſſimæ huius edendi diligentiæ. Quia ſcilicet advertes, te menſuram debitam, & finem cibationis prætergreſſum, qui in eo ſitus eſt, ut corpus convenienti alimento foveatur ac ſervetur, non obruatur.] Certè de Apicio, delicato & ſtudioſo curculione, memorat Athenæus, quòd etiam librum edide-

Studioſitas quæ maximè ſit adhibenda menſæ. — *S. Bonavent. in ſpeculo animæ, c. 8.* — *Clemens in pædagog. l. 2. c. 1.* — *S. Chryſoſtom. hom. 71. in Matth.* — *Athenæus l. 1. c. 1. Dipnoſoph.*

rit

rit de gulæ irritamentis: non enim ſat habuit, principum congiaria & Capitolij vectigal devorâſſe, niſi ſuæ etiam gulæ monumentum poſteris reliquiſſet. Hunc ſibi manus intuliſſe ferunt, cùm ſubductis rationibus ex ſeſtertio millies, † quod in culinam congeſſerat, centies tantùm ‡ ſupereſſe ſibi cognoviſſet. Vt de Nerone aliiſque primæ claſſis gulonibus taceam, quos uno convivio incomparabile pretium ſtudioſè devorâſſe haud ampliùs miramur.

† Alij volunt, quindecies centena aureorum, coronatorum millia.

‡ Id eſt. 250. millia.

Optarem autem, ut ſtudioſitas, quæ
385. vel præparandis vel diſquirendis cibis adhibetur, ad honeſtam aliam & proficuam operationem applicaretur sub menſâ. Scilicet ne animus totus effundatur in cibos, & ut honeſtâ quâdam oblectatione afficiatur, ſuper menſam rectè inducitur ſermonũ ac problematum convivaliũ uſus. Priſca illa conviviorũ ſvavitas ex lepidis ac literatis quæſtionibus, & ſermonibus promanabat; quę deinde poſterorum improbitate mutata eſt in petulantes obſcœnitates, vel relatu indignas. Et verò jucũdiſſimũ eſt, in aliquâ hiſtoriâ verſari; ſine labore ullo paſſim divagari ingenioſo, utili, ac honeſto diſcurſu; omnes ſimul locos intueri, omnibus bellis ſine periculo intereſſe, infinitum temporis ſpatium contrahere, infinitas res geſtas ſimul cognoſcere, quæ ab Aſſyrijs, Ægyptijs, Perſis, Medis & Græcis factæ ſunt. Multò ſapientior eſt, qui extra periculum, hiſtoriæ lectione ſeſe explet. Charybdin videbit, ſed ſine naufragio; Sirenas audiet, ſed ſine vinculis; cum Cyclope aget, ſed miti & pacato. Et ſi eo nomine felix fuiſſe Perſeus judicatur, quòd paſſim alarum vagaretur beneficio, totam terræ naturam, omniáq; intueretur loca: multò levior certè & ſublimior his Perſei alis habenda eſt hiſtoria, quæ paſſim animum circumfert noſtrum, nec nudas ei ſimplicéſque res oſtendit, ſed & hominum & fluviorum origines. Alias tamen ob cauſas (haud dubiè, ne per ciborum ac potionis ingeſtionem efferveſcente corpore lingua impotentior evaderet, & aliquid inconditum aut abſonum funderet) apud pleraſque olim gentes, ſicut nunc in religioſis Familijs receptum eſt, ſilentium arctiſſimum ſuper menſam ſervatum lego apud Origenem, & alios. Et ad quoſvis etiam ſæculares extendi cupit S. Ambroſius.

Lectio & diſcurſus menſalis ſvadetur.

Origen. l. 3. in Iob. S. Ambroſ. ſerm.

„[Non pigeat, inquit, in menſâ aliquid „de Divinis Scripturis legere, ut quo„modo caro paſcitur cibo, ſic anima „reficiatur Dei verbo; & totus homo, id „eſt, exterior, & interior, de ſancto & „ſalubri convivio ſatiatus exurgat. Nã „ſi ſola caro reficitur, & anima Dei „verbo non paſcitur, ancilla ſatiatur, „& domina fame torquetur: & hoc „quàm ſit injuſtum, ſanctitas veſtra „non poteſt ignorare.] Hæc à Chriſtianis præſertim, quibus non vacaverit alio tempore pium aliquid legere, depoſci ab hoc authore, mirum videri non debet; cùm Ethnicos idem ſervare ſit proditum. Sanè Titum Pomponium Atticum, M. Tullium, Caium, Plinium, alióſque Romanorum erudit iſſimos legimus, hujuſmodi anagnoſtas adhibuiſſe, ne vel convivij exiguam moram tranſigerent abſque profectu aliquo eruditionis; idque omnium acroamatum loco habebant, & jucundiſſimum arbitrabantur. Quanto igitur magis id à Chriſtianis Aſcetis, & Dei Familiaribus cum laude & fructu uſurpetur, nemo non videt. Hæc nempe ſtudioſitas ad menſam adhibenda, omnium præſtantiſſima.

Itaque dimiſſis gulonum convivijs, & ſpiritualibus eſcis ſaturati, Imitemur Alaudæ opportunitatem, Corvi liberalitatem, Parci ſobrietatem, Columbæ gratitudinem, Philomelæ ſtudioſitatem: híſque virtutibus exornati tum demum ad propria revertamur, cùm nobis pro complemento intonuerit D. Pauli ad Romanos ſententia: *Non eſt regnum DEI eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Amen.

Rom. 14. v. 17.

DO-

POST PENTECOSTEN.

AVES FALLACES.

Die falſche Ertz-Vögel.

LEMMA.

Cæcis fidit in augurijs. Architren.

THEMA.

Attendite à falſis Prophetis. Matth. 7. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS XLI.

Firma tutela ſalutis eſt, ſcire fallaces Mundi, Carnis, Sathanæ aliorúmque falſorum Prophetarum impoſturas, quas attentis eorum augurijs, contemptísque dolis fugere ac declinare, ſummè ſvadetur.

386. Auguriorum vanitas & mendacium.

QUid hoc audio de vobis, Domini mei ornatiſsimi? Itáne in hac veſtra civitate tolerantur tot Aves fallaces, quæ tam ſubdolè decipiunt, tam aſtutè circumvolant, tam coloratè ſe inſinuant, tam mendaciter concinunt, tam nequiter illudunt? Et quod peius eſt, tam incautè, tam incircumſpectè, tam inconſultè hìc agitur, ut etiam fides adhibeatur fallacibus hiſce, larvatis, ac trifurciferis avibus. Obſervantur earum volatus, celeres, tardi, retrogradi, inflexi, recurvi, transverſi, ſibique diſſimillimi: audiuntur earum cantilenæ, raucæ, frequentes, concitatæ, acutæ, concrepantes, truncatæ, falcatæ: objicitur ijs paſtus, & utrùm avidè, tardè, vel omnino non, objectum hauriant paſtum, anxiè expectatur. Exinde rerum futurarum lugubre, vel fauſtum depromunt augurium; inde averſæ vel ſecundæ fortunæ gratioſum, aut indignabundum ominantur aſpectum; inde prodigium eliciunt inevitabilis fati, casúsque indeclinabilis: & quod his omnibus appenditur indignius, illuſi augurio, confuſi auſpicio cum Cicerone lamentantur: *O mea ſemper fruſtrà veriſſima auguria rerum futurarum!* Cicero 4. Philip. Scitísne, fallacibus hiſce obſervationibus, & ineptis deceptionibus nullam eſſe adhibendam fidem? Quid non in Levitico Levit. 19. v. 26. prohibuit DEUS Iſraëli: *Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia?* Eccle- Eccli. 34. v. 5. ſiaſticus haſce impoſturas ſub vanitatis ſchemate proponit: *Divinatio erroris, & auguria mendacia, & ſomnia malefacientium, vanitas eſt.* Qua enim veritate augures ex avium volatu, garritu aut geſtibus divinent res futuras, victoriam in prælio, imperium in competentiâ, opes in mercaturâ, fertilitatem in agro, decorem in officio, longævitatem in connubio? Juxta Proverbium, *Ridet augur augurem videns*; alter enim alteri corridet, videndo ſtultitiam populi ſibi credentis. His tamen non obſtantibus faſcinata hominum mens *cæcis fidit in augurijs*, pro quibus vel oſcines vel præpetes diſquirit volucres. Au-

dite cautelam hodie vobis tam ſanctè & emphaticè poſitam: *Attendite à falſis Prophetis.* Nempe, ut D. Thomas hìc gloſſatur, *firma tutela ſalutis eſt, ſcire quem fugias.* Nôſtis igitur, rem totam agi de falſis Prophetis, qui hodie ſub ſymbolo fallacium Avium ad aliquot rediguntur turmas, Mundi præſertim, Carnis, & Sathanæ: & ab his fauſtum fortunatúmq; capeſſere augurium, periculoſum erit, vanum & perniciosum; prout ſequenti diſcurſu pronuntiabo.

S. Thomas in Cat.

387. *Attendite à falſis Prophetis*, ſed & à fallacibus Avibus. Inter quas Serinus (hunc vulgus Germanicus Hirngrillen / Italicus *Scartzerini* appellat) primarium vult occupare locum: colore ſubfuluo ac viridi, ſicut & corporis mole acanthidem imitatur; cantilenâ verò admirabili, variabili & delectabili, haud patitur ulli ſeſe oſcini comparari: indefeſſus enim eſt meditando, pulſando, tirilando, canendo, ita ut ſuum penè videatur canendo cerebrum exhaurire. Et quis à tam ſonorâ aviculâ lætabundum haud caperet augurium? O quàm frequens hic Serinus circumvolat! in quantorum virorum cerebris nidificat, & aſſvetas excolit caveas! Mundus hic eſt, vanitate & fallaciâ repletus, qui variegatis ſuis cantilenis & dulciſonis melodijs hujus ſæculi filijs cerebrum movet, fatigat, turbat, exhaurit. Plurimis deſideratam beatioris vitæ promittit diuturnitatem, & repetitis modis accinit illud Evangelici divitis ſolatium: *anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.* Ita ſcilicet magna illecebra delinquendi, eſt rerum affluentia ſecundarum: ſupinat, extollit, oblivionem Auctoris infundit, cerebrum movet & turbat. Sed verò *attendite* falſitatem augurij; im̃ediatè enim vox alia intonat: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem paraſti, cujus erunt?* Non ſolùm tibi non cedent, ſed nec manifeſtum tibi eſt, cujus erunt; utrum hæredis, an peregrini? amici, an inimici? Quod commodavit fortuna, tollet; quod mutuavit natura, repetet; ſola, quod paraverit, virtus retinebit. Pariter Serinus ſuum eviſcerat cerebrum, concinendo illud Jacobi propoſitũ: *Hodie, aut craſtinò ibimus in illam civitatẽ & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus.* Egregiè Seneca narratâ ſubitâ morte Senecionis Cornelij, qui totus divitijs imminens in ipſo procurrentis pecuniæ raptus eſt impetu, „ſubdit. [Inſere nunc Melibæe pi„ros, pone ordine vites. Quàm ſtul„tum eſt, ætatẽ diſponere! Nec craſtino „quidem dominamur. O quanta „dementia eſt, ſpes longa inchoan„tium! Emam, ædificabo, credam, exi„gã, honores geram; tum demũ laſſam „& plenam ſenectutem in otium refe„ram! Omnia mihi crede, etiam felici„bus, dubia ſunt. Nihil ſibi quiſquam „de futuro debet promittere. Id quo„que, quod tenetur, per manus exit: & „ipſam, quam premimus horam, caſus „incîdit.] Mens proba & ſana *cacis* hiſce non *fidat in augurÿs*, ſed attendat à falſis Prophetis. Feſtivè ſiquidem Jacobus interrogat: *Quæ eſt enim vita veſtra. Vapor eſt ad modicum parens: & deinceps exterminabitur.* Ah! laborioſa eſt vita temporalis (ut cum Divo Gregorio loquar) levior fabulis, velocior curſore inſtabilitate fluctuans, imbecillitate nutans: cui nulla eſt fortitudo, nulla propoſiti conſtantia, nulla à turbationibus requies, nulla à laboribus reclinatio. Quis denique eſt, quem non excruciet dolor, ſollicitudo non urgeat, non ſubruat timor? Riſus fletum ſequitur, gaudium triſtitia comitatur.

Mundi fallacia & inconſtantia. Geſnerus de Serino.

Luca 12. v. 19.

Ib. v. 20.

Iacob. 4. v. 13.

Seneca l. 17. epiſt. 102.

Iacob. 4. v. 15.

S. Gregorius proleg. in Pſal. 6. pœnitent.

Favent non paucæ ex Ornithotro- 388.
phio noſtro Aves, à quibus mundi hujus fallax perplexitas, perplexa inconſtantia, ac portentoſa felicitas adornantur. Si vides Parum in ſuo giraculo admodùm fatigari, & conari ad aſcenſum rotando, tandémque fruſtra ſcandendo dicere intra ſe, *ASCENDENS VERTOR AD IMUM:* tunc cogita, hunc eſſe mundanæ Felicitatis ludum; nam Senecâ teſte in Agamemnone.

Mundi fallacia à variis Avibus adumbratur.

Seneca in Agam. act. 2.

Quid-

- - - Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.

Plinius l. 10. c. 10. Si in Plinio cum admiratione legas, quòd Apodes volucres ob pedum ſuorum brevitatem *AVT PENDENT AVT IACENT*: id prorſus mundanis hominibus accommoda, qui velociſsimi quidem volatûs ſunt ad mundi irritamenta, ſed verò ad obſequia virtutis tardiſsimi. Vt rectè Sanctus Bernardus hanc miſeriam in admirationem trahat: *Mirum eſt de te, homo miſer, quòd ad mala ſis totus promptus, ad bona autem totus durus, totus piger.* Sed & in Pavone ſpecioſa mundi illudentis exhibitio; dum enim ex conſideratione gemmati apparatûs ſibi complacet, ac ſuperbè *EXVLTAT*; pariter deformes reſpiciendo pedes triſtatur, *ET PLORAT.* Sic, ſic in mundi delicijs, *Vbi uber, ibi tuber: & ubi mel, ibi fel,* juxta antiquum Proverbium. Quod adhuc magis Apuleius dilucidat, *Nihil quidquam*, inquiens, *homini tam lætum divinitus datum eſt, quin ei admixtum ſit aliquid difficultatis; ut etiam in ampliſſimâ quâque lætitiâ ſit quapiam vel parva querimonia, conjugatione quâdam mellis & fellis.* Inſuper multi ſunt, qui in rebus mundanis mirabilem exhibent perſpicaciam; at verò in rebus cœleſtibus ac Divinis ſunt excæcati. Sic certè & Noctua *IN LVCE CALIGAT.* Quod Sanctus Ambroſius ad mundanæ cæcitatis offucias reducit. *Noctua*, inquit, *judicio ſui declarat, eſſe aliquos, qui cùm oculos habeant ad videndum, videre non ſoleant; & viſûs ſui officio ſolis fungantur in tenebris. De cordis oculis loquor, quos habent SAPIENTES MVNDI, & non vident; in luce nihil cernunt, in tenebris ambulant, dum dæmoniorum tenebroſa rimantur, acuti ad vana, hebetes ad æterna.* Hæc ipſa Noctua, *dirum mortalibus omen*, dum avicularum ludibrio exponitur, eas quidem *ALLICIT*, ut paſsim advolent, & quaſi irrideant; *SED* vel *DETINET* captas unguibus, *VEL DECIPIT*, ut ab aucupe prehendantur: ſicque adeò Noctua ſibi *ILLVDENTES ILLVDIT.* Aſcanius id ad Curiales & Sapientes hujus mundi applicat. *Noctua*, inquit, *ſuo apparatu oculorúmque nictatione, atque capitis geſticulatione, aviculas ſimplices illudit, atque illectas capit & eviſcerat: ita Sapientes Mundi, orationum apparatu, inanibus ſuis ſpeculationibus, ſimplices decipiunt, ſæpéque eorum ſubſtantias diripiunt.* Mira eſt & nunquam ſatis explorata mundi fallacia, quam neque Veſpertiliones in luce caligantes, neque Noctuæ in caligine perſpicientes, ſatis unquam deprehenderunt.

Apuleius l. 2. Florid.

S. Bernardus ſerm. de miſeria humana.

S. Ambroſius l. 5. c. 24.

O inquieti *Serini*! ô mortales in levitate graves! Siccine fas eſſe putatis hunc proſequi, qui vos perſequitur? diligere, qui vos fataliter odit? credere, qui vos decipit? amplecti, qui vos comprimit? blandiri, qui vobis imponit? fidere, qui vos fallit? Et tamen, licet mundus ſit falſus Propheta, multotum tamen ſtultitia incomparabiliter major eſt, quã mundi perfidia. Quis non rideat hominẽ à *Serini* cantilenâ ita agitatum, ut cum periculo vitæ, & ſine cujuspiam ſpe emolumenti, rapacis fluminis undas pervadat, ubi ſecurò datum eſt ſuper pontem traijcere? intoxicatos aſſumat cibos, ubi ſalubres ſuppetunt? implexas & periculoſas diſquirat vias, ubi regia patet? captivitati ſubjaceat, ubi libertas offertur? Et adhuc faſcinatus homo *cæcis fidit in augurijs*! Mundo fallaci credit, qui ſub auro ſcoriam & rubiginem regit, ſub veritatis colore mille mendacijs decipit, ſub voluptatũ affluentiâ dolores acuit, ac tanto plus damni affert, quanto ampliùs promittit felicitatis! Diu ſatis credidit mundo D. Auguſtinus, magnus ille Eccleſiæ Doctor, & *Serini* cantilenis faſcinatus cerebri prurito plurimùm laboravit; usque dum tandem ad meliores animi partus rediens illuſum ſeſe deprehendit, ideóque varias impoſturas in mundum retorſit validâ acclammatione. *O munde immunde, in te habitare, & non dolere, eſt impoſſibile! O munde proditor! Væ, qui tibi credit! beatus, qui tibi reſiſtit!* 389.

Mundus non debet diligi, vel reputari.

S. Auguſtin. ad fratres in Eremo, ſerm. 11.

vcatior, quià te illaſus recedit! Divitiæ tua promittunt ſecuritatem, & dant timorem: ſatietatem, & dant eſuriem; ſtabilitatem, & dant ſubitam defectionem. Hic verba orationi meæ deficerent, ſi apparatum illum apologeticum adducerem, quem eximius Franciſcus Petrarcha inſtruxit contra mundi fallaciam, plurimis eam ſymbolis appellans appropriatiſſimè. Huic Petrarchæ mundus eſt dolium perforatum, ſacculus pertuſus, inſatiabilis vorago, breve diverſorium, periculoſus carcer, occultum præcipitium, anceps portus, iniquitatum officina, lacuna impuritatis, iracundiæ receptaculum, origo inimicitiarum, ruinoſa domus, volubilis rota, conſtans inconſtantia, curſus perpetuus, naufraga ſerenitas, delectabilis crudelitas, doloſa familiaritas, concors controverſia, fœdifraga pacificatio, ſerioſa crepundia, ingenioſa amentia, larvata ignorantia, patriæ tædium, deſiderium ærumnarum, ſpectrorum receptaculum, principatus Luciferi, Sathanæ regnum, deniq; malorum omnium confluentia. Hiſce encomijs dignus eſt mundus. *O munde immunde! in te habitare, & non dolere, eſt impoſſibile.* Quiſquis vel à mundi *Serino*, vel à vanitatis *Sirene* incantatur, ſuſpectas habeat ram delicioſas cantilenas; attendat à falſis Prophetis; *cæcis* nequaquam *fidat in augurijs*; D. Joannem audiat in ſuis Epiſtolis dehortātē: *Nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo ſunt: ſi quis diligit mundum, non eſt Charitas Patris in eo.* Iſaias Abbas interrogatus à quodam, quid eſſet mundus, reſpondit, „[Mundus eſt animi ad peccata deſtructio. Mundus eſt, cū ea quæ naturę „ſunt contraria, ſequimur. Mundus „eſt, cùm carnis voluptates implemus. „Mundus eſt, cùm arbitramur, diu „nos in hoc ſæculo permanſuros. „Mundus eſt, cùm majorem corporis „quàm animæ curam gerimus. Mun„dus eſt, cùm ijs, quæ caduca ſunt, „gloriamur. Non ex me iſta confin„go, ſed Joannes Apoſtolus illa lo„quitur: *Nolite diligere mundum.*] Ergo ut cum B. noſtro Jacopono, ve-

Franciſc. Petrarch. l. 2. Ep. 13.

1. Ioan. 2. v. 15.

Iſaias Abbas orat. 12. de Poenitentia.

riſſimo mundi contemptore, ab hac Serini cantilenâ avertas aures,

Plus crede literis ſcriptis in glacie,
Quàm mundi fragilis vana fallacia.

Attendite à falſis Prophetis; ſed & ab avibus fallacibus, inter quas Vpupa non poſttemum occupat locum. Hæc avis eſt criſtâ plicatili viſenda, contrahens eam, ſubrigénſque per longitudinem capitis. Spurciſſima eſt, ſempérque in fimo vel ſepulchris reſidet: de hominum ſtercoribus nidificat, eiſque veſcitur & nutritur. Venuſtiſſima criſtis & plumis eſt avis, ſed fœtore vel à longè maleolens. Gravi humilique volatu gaudet, & cantu ſuo abſurdo auribus ingratè obſtrepit. Tereus in Vpupam vel ideò dicitur mutatus, quòd maluerit linguam reſcindere, quàm omnino avellere: hinc Vpupa avis militarem quandam in capite criſtam retinet, & quaſi adhuc filium quæritans, has videtur ingeminare voces, πῦ, πῦ id eſt, ubi, ubi? ideóque *Epops* dicta. Caſtiſſimum Jobum audite de luxurioſo ſimilia proferentem. *Ipſe luxurioſus ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit; dulcis fuit glareis Cocyti, & poſt ſe omnem hominem trahet, & ante ſe innumerabiles.* Nempe luxurioſi ſepulchra frequentant, id eſt, mulieres, in quibus per nimium affectum totaliter ſunt ſepulti. Quomodo etiam Plautus Vpupam pro meretrice accipit. Et verè *ſtercora comedunt atque fimum* luxurioſi, nam inter luxuriæ inquinamenta fœtent ut ſtercora; & licet affectibus ſpurciſſimis occupentur, criſtati tamen incedunt, & corporali pulchritudine ſpectabiles. Jam quid boni non prognoſticat Vpupa; dicam apertiùs, luxuria? Eximiam felicitatem. Enimverò quid felicius Proco, quàm deſiderata frui Amaſiâ? quid delectabilius Lucretiæ, quàm Torquatum venuſtatis retiaculis captivare? quid Salamandræ connaturalius, quam inter flammas ardentes delicioſè vivere? quid Marti jucundius, quàm Bellonæ delicijs frui, & ijs pugnare armis, quæ ex pharetrâ concupiſcentiæ conferuntur. πῦ, πῦ, ubi

390. Concupiſcentiæ abſurditas.

Plinius l. 10. c. 29.

Iob. 21. v. 32. 33.

Plautus in captivis.

ubi armati ſenſus ad vitæ conflictum concurrunt: *ubi* ſagittæ carnalis cupidinis ſtimulantur; *ubi* oculi pro arcu amoris intenduntur; *ubi* linguæ ſvada pro cantu bellico blanditur; *ubi* totius corporis membra ad turpem congreſſum pruriunt. O falſi Prophetæ! ô fallaces Vpupæ! His attendite, & nolite credere, Auditores, neque cæcis eatum confidite *in auguriis*. Enimverò quem lateat illa D. Jacobi gnoma: *Concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum; peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* πῶ,πῶ. Vel mortem time, ſi peccatum non times. Nondum times peccatum; time, quò perducit peccatum. Dulce eſt peccatum, ſed amara eſt mors. Ipſa eſt infelicitas hominum: propter quod peccant, morientes hic dimittunt, & peccatum ſecum portant. *Peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem.*

Iacob. 1. v. 15.

191. Luxuriæ fœditas, damna, pernicies, mors.

Non poteſt libido ſine peccato committi. πῶ,πῶ. Vbi roſa, ibi ſpina; ubi dux eſt luxuria, ibi comes eſt triſtitia; ubi ſtimulus eſt carnis, ibi eſt & aculeus cordis; ubi emarcuit roſa, ibi remanent ſpinæ: quippe quod factum eſt, pudorem infert, & inde dolorem; ex dolore timor, ex timore angor, ex angore horror. Veriſſimè S. Fulgentius: *Vt roſa rubent & pungunt, ſic libido rubet verecundiæ opprobrio, pungit peccati aculeo.* Quid quòd ex luxuria, ut in arboribus foliorum, ſic in hominibus vitiorum pullulat luxus? Et inde quàm amari fructus? *Quem ergo fructum*, inquit Apoſtolus, *habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* Relege luxuriæ veſtigia, libidinis delectamenta: quid reliquit, ubi voluntas aſſenſu deliquit, niſi immenſum in toto homine ob præterita mœrorem, mordentem in conſcientiâ vermem, inquietum in corde pavorem, ſollicitam anxietatem in mente, inteſtinum in ſpiritu bellum, miſeram in voluntate ſervitutem, opacas in intellectu tenebras, mœſtas & fœdas in memoriâ imagines, amaras in recordatione anguſtias, pudorem ob præſentia, horrorem ob futura.

S. Fulgentius Mithilog. 1.

Rom. 6 v. 21.

Peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem. Vt quid mens caſta cæcus fidit in auguriis Vpupæ, quando tale eſt luxuriæ vitium, ut ei lenocinanti nec poſſit homo ſine conſcientiæ angore ac mentis hebetudine connivere, nec ſine famæ fortunarúmque jacturâ abblandiri, nec ſine animi ac corporis diſcrimine conſentire? Quando tale eſt libidinis ingenium, ut te ſuis faſcinationibus ſopitum non deſerat ante ultimum ſpiritum, ſi permittas ejus titillationi tuum indulgere genium. Hoc vitium ſi à teneris addiſcas unguiculis, idem erit tibi in pectore, quod unguis in ulcere. Si ab hoc flagitio te non terret, qui inde in mente oritur terror, cohibeat ſaltem, qui inde fronti oboritur pudor. O quàm præclarè generoſiſſimus Seneca hiſce falſis Prophetis negavit fidem! Luxuriæ miſit repudij libellum! *Etiamſi ſcirem*, inquit, *Deos veniam mihi daturos, & homines non cognituros, tantùm propter carnis vilitatem peccata carnis fugerem.* Aſſonat Romano Philoſopho Romanus Orator: *Si Deos*, inquit, *hominèſque celare poſſumus, nihil libidinosè faciendum.* Non intellexerant hi Gentiles obligationem legis divinæ; ignorabant cœleſtis meriti rationem; moralem duntaxat virtutis honeſtatem, & vitij turpitudinem obſervabant: quid non in luxuriæ deteſtationem proclamaturi fuiſſent, ſi Chriſtianæ fidei fundamenta cognoviſſent, quòd concupiſcentiæ *peccatum, ſi* vel mente, vel ſenſu, vel opere *fuerit conſummatum, generat mortem?* Parum eſt, id admirari de Philoſophis ſecundùm rectæ rationis uſum viventibus; quando etiam ſubinde Monaſticen profeſſi, qui in cinere & cilicio atq; inter continua mortificationis exercitia extenuantur, tandem cæcis Vpupæ auguriis fidentes *AMPLEXATI SVNT STERCORA.* Horreſcit ad hoc Cornelius à Lapide, ac *Viri Religioſi*, ait, *& fervidi, qui olim QVASI AQVILÆ verſabantur cum Angelis, nunc quaſi Scarabæi volutantur in cœno & ſtercore voluptatum carnalium cum aſinis & porcis.*

Seneca l. 1. de Element.

Cicero de off. 1.

Cornelius à Lap. inter Eccle. c. 9. v. 10.

Seneca Ep. 60.

ac gulæ ſe mancipat. Ita breviter, ſed luculenter, diſcurrentem audi Senecam. [Hos ventri obedientes animalium loco numeremus, non hominũ, quoſdam verò ne animalium quidẽ, ſed mortuorum. Vivit is, qui ſe utitur. Qui verò latitant, & torpent, ſic in domo ſunt, quaſi in conditivo. Horum licèt in limine ipſo nomen marmori inſcribas, mortem ſuam anteceſſerunt.] Omnium graviſſimum eſt, quod Tertullianus in quadam Apologia contra Pſychium adducit, quem abominabilis arguit idololatriæ, nimiâ voracitate commiſſæ. [*DEVS tibi venter eſt*, inquit, *& pulmo templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos coquus, & Sanctus Spiritus nidor, & condimenta chariſmata, & ructus prophetia. Apud te agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet.*] Vos autem, Auditores, non more gulonis cibum capite nimiâ voracitate, ſed frugaliter more Parci (vulgò Gybiß) qui vel ideo à Plinio hoc nomine Parci inſignitur, quòd licet in volatu ſit inquietus, & valde laborioſus, tarò tamen & parcè de eſcis ſumat; & licèt penes aquas nidificet, tarò tamen & *parcè* de aquis bibat. Ex quo proinde medicalis regula ortum traxiſſe videtur: *Parcus veſcendo, parciſſimus eſto bibendo.* Wer wenig trinckt / vnd nit vil iſſt / lebt eines ſpatten Todts vergwiſſt.

Tertullianus l. de jejun. contra Pſychium, c. 16.

Geſnerus in vanello.

283\. *Manducaverunt.* Atque ut cum D. Paulo Romanos exhortante addam, *& exarſerunt in deſiderijs ſuis*: adverto enim, quoſdam nimis *ardenter* cibos aſſumere, traijcere, deglutire. Et hoc quidem *ardenter ut Ardea* (vulgò Raiger) quæ cùm clauſum oſtreum aperire non poſſit, deglutit integrum, intúſque retentum tam diu agitat, donec calore apertum ſentiat; tum enim iterum reddit hians, & quod eſui eſt, extrahit. *Ardenter* ut Struthio, quæ lapides, ferrum, chalybes, & quidquid crudi objicitur, ardenter deglutit, ac quævis *DVRISSIMA CONCOQVIT*: nulla hic maſticatio dentibus neceſſaria, nulla digeſtio ventriculo conſveta; quod obvium accidit gutturi, ardenter ſumitur, ardenter traijcitur, ſed ſine utili temperamento digeritur. Optarem potiùs id, quod Chriſtianæ Diſciplinæ competere debet; ut ardentior eſſet menſam antecedens & conſequens oratio, quàm abliguriens exinanitio. Enimverò ad menſam venientibus, in more poſitum fuit etiam inter Ethnicos, ut non niſi præmiſſâ Numinis invocatione menſæ accumberent, eidémque ſumpto cibo gratias agerent. Sic enim Diogenes Pythagoras ſcriptis ſuis reliquit. [Decet in „principio cœnæ & prandij DEUM in„vocare, non quòd precibus ipſe indi„geat, ſed ut animus noſter DEI re„cordatione illuſtretur. Quandoqui„dem enim à Numine deſcendimus, & „eo participamus, Dij nos judicant, & „meritò omnia juſtè nos agere vo„lunt.] Nec Turci quidpiam ſine prævijs factis cæremonijs comedunt; nec Calecutenſes eſcas ſuas attingunt ſine Sacrificulorum præviâ conſecratione; nec olim Hebræi ſine orationibus prævijs, Samuelis mandato, quidpiam comederunt. Vna hæc quidem cauſa agnoſcendi beneficium, ut teterrimam ingratitudinis labem evitemus; ne, quod apud Clementem Alexandrinum Sanctus Barnabas ait, videamur ut porci manducare, qui eſurientes clamant, repleti autem non agnoſcunt Dominum. Tamen illa quoque intervenit pij erga Numen officij idonea cauſa; nempe ut homo, memor donum eſſe Numinis, quòd cibi ſuppetant, utatur ijsdem, ut DEI beneficiarium decet: devitatâ ſedulò offensâ in eorum uſu, ad quem per eã Numinis invocationẽ accingitur. De gratiarum actione poſt menſam ab Ethnicis frequentatâ, locuples teſtis eſt Plutarchus in convivio ſeptem Sapientum; ubi etiam in eo gratiarum poſt menſam agendarum ritu, libati Muſis, aliiſq; nonnullis talſis Numinibus vini morẽ expreſſit. Certè Moyſes in Deuteronomio præcepit: *poſtquam comederis, & ſatiatus fueris, benedicas Domino DEO tuo.* Et rectè Divus Chry-

Menſam comitetur oratio, nec nimis ardenter evacuetur.

Pythagoras l. de ſanct.

Clemens Alexand. 2. Stromat. c. 6.

Plutarchus in convivio 7. Sapientum.

Deut. 8. v. 10.

S. Chryſoſtom. hom. 53. in Matth. Chryſoſtomus ingratos Chriſtianos, *ardenter* nimis ſine hymno, ſine prece menſæ aſſidentes, increpat. *Audiant, quicunque velut porci ſimpliciter manducantes, cum ebrietate ſurgunt; cùm deceret gratias agere, & in hymnum menſam deſinere.* Ad hunc piæ gratitudinis ritum magis ſtabiliendum in Concilio Moguntino Bonifacius Papa certas indulgentias comprecantibus impertivit. Eò verò rigoris progreſſus eſt *Dominicus de S. Geminiano.* Dominicus de S. Geminiano, eximius Juriſta, ut aſſerat peccato mortali obnoxios evadere, qui hymnum gratiatorium poſt menſam conſvevifſent frequenter omittere. Hæc enim beneficiorum eſt retributio divinorum, ut cùm refecti fuerimus, bene nos confiteamur acceptos. Cæterùm ſi accipientes divina munera taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati, & indigni eorum ſubminiſtratione fraudabimur, ut DEUM, quem beneficijs non cognovimus, malis ingruentibus requiramus; & adverſis ſtimulemur ad rogandum, qui proſperis gratias non egerimus ad fruendum. Columbas, Gallinas & pleraſque alias Aves hìc præſtat imitari, quæ, quoties guttulam aut granum aſſumunt, fermè ſemper caput elevant, cœlum reſpiciunt, & DEO pro acceptis eſcis ac alimentis gratias referunt; acſi pro eorum ſymbolo ſerviret Lemma ex Pſalmo deſum- *Pſ. 109. v. 7.* ptum: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Energica eſt Divi *S. Chryſoſtom. hom. 79. ad populum.* Chryſoſtomi cohortatio: *Opus eſt, nos & menſam petentes, & deſiſtentes, DEO gratias agere: menſa namque ab oratione ſumens initium, & in orationem deſinens, nunquam deficiet, ſed fonte largiùs omnia nobis afferet bona.*

384\. *Studioſitas quæ maximè ſit adhibenda menſæ.* *Manducaverunt.* Et quidem delicatuli Gallonij *Studiosè* conantur gulæ blandiri; ut ex omni ferculorum objecto ſelectiora aſſumant, & more anatum ſuis roſtris cunctas patinas diſquirant: ſic dum quilibet eorum *Studioſus gula* vult eſſe, meritò ſuis inſcriptionibus inſerat luridum ana- *S. Bonavent. in ſpeculo animæ, c. 8.* grama: *STVDIO GVLÆ SVS.* Seraphicus noſter Doctor Bonaventura paucis complectitur totius guloſitatis ſyſtema. *Ex gulâ*, inquit, *procedit inordinata delectatio, & hos fructus ſecum habet: ſollicitudinem in quærendo, ſtudioſitatem in præparando, multiplicitatem in diverſificando, voracitatem in ſumendo.* Planè non alius germanus finis aſſumptionis ciborum eſt, quàm alere & delectare: prout frequenter Cle- *Clemens in pædagog. l. 2. c. 1.* mentis Pædagogus notat eos, qui tanquam ad viaticum, non tanquam ad nutrimentum edulia reponunt, nec finem comedendi ſpectant, naturæ nimirum ſuſtentationem. Indidem etiam D. Chryſoſtomus eruit tela *S. Chryſoſtom. hom. 71. in Matth.* adversùs nimiam in cibis adminiſtrandis ſtudioſitatem. [Perſtringamus, inquit, cupiditates, quæ ex delicijs, quæ ex pulmentarijs, quæ ex coquis, quæ ex menſarijs, quæ ex farcinatoribus ſuccenduntur: (vereor certè iſta omnia enarrare. Veruntamen dico, nec ſilebo) phaſianos aves, jura fuſim artificio mixta, humidas & ſiccas carnes, leges de iſtorum ordine varias. Nam quaſi Rempubl. gubernantes, aut acies expedientes, ſic quid primùm, quid deinde afferendum ſit, ſanciunt: Et alij quidem piſcibus farcinatas, ſubtili arte contextas, primò offerendas eſſe aſſerunt, alij ab aliis rebus originem cœnæ faciendam contendunt: ita magnum certamen de iſtis committitur. Nam & de qualitate, & de multitudine, & de ordine diſputant: quódque peius eſt, quibus obrui merentur, in his gloriantur. Nam alij uſque ad meridiem, alii diem integrum, alii per totam etiam ſequentem noctem, produxiſſe prandia iactant. Conſidera miſerrimè hominum, quam venter menſuram flagitat, & pudebit te immoderatiſſimæ atque ineptiſſimæ huius edendi diligentiæ. Quia ſcilicet advertes, te menſuram debitam, & finem cibationis prætergreſſum, qui in eo ſitus eſt, ut corpus convenienti alimento foveatur ac ferveatur, non obruatur.] Certè de Apicio, delicato & ſtudioſo curculione, memorat *Athenæus l. 1. c. 3. Dipnoſoph.* Athenæus, quòd etiam librum edide-

rit

rit de gulæ irritamentis: non enim ſat habuit, principum congiaria & Capitolij vectigal devoráſſe, niſi ſuæ etiam gulæ monumentum poſteris reliquiſſet. Hunc ſibi manus intuliſſe ferunt, cùm ſubductis rationibus ex ſeſtertio millies, † quod in culinam congeſſerat, centies tantùm ‡ ſupereſſe ſibi cognoviſſet. Vt de Nerone aliiſque primæ claſſis gulonibus taceam, quos uno convivio incomparabile pretium ſtudioſè devoráſſe, haud ampliùs miramur.

† Alij volunt, quindecies centena aureorum, coronatorum millia.

‡ id eſt, 250. millia.

385. Lectio & diſcurſus menſalis ſvadetur.

Optarem autem, ut ſtudioſitas, quæ vel præparandis vel diſquirendis cibis adhibetur, ad honeſtam aliam & proficuam operationem applicaretur, ſub menſâ. Scilicet ne animus totus effundatur in cibos, & ut honeſtâ quâdam oblectatione afficiatur, ſuper menſam rectè inducitur ſermonū ac problematum convivaliū uſus. Priſca illa conviviorū ſvavitas ex lepidis ac literatis quæſtionibus, & ſermonibus promanabat; quę deinde poſterorum improbitate mutata eſt in petulantes obſcœnitates, vel relatu indignas. Et verò jucūdiſſimū eſt, in aliquâ hiſtoriâ verſari; ſine labore ullo paſſim divagari ingenioſo, utili, ac honeſto diſcurſu; omnes ſimul locos intueri, omnibus bellis ſine periculo intereſſe, infinitum temporis ſpatium contrahere, infinitas res geſtas ſimul cognoſcere, quæ ab Aſſyrijs, Ægyptijs, Perſis, Medis & Græcis factæ ſunt. Multò ſapientior eſt, qui extra periculum, hiſtoriæ lectione ſeſe explet. Charybdin videbit, ſed ſine naufragio; Sirenas audiet, ſed ſine vinculis; cum Cyclope aget, ſed miti & pacato. Et ſi eo nomine felix fuiſſe Perſeus judicatur, quòd paſſim alarum vagaretur beneficio, totam terræ naturam, omniaq; intueretur loca: multò levior certè & ſublimior his Perſei alis habenda eſt hiſtoria, quæ paſſim animum circumfert noſtrum, nec nudas ei ſimpliceſque res oſtendit, ſed & hominum & fluviorum origines. Alias tamen ob cauſas (haud dubiè, ne per ciborum ac potionis ingeſtionem effervescente corpore lingua impotentior evaderet, & aliquid inconditum aut abſonum funderet) apud pleraſque olim gentes, ſicut nunc in religioſis Familijs receptum eſt, ſilentium arctiſſimum ſuper menſam ſervatum lego apud Origenem, & alios. Et ad quoſvis etiam ſæculares extendi cupit S. Ambroſius. „[Non pigeat, inquit, in menſâ aliquid „de Divinis Scripturis legere, ut quo„modo caro paſcitur cibo, ſic anima „reficiatur Dei verbo; & totus homo, id „eſt, exterior, & interior, de ſancto & „ſalubri convivio ſatiatus exurgat. Nã „ſi ſola caro reficitur, & anima Dei „verbo non paſcitur, ancilla ſatiatur, „& domina fame torquetur: & hoc „quàm ſit injuſtum, ſanctitas veſtra „non poteſt ignorare.] Hæc à Chriſtianis præſertim, quibus non vacaverit alio tempore pium aliquid legere, depoſci ab hoc authore, mirum videri non debet; cùm Ethnicos idem ſervare ſit proditum. Sanè Titum Pomponium Atticum, M. Tullium, Caium, Plinium, alióſque Romanorum eruditiſſimos legimus, hujuſmodi anagnoſtas adhibuiſſe, ne vel convivij exiguam moram tranſigerent abſque profectu aliquo eruditionis; idque omnium acroamatum loco habebant, & jucundiſſimum arbitrabantur. Quanto igitur magis id à Chriſtianis Aſcetis, & Dei Familiaribus cum laude & fructu uſurpetur, nemo non videt. Hæc nempe ſtudioſitas ad menſam adhibenda, omnium præſtantiſſima.

Origenes l. 3. in Iob. S. Ambroſius ſerm. 37.

Itaque dimiſſis gulonum convivijs, & ſpiritualibus eſcis ſaturati, imitemur Alaudæ opportunitatem, Corvi liberalitatem, Parci ſobrietatem, Columbæ gratitudinem, Philomelæ ſtudioſitatem: hiſque virtutibus exornati tum demum ad propria revertamur, cùm nobis pro complemento intonuerit D. Pauli ad Romanos ſententia: *Non eſt regnum DEI eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Amen.

Rom. 14. v. 17.

Digitized by Google

POST PENTECOSTEN.

AVES FALLACES.

Die falſche Ertz-Vögel.

LEMMA.

Cæcis fidit in augurijs, Architren.

THEMA.

Attendite à falſis Prophetis. Matth. 7. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS XLI.

Firma tutela ſalutis eſt, ſcire fallaces Mundi, Carnis, Sathanæ aliorúmque falſorum Prophetarum impoſturas, quas attentis eorum augurijs, contemptíſque dolis fugere ac declinare, ſummè ſvadetur.

186. Auguriorum vanitas & mendacium.

QUid hoc audio de vobis, Domini mei ornatiſsimi? Itáne in hac veſtra civitate tolerantur tot Aves fallaces, quæ tam ſubdolè decipiunt, tam aſtutè circumvolant, tam coloratè ſe inſinuant, tam mendaciter concinunt, tam nequiter illudunt? Et quod peius eſt, tam incautè, tam incircumſpectè, tam inconſultè hìc agitur, ut etiam fides adhibeatur fallacibus hiſce, larvatis, ac trifurciferis avibus. Obſervantur earum volatus, celeres, tardi, retrogradi, inflexi, recurvi, transverſi, ſibique diſſimillimi: audiuntur earum cantilenæ, raucæ, frequentes, concitatæ, acutæ, concrepantes, truncatæ, falcatæ: obijcitur ijs paſtus, & utrùm avidè, tardè, vel omnino non, objectum hauriant paſtum, anxiè expectatur. Exinde rerum futurarum lugubre, vel fauſtum depromunt augurium; inde averſæ vel ſecundæ fortunæ gratioſum, aut indignabundum ominantur aſpectum; inde prodigium eliciunt inevitabilis fati, caſúſque indeclinabilis: & quod his omnibus appenditur indignius, illuſi augurio, confuſi auſpicio cum Cicerone lamentantur: *O mea ſemper fruſtrà veriſſima auguria rerum futurarum!* (Cicero 4. Philip.) Scitíſne, fallacibus hiſce obſervationibus, & ineptis deceptionibus nullam eſſe adhibendam fidem? Quid non in Levitico (Levit. 19. v. 26.) prohibuit DEUS Iſraëli: *Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia?* Eccleſiaſticus (Eccli. 34. v. 5.) haſce impoſturas ſub vanitatis ſchemate proponit: *Divinatio erroris, & auguria mendacia, & ſomnia malefacientium, vanitas eſt.* Qua enim veritate augures ex avium volatu, garritu aut geſtibus divinent res futuras, victoriam in prælio, imperium in competentiâ, opes in mercaturâ, fertilitatem in agro, decorem in officio, longævitatem in connubio? Juxta Proverbium, *Ridet augur augurem videns*; alter enim alteri corridet, videndo ſtultitiam populi ſibi credentis. His tamen non obſtantibus faſcinata hominum mens *cæcis fidit in augurijs*, pro quibus vel oſcines vel præpetes diſquirit volucres. Au-

dite cautelam hodie vobis tam ſanctè & emphaticè poſitam: *Attendite à falſis Prophetis.* (S. Thomas in Cat.) Nempe, ut D. Thomas hìc gloſſatur, *firma tutela ſalutis eſt, ſcire quem fugias.* Nôſtis igitur, rem totam agi de falſis Prophetis, qui hodie ſub ſymbolo fallacium Avium ad aliquot rediguntur turmas, Mundi præſertim, Carnis, & Sathanæ: & ab his fauſtum fortunatúmq; capeſſere augurium, periculoſum erit, vanum & perniciosum; prout ſequenti diſcurſu pronuntiabo.

387. (Mundi fallacia & inconſtantia. Geſnerus in Serino.) *Attendite à falſis Prophetis*, ſed & à fallacibus Avibus. Inter quas Serinus (hunc vulgus Germanicus **Hirngrillen** / Italicus *Scartzerini* appellat) primarium vult occupare locum: colore ſubfuluo ac viridi, ſicut & corporis mole acanthidem imitatur; cantilenâ verò admirabili, variabili & delectabili, haud patitur ulli ſeſe oſcini comparari: indefeſſus enim eſt meditando, pulſando, tirilando, canendo, ita ut ſuum penè videatur canendo cerebrum exhaurire. Et quis à tam ſonorâ aviculâ lætabundum haud caperet augurium? O quàm frequens hic Serinus circumvolat! in quantorum virorum cerebris nidificat, & aſſvetas excolit caveas! Mundus hic eſt, vanitate & fallaciâ repletus, qui variegatis ſuis cantilenis & dulciſonis melodijs hujus ſæculi filijs cerebrum movet, fatigat, turbat, exhaurit. Plurimis deſideratam beatioris vitæ promittit diuturnitatem, & repetitis modis accinit illud Evangelici divitis ſolatium: (Luca 12. v. 19.) *anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.* Ita ſcilicet magna illecebra delinquendi, eſt rerum affluentia ſecundarum: ſupinat, extollit, oblivionem Auctoris infundit, cerebrum movet & turbat. Sed verò *attendite* falſitatem augurij; imediatè enim vox alia intonat: (Ib. v. 20.) *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem paraſti, cujus erunt?* Non ſolùm tibi non cedent, ſed nec manifeſtum tibi eſt, cujus erunt; utrum hæredis, an peregrini? amici, an inimici? Quod commodavit fortuna, tollet; quod mutuavit natura, repetet; ſola, quod paraverit, virtus retinebit. Pariter Serinus ſuum eviſcerat cerebrum, concinendo illud (Iacob. 4. v. 13.) Jacobi propoſitū: *Hodie, aut craſtinò ibimus in illam civitatē & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus.* Egregiè Seneca narratâ ſubitâ morte Senecionis Cornelij, qui (Seneca l. 17. epiſt. 102.) totus divitijs imminens in ipſo procurrentis pecuniæ raptus eſt impetu, „ſubdit. [Inſere nunc Melibæe pi„ros, pone ordine vites. Quàm ſtul„tum eſt, ętatē diſponere! Nec craſtino „quidem dominamur. O quanta „dementia eſt, ſpes longa inchoan„tium! Emam, ædificabo, credam, exi„gā, honores geram; tum demū laſſam „& plenam ſenectutem in otium refe„ram! Omnia mihi crede, etiam felici„bus, dubia ſunt. Nihil ſibi quiſquam „de futuro debet promittere. Id quo„que, quod tenetur, per manus exit: & „ipſam, quam premimus horam, caſus „incidit.] Mens proba & ſana *cauè* hiſce non *fidat in augurijs*, ſed attendat à falſis Prophetis. Feſtivè ſiquidem Jacobus interrogat: (Iacob. 4. v. 15.) *Quæ eſt enim vita veſtra. Vapor eſt ad modicum parens; & deinceps exterminabitur.* Ah! laborioſa eſt vita temporalis (ut cum Divo Gregorio loquar) levior fabulis, velocior curſore inſtabilitate (S. Gregorius prolog. in Pſal. 6. pœnitent.) fluctuans, imbecillitate nutans: cui nulla eſt fortitudo, nulla propoſiti conſtantia, nulla à turbationibus requies, nulla à laboribus reclinatio. Quis denique eſt, quem non excruciet dolor, ſollicitudo non urgeat, non ſubruat timor? Riſus fletum ſequitur, gaudium triſtitia comitatur.

Favent non paucæ ex Ornithotrophio noſtro Aves, à quibus mundi hu- 388. (Mundi fallacia à varijs Avibus adumbratur.)
jus fallax perplexitas, perplexa inconſtantia, ac portentoſa felicitas adornantur. Si vides PARUM in ſuo giraculo admodùm fatigari, & conari ad aſcenſum rotando, tandémque fruſtra ſcandendo dicere intra ſe, *ASCENDENS VERTOR AD IMUM*: tunc cogita, hunc eſſe mundanæ Felicitatis ludum; nam Senecâ teſte in Agamemnone. (Seneca in Agam. act. 1.)

Quid-

- - - *Quidquid in altum*
Fortuna tulit, ruitura levat.

Plinius l. 10. c. 10. Si in Plinio cum admiratione legas, quòd Apodes volucres ob pedum ſuorum brevitatem *AVT PENDENT AVT IACENT:* id prorſus mundanis hominibus accommoda, qui velociſsimi quidem volatûs ſunt ad mundi irritamenta, ſed verò ad obſequia virtutis tardiſsimi. Vt rectè Sanctus Bernardus hanc miſeriam in admirationem trahat: *Mirum eſt de te, homo miſer, quòd ad mala ſis totus promptus, ad bona autem totus durus, totus piger.* S. Bernardus ſerm. de miſeria humana. Sed & in Pavone ſpecioſa mundi illudentis exhibitio; dum enim ex conſideratione gemmati apparatûs ſibi complacet, ac ſuperbè *EXVLTAT*; pariter deformes reſpiciendo pedes triſtatur, *ET PLORAT.* Sic, ſic in mundi delicijs, *Vbi uber, ibi tuber: & ubi mel, ibi fel*, juxta antiquum Proverbium. Quod adhuc magis Apuleius dilucidat, Apuleius l. 2. Florid. *Nihil quidquam*, inquiens, *homini tam latum divinitus datum eſt, quin ei admixtum ſit aliquid difficultatis; ut etiam in ampliſſimâ quâque lætitiâ ſit quæpiam vel parva querimonia, conjugatione quâdam mellis & fellis.* Inſuper multi ſunt, qui in rebus mundanis mirabilem exhibent perſpicaciam; at verò in rebus cœleſtibus ac Divinis ſunt excæcati. Sic certè & Noctua *IN LVCE CALIGAT.* Quod Sanctus Ambroſius ad mundanæ cæcitaris officias reducit. S. Ambroſius l. 1. c. 24. *Noctua*, inquit, *judicio ſui declarat, eſſe aliquos, qui cùm oculos habeant ad videndum, videre non ſoleant; & viſûs ſui officio ſolis funguntur in tenebris. De cordis oculis loquor, quos habent SAPIENTES MVNDI, & non vident; in luce nihil cernunt, in tenebris ambulant, dum dæmoniorum tenebroſa rimantur, acuti ad vana, hebetes ad æterna.* Hæc ipſa Noctua, *dirum mortalibus omen*, dum avicularum ludibrio exponitur, eas quidem *ALLICIT*, ut paſsim advolent, & quaſi irrideant; *SED* vel *DETINET* captas unguibus, *VEL DECIPIT*, ut ab aucupe prehendantur: ſicque adeò Noctua ſibi *ILLVDENTES ILLVDIT.* Aſcanius id ad Curiales & Sapientes hujus mundi applicat. *Noctua*, inquit, *ſuo apparatu oculorúmque nictatione, atque capitis geſticulatione, aviculas ſimplices illudit, atque illectas capit & eviſcerat: ita Sapientes Mundi, orationum apparatu, inanibus ſuis ſpeculationibus, ſimplices decipiunt, ſæpéque eorum ſubſtantias diripiunt.* Mira eſt & nunquam ſatis explorata mundi fallacia, quam neque Veſpertiliones in luce caligantes, neque Noctuæ in caligine perſpicientes, ſatis unquam deprehenderunt.

O inquieti *Serini*! ô mortales in levitate graves! Siccine fas eſſe putatis hunc proſequi, qui vos perſequitur? diligere, qui vos fataliter odit? 389. Mundus non debet diligi, vel reputari. credere, qui vos decipit? amplecti, qui vos comprimit? blandiri, qui vobis imponit? fidere, qui vos fallit? Et tamen, licet mundus ſit falſus Propheta, multorum tamen ſtultitia incomparabiliter major eſt, quã mundi perfidia. Quis non rideat hominẽ à *Serini* cantilenâ ita agitatum, ut cum periculo vitæ, & ſine cujuſpiam ſpe emolumenti, rapacis fluminis undas pervadat, ubi ſecurò datum eſt ſuper pontem traijcere? intoxicatos aſſumat cibos, ubi ſalubres ſuppetunt? implexas & periculoſas diſquirat vias, ubi regia patet? captivitati ſubjaceat, ubi libertas offertur? Et adhuc faſcinatus homo *cæcus ſidit in augurijs!* Mundo fallaci credit, qui ſub auro ſcoream & rubiginem tegit, ſub veritatis colore mille mendacijs decipit, ſub voluptatû affluentiâ dolores acuit, ac tanto plùs damni affert, quanto ampliùs promittit felicitatis! Diu ſatis credidit mundo D. Auguſtinus, magnus ille Eccleſiæ Doctor, & *Serini* cantilenis faſcinatus crebri pruritu plurimùm laboravit; uſque dum tandem ad meliores animi partus rediens illuſum ſeſe deprehendit, ideóque varias impoſturas in mundum retorſit validâ acclammatione. *O munde immunde, in te habitare, & non dolere, eſt impoſſibile! O munde proditor! Væ, qui tibi credit! beatus, qui tibi reſiſtit!* S. Auguſtin. ad fra. ret. in Eremo, ſerm. 16. bea-

beatior, qui à te illæſus recedit! Divitiæ tuæ promittunt ſecuritatem, & dant timorem: ſatietatem, & dant eſuriem: ſtabilitatem, & dant ſubitam defectionem. Hìc verba orationi meæ deficerent, ſi apparatum illum apologeticum adducerem, quem eximius Franciſcus Petrarcha inſtruxit contra mundi fallaciam, plurimis eam ſymbolis appellans appropriatiſſimè. Huic Petrarchæ mundus eſt dolium perforatum, ſacculus pertuſus, inſatiabilis vorago, breve diverſorium, periculoſus carcer, occultum præcipitium, anceps portus, iniquitatum officina, lacuna impuritatis, iracundiæ receptaculum, origo inimicitiarum, ruinoſa domus, volubilis rota, conſtans inconſtantia, curſus perpetuus, naufraga ſerenitas, delectabilis crudelitas, doloſa familiaritas, concors controverſia, fœdifraga pacificatio, ſerioſa crepundia, ingenioſa amentia, larvata ignorantia, patriæ tædium, deſiderium ærumnarum, ſpectrorum receptaculum, principatus Luciferi, Sathanæ regnum, deniq; malorum omnium confluentia. Hiſce encomijs dignus eſt mundus. *O munde immunde! in te habitare, & non dolere, eſt impoſſibile.* Quisquis vel à mundi *Serino*, vel à vanitatis *Sirene* incantatur, ſuſpectas habeat tam delicioſas cantilenas; attendat à falſis Prophetis; *cæcis* nequaquam *fidat in augurijs*; D. Joannem audiat in ſuis Epiſtolis dehortātē: *Nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo ſunt; ſi quis diligit mundum, non eſt Charitas Patris in eo.* Iſaias Abbas interrogatus à quodam, quid eſſet mundus, reſpondit. „[Mundus eſt animi ad peccata deſtructio. Mundus eſt, cū ea quæ naturę „ſunt contraria, ſequimur. Mundus „eſt, cùm carnis voluptates implemus. „Mundus eſt, cùm arbitramur, diu „nos in hoc ſæculo permanſuros. „Mundus eſt, cùm majorem corporis „quàm animæ curam gerimus. Mun„dus eſt, cùm ijs, quæ caduca ſunt, „gloriamur. Non ex me iſta confin„go, ſed Joannes Apoſtolus illa lo„quitur: *Nolite diligere mundum.*] Ergo ut cum B. noſtro Jacopono, veriſſimo mundi contemptore, ab hac Serini cantilenâ avertas aures,

Plus crede literis ſcriptis in glacie,
Quàm mundi fragilis vanæ fallaciæ.

Attendite à falſis Prophetis; ſed & ab 390.
avibus fallacibus, inter quas Vpupa non poſtremum occupat locum. Hæc avis eſt criſtâ plicatili viſenda, contrahens eam, ſubrigénſque per longitudinem capitis. Spurciſſima eſt, ſempérque in fimo vel ſepulchris reſidet: de hominum ſtercoribus nidificat, eisque veſcitur & nutritur. Venuſtiſſima criſtis & plumis eſt avis, ſed fœtore vel à longè maleolens. Gravi humilique volatu gaudet, & cantu ſuo abſurdo auribus ingratè obſtrepit. Tereus in Vpupam vel ideò dicitur mutatus, quòd maluerit linguam reſcindere, quàm omnino avellere: hinc Vpupa avis militarem quandam in capite criſtam retinet, & quaſi adhuc filium quæritans, has videtur ingeminare voces, πῦ, πῦ; id eſt, ubi, ubi? ideóque *Epops* dicta. Caſtiſſimum Jobum audite de luxurioſo ſimilia proferentem. *Ipſe luxurioſus ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit; dulcis fuit glareis Cocyti, & poſt ſe omnem hominem trahet, & ante ſe innumerabiles.* Nempe luxurioſi ſepulchra frequentant. id eſt, mulieres, in quibus per nimium affectum totaliter ſunt ſepulti. Quomodo etiam Plautus Vpupam pro meretrice accipit. Et verè *ſtercora comedunt atque fimum* luxurioſi, nam inter luxuriæ inquinamenta fœtent ut ſtercora; & licet affectibus ſpurciſſimis occupentur, criſtati tamen incedunt, & corporali pulchritudine ſpectabiles. Jam quid boni non prognoſticat Vpupa; dicam apertiùs, luxuria? Eximiam felicitatem. Enimverò quid felicius Proco, quàm deſideratâ frui Amaſiâ? quid delectabilius Lucretiæ, quàm Torquatum venuſtatis retiaculis captivare? quid Salamandræ connaturalius, quàm inter flammas ardentes delicioſè vivere? quid Marti jucundius, quàm Bellonæ delicijs frui, & ijs pugnare armis, quæ ex pharetra concupiſcentiæ conſeruntur. πῦ, πῦ,

ubi

Franciſc. Petrarch. l. 2. Ep. 39.

1. Joan. 2. v. 15.

Iſaias Abbas orat. 21. de Pœnitentia.

Concupiſcentiæ abſurditas.

Plinius l. 10. c. 29.

Job. 21. v. 32. 33.

Plautus in captiv.

ubi armati ſenſus ad vitæ conflictum concurrunt: *ubi* ſagittæ carnalis cupidinis ſtimulantur; *ubi* oculi pro arcu amoris intenduntur; *ubi* linguæ ſvada pro cantu bellico blanditur; *ubi* totius corporis membra ad turpem congreſſum pruriunt. O falſi Prophetæ! ô fallaces Vpupæ! His attendite, & nolite credere, Auditores, neque cæcis earum confidite *in auguriys*. Enimverò quem lateat illa D. Iacob.1.v.15. Jacobi gnoma: *Concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum; peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* πῦ,πῦ. Vel mortem time, ſi peccatum non times. Nondum times peccatum; time, quò perducit peccatum. Dulce eſt peccatum, ſed amara eſt mors. Ipſa eſt infelicitas hominum: propter quod peccant, morientes hic dimittunt, & peccatum ſecum portant. *Peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem.*

191. Luxuriæ fœditas, damna, pernicies, mors. Non poteſt libido ſine peccato committi. πῦ,πῦ. Vbi roſa, ibi ſpina; ubi dux eſt luxuria, ibi comes eſt triſtitia; ubi ſtimulus eſt carnis, ibi eſt & aculeus cordis; ubi emarcuit roſa, ibi remanent ſpinæ: quippe quod factum eſt, pudorem infert, & inde dolorem; ex dolore timor, ex timore angor, ex angore horror. Veriſſimè S. Fulgentius Mytholog. 2. S. Fulgentius: *Vt roſa rubent & pungunt, ſic libido rubet verecundia opprobrio, pungit peccati aculeo.* Quid quòd ex luxuria, ut in arboribus foliorum, ſic in hominibus vitiorum pullulat luxus? Et inde quàm amari fructus? Rom.6 v.21. *Quem ergo fructum*, inquit Apoſtolus, *habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* Relege luxuriæ veſtigia, libidinis delectamenta: quid reliquit, ubi voluntas aſſenſu deliquit, niſi immenſum in toto homine ob præterita mœrorem, mordentem in conſcientiâ vermem, inquietum in corde pavorem, ſollicitam anxietatem in mente, inteſtinum in ſpiritu bellum, miſeram in voluntate ſervitutem, opacas in intellectu tenebras, mœſtas & fœdas in memoriâ imagines, amaras in recordatione anguſtias, pudorem ob præſentia, horrorem ob futura.

Peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem. Vt quid mens caſta *cæcu fidit in augurijs* Vpupæ, quando tale eſt luxuriæ vitium, ut ei lenocinanti nec poſſit homo ſine conſcientiæ angore ac mentis hebetudine connivere, nec ſine famæ fortunarúmque jacturâ abblandiri, nec ſine animi ac corporis diſcrimine conſentire? Quando tale eſt libidinis ingenium, ut te ſuis faſcinationibus ſopitum non deſerat ante ultimum ſpiritum, ſi permittas ejus titillationi tuum indulgere genium. Hoc vitium ſi à teneris addiſcas unguiculis, idem erit tibi in pectore, quod unguis in ulcere. Si ab hoc flagitio te non terret, qui inde in mente oritur terror, cohibeat ſaltem, qui inde fronti oboritur pudor. O quàm præclarè generoſiſſimus Seneca hiſce falſis Seneca l.1.de Element. Prophetis negavit fidem! Luxuriæ miſit repudij libellum! *Etiamſi ſcirem*, inquit, *& Deos veniam mihi daturos, & homines non cognituros, tantùm propter carnis vilitatem peccata carnis fugerem.* Aſſonat Romano Philoſopho Cicero in off. 3. Romanus Orator: *Si Deos*, inquit, *hominésque celare poſſumus, nihil libidinosè faciendum.* Non intellexerant hi Gentiles obligationem legis divinæ; ignorabant cœleſtis meriti rationem; moralem duntaxat virtutis honeſtatem, & vitij turpitudinem obſervabant: quid non in luxuriæ deteſtationem proclamaturi fuiſſent, ſi Chriſtianæ fidei fundamenta cognoviſſent, quòd concupiſcentiæ *peccatum, ſi* vel mente, vel ſenſu, vel opere *fuerit conſummatum, generet mortem*? Parum eſt, id admirari de Philoſophis ſecundùm rectæ rationis uſum viventibus; quando etiam ſubinde Monaſticen profeſſi, qui in cinere & cilicio atq; inter continua mortificationis exercitia extenuantur, tandem cæcis Vpupæ augurijs fidentes *AMPLEXATI SVNT STERCORA.* Horreſcit ad hoc Cornelius à Lapide, ac Cornelius à Lap. ſuper Eccle. c.9. v.10. *Viri Religioſi*, ait, *& fervidi, qui olim QVASI AQVILÆ verſabantur cum Angelis, nunc quaſi Scarabæi volutantur in cœno & ſtercore voluptatum carnalium cum aſinis & porcis.*

An non hæc illa Pandora,in ſuâ pixide concluſa retinens omnia totius mundi malorum ſemina ; quæ per univerſum humanum genus ſunt diſperſa, poſtquam Epimetheus violatâ Pandorâ ex perniciosa curioſitate aperuit pixidem ; unde & evolavit, quidquid malorum latuit ? Quid malorum & damnorum non induxit obſcœna libido ? Sapientiſſimos dementavit,dum mulieres alienigenas adamarent : exemplum hujus capite in Salomone. Æquiſſimos depravavit homicidio & adulterio : reſpicite Davidem. Fortiſſimos infirmavit amore : admiremini Samſonem. Nobiliſſimos fœdavit inceſtu : horreſcite Amnonem. Ditiſſimos depauperavit ſtupro : recordemini Sichimitas. Securiſſimos exuſſit incendio : deteſtemini Sodomitas. Robuſtiſſimos ſubmerſit diluvio : deplorate corruptam univerſam carnem Noëtis tempore. Sic certè per gentium ſæcula , per nationum ſtamina , per annalium periodos,per hominum memorias,per propriam cujusque experientiam , *peccatum* luxuriæ malorum inducit myriades ; & *cùm conſummatum fuerit , generat mortem.*

392. Concupiſcentiæ motus primi , & involuntarij non ſunt peccatum.

Illud tamen hîc in re tam lubricâ, tam periculosâ,& homini difficili, explicatione exactiore indiget. Vnâ enim ex parte lex Divina prohibet, *non fornicaberis*; quo præcepto omnes delectationes carnales, etiam moroſæ,& internâ complacentiâ completæ, ſub peccato mortali prohibentur. Ex altera parte caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & fomes concupiſcentiæ poſt Adæ peccatum toti hominum posteritati coaluit ; ita ut homo adultus continuò ſuſtinere cogatur hoc bellum concupiſcentiæ in ſuo corpore. Dicit autem Canonica S. Jacobi : *concupiſcentia , cùm conceperit , parit peccatum.* Et imediatè antè : *Vnusquisque verò tentatur à concupiſcentia ſuâ.* Patet verò, quòd tentatio non ſit peccatum ei, qui invitus tentatur ; imò talis tentatio non ſit conſummatio peccati,ſed materia meriti. Itaque ſciendum, motus concupiſcentiæ, qui rationem præveniunt,ideóque omnino ſunt involuntarij , nulla eſſe peccata. Clariſſimè enim S. Auguſtinus ad allatum antè textum ait : *Profectò in his verbis partus à pariente diſcernitur. Pariens enim eſt concupiſcentia , partus peccatum : ſed concupiſcentia non parit , niſi conceperit ; non concipit , niſi illexerit , id eſt , ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis aſſenſum.* Idem alio loco : *Nulla ergo damnatio eſt in ijs , qui ſunt in Chriſto IESV : non enim damnatur , niſi qui concupiſcentiæ carnis conſentit.* Quòd ſi hujus S. Patris authoritas cuidam Cajetano (ſentienti, motus concupiſcentiæ in appetitu ſenſitivo per ſe,& ſine omni voluntatis conſenſu eſſe peccata venialia) fortè videatur inefficax, adduco Concilium Tridentinum, de re præſenti ſub anathemate ſic determinans. *Manere in baptizatis concupiſcentiam , vel fomitem , hæc S. Synodus fatetur , & ſentit : quæ cùm ad agonem relicta ſit , nocere non conſentientibus , ſed viriliter per Chriſti IESV gratiam repugnantibus non valet : quinimò qui legitimè certaverit , coronabitur. Hanc concupiſcentiam , quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat , S. Synodus declarat , Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari , quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit , ſed quia ex peccato eſt , & ad peccatum inclinat. Si quis contrarium ſenſerit , anathema ſit.* Hinc S. Baſil. aſſeruit, non omnes affectiones carnis eſſe mortales, neque in ijs eſſe peccatum, niſi ex negligentia animæ procedant. Sicut ſi equus petulans deijciat ſeſſorem, culpa non eſt equi, utpote qui ratione haud utitur , ſed eſt imperiti & incauti ſeſſoris : ita ſi homo per concupiſcentiam trahatur in peccatum, culpa non eſt carnis, ſed ſpiritûs. Et S. Chryſoſtomus idipſum confirmat : *Concupiſcere* , inquit , *naturale eſt ; at malè concupiſcere , jam voluntatis eſt.* Idem S. Proſper profitetur : *Non has affectiones habendo , ſed eis malè utendo delinquimus.* Idem alio loco : *Peccatum perpetrare non poſſum , niſi malæ delectationi conſentiam.* Similis eſt S. Gregorij ſententia : *Mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat , cùm pulſat , ſed*

Iacob. 1. v. 14.

S. Auguſtin. l. 6 contra Iulianum. c. 15.

S. Auguſtin. l. 5 contra 2. ep. Pelagij c. 10.

Cajet. 12. q. 74. art. 3. & 4.

Conc. Trid. ſeſſ. 5.

S. Baſil. lib. de conſ. monaſt. c. 1.

S. Chryſoſt. hom. 19. ad pop.

S. Proſper. l. 2. de vita contemplat. c. 1. & l. 3. c. 4.

S. Gregorius l. 21. moral. c. 3.

cùm

Digitized by Google

cùm hanc ſibi per delectationem ſubjugat. Vt reliquos mittam Patres, omnes inſuper Philoſophi & Theologi experientiâ teſte docent, tales actus non eſſe humanos, id eſt, liberos, qui à ratione advertente & voluntate conſentiente non procedunt: ſed eſſe actus imaginationis ac appetitûs ſenſitivi, non conſiſtentes in noſtra poteſtate, ut eos evitare poſſimus aut avertere; adeóque eſſe nobis involuntarios, nec minùs in juſtificatis & ſanctis, in quibus tamen nihil damnationis eſt
Rom. 8. v. 1. teſte Divo Paulo, inveniri. Qui Paulus, licèt ſanctus, ſentiens tamen
Ib. 7. v. 20. in ſe hoſce motus, aiebat: *Si quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum.* Acſi diceret: ſi concupiſco repugnante voluntate, non ego cenſeor hoc facere; *nam conſentio legi DEI*: ſed concupiſcentia, quæ meam antevertit rationem & libertatem. Cùm ergo hi actus non ſint humani, homini ad culpam & pœnam imputari non poſſunt.

593. Contra concupiſcentiam remedia. Verumenimverò huic Vpupæ, huic falſo Prophetæ exactiſſimè eſt attendendum, eique omni modo reſiſtendum, ne per elicitum conſenſum jumentis inſipientibus homines efficiat ſimiles. Qui ſapit, ſuæque animæ curam gerit, ſciat concupiſcentiam, licèt intimè ſenſibus inſertam, licèt blandientem & ſuavem, eſſe Sirenem exitialem, hoſtémque capitalem, cum quo gerat *irreconciliabile bellum.* Ipſa enim tam perverſi eſt genij, ut ſi nutrias, eſuriat: quantumcunque conferas, ut illam faries, ſemper clamabit, *affer, ubi, ubi?* Non priùs ab illâ audies, ſufficit, niſi dum vita deficit. Ipſa vipera eſt, ſuo conceptu & partu matrem, id eſt, rationem & voluntatem enecans. Hanc beſtiam, & hunc, *quocunque pergimus, nobiſcum portamus* in pectore *inimicum*, inquit
S. Hieronym. ad Euſtoch. Sanctus Hieronymus. Vt ejus compeſcas rabiem, & ingluviem expleas, nega quæ petit; ablega, quæ expetit. Et primis quidem motibus omnino obſiſtendum, ne ſerpentinum caput eodem gradu totum reliquum inducat corpus: *Serò enim medicina paratur, cùm mala per longas invaluêre moras.* Hinc ſcitiſſimè Seneca, cui parens atteſtabatur, *filium ſuum ſapientem hoc unum concupiſcere, nil concupiſcere*, de repellendo hoc „blandiente hoſte conſultat. [Non Seneca Ep. 116.
„obtinebis ut deſinat, ſi incipere „permiſeris: imbecillis eſt primò „omnis affectus; deinde ipſe ſe concitat, & vires dum procedit, parat: „excluditur faciliùs, quàm expelli„tur.] D. Hieronymus Euſtochio Vir- S. Hieronym. Ep. ad Euſt. de cuſt. Virg.
gini ſequentia pro cuſtodienda vir„ginitate adhibet documenta. [Dum „parvus eſt hoſtis, interfice: nequi„tia, ne zizania creſcant, elidatur „in ſemine. Audi Pſalmiſtam: Fi„lia Babylonis miſera, &c. beatus qui „tenebit, & allidet parvulos tuos „ad petram. Quia enim impoſſibi„le eſt, in ſenſum hominis non irrue„re innatum medullarum calorem, „ille laudatur, ille prædicatur bea„tus, qui ut cœperit cogitare ſor„dida, ſtatim interficit cogitatus, & „allidit ad petram: Petra autem Chri„ſtus eſt.] Tum ſubdit de ſemetipſo exemplum.[O quoties ego ipſe in eremo „cõſtitutus, putabã me Romanis inte„reſſe delicijs, &c. Itaq; omni auxilio „deſtitutus ad Jesu jacebã pedes, riga„bam lachrymis, crine tergebam, & „repugnantẽ carnem hebdomadarũ „inediâ ſubigebam. Memini me cla„mantem diem crebrò junxiſſe cum „nocte, nec priùs à pectoris ceſſaſſe „verberibus, quàm rediret Domino „increpante tranquillitas. Poſt mul„tas lachrymas, poſt cœlo inhæren„tes oculos, nonnunquam videbar „mihi agminibus intereſſe Ange„lorum, & lætus gaudénſque canta„bam: Poſt te in odorem unguento„rum tuorũ curremus.] Quòd ſi graviùs urgeat concupiſcentiæ tentatio, fidelis illicò mentem convertat ad Deum, eiúſq; opem ad illam ſuperandam imploret, dicendo: *Dominus auxi-*

liator

llator meus, non timebo quid faciat mihi caro; præſertim ſi opem intemeratæ Deiparæ, aliorúmque Sanctorum Patronorum ſupplex interpoſuerit; non enim hoc blandum voluptatis incendium extinguitur potentiùs, quàm oratione & corporis caſtigatione. Denique ſi neutro horum modo importunum hunc inimicum à te fugare poteris, ſupereſt fugere. Satiùs eſt, fugiendo vincere, quàm pugnando cadere. Fugiendo effugies non tantũ flagitium, ſed etiam flagitij periculum. Et ne probrum interpretèris ſic fugere, iteratò audi D. Hieronymum. *S. Hieronym. Ep. 103. ad* [illegible]
„[Cur, inquies, pergis ad eremum? Videlicet, ne me capiat oculus meretricis, &c. Reſpondebis: Hoc non eſt pugnare, ſed fugere: ſta in acie, adverſarijs armatus obſiſte, ut poſtquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam; nolo ſpe victoriæ pugnare, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium devitavi: ſi ſtetero, aut vincendum mihi eſt, aut cadendum. Quid autem neceſſe eſt certa demittere, & incerta ſectari? Ideo fugio, ne vincar.] Imitandum Poëtæ conſilium. *Hunc fugiendo fuga, quem fuga ſola fugat.*

394. Luxuriæ fomenta communia quomodo abigenda.
Sed verò quid mirum eſt, tot ſæculi cultores dulcibus vinci invaſionibus, & impetu raptari concupiſcentiæ, ut brutorum inſtar in cœnoſo luxuriæ volutabro quaſi jugiter immorentur? In promptu cauſa eſt: delicatè ſcilicet veſcuntur, molliter induuntur, dormiunt in multam lucem, reliquo diei tempore obambulant otiabundi, licentioſè per omnia vivunt, & omnem denique corpori commoditatem ac voluptatem indulgent. Quî fieri poſſet, ut jumentum habitum tam delicatè non recalcitraret, non excuteret ac in luto seſſorem protereret; ſpiritum dico rationalem? Quî fieri poſſet, ut ſordido illo luxuriæ peccato homo quodam̃odo creaturæ rationalis dignitatem nõ amitteret, & mutatus in beſtiæ vilitatem etiam viliſſimis terræ ſordibus non coæquaretur? Eccleſiaſticus certè id aſſeverat: *Eccli. 9. v. 10.* *Omnis mulier fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur*; támque vilis erit, ut non plùs quã ſtercus debeat æſtimari, quod tranſeuntium pedibus conculcatur, & vilipenditur. Neque ſolùm ita vile illud Vpupæ nutrimentum vel munimentum exiſtit, ſed etiam nocivum atque mortiferum. Indica quædam avicula, *Diceron* nominata, ſtercus *Ælianus l. 4. c. 46.* fundit, quo ſi homo veſcatur, ad veſperam moritur; eique mors ſimilis eſt ſuaviſſimo ſomno. Profectò tale eſt hoc ſtercus mulieris fornicariæ: mortem affert ſomno ſimilem, juxta illam Jeremiæ comminationem: *Jerem. 51. v. 39.* *Inebriabo eos, ut ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum.* Huic autem morbo remedium eſt avis ipſa, ſi deplumetur & comedatur. Ita nimirum huic malo cavetur optimè mortis conſideratione; ſi quis enim animo verſet, qualis futura ſit illa ipſa mulier, quam modò deperit, absque plumis illis, quibus ornatur, mente reputans, & ore verſans, quòd in cineres citiùs ſit reverſura; extinguet illico libidinis ignem, hauſtúmque ſtercore venenum non ſentiet, nec more Vpuparum aut Scarabæorum ampliùs cœnoſo luxuriæ putore delectabitur. Bene etiam D. Gregorius *S. Gregor. l. 16. moral. c. 21.* monet: *Nihil ſic ad edomandum deſiderium carnalium appetituum valet, quàm ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale ſit mortuum, penſet.*

Attendite à falſis Prophetis; & nolite 395.
accipere auguria bona à cuculo malo, qui alienis parit in nidis, & vere novo cantat, *quo tempore vites. Qui non abſolvit, jure vocatur iners.* De quo aiunt, ſi quis verno tempore audiens primâ vice cuculi vocem dextri pedis veſtigium circumſcribat, & terram effodiat, non gigni pulices, ubicunque ea terra ſpargatur. Ille cuculus malus quis alius eſſe poteſt, quam diabolus? Ipſe enim Sathanas, *Impius, ut cuculus, generat pater, atque relinquit*; & quos produxit impietatis fœtus, illos in nido ſuo dimittit miſeros atque perverſos. Aut certè
A dæmoniis, malorum ſociorum, hæreticorum, & magorum inſidijs maximè attendendum.

Fert ova in nidos alienos, qualiter ille, *Alciatus Embl. 60.*
Cui thalamum prodit uxor adulteria.

Sed

Sed verò mens timorata *cacis* non *fidat in augurijs* hujus infernalis, rapacis, & iniqui Cuculi; utpote qui juxta S. Joannis ſententiam, *Homicida erat ab initiò, & in veritate non ſtetit, quia non est veritas in eo; cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur; quia mendax eſt, & pater ejus.* Is enim poſtquàm à veritate officij & gradûs, ſtatúsque ſui Angelici excidit, atque ſuâ libertate ex Angelo pulcherrimo ſe fecit teterrimum Cacodæmonem, ex innatâ malitiâ fallit ac decipit; ejúsque officium peculiare ac proprium, alienis in nidis ova excludere, mentiri, homines ſeducere, & in gehennam ſuúmque regnum pertrahere. Hoc totus agit, huc omnes ſuas cogitationes, & ſtudia convertit: nec cogitat aliud, nec deſiderat, nec aliud molitur; tunc deſinens eſſe *cuculus*, cùm incipit eſſe *accipiter*. Sed neque fides ulla adhibenda Nycticoraci, vulgò Nachtrapp/ de qua Phyſiologus ait, quòd magis amet tenebras quàm lucem; circumvolet *in obſcuro, advesperaſcente die, in noctis tenebris & caligine*; geſticulationibus ac ſaltationibus gaudens clamet inſuper raucâ & horridâ voce, hu, hu; ac dormientes è dulci ſomni quiete excitet; carnibus etiam in penu ædium inſidietur, infauſta ac prædabunda avis. S. quidem Ambroſius ſub hiſce Noctuis, & Nycticoracibus intelligit Gentiles, & hæreticos; quia ſuorum errorum tenebras diligunt, & Catholicæ fidei lucem averſantur, infirmi acie intellectûs & Fidei. *Nolo*, inquit, *te imitatorem eſſe Noctuæ, quæ licèt per noctem vigilet, per diem tamen pigra, vel cæca eſt; quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, ſplendorem ſolis horreſcit. Mirum enim in modum illuminatur obſcuritate, luce cæcatur. Iſtud animal hæreticorum figura eſt atque Gentilium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem Salvatoris horreſcunt, & grandibus diſputationum oculis cernunt vana, non reſipiſcunt ad ſempiterna.* Ego autem ſub hiſce Nycticoracibus (vulgò Nachtrappen) Noctambulones intelligo inſolentiſſimos, & nemini non moleſtiſſimos; qui dum omnes plateas ſuis clamoribus infeſtant, etiam caſtis columbis in nidulo ſuo quieſcentibus turpiter inſidiantur. *Idcirco oculus adulteri obſervat caliginem*: & *qui malè agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus.* Adſint meritò cuſtodes nocturni, qui tales infeſtos Nycticoraces ſubitò prehendant, ac carceri nocturno mancipent, dignis ſupplicijs à Magiſtratu plectendos. Denique attendite vobis etiam & cavete à Rubicillis, vulgò Gümpel & Pilart dictis, quæ ad omnes ineptias addiſcendas valde dociles, linguâ pollent & ad diſcernandas eſcas præ cæteris delicatâ, & ad imitandas voces perquàm ſubtili ac ſtudioſâ. Quidquid de hypocritis, aut malis ſodalibus ad peccatum allicientibus, hìc poſſet intelligi; à quorum converſationibus ſumuntur mores, & ut quædam in contactos corporis vitia tranſiliunt: præ cæteris tamen placet brevis, & nervoſa, ac veriſſima applicatio D. Hieronymi, in thematis „noſtri Commentario aſſerentis. [De „omnibus quidem intelligi poteſt, qui „aliud habitu ac ſermone promittunt, „aliud opere demonſtrant; ſed ſpe„cialiter de hæreticis intelligendum „eſt, qui videntur continentiâ, caſti„tate, jejunio, quaſi quadam pietatis „ſe veſte circumdare; intrinſecus verò „habentes animum venenatum, ſim„pliciorum fratrum corda decipiunt;] ſuóque vaferrimo ingenio in omnes voces ac formas norunt ſeſe tranſmutare, ad ſeducandos Electos.

Ioan. 8. v. 44. — Prov. 7. v. 9. — S. Ambroſ. ſerm. in Marc. — Iob 24. v. 15. Ioan. 3. v. 20. — [illegible] in Rubicilla. — S. Hieronym.

Reſtarent plurima etiam de Cingaris, ariolis, divinatoribus, magis & incantatoribus hìc commonefacienda; ſed ab eorum augurijs brevi compendio deterret ſupremus Legiſlator in Levitico: *Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui.* Cæterùm quidquid ſuſpectum eſſe poteſt in verbis & operibus, bonis etiam exemplis, & alijs quibuscunque extrinſecis exhibitionibus, ab omnibus horum augurijs attendite. *Firma ſcilicet tutela ſalutis eſt, ſcire quem fugias.* Amen.

Levit. 20. v. 6.

POST PENTECOSTEN.

CYGNUS IN MORTE CANENS.

Der ſterbendſingende Schwan.

LEMMA.

Cantator funeris ipſe ſui. Mart. l. 13.

THEMA.

Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ. Lucæ 16. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS XLII.

Judicij particularis ab unoquoque hominum poſt mortem coram tremendo Judice Chriſto ſubeundi ratio, veritas, rigor & proceſſus, nervoſâ & gravi oratione diſquiruntur.

396. *Cygni felicitas in morte canentis.* Si quæ poſſit in pennatos cœli Incolas cadere æmulatio, meritò invidendum eſſet felicitati Oloris, cui ſingulari prærogativâ datum eſt, æquo vitæ temperamento natare in fluminum vadis, ambulare in hortorum delicijs, volare in aëris regione. *Nat, volat, & graditur.* Felicitas, quæ neque homini à Superis conceſſa eſt; utpote cui volare impoſſibile, natare difficile, ambulare verò infanti & ſeni periculoſum. Et quæ major felicitas cuicunque mortalium ſolet contingere, quàm ut in ſpirituum vitalium ultimâ reſolutione, deficientibus potentijs, & diſruptâ medullarum vittâ, hilariter lætetur, ſitque *cantator funeris ipſe ſui*? Certè hanc excellentiam Ariſtoteles (*Ariſtoteles hiſt. animal. l. 9. c. 12.*) poſt plurimos alios Cygnis adſcripſit, in hiſtoriâ Animalium dicens: *canere ſoliti ſunt, & præcipuè jamjam morituri.* Socrates (*Socrates in Phæd.*) ex Platonis Phædone exiſtimationem ſuam his „aperit. [Ut apparet, ad divinandum „videor vobis eſſe Cygnis deterior: „illi quidem, quando ſe brevì morituros agnoſcunt, tum magis admo„dum, & quidem dulciùs modulan„tur, quàm antea conſueverint; & „quod ad Deum, cujus erant famuli, „tunc ſint migraturi, congratulantur.] Quaſi nempe immortalitatem quandam animæ ſuæ cognoſcerent, & de tranſitu ſuo terreſtri ad cœleſte Apollinis conſortium exultarent: cui cùm ſint ſacti, etiam divinatione præditi alterius vitæ bona præſagiunt; adeóque cantant alacriùs geſtiúntque eâ die, quàm ſuperiori tempore. Scilicet

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ, (Mart. l. 13.)
Cantator Cygnus funeris ipſe ſui.

Hæc Platonis, hæc Pythagoræ de Cygnis ſententia. Liberalior profectò Natu-

Natura viſa eſt erga Olores, quàm homines: cui enim mortalium tam amplo conceſſum pectore mortis agonem aggredi, *ut ſummum nec metuat diem, nec optet*, ſed præſentem dulci cordis & gutturis modulamine ſalutet? Quotus etiam quisque in eo momento, quod ſolvit maceriæ parietem, & immortalitatis limen aperit, non potiùs omnibus concidit artubus ut *Tremulus*, quàm quòd hilariter cantet ut *Cygnus*; præſertim quando Supremus Judex tremendâ voce intonat: *quid hoc audio de te: redde rationem villicationis tuæ.* Et quidem inevitabili hoc momento, in quo longè horribiliùs homini imminet æternitas, quàm olim Babyloniorum Monarchæ gladius: momento, quo arctiſſimum amicitiæ fœdus inter corpus & animam violatur: momento, quod ſibi humana mortalitas pro metâ laborum, velut invictus poſuit Hercules: momento, quo omnes omnino actiones pro digna ſui remuneratione longè ſeveriùs coram Supremi Numinis Tribunali examinantur, quàm ulla Sinenſiū aut Macedonum Jura ſtatuerent: momento, quo ſine diſpenſatione, dilatione, vel exceptione præcipitur, *redde rationem villicationis tuæ*; quod fortè hodie ante Solis occaſum audies. Si veſtræ arriſerit pietati, Auditores, hoc momentum, quo vitæ præteritæ particularis reddenda eſt ratio coram tremendo Judice, tam nervosâ & gravi oratione circumſcribam, ut obtentâ peioris vitæ emendatione, particularis Judicii rigorem dulci videar morientis Oloris cantu mitigare, in nomine miſericordiſſimi Jesu.

Mart. lib. 10. Ep. 47.

397. Particulare aliquod judicium, univerſali judicio prævium, mox ab hominis morte inſtitui, non expectato mundi fine, ut decernatur unicuique, quod juſtum eſt, ſive ſalus, ſive damnatio, eſt indubitatum. Ita enim ferunt illa Eccleſiaſtici verba: *Facile eſt coram DEO, in die obitûs retribuere unicuique ſecundùm opera ſua.* Item, *in fine hominis denudatio operum ejus.* Relinquo diſputationē Bellarmino contra Lactantium, & alios plures, negantes, judiciū ferri de animabus ante mundi finem, donec tempus illud adveniat: quando longè probabiliſſima videtur ſententia, quòd hoc judicium particulare ſit etiam actus judiciariæ poteſtatis Chriſti Domini. Sanè ſi Pater omne judicium dedit Filio, manifeſtum videtur, dediſſe quoq; illi iudiciū particulare; quod utiq; eſt maximi momenti iudicium. Cùm enim hoc iudicium particulare ſit præiudicium ad Vniverſale, & in utroq; pronuntietur de iiſdē perſonis ac cauſis; in uno quidem ſeorſim & diviſim, in altero autē coniunctis omnibus ſimul perſonis & cauſis; omnino negandū nō eſt, quin Pater utrumq; illud iudicium dederit Chriſto. Quod ex Patribus diſertè agnoſcit Sanctus Cyprianus, de mortalitate dicens, hominem hinc abeuntem præmium vitæ & fidei Chriſto iudicante accipere. Adſtipulatur Innocentius III. exponens quatuor Chriſti Adventus: duos viſibiles, unum in carne, alterum in mundi fine: & duos inviſibiles, unum ad ſanctificandum, & alterum ad particulariter iudicandum unumquemque in obitu ſuo. Eóque magis urgeri videmur ad tribuendum Chriſto hoc particulare iudicium, quia univerſale non eſt niſi approbatio & promulgatio ſententiæ in particulari iudicio latæ. Maior inſuper exinde Chriſti relucet honor, dum ab omnibus agnoſcitur fuiſſe univerſalis negotiorum gratiæ & ſalutis arbiter ſecundùm Deum. Cedit quoque hoc non parum in bonorū levamen, & impiorum cordolium; dum vident ij quidem, cui conregnaturi ſint, quia ſunt compaſſi, ſicut & ipſe multa perpeſſus eſt: pro quibus ſuavius accipiunt præmium, decernente eorū Primicerio, quem in vitâ habuerunt Ducem. Impii verò quàm iuſtè Judicē ſuſtinent, quem per vitam deſpectui habuerunt. Et ſic myſticè poteſt intelligi, quod Innocentius tertius loco citato exiſtimat, Chriſtum Dominum omnibus morientibus, tam bonis quā malis obiici, ſpecie Crucifi-

Iudicium particulare homini mortuo ſuſtinendum.

Eccli. 11. v. 28.

Bellarminus lib. de beat. ss. c. 4. & seq. & l. 2. de purgat. c. 4.

S. Cyprianus l. de mortal.

Innocentius l. 2. de contemptu mundi c. ultimo.

xi: nempe ut bonis monſtret, unde ſint ſalvi facti; malis verò inſultet, & exprobret eum peccata, quantumvis abdita, quæ nefariè admiſerunt; tum maximè teterrimam ingratitudinem, qua tot beneficiorum imbribus, ipſâque inprimis Chriſti Paſſione ſunt abuſi. Congruentiſſimè igitur Chriſtus hujus judicij particularis poteſtatē accepit, in quo proinde totus negotij noſtræ ſalutis cardo verſatur inevitabilis, juxta illud ad Hebræos: *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc judicium.*

Hebr. 9. v. 27.

398. Id dari probatur etiam à viſionibus ac revelationibus.

Sed & ſuffragia non inutilia petuntur, imò maximè ad rem conducentia, à viſionibus quibuſdā divinis, & revelationibus. Sic enim Vdo Præſul Magdeburgenſis, ptolongatâ fœdiſſimâ vitâ cum quadam depravata Moniali, per trinam admonitionem, *Vdo, Vdo, ceſſa à ludo, luſiſti ſatis*, cœlitus correptus; deinde Chriſto præſentatus, & apud eum accuſatus, tandémque condemnatus, atque à S. Michaële decapitatus fuit: quod quidam ſacer Diaconus & per viſum intellexit, & re ipſâ in experientiâ comperit. Aliud item judicium in causâ S. Sidonij Aruernenſis Epiſcopi à Chriſto factum, exhibet Gregorius Turonenſis. Item apud Cantipratanum, per viſum objectus eſt Chriſtus Conrado viro ſanctiſſimo Epiſcopo Hildemenſi, præſidens judicio de animâ Epiſcopi nequam: qui exautoratus, & omnibus Epiſcopalibus ornamentis coram Chriſto exutus, raptus eſt ad Tartara, ſolis peccatis contectus; acclamantibus, dum raperetur, ſanctis Angelis, aliiſq; Chriſto aſſidentibus in eo judicio, *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Perpulchram viſionem cuidam ætate Conſtantini exhibitam, quâ particulare judicium Chriſto demandatum proditur, refert Raderus ex Menæis. Non omittam hîc Solitarij illius, qui in Choreb habitabat, referre hiſtoriam. Hic cùm diutiùs negligentiſſimè vixiſſet, animæ ſuæ curâ penitus neglectâ, morbo tandem comprehenſus, & ad extrema deductus eſt. Cúmque jam corpore perfectè migrâſſet, unam poſt horam in ſeipſum redijt, oravítque præſentes, ut inde protinus abſcederent: & cellæ aditu lapidibus obſtructo, permanſit intus annis duodecim, nulli omnino quidpiam loquens, ſolis pane & aquâ parciſſimè alitus. Sedens autem eatantùm, quæ in exceſſu viderat, attonitus volvebat, atque in his adeò fixo ſemper erat cogitatu, ut nunquam jam vultum immutaret; ſed ſemper ſic attonitus perdurans, vim ferventium lachrymarum tacitus profunderet. Morti proin ſecundò proximus dum eſſet, vi irrumpentes reliqui Monachi, ſupplices ab eo inquirebant verbum doctrinæ. Quibus id unicum reſpondit: Ignoſcite mihi: nemo qui revera mortis memoriam agnoverit, peccare unquam poterit, utpote quòd memoria mortis particulare ſecum trahat judicium. Accedunt his exempla eorum, qui ſe judicatos teſtati ſunt apud S. Gregorium, illius præſertim Stephani, qui cùm eſſet mortuus, & Judici oblatus, audivit dicentem Judicem, non hunc ſed Stephanum Ferratium vocari juſſi; atque ille revixit, & ſimul Stephanus Ferrarius in viciniâ moratus obijt. Cui ſimile eſt illud, quod ſubjungit de quodam Chriſorio, qui in articulo mortis poſitus, adhuc vivus vidit ſuæ damnationis ſententiam. De duobus narrat Venerabilis Beda, qui deſperantes mortui ſunt, quia jam viderant judicium ſuū peractum, & ſententiam latam. Neque omitti debet memorabile factum, quod S. Cyrillus in quadam Epiſtola ad D. Auguſtinum refert: cùm enim ſuprà memoratus error Lactantij inter Græcos Patres invaleſceret, Cyrillus Epiſcopus totum vicinum convocavit Clerum unacum Epiſcopis ſuis, cum quibus per triduanam comprecationem pro revelatione hujus veritatis ardentiſſimè Spiritum Sanctum implorabat. Poſt elapſum triduum S. Hieronymus, jam olim defunctus, cuidam devotiſſimo apparet Epiſcopo, jubens, ut convocatus Clerus

Nauclerus 2. parte generat. 34.

Greg. Turonenſ l. 2. hiſt. Franc. c. 23.

Cantipratan. l. 2. apum. c. 13. n. 4.

Galat. 6.

Raderus 21. Novemb.

Ioan Climacus l. de 30. gradibus grad. 6.

S. Gregorius l. 4. dialog. c. 36.

Ibid. c. 38.

Beda l. 4. hiſt. c. 14. & 15.

S. Cyrillus Ep. ad Auguſtin.

rus

rus ad ſuum ſepulchrū religioſè ſe ſiſteret, ibiq; ſuum cilicium ſuper trium mortuorum cadavera imponeret: qui protinus ad contactum eilicij S. Hieronymi ad vitam redierunt, terribili ſpectaculo palā profitentes, quàm diſtrictum judicium coram tremendo Judice in ultimò momento ſubeundum ſit omnibus ex hac vitā decedentibus.

399. Modus judicij particularis.

Itaque conſtans eſt Catholicorum ſententia, dari Judicium particulare, quod exercetur divinā virtute, ſive per Chriſtum immediatè, ſive mediatè per Angelos, qui tum maximè adſtant ſuo Clienti, cùm agitur eorum ſalus, & Sathanæ impetum repellunt. In hoc autem judicio unicuique innoteſcit ſententia ſua; & ſtatum ſuum, quem in vitā meruit vel demeruit, omnis cognoſcit. Quanquam hæc omnia ſint cautè intelligenda: prout optimè expedivit doctiſſimus Abulenſis, dicens, Chriſtum ad uniuſcujuſque obitum adeſſe Judicem, non per localem præſentiam, ſed ſecundùm efficaciam, qua unicuique animæ ſtatum ſuum patefacit, & intellectualiter eam ſuſtollit ad percipiendam operibus commenſam ſententiam, quam agnoſcit Chriſti auctoritate ferri. Nec eſt timendum attentioni Chriſti, cùm hæc omnia infinitā ſupernaturali virtute perficiantur. Et hoc eſt, quod accommodatè ad captum noſtrum, ac humano more rem explicando, dicunt interdum Patres, animam deduci ad Chriſti tribunal: non enim agunt de locali deductione ad Chriſtum; nec intendunt, Chriſtum in ſuo judiciario throno venire ad quamlibet animam; ſed tantùm loquuntur de deductione intellectuali, ita ut quamvis anima judicium ſubiens humanitatem Chriſti non videat, elevetur tamen ad excipiendum dicto modo Chriſti de ſe judicium. Quanquam etiam hoc univerſaliter capiendum non ſit; cùm pleriſque purioris vitæ perſonis id gratiæ divinitus ſit indultum, ut in exceſſu è corpore fruerentur reali vel intellectuali conſpectu Chriſti. Nec eſt improbabile, aliquibus quoque reprobis ad majorem confuſionem accidere, ut Judicem juſtè ſuccenſentem cogantur intellectualiter conſpicere ſub ſpecie ultoris. Omnes igitur Chriſto reſurgente poſteriores, huic ejus judicio ſubiacent, ſed diverſimodè. Nam animæ puerorum expiatorum ſacro Baptiſmate, per Chriſti merita cœlo inferuntur, abſque ullo examine. Similiter animæ puerorum inexpiatorum, meræ damnationis judicium ſubeunt, citra ullam diſcuſſionem: intelligunt enim, ſe in æternum excludi à gloriā, auctoritate Chriſti, qui gloriæ Myſtagogus conſtitutus à DEO arcet ab ea, quotquot Sacramento regenerationis inexpiatos hinc contigerit excedere: quamvis interim abſque cruciatu, imò & abſque triſtitiæ ſenſu hanc damnationem illis contingere, ſit veriſimilius. Cæteræ omnes animæ, in corpore matureſcente ad peccandum ſufficienter diſpoſitæ, judicium diſcuſſionis ſubeunt: id eſt, ſuſtolluntur divinitus ad agnoſcendum, quibus operibus hæc illāve retributio auctoritate Chriſti reddatur; bonis optima, ſed interventu purgationis interponendæ, ſi eā egeant ob peccatorum inexpiatorum minutias, vel ob ſuperſtitem reatum; malis peſſima, & vitæ proportionata. Quidquid tandem pro ſimplicis intelligentiā vulgi vel pictores in tabulis, vel Paſtores in cathedris, vel authores in libris de hoc judicio particulari hominis mortui ſymbolizent.

Scotus in 4. d. 47.
S. Thomas parte 3. q. 59. art. 5.
Abulenſis in c. 24. Matth. q. 239.
Suarez. to. 2. 3. p. in diſp. 52. ſect. 1.
Theophilus Raynaudus in Attribut. Chriſti ſect. 4 c. 8.

400. Momenti ultimi horror, emphaticè deſcriptus.

Per me certè Cygno videbitur candidior, quiſquis tam puræ & candidæ ſit conſcientiæ, ut in illo mortis articulo, in illo Judicij particularis *momento*, cum Cygno Ligurum Rege, muſicæ artis clariſſimo, & ex Poëtarum commentis ob id ab Apolline in avem ſui nominis mutato, ſvaviter & hilariter canat. Et quidē tali *momento*, quo vitta aurea abrumpitur, & anima corpori deſinit conſeri, quo omnia dicta, cogitata, facta, omiſſa, cumuli actuum, ſive bonorum, ſive malorum immenſi, objiciuntur animæ judican-

Nat. Comes Mythelog. l. 9 c. 5.

dæ! *momento*, quo tardè miſetam animam malorum ſuorum pœnitebit, cùm die ultimo ſuperveniente ſeparari ſe à corpore ſuo viderit! *momento*, quo ſibi in finem claudenti oculos, nigteſcere & horreſcere cœperit æterna nox! *momento*, quo jacere ante ſe viderit vacuum ſalutis ac lucis infelicem commilitonem ſuum, cum quo de arenâ mundi huius per flagitium ſuum victa diſceſſit! *momento*, quo anima cœperit à corpore jam divulſa, immanes & inanes dare ſuper illud planctus, & dicere; ubi ſunt animoſitates & cupiditates tuæ, quibus hucusque impatienter arſiſti, & arſura jugiter congregaſti! *momento*, quo omnia mundi huius oblectamenta, velut inane ſomnium, & velut fugitiva umbra tranſierunt, ſolàque in perpetuũ remanſerunt crimina, & opprobria! *momento*, quo Divinæ expectationi meta poſita, & peremptorius ſalutiferæ pœnitentiæ terminus eſt abſolutus! *momento*, quo pavor conſummatur vicinâ retributione juſtitiæ; & urgente ſolutione catnis, quantò magis diſtrictum jamjam judicium quaſi tangitur, tantò vehementiùs formidatur! *momento*, quo villico iniquitatis dicitur: *quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ.* Quid tunc facient tabulæ, ſi tremunt columnæ? quomodo virgulta ſtabunt immobilia, ſi huius pavoris turbine etiam cedri concutiuntur? quando etiam homini juſto, & timenti Deum, turbatur ſpiritus! ut jure dici debeat:

Iob. 33. v. 20.

Abominabilis fit ei panis in vita ſua, & anima ejus cibus antè deſiderabilis. *Momento*, quo areſcit fœnum, flos decidit, & ipſæ quoque clauduntur feneſtræ, ut nihil ultra terrenæ valeat anima conſolationis haurire? quo diſſipatis foliis, & diſperſis, univerſa nudabitur turpitudo, apparebit ſanies, & ignominia erit revelanda! quando jam immortalis factus, æternus ille conſcientiæ vermis totâ malignitate corrodet, ſed non conſumet animam infelicem; nec erit omnino diſſimulationis locus, aut ulla ſpes conſolationis! Certè Antiſtites Synodi Cariſiacæ Ludovicum Galliarum Regem in quadam Epiſtola piè conteſtantur, ut rectè ac juſtè ſeſe gerat: & inter cætera proponunt ei.

Capitolaria Caroli Calvi tit. 24. n. 3.

„[Illam horam, quam certi eſtis, quia „nullo modo poteritis effugere, „quando anima veſtra de corpore „exiet, ante mentis oculos ponite: „quando totum mundum, & omnem „poteſtatẽ, & omnes divitias, & ipſum „corpus derelinquet; & ſine adjuto„rio uxoris ac filiorum, & ſine ſolatio „aut comitatu Drudorum & Vaſallo„rum, nuda & deſolata exibit anima; „& quidquid cogitavit, & ornare di„ſpoſuit, infectum dimittet: ſicut „ſcriptum eſt, *in illa die peribunt omnes* „*cogitationes eorum*: & videbit omnia „peccata ſua, & ſentiet, videns Dia„bolos ſe conſtringentes & coarctan„tes; & quidquid contra Charitatem „aut fidem debitam cogitavit, para„bolavit, & fecit in iſto ſæculo, & per „dignos pœnitentiæ fructus non „emendavit, ante oculos ſemper ha„bebit, effugere volet & non vale„bit.]

401. Porrò qua facie hic particularis Judicij proceſſus ſit petagendus, Pſalmus quadrageſimus nonus per inductionem demonſtrat: ibi enim poſtquam Judex obiecit peccatori malitiam ſuam, emphaticâ hac exprobatione utitur: *Exiſtimaſti iniquè, quòd ero tui ſimilis, arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Vertit D. Hieronymus: *proponam te ante oculos tuos*, ut interiora tua exactè cognoſcas, & omnes actus tuos prætetitos ſine deceptione intuearis. Non exaggerabo hanc rem rhetoricâ amplificatione; quando S. Bonifacius in quadam Epiſtolâ recenſet verè mirabilem revelationem de cujusdam morte, ubi virtutes & vitia egredientem animam certatim inclamabant. Fuſioris orationis modicam tantùm adſcribo partem.

Iudicij particularis horribilis, & diſtrictus proceſſus.

Pſal. 49. v. 21.

S. Bonifacius Ep. 21.

[„Aiebat moriens, ſeipſum omnia „audiſſe flagitiorum propria pecca„mina, quæ fecit à juventute ſua, & „ad confitendum aut neglexit, aut „oblivioni tradidit, vel ad peccatum „pertinere omninò neſciebat; ipſius „propriâ voce contra illum clamaſſe,

„& eum

„& cum diriſſimè accuſsâſſe; & ſpe„cialiter unumquodque vitium, quaſi „ex ſua perſonâ in medium ſe obtu„liſſe, dicente quodam: Ego ſum „cupiditas tua, qua illicita frequen„tiſſimè & contraria præceptis Dei „concupiſti. Quodam verò: Ego ſum „vana gloria, qua te apud homines „jactanter exaltaſti. Alio: Ego ſum „mendacium, in quo mentiendo pec„caſti. Alio: ego ſum otioſum ver„bum, quod inaniter locutus fuiſti. „Alio: Ego viſus, quo videndo illici„ta peccaſti. Alio: Ego contumacia „& inobedientia, qua ſenioribus ſpi„ritualibus inobediens fuiſti. Alio: „Ego torpor & deſidia in Sanctorum „ſtudiorum neglectu. Alio: Ego va„ga cogitatio, & inutilis cura, qua te „ſupra modum, ſive in Eccleſiâ, ſive „extra Eccleſiam occupabas. Alio: „Ego ſomnolentia, qua oppreſſus tar„dè ad confitendum Deo ſurrexiſti. „Alio: Ego iter otioſum; Ego ſum „negligentia & incuria, quâ detentus „erga ſtudium Divinæ lectionis incu„rioſus fuiſti. Et cætera his ſimilia, „omnia quæ in diebus vitæ ſuæ in „carne converſatus peregit, & confi„teri neglexit. Multa quoque, quæ ad „peccatum pertinere omnino igno„rabat, contra eum cuncta terribili„ter vociferabantur.] Hactenus S. Bonifacius: ſed verò exinde patet, quàm diſtricta futura ſit omnium occultorum, & internorum nævorum diſcuſſio, quando Deus Jeruſalem in lucernis ſcrutabitur, & animæ defunctæ præcipiet, *redde rationem. Statuam contra faciem tuam.* Vertit clariùs Iſidorus: *Statuam me contra oculos tuos.* Me & te, ait Deus, ſtatuam contra te: me creatorem tuum, qui te ex nihilo creavi; Servatorem & Redemptorem, qui te ex utero matris tuæ, quaſi abortivum ad omne dæmonis ludibrium projectum, peccati originalis leprâ infectũ, miſeratus excepi; meo ſanguine emundavi, morte meâ ſalutem tuam redemi, in Eccleſiam meam introduxi, me Sponſum tuum tibi in Baptiſmate ſponſavi, & æterni regni hæredem te conſtitui. Quid tu porro? *Arguam te, & ſtatuam te contra faciem tuam*: te bipedum nequiſſimam, ingratiſſimam, te adulteram, creaturarum proſtibulum, quæ ſpreto Sponſo tuo cœleſti *fornicata es* Jerem. 3. v. 1.
cum amatoribus multis, viliſſimis, abjectiſſimis, turpiſſimis; te perduellem, quæ derelictâ paternâ meâque conculcatâ amicitiâ & honore, Dæmoni adverſario meo ſervijſti, & in Dei tui dedecus, imò & cædem cum eo conjuraſti. *Statuam te contra oculos tuos.* Chaldæus Paraphraſtes ſic habet: *Hæc mala opera feciſti, & ego expectavi converſionem tuam. Exiſtimaſti, permanſurum te in æternum pacificè: dixiſti in corde tuo, ero fortis ſicut tu. Arguam te in hoc ſæculo, & præparabo gehennam in futuro coram te.* O bona & utilis correptio, ſi arguamur in hoc ſæculo, non in futuro; ubi inutilis erit reprobis, horribilis, & intolerabilis! Quia, Jacobus de parad. ſ. l. de
ut amicus ille, per Dei diſpenſatio- pecc. mortal.
nem poſt obitum juxta factam promiſſionem apparens alteri ſuo amico, cum incredibili mœrore cōmunicavit: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit, quàm diſtrictè judicet DEUS, & quàm ſeverè puniat.*

Ita verè. Firmiter quidem credi- 402.
mus & certò ſcimus, in illo finali mo- Interroga-
mento à Christo ſeveriſſimo Judice toria par-
nos diſtrictè judicandos: ſed velut ticularis
ille Cygnus Niobes filius, hiſce fer- Iudicij pe-
reis & ignitis jaculis invulnerabi- netrantiſ-
les, minimè penetramur horripiloſo ſimè in-
illo D. Pauli ad Hebræos monito: ducta.
horrendum eſt incidere in manus Domini. Hebr. 10. v. 31.
Niſi invictus Achilles lapidem incuteret fronti, & illa tremenda Judicis citatio horrorem validum inijceret: *Quid hoc audio de te?* Fama mihi retulit, te bona mea diſſipâſſe, deſtruxiſſe villam, agros neglexiſſe, pecudes minorâſſe: verbo, peſſimum œconomum egiſſe. Domine mi, neſcio quid dicis, neque enim tantæ culpæ me conſcium agnoſco. Quid? Ignoras Ab Acto-
te conſcium delicti, ubi tot Actores ribus ſimul
contra te in Judicio cōveniunt? Ac- denun-
cuſant te accuratiſſimi Cacodæmones, tiantibus.
qui diu noctúque tuorum ſcelerum inſidioſi adſtiterunt arbitri: accuſat

te

te propria conſcientia, quæ mordacem malè geſtorum vermen è ſuo gremio haud valet abigere: denunnant te, & contra te enormia tua conſurgunt delicta, quæ coram oculis Divinæ meæ omniſcientiæ non latent abſcondita: contra te agunt Angelici mei Miniſtri, qui tuarum iniquitatum ſpecies in irato atque indignabundo cœleſtis mei Patris aſpectu tanquam in infallibili ſpeculo expreſſas averſantur. Sol hujus diei, qui tuis etiam malignitatibus illuxit; Terra, quæ te indignum patienter ſuſtinuit; Aër, qui tuis pernicioſis reſpirationibus inſervijt; creaturæ omnes, quibus in tuam abuſus es perditionem, pugnant contra te, te graviter accuſant, ſerve nequam: reſponde, ſi potes, unum pro mille, contra tot Actores, in confrontatione adversùm te irrefortos, conſtantes, unanimes! Jam non res agitur de Interlocutorio; non de termini peremptorij prolongatiõe; non de appellatione ad ſuperius Tribunal; hoc Supremi Numinis Tribunal motam non patitur: accuſatio, probatio, defenſio, ſententia, executio eodem conſiſtunt actu, perficiuntur momento. *Quid hoc audio de te?*

Ab imagine Dei deformatâ.

redde rationem. Pretioſiſſimum meum tuæ fidei concredidi theſaurum, imaginem Divinæ Trinitatis tuo ſpiritui medullitùs impreſſi; ſed & corpus ejusdem veſtigijs condecoravi, pro ſignaturâ hæreditarij Juris ad capeſſendam cœleſtem coronam: tu verò contempto meę imaginis ornamento, neglecto & abjecto aureo meæ amicitiæ vellere, viliſſimis creaturis te copulaſti, illásque pro Numine adoraſti: *redde rationem. Quid hoc audio de te?*

A Sacramentis malè uſurpatis.

Toties res tuas peſſimè diſpoſitas attuliſti; reſtantia debita tibi toties indulſi; contractas noviter culpas tibi toties dimiſi, *quoniam* in Confeſſionali *rogaſti me*: tu verò, ſerve nequam, de mea temerè præſumpſiſti bonitate, addidiſti iniquitatem ſuper iniquitatem, concivem tuum inſuper ſcandaloſè à me avertiſti: *redde rationem.*

A profeſſione Chriſtiani violatâ.

Quid hoc audio de te? In ſacro Baptiſmatis fonte juraſti mihi fidem, & à me nomen Chriſtiani rectè ſuſcepiſti; tu me profeſſus es Creatorem, Redemptorem ac Conſervatorem tuum, à me expectans dignam factis retributionem: tu verò ſacrilege, meis frequenter abuſus Sacramentis, tuam inſtituiſti vitam ad regulas Epicuri, ad indulgentiam beſtiarum, ad effrænationem Gentilis ſenſualitatis: *redde rationem. Quid hoc audio de te?*

Ab auxilijs gratiæ neglectis.

Quómodo diſſipâſti internas inſpirationes, & præparatum meum concurſum ad auxiliandum tibi in virtutum exercitio? quàm leviter remedia ſalutis exhibita neglexiſti? quàm contemptibiliter deſpexiſti Prædicatorum publicas inſtructiones, occultas ſpiritualium Patrum commonitiones, Prælatorum cenſuras, amicorum ſuſpiria, & oblata ſingulis inſtantibus millena auxilia? quæ Pentapolitanis incolis ad eorum exterminium denegavi: *redde rationem. Quid hoc audio de te?*

Ab animæ potentijs adulteratis.

Qui dona naturæ excellentiſſima, tibi tam liberaliter collata, tam luridè prodegiſti! Immortalem animam, quam pretioſo meo ſanguine à dæmonis captivitate redemi, feciſti mancipium iniquarum paſſionum, vitiorum peripſema! Subtili tuo ingenio, & intellectu Divino abuſus es pro officinâ falſitatis, doli, erroris, malitiæ, & peſſimarum inventionum! Feliciſſima tua memoria pro penu puerilium nequitiarum, æquivocantium ſermonum, turpium cantilenarum, & damnoſarum opitulabatur ſententiarum! Liberrimam tuam voluntatem intendiſti velut arcum, ut ſagittares in obſcuro rectos corde! Corpus, quod ſibi meus Spiritus Sanctus pro ſuo elegit habitaculo, feciſti ſpeluncam latronum, ac turpium cupiditatum lacunam! Siccíne fideliter villicaſti? *redde rationem. Quid hoc audio de te?*

A corporis complexione destructâ.

Quàm pernicioſè bona corporis tui, tibi tanquam Vſufructuario à me ad bene operandum commendati, dilapidâſti cum meretricibus, & ſcortis! fortem & bene temperatam tuam complexionem fregiſti rixis, corrupiſti ebrietatibus, laſcivijs exhauſiſti! faciei tuæ pulchritudinem impuritati

tuæ

tuæ conſecraſti pro pignore carnalium deſideriorum! juventutem addiſcendis ſcientijs & virtutibus debitam, in otio & vanitatibus perdidiſti! membrorum ſoſpitatem dignis operationibus accommodam, infrunitiſſimis tuis exceſſibus corrupiſti! vitam ipſam in annos plurimos producibilem, peſſimis moribus dimidiaſti! *redde rationem. Quid hoc audio de te?* Ad quos labores aut conatus applicâſti ſerviles quinque ſenſus, Serve nequam? Non Verbo Divino, non ſalutaribus admonitionibus, non utilibus & honeſtis diſcurſibus, non æquis conſilijs aut pijs conferentijs; ſed calumnijs & detractionibus, ſed turpiloquijs & ſcommatibus, ſed nequitijs & impietatibus perviæ patebant aures. Quoties latrones & prædones in meam immiſiſti domum per oculos, quos ad omnem levitatem, & periculum erexiſti apertos! Tanquam ad incudem lingua tua concinnabat dolos, blaſphemias, perjuria, mendacia, fraudes, adulationes, calumnias, & aſpidũ tela. Pedibus tuis præceps currebas ad choreas, ad amaſias, ad inſidias, ad malum. Manus autem tuæ plenæ ſunt ſanguine, rapinis, ſpolijs, & iniquis contrectationibus: *redde rationem. Quid hoc audio de te?* Bona fortunæ, temporales tuos quæſtus, temporales divitias vel injuſtè corraſiſti, vel ſceleratè profudiſti, vel nequiter occultâſti; nullam verò earum partem mihi contuliſti: qui eram nudus in meis pauperibus, nec veſtiſti me: qui eſurivi, nec dediſti mihi manducare: qui ſitivi, nec frigidum aquæ hauſtum tribuiſti mihi: nec Altaria mea condecoraſti; nec cauſas meas promoviſti unquam: *redde rationem.* Illud enim nunc advenit tempus, de quo Canonica Epiſtola Sancti Jacobi præmonuit: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſerijs veſtris, quæ advenient vobis. Aurum & argentum veſtrum æruginavit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras, ſicut ignis. Theſauriʒaſtis vobis iram in noviſſimis diebus.*

A quinque ſenſibus corruptis.

A bonis fortunæ diſſipatis.

Iacob. 5. v. 1. & 2.

Vellem ego in hoc rerũ prodigio videre Cygnos convolare ad lacũ Hyperboricum, ad Templũ Apollinis, ut ſuo Numini lætabundos concinendo celebrarent natales! Vellem audire agonizantem, qui pallidâ morte æternitati immediatè natus, lætabundus eſſet *cantator funeris ipſe ſui*, & cauſæ ſuæ defendendæ ſufficiens Patronus! Cum quanto enim horripilio reus de tot accuſationum punctis, qua formidine reſpondebit, aut dabit replicas ſine acceptatione! quando deficiunt amici, elongantur Patroni & Advocati; quando crepuſculum æternæ noctis jam abolevit lucem, & tenebroſæ offuſa eſt caliginis atrocitas. Exhorreſcite, Auditores; ſi S. Hilarion, ille Eremi per ſeptuaginta annos rigidiſſimæ vitæ Incola, in hujus Judicij præliminaribus languidum ſuum animavit ſpiritum, ut egredi de corpore non expaveſceret, qui 101 annis in ſolitudine cum timore ſervijſſet DEO. Si Stephanus ille ſanctiſſimus in monte Carmelo Eremita agonizans inter duos Religioſos Fratres, & ſuſtinens imminentis Judicij molem, inter cauſæ ſuæ periodum anxiè pertractatam, appellavit Divinæ miſericordiæ thronum, illis Pſalmiſtæ verbis: *Non intres in judiciũ cum ſervo tuo Domine; quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Si Hubertus, Leodienſis vigilantiſſimus ſimul ac Sanctiſſimus Antiſtes, paulò antè agonem ſuum graviter expavit, ob tremendam illam citationem: *redde rationem villicationis tuæ.* Quomodo tunc nutabunt virgulta, ſi Cedri confringuntur? Quam *rationem* reddetis, ô Principes terræ, quibus omnes ſubditi ſervire debebant ad delicias & vanitates, vos autem ſubditis dominabamini ad crudelitatem & tyrannidem? Quam *rationem* exhibebitis vos, ô vos magni Eccleſiæ Præſides atque Paſtores, qui de Chriſti Patrimonio voſmetipſos, & veſtras familias paſcitis, Gregis verò commiſſi curam geritis oſcitanter? Quam *rationem* affertis, ô vos viri Eccleſiaſtici ac Sacerdotes DEI, qui pollutis manibus

403

Ratio ab omnibus reddenda ſpecificè inculcatur.

Ælianus de animal. l. 1. c. 1. Hecatæus & Oppianus.

Breviarium Rom.

Climacus l. 1. gradu 7.

Pſal. 142. v. 2.

Surius 3. Novembris.

ſacrilegi aſſiſtitis Altari, & ſimplicem plebem incautis ſcandalis perturbatis? Quam *rationem*, ô vos Monachi & Religioſi, ſi detractâ ovinâ pelle olim apparebit lupus rapax; & regularis diſciplina prorſus neglecta ad numerum pinguium veſtrorum redditum reputabitur? Quam *rationem*, ô vos Tribunalium Præſides, qui pupillo & viduæ non judicaſtis; muneribus, odijs & affectibus, ac etiam privatis emolumentis corrupti, cum ingenti partium & boni publici diſpendio ſacra Legiſlatorum Jura violaſtis? Quam *rationem* afferent parentes pro filijs malè educatis, filij pro parentibus leviter obſervatis, Patresfamilias pro domeſticis in timore Dei neglectis, Præceptores pro diſcipulis negligenter aut pernicioſè inſtructis, Diſcipuli pro Magiſtris temerè contemptis, concives pro ſuis vicinis iniquè tractatis, proximi pro ſuis proximis contra charitatem, juſtitiam & Chriſtianam ſocietatem gravatis? Quam *rationem* etiam tu reddes, ô Fr. Fortunate, ſi typho inanis gloriæ concitatus potiùs ſtuderes captando vulgari plauſui, quàm promovendo Divino honori; ſi potiùs diſſimulares vitia, quàm publicè emendares; ſi potiùs virtutes negligeres, quàm plantares; ſi potiùs vaniloquijs, quàm veritati Catholicæ navares operam; ſi potiùs formidares humanum reſpectum aut Magnatum gratiam, quàm officij Apoſtolici authoritatem.

Ergo ex *reddendâ* olim *ratione*, Auditores, rationem capeſſite ſalutis, occaſionem emendationis: & ut tremendam Judicis ſententiam non audiatis, *juvamen* à Cygno expoſcite; Vincentius l. 3. c. 17. qualem refert Vincentius in ſua hiſtoria his verbis. [In Colonienſi Diœceſi famoſum & immane Palatium Rheni fluminis ſupereminet, *IVVAMEN* nuncupatum; ubi pluribus olim congregatis Principibus, inopinatò advenit navicula, quam collo alligatam Cygnus argenteâ trahebat catenâ. Inde miles novus & incognitus omnibus exſilijt, Cygnúsque navem reduxit. Poſtea uxorem duxit miles, liberóſque procreavit. Tandem in eodem Palatio reſidens, & Cygnum aſpiciens adventantem, cum eâdem naviculâ & catenâ, ſtatim in navem ſe recepit, nec viſus eſt ampliùs: progenies autem ejus usque in hanc diem perſiſtit. Ex eo figmento in arce Clivenſi (ubi & altiſſima turris vetuſta conſpicitur, Cygnea nuncupata, in cujus faſtigio Cygni ſimulachrum volvitur) antiquiſſimis tapetis inrexto, origines Ducum Clivenſium deducunt.] Sit fides Authori. In cymbâ Chatontis ad cœleſtium Principum congregationem, ad munitiſſimam & excelſiſſimam cœli arcem provehimur; feliciter applicabimus, ſi nos eò trahat conſcientia bona, Cygno candidior; & quidem alligata argenteâ catenâ Divini timoris, ac obſervantiæ mandatorum Dei. Sic enim jubet Eccleſiaſtes: *DEUM time, & mandata ejus obſerva; hoc eſt enim omnis homo: & cuncta, quæ fiunt, adducet DEUS in judicium pro omni errato.* Eccleſ. 12. v. 13. Aut certè catenis argenteis & aureis eleemoſynarum, ac aliorum piorum miſericordiæ aut Religionis operum, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; & laudabit Dominus villicum iniquitatis, quòd prudenter feciſſet. Amen.

DO-

POST PENTECOSTEN.

CIRCUS PRÆDA-BUNDUS.

Der rauberiſche Hennldieb/ oder Wildfang.

LEMMA.

- - - *Superinſtat agens.* Strozius.

THEMA.

CIRCUMdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te undique, & ad terram proſternent te. Lucæ 19. v. 43.

SYNOPSIS CONCIONIS XLIII.

Duo potentiſſimi Hoſtes, ſcilicet Homo & Mors, inſtructiſſimis exercitibus ſuis conſiſtunt in acie; at verò poſterior priorem in ſuo præſidio doloſè obſidet, contumaciter circumdat, truculenter coanguſtat, validè proſternit, lethaliter expugnat, atque luctuoſè triumphat.

404. Circi & mortis ſymbolizatio.

SCilicet! Ita evenire ſolet, ſi debita rerum agendarum negligatur cura. Nutrit fortaſſe Materfamilias unam vel alteram Gallinam unacum teneris pullis nuper excluſis: tota generatio iſta per aream vagatur, ſecura læto & germano conſortio pippit, grana colligit, unguibus & roſtris ſubjectam glebam dividit, lætabunda, conſolata, periculi ignara. Tum ecce! ſubitò prædabundus *Circus ſuperinſtat agens*, arripit unum ex pullis, comprimit, dilacerat, deglutit, abſumit: diſperguntur reliqui; avolat clamoroſa mater, fugiunt pulli, & obvia citò ſubeunt latibula, ne prædoni cruento cedant. Ah! quantus tunc tremor & pavor! quando etiam juxta Poëtæ carmen,

Accipitrem metuens alis trepidantibus ales, Ovid. l. 3. de Ponto Eleg. 2.
Audet in humanos feſſa venire ſinus.

Paulatim tamen excuſſo terrore è ſuis prodeunt diverticulis: antiquum renovatur otium; priſtinâ ſecuritate jucundantur; nemo inſidias, nemo ſubitanea pericula obſervat: hæc pullorum recuperata beatitudo. Tum verò repentè accipiter iterùm *ſubripit, & ſuperinſtat agens*, totiésque impetuoſus redit, quousque in incautis pullis paratam reperit menſam. Scilicet ita evenire ſolet, ſi debita agendarum rerum negligatur cura. Parum quidem id eſſet, ſi non etiam homines ſimili fato premerentur; qui quidem in ſuis territorijs, modicâ terræ glebâ, unacum ſodalibus congregati deliciantur & jucundantur, periculi cujuſcunque expertes, ſine ſollicitudine ſecuri, ſine formidine tranquilli: ſed

verò ſubitò à falcatis unguibus, & adunco Circi (Mortis) roſtro quiſpiam prenſatus, ſurripitur è Sodalium oculis. Illi quidem terrore ſubitaneo perciti, & tanti prædonis pavore perculſi retrahunt ſe abinvicem, lamentantur, gemiſcunt, lachrymantur, luctum induunt; ſed verò paulatim dimiſſo mœrore ad ſuam redeunt jucunditatem, ut & Circus redeat, & unum poſt alterum ſuâ falce ſuccidat. Quæ olim Chriſtus noſter Servator commonitionis, & comminationis gratiâ, erga regiam civitatem Jeruſalem vaticinatus eſt: *Quoties volui te congregare, ſicut Gallina congregat pullos ſub alas*, ne truculento accipitri in prædam cedant, *& noluiſti*, neque cognoviſti *tempus viſitationis tuæ; & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia ecce venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram proſternent te.* Hoc ipſum vaticinium hominem concernit, eiq; mortis impetum & invaſionem prænuntiat. Ita enim clariſsimè exponit D.

S. Bonavent. ſuper Lucam.

Bonaventura: *Hoc*, inquit, *ſpiritualiter contingit contra quemlibet peccatorem manentem in proſperitate temporaliter, qui primò circumdatur in infirmitate, coangustatur in infirmitatis aggravatione, ad terram proſternitur in morte, & prorſus evertitur in incineratione.* Idem Seraphicus Doctor alio ſermone ita ſcri-

Idem ſerm. 3. in hanc Dom.

bit: *Coangustatur anima corporis infirmitate, judicii ſeveritate, dæmonis crudelitate: proſternitur corporaliter in ſepulchro, ſpiritualiter in inferno.* Itaque ne ſubitaneâ morte correpti locum invenire haud poſſitis pœnitentiæ, hanc vobis hodie coangustationem, hanc *circumvallationem* ita veraciter aperiam, ut fatalium veſtrorum inimicorum, mortis præſertim ac dæmonis, cuniculos evertere, & in illa die amaritudinis poſſitis evadere ſalvi, in nomine Jesu.

405. Acies militaris à falconibus & corvis exactè instructa.

Aggreſſurus hoſtem, aut civitatem circumvallaturus eximius belli Dux, militares ſuas legiones induſtriè diſponit; & quidem in acie dimicaturus, corpus pedeſtre in medio ſtatuit; ex utroq; latere alas equeſtres nectit, ut æqua ſubſiſtere poſsit partium ſeſe adjuvantium diſtributio: In progreſſu exercitûs aliquot centurias aut cohortes pro fronte præmittit, quas avantguardias appellant, ſed & poſt totius exercitûs tergum retroguardiam ſequi jubet, quaſi cuſtodiam à tergo conſtitutam: in acie inſuper aliquot reſervat legiones, quæ ad omnem caſum ſint paratæ cæſas vires reſtaurare. Concrepantibus dein tympanis ac buccinis, valido marte invaditur hoſtis, premitur, anguſtiatur, & ad terrâ proſternitur; expugnantur turres, imperuntur altiſſima mœnia, foſſæ trajiciuntur profundæ, aggeres præcipites & invicta ſuperantur præſidia; quia ſcilicet belli Dux tanto operi fortiter *ſuperinſtat agens.* Nôrunt hanc militarem artem vel ipſi etiam Circi, falcones & corvi, qui in quodam conflictu aciē artificioſo ordine conſtruxerant, & contra ſeſe hoſtiliter dimicârāt; prout refert Æneas Sylvius in Gallia Belgica non longè ab urbe Leodio contigiſſe. Ibi enim nidum in rupe paraverat falco, ováq; fovens, pullos avidus expectabat. Hunc corvi loco deturbavêre, ovis ejus effractis ac voratis. Spectaverunt id è proximo bubulci, fugientémq; trepidum falconem annotavêre. Poſtridie (mirabile dictu!) falcones corvíque, quaſi ex toto orbe ad pugnam vocati, iſti ſeptentrionalem, illi meridionalem tenentes partē, ordinatis aciebus, & tanquam rationis capaces eſſent, alijs qui cornua obſervarent, alijs qui media ducerent agmina diſpoſitis, atrox ac ferociſſimū prælium in aëre comiſerunt. In quo cum modò corvi, modò falcones cederent, & iterum reſumptis viribus certamen inſtaurarent, totus undique ſubjectus ager & pennis, & cadaveribus obtectus eſt. Ad extremum victoria penes falcones remanſit, qui non ſolùm roſtris, ſed etiā unguibus acerrimè decertantes, corvos omnes deleuerunt usque ad internecionem. Prodigium erat ſubſecuturi paulò pòſt prælij cruentiſſimi inter duos Epiſco-

Æneas Sylvius c. 53. Europ. Palgentam h. 1, c. 5.

pos

pos de Leodienſi Eccleſia contendentes; in quo ille tandem vicit, qui à Joanne Burgundiæ Duce adjutus, triginta millia hoſtium occidit. Sive ſoli fuerint falcones, ſive etiam cum illis accipitres & Circi, conſtat, eos artificioſè poſſe inſtruere aciem.

406. Jam cui paradoxum videatur, mortem Circo comparare, ſi nihil Circus habeat, quod non correſpondeat morti? De nomine res clara; nam & mors eſt *Circus*, aut ut digniùs loquar, *Circulator*, quærens quē devoret, nemini parcens, nemini cedens. Vtriusq; *color* ex albido, fulvo ac nigro diverſus, maculisque diſtinctus: utriq; *crura* lutea, & oſſa exſiccata: utrique *anhelitus* fœtidus, & ex cadaverum arreptorum putredine concitatus: *pectus* utrique acutum, & vel nullâ vel modicâ carne munitum, ideóque ad dividendum procax. Circo *roſtrum* aduncum & *ungues* mucronati, morti falx omnia ſuccidens. *Oculos* habet Circus ſplendidos & perpetuò mobiles, & è ſublimi ſpeculantes prædam, quorum color cum ætate mutatur: mors cæca oculis non indiget, ſed indifferenter quemliber ferit. *Linguam* latam, principio obtuſam, movet Circus: mors nullâ ſvadâ movetur, nullâ linguâ emollitur. *Alas* Circus extendit, rapacium acutiores, & ad volandum perniciſſimas: mors ſine alis volat, & momento terras ac maria ſuperat. *Cor* magnum Circo, & pugnaci ſpiritu calens: *Cor* nullum morti, & Clementiæ viſcere carens. Corda animalium devorat Circus, & eorum occiſorum ſanguine inebriatur; ita ut meritò à Chryſoſtomo *ſanguinarius accipiter* ſub appropriatione Pharaonis Ægyptiorum Tyranni audiat: at verò mors ſanguinaria vitam è venis haurit, è cordibus ſpiritum. Mortuum luget Circus, & in oculos ejus terram dicitur injicere: mors verò Medicorum errores Soli eripit, & ſub terrâ abſcondit. Deniq; Circus cæteris alitibus ita terribilis eſt, ut omnes eo advolante protinus cum clamore in fugam ſe proripiant: mors verò ex Ariſtotelis ſententiâ *terribilium omniū terribiliſſimum*, cunctis viventibus terrorē incutit ſui memoriâ, pavorem & pallorem præſentiâ. Exacta utriusq; ſymbolizatio. Itaque mors ſuam inſtruit aciem, & copias ducit ſub variorum Circorum ſignis atq; vexillis contra hominem; veteranum hoſtem ab eo die, quo pomum vetitum vitæ perenis amica commercia violavit. Sed & homo, tanquam potens Monarcha in Microcoſmo, contra tam pertinacem hoſtem validiſſimum conducit exercitum, quem duobus committit ſupremis Colonellis: ita ut parti volantis aciei præſit *Spiritus*, dirigens tot operationes mentales, iñumeras intellectiones, volitiones, inventiones, electiones, ſenſationes, omni ex parte ad dimicandum inſtructiſſimas, ad cedendum & progrediendum expeditiſſimas: Parti verò pedeſtris exercitûs *Corpus ſuperinſtet agens*, & educat ad pugnandum phalanges nervorū, muſculorum copias, turmas oſſiū & cartilaginum: verbo, militem copioſum, membranas, fibras, carnes, arterias, venas, ligamenta, tendines, ſenſuum organa, membrorum ſuſtentacula, viſcerum inteſtina, & humorum involucra. *Exercitus grandis valde*. Aut certè, ſi placer, poſita capeſis caſtra, *humanum corpus*; cujus excubiæ ſint muſculi, aggeres membra, canales venæ, foſſæ arteriæ, duces nervi, oſſa cohortes, cor cuoredigardia.

Margin: Circi & mortis ſymbolizatio exactis adumbrata.

Margin: Caſparus Scheiter l.0 de volat c.16. Geſnerus, Timæu. &c.

Margin: S. Chryſoſtom. hom. 46. in c. 13. Matth.

Margin: Albertus Magnus de animalibus, Calius,

Margin: Homo Exercitus.

Itaque mors hominem aggreditur primitus per ſtratagemata bellica: amicitiam cum eo ſimulat familiariſſimam, jucundatur cum eo, & deliciatur ſollicitè; gulam, luxuriam, crapulas, ebrietates, intemperantias graves ei immittit, in conteſtationem ſuæ familiaritatis: interim paulisper explorat vires *corporis*, perforat cuniculos, ſupplantat vires, elidit robur, diſſipat conjuncturas, & inteſtinas ſubſtruit differentias. Videns hæc doloſa ſtratagemata S. Chryſoſtomus, validâ „exclamatione fraudem detegit. [An „non videtis, inqnit, quotidie & ſum„ptuoſis mēſis, & im̄odicâ ingluvie, in„finita morborū genera induci? Vnde „podagræ? unde capitis dolores? unde 407.

Margin: Morborum ingruentia, mortis prodromus.

Margin: S. Chryſoſtom. hom. 10 in Geneſ.

 corru-

„corruptorum humorum abundan-„tia? unde innumeri alij morbi? „Nónne ab intemperatione, & lar-„giore vini ingurgitatione, quàm „oportet? Nam ſicut navis, quæ aquis „ita impletur, ut exhauriri nequeat, „ſtatim ſubmergitur; ita & homo, „quando crapulæ & ebrietati ſeipſum „exponit, in præceps vadit, & ratio-„nem ſuam ſubmergit. Denique *ja-„cet quaſi vivum cadaver, ad mala qui-„dem operanda ſæpe potens, ad bona autem „omnia nihilo ſe meliùs habens quàm mor-„tui.*] Similiter Seneca in hoc im-menſus, omnem morborum exube-rantiam ac varietatem, propter quam Medicina, quondam paucarum ſcien-tia herbarum, in tam amplam de-buit excreſcere facultatem, in luxum, gulam & intemperantiam refundit.

Seneca Ep. 95.

[„Inde, inquit, pallor & nervorum „vino madentium tremor, & miſera-„bilior ex cruditatibus, quàm ex fa-„me macies. Inde incerti labantium „pedes, & ſemper qualis in ipſa ebrie-„tate titubatio. Inde in totam cutem „humor admiſſus, diſtentúſque ven-„ter, dum malè aſſveſcit plus capere, „quàm poterat. Inde ſuffuſio luridæ „bilis, & decolor vultus, tabéſque in ſe „putreſcentium, & retorti digiti ar-„ticulis obrigeſcentibus, nervorũ ſine „ſenſu jacentiũ torpor, aut palpitatio „corporum ſine intermiſſione vibran-„tium. Quid capitis vertigines di-„cam? quid oculorum auriúmque „tormenta, & cerebri æſtuantis ver-„minationes, & omnia, per quæ exo-„neramur, internis ulceribus affecta? „Innumerabilia præterea febrium ge-„nera, aliarum impetu ſubeuntium, „aliarum tenui peſte repentium, alia-„rum cum horrore & multâ mem-„brorum quaſſatione venientium? „*Quid alios referam innumerabiles mor-„bos, ſupplicia luxuriæ?* Multos morbos, „multa fercula fecerunt. Vide, quan-„tum rerum per unam gulam tran-„ſiturarum permiſerat luxuria, terra-„rum mariſque vaſtatrix.] Hæc ſunt delicata illa & voluptuoſa ſtratage-mata, quibus *MORS ſuperinſtat agens*, hominémque ſupplantat, ut tanto va-lidiùs deinde poſſit ſuos applicare arietes, immittere copias, vibrare ſa-gittas, circumdare præſidium, coan-guſtare, & ad terram proſternere. Quòd ſi helluari ſæpiùs, tibi ſvave videatur: apageſis, quando ex hoc luxu & corporis gravedo, & ventris obeſitas, & ſpiritûs obſtructio, & oculorum obſcuritas, & vertigo, & ca-ligo, aliáque his etiam fœdiora mala pullulant. Atque utinam ea immo-deratio, ac jactura quotidianis tantùm doloribus deſcripta ſit! Nunc morbi ferè incurabiles ex his menſis origi-nem trahunt. Nam & podagra, & ra-bes, & ſacer morbus, & paralyſis, multáque his etiam graviora corpus aggreſſa ad extremum ſpiritum infe-ſtant. *Iacet* denique *quaſi vivum cada-ver, ad mala quidem operanda ſæpè potens, ad bona autem omnia nihilo ſe meliùs ha-bens quàm mortui.*

Hoc ſtratagemate labefactato ple- 408.
rumque homine, mors *ſuperinſtat agens*; Mortis in
& præmiſſarias ſuas cohortes lectiſſi- hominem
móſque militum manipulos, ſub hac irruptiones
militari theſſera, *parcendum nemini*, validæ.
truciter immittit. Vexillis varij ſunt ACCIPITRES inſerti: & quidem *Cir-cus* in circulo volare ſolitus, caput gy-rat, tantáque vertigine impetit, ut turbatum ſubſiſtere haud poſſit. *Aſtur* nobilis & frigoris amans, valido cor percutit ictu, & frigidâ defectione reddit exanime. *Medianus* canales ſanguinis perfodit, ut pateat tranſitus. *Cyanopus* pedibus inſidiatur, ut tota corporis ſubvertatur moles. *Palum-barius* viſcera enervat, & inteſtina ſuis armis enecat. *Tinnunculus* ſuo cla-more ita concitat aciem, ut ſuccum-benti homini non tantùm aures tin-niant, ſed etiam omnes ſenſus ob-ſurdeſcant. Eximia *Accipitrum* varie-tas, ſignis expreſſa, mortíque fidelis ad proſternendum hominem. In hoc quotidiano conflictu, in quo *parcen-dum nemini*, quanta ſtrages, quantus cadentium numerus, quantus letha-liter ſauciorum languor? Dum à dex-tris, & à ſiniſtris cadunt *vulnerati in bello*; hic apoplexiâ ſubitò perimitur, ille pleuriſi pungitur, alius acutâ fe-

bre

bre deletur; quando unus colicâ torquetur, alter hydrope tumeſcit, tertius cancro abſumitur; quando innumera morborum violentia, dolorum acrimonia, terrorum penetrantia, periculorum ingruentia, caſuum infelicitas, inſidiarum machinatio, omni ex parte hominem circumdant, & coanguſtant; ita ut nō audiatur alia vox, quàm vox lamentationis & doloris, quàm ſuſpiria & gemitus, quàm anguſtia ſpiritûs & medullarum.

Pſal. 114. v. 3. Tunc proſiretur moriens: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.* Tunc cum horripilio moriens perſentiſcit id, quod Adriano Imperatori poſtulanti, quid eſſet mors, reſpondit Secundus Philoſophus. *Anton. in Meliſſa.* *Mors eſt æternus ſomnus, diſſolutio corporis, divitum pavor, pauperum deſiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latio hominis, ſomnij pater, fuga vitæ, vivorum diſceſſio, reſolutio omnium.* Præ anguſtiâ mortis Agag rex Amalecitarum, pinguiſſimus & tremens, mox Samuelis juſſu occi- *1. Reg. 15. v. 32.* dendus exclamabat: *Siccine ſeparat amara mors?* Maluit Heliogabalus in cloacam vivus deſcendere, quàm mortuus in ſepulchrum; multique ne morerentur, præ pavore ſunt mortui. Alexander ipſe, orbis terror & domitor, ad conſpectum mortis intremuit, & de mentis conſtantiâ eſt dejectus, in Babylone factus ariolorum ludus atque mancipium. Sicut *Improbitas*, ita mors *NVLLO FLECTITVR OBSEQVIO.* Cæca eſt, nec videt ſubmiſſionem; ſurda eſt, nec audit humiles preces; excors eſt, nec commovetur miſeriâ; rigida & inflexibilis eſt, nec dirigitur ullis conditionibus: Nemi- *Ovid. Ep. ad Liviam.* ni Parcit; nam *Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.* Indifferens eſt, & in circino omnes tangit; nam juxta *Boëtius l. 2. de conſol. metro 7.* Boëtium,

Mors ſpernit altam gloriam,
Involvit humile pariter, & celſum caput,
Æquat ſummis infima.
Coanguſtabunt te, & ad terram proſternent te.

429. Scholaſtici pleriq; cenſent, ad dolorem tria requiri: Primum, inquiunt, eſt læſio corporis: alterum eſt cognitio ſenſûs externi, quâ hæc læſio percipitur: tertium eſt fuga quædam, ac diſplicentia in appetitu ſentiente, circa ejusmodi læſionem. *Doloris ratio & actio in corpus expenditur.* Res autem in hoc negotio ſic procedit. Inducitur primùm læſio aliqua in corpus, ſive per diviſionem continui, ſive per diſtemperiem aut turbationem humorum; eam læſionem illicò percipit tactus, ab hoc ſenſus internus per ſympathiam excitatur ad internam illius diſconvenientis objecti repræſentationem. Hanc ſequitur ex parte unâ appetitûs ſenſitivi averſio & fuga, & huic ſubjuncta triſtitia ſeu dolor: ex alterâ verò parte internam ſenſa- *Rubio in 3. d. 15. q. un. art. 2.* tionem ſequitur in homine intellectualis ejusdem objecti cognitio, & voluntatis ab eodem averſio, & huic ſubjunctus dolor. Ita ut dolor propriè non ſit in ſenſu externo, ſed in appetitu triſtitiam ſuſtinente de præſentiâ objecti diſconvenientis, per tactum prænuntium præmonito ſenſu interno, ſibi prælucente: quidquid ſit de illa qualitate dolorifica Vaſquezij, *Vaſquez. 1. part. d. 241. n. 19.* quam Ariſtoteles & omnes Medici ignorant. Abſit inepta illa Themiſtij Philoſophatio, dolores corporis *Stobæus l. de affect. moderatione.* ideò homini competere, quia Prometheus illam terram, ex qua hominem effinxerat, nō aquâ naturali ſed amaris ſuis lachrymis temperâſſet. Melior eſt Chryſippi ſententia, dicentis, virum magnanimum dolores quidem corporis poſſe perſentiſcere, ſed verò bono ſuo animo concidere non poſſe. Scio, dolores corporis, ſi æquo animo & patienter pro Dei gloria, & Chriſti imitatione, alióve eximio motivo ſuſtineantur, plurimùm conducere ad promerendam æternam vitam, & delendum peccatorum reatum. Certè Divus Franciſcus Borgias, *Ribadeneira l. 4. vita, c. 9.* Sereniſſimum Societatis Jesu ſidus, id inſtantiſſimè à Deo ſupplicabat, ut omnes conſolationes & gaudia ipſi converterentur in acerrimos dolores; unde conquerenti Comitiſſæ de Lerma de acutiſſimis doloribus, quibuscum conflictabatur, modeſtè reſpondit:

dit: *Nolenti DEUS dolores immittit, poſtulanti negat.* S. etiam Petrus de Alcantara, Seraphica item Thereſia, ita dolores, ita cruciatus & ſenſuum afflictiones deſiderabant, ut communi Proverbio exclamarent frequentiùs ad DEUM: *Aut pati, aut mori.* His non obſtantibus dolores mortis ita circumdant animam, ita coanguſtant ſpiritum, ita vires corporis proſternunt, ut niſi per frequentes actus habituata virtus, aut ſingularis Divinæ gratiæ aſſiſtentia agonizantem confirmet, rationis non rarò perturbetur uſus, ſalutis propriæ ſolertior negligatur conatus, aut certè ignaviæ cujusdam contrahatur torpor; ſi non omninò ſalutis remedia negligantur: ita ut Subtilis Doctor facilè conce- *Scotus in 4. ſent.* dat, dolores non rarò ita affligere patientem, ut impediant uſum liberæ rationis. Quapropter in perſonâ agonizantis à mortis doloribus coanguſtati, Regius Pſaltes ad DEI miſeri- *Pſal. 6. v. 3.* cordiam validè exclamat: *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.* Poſſem quidem hanc oſſium & medullarum conturbationem fortiter tandem ſuſtinere, poſſem infirmitatem tuo conſecrare honori, poſſem omnes morbi moleſtias & criſes impotenti quadam ſenſatione excipere; & hinc non ideò tuam imploro miſericordiam, ut dolores auferas: ſed quia tempus omnis meriti in morte concluditur, & finitur: ſed quia hæ ſunt nundinæ noſtræ, dum vivimus; poſt vitam nullæ merces proſtrant venales: ſed vel maximè, *quia non eſt in morte, qui memor ſit tui*; quando ſcilicet tam validi hoſtes undique circumdant corpus, affligunt, lancinant, confodiunt, mergunt, coanguſtant, deprimunt, proſternunt.

410. *Anguſtiæ agonizantis à dæmonum inſultibus.* Itaque dum omni ex parte corporis pedeſtris exercitus coanguſtatus jacet, & tot validiſſimis dolorum atque morborum ictibus proſtratus; ulteriùs irreconciliabilis *Mors ſuperinſtat agens*, & volantem ſuum exercitum pariter contra volantes hominis copias emittit. Hic dæmonum inſidiæ & invaſiones, tentationes & terriculamenta obſervare contra ſpirituales animæ potentias; prout D. Grego- *S. Gregorius hom. in Evang.* rius ait: *Diabolus maximè in articulo mortis nos aggreditur aſtutiſſimè, juxta permiſſionem ipſiusmet DEI.* En ſigna, quæ ducunt! *Accipiter levis* in vexillo ſub Colonello Leviathan; *Fringillarius* in vexillo ſub Colonello Beelzebub; *Æſalo* in vexillo ſub Colonello Aſmodæo: *Buteo* in vexillo ſub Generali Sergante Lucifero. Omnes viri fortes, armati ad bella, parati ad conflictum. Jam quâ pertinaciâ hi inimici animam agonizantem invadant, quis in morientibus non obſervavit? Enimverò anima proſtrato corpore, cujus forma eſt, proſternitur ipſa quoque, ita ut langueat, nec qua ſolebat ſenſuum integritate polleat: unde judicij imbecillitas, & ſenſuum penuria ad obſiſtendum tentatori, amplificanti noxarum gravitatem, quam priùs extenuabat, & quantùm fas eſt, enitenti, ut ad deſperationem pro peccatorum enormitate eam adigat, nec in DEO toties violato, toties contempto, fiduciam reponat. Anguſtiæ tunc hominem premunt undique: nam agitur de ſummo diſcrimine, & in quo ærumnarum æternitas vertitur. Agitur de ineundo itinere nunquam antea adito, & irregreſſibili; nec ſcitur, quid ſuperventura pariat hora. Itaque anguſtiæ homini ſunt undique, nec invenire poteſt, quò ſe vertar, quò evadat. Equitabat S. Anſel- *Theoph. Raynaudus collegial. Iurium, de Angelo S. c. 9. in ſchola.* mus, ſtipatus comitatu, qui tantum Præſulem deceret, in quo erant nobiles aliquot juvenes ſecum agentes aliquot canes venaticos: horum dentes effugere tentans lepuſculus, fortè in viâ interceptus, cùm alia non ſupereſſet ad indemnitatem via, ſub ventrem equi, cui S. Anſelmus inſidebat, quaſi aſylum captavit; allatrantibus hinc inde canibus, metuens ac pavens, nobilibus præſertim canes in miſellum evocantibus, ſed S. Antiſtitis imperio prohibitis lepuſculo infeſtos eſſe. Ipſe S. Præſul in uberes ſolutus lachrymas, in ea veluti imagine

per-

perſpici à ſe dicebat animæ à corpore degredientis angorem, præ moloſſorum Tartareorum eam undique circumſepientium rabie, ſi ipſis adjudi-
Nazianz. orat. 4. in Iulian. cetur præda. Et quia juxta D. Nazianzenum, *quod quiſque pati timuit, jam paſſus eſt*, ex juſto timore cruciatuum inevitabiliter infligendorum ingens animæ laceratio & perfoſſio exiſtet. Quid? A virtutibus rejectis inſultus animæ, & ab adamatis vitijs remorſus quàm infœliciter diſtorguebunt miſeram animam? quando virtutes quidem ſe deſpectas, & pro nihilo habitas expoſtulabunt, ac ſuam ſortem flebili deplorabunt ejulatu: vitia verò quanti ſint facta, acerbâ expoſtulatione improperabunt, & immanem ululatum ac funeſtum boatum pro ſeverâ DEI in malum ſervum ſententiâ emittent.

411. *Tentationes dæmonum in ſpecie agonizanti objectæ.* *Circumdabunt te, & coanguſtabunt te inimici tui.* Jam *Levis* accipitris (Deß Baum hábichs) ſignum expandit Leviathan, & ſtipendiarios ſuos in morientem immittit, objiciendo ſcrupulos, dubia & difficultates de Fide
Hebr. 11. Ioan. 3. Orthodoxâ. Scit, *impoſſibile eſſe ſine fide placere DEO*; & eum, *qui non credit, jam eſſe judicatum*: hinc indoctis pariter ac doctis, doloſâ ſvadâ objicit, nihil credendum; figmenta eſſe inania, quidquid de DEO, Eccleſiâ, vel æternitate communiter fuiſſe in cathedris prædicatum. Et quia *Levia-*
Eccli. 19. v. 4. *than* eſt, etiam illud Eccleſiaſtici ingenerat: *qui citò credit, levis eſt corde.* Vbi in ſubſtantiâ non evertit credentem, dubia profundiùs ſolidat, contentus illo contra hæreticos ful-
c. dubius. extra. de hæret. S. Cyrillus in Ep. ad Auguſt. mine adhibitò in Jure: *Dubius in fide infidelis eſt.* D. Cyrillus in quadam ad S. Auguſtinum Epiſtola ſcribit; quòd Euſebius notæ ſanctitatis atque eximiæ perfectionis Præſul, ubi ſacro Venerabilis Euchariſtiæ viatico ad mortem eſſet refectus, & animam ſuam ſub D. Hieronymi patrocinio DEO commendaſſet; tum ſubitò obmutuiſſe, & ſine vocis expreſſione per triduum jacuiſſe. Exinde repentè cœpiſſe exclamare varias voces: *Non facio, non facio: non conſentio: non credo: mentiris, & iterùm mentiris.* Hac in luctâ etiam nunc oculos elevâſſe ad cœlum pro auxilio; nunc faciem occultâſſe, & avertiſſe ad parietem; nunc alia difficillimæ reſiſtentiæ ſigna exhibuiſſe. Ex quibus omnes adſtantes colligerent, quàm periculoſam & duram Euſebius in agone cum tentantibus dæmonibus ſuſtinuiſſet pugnam. Vos ô docti, & in ſublimibus ſcientijs excellentes viri, hoc diſcrimen olim non evadetis: in quo, ne ſuccumbatis, intellectum veſtrum ſimpliciter captitate in obſequium fidei, & S. Romanæ Eccleſiæ; quæ propter Spiritûs Sancti infallibilem aſſiſtentiam ita in veritate eſt fundata, ut contra eam portæ inferi prævalere non poſſint. *Fringilarum* (vulgò Sprinß) proinde inducit Beelzebub, ut cum ſuis copijs omnia perfringat; à quibus novos atque novos excutiat ictus agonizans. Irrumpunt fortiter inordinatus amor, & exiſtimatio bonorum operum; pertinax poſſeſſor nunquam dimittendi divitias appetentia, excæcata iniquè ablata reſtituendi contumacia, ſubdola præteritorum peccatorum complacentia; graviſſimus pœnarum infernalium metus, radicata inimicos vindicandi voluntas; neglecta aut dilata pœnitentiæ ſalutaris frequentatio. Deliciarum inſuper, honorum, divitiarum animo obverſantium, totiúsque mundi jactura ita miſeram convoluunt animam, ita fune tartareo in labyrintho complicant, ut ſuis miſerijs ampliùs exitum invenire haud poſſit. Inſtat mox Aſmodæus cum ſuo *Æſalone*, (vulgò Smirlein) & priſtinorum amorum turpes opponit imagines, ut excitatis novis earum ſpeciebus, ad novas complacentias, & peccaminoſas animam pertrahat delectationes: quibus ampliùs agonizans cùm frui haud poſſit, & interim acutiſſimis ſqualleat doloribus ſenſualitati offenſis; affectum omnino à DEO avertit, & in amatiſſimas diſtortus cogitationes, tandem miſerè à Divino amore deficit, in quo tamen feliciſſimè contra tentatorem triumphâſſet.

phăſſet. Nec minor viribus irrumpit Lucifer cum ſuo *Bateone* (vulgò Buß-hardt) ac moribundo offundit abſurditates quorumcunque delictorum, à ſe contra Dei, Eccleſiæ, aut ſuæ Profeſſionis legem, in linguâ, mente, opere, membris ſuis, aliisve occaſionibus & circumſtantijs vitiatis perpetratorum: ſuboritur tunc de Dei bonitate, & miſericordiâ diffidentia, de impetrandâ veniâ deſperatio, de faciendâ efficaciter pœnitentiâ apprehenſa impoſſibilitas; ita ut agonizans cum
Geneſ. 4. v. 13. deſperato Caino frivolè dicat: *major eſt iniquitas mea quàm ut veniam merear.* Sed verò major eſt miſericordia Dei, quàm ut tuis quantumcunque enormibus poſſit ſuperari peccatis: tametſi fueris adulter ut David, homicida ut Diſmas, perſecutor ut Paulus, perfidus ut Petrus, magus ut Cyprianus, peccatrix ut Magdalena, Publicanus ut Matthæus; ſecurus eſto, quòd *cor*
Pſal. 50. v. 19. *contritum & humiliatum DEUS non deſpiciat*; ſed ut oſtendat divitias bonitatis ſuæ, in quacunque horâ, in quocunque momento peccator ingemuerit, & ex toto corde peccata ſua deteſtatus fuerit, omnium iniquitatum ejus obliviſcatur. Sequere D. Auguſtini conſilium ſecuriſſimum: *Pœnitentiam age, dum ſanus & ſecurus es; ſemper deinde dicas, confeſſus ſum.*

412. Angustiæ agonis malis intolerabiles, bonis mellificatæ. Venerab. Beda ſuper Lucam.

Obſidionem animæ agonizantis, circumvallationem corporis morientis Venerabilis Beda conſiderans, per hoſce inimicos apertè intelligit Spiritus infernales, qui bellum gerunt adversùs myſticam animæ noſtræ Jeroſolymam. [Qui unquam, ait, ſunt „humanæ animæ majores inimici, „quàm maligni Spiritus? Qui hanc à „corpore exeuntem obſident, quam „in carnis amore poſitam deceptorijs delectationibus fovent: quam „vallo circumdant, quia ante mentis „ejus oculos reductis iniquitatibus, „quas perpetravit, hanc ad ſocietatem ſuæ damnationis trahentes co„arctant: quam undique coangu„ſtant, quando ei non ſolùm operis, „verùm etiam locutionis, atque inſu„per cogitationis iniquitates replicãt; „ut, quæ priùs ſe per multa dilatavit in „ſcelere, ad extremum de omnibus „anguſtietur in retributione.] O quanta tunc anguſtiatio ſpiritus, quando *DEUS armabit creaturam ad*
Sap. 5. v. 18. *ultionem inimicorum.* Quando reprobus nullum poterit invenire diverticulum ad iram Dei effugiendam; qui ſi convertat ſe ad cœlum, illud fulminibus contra ſe armatum eſſe deprehendet; ſi ad terram reſpiciet, hæc ignem copioſum evomet; ſi ſe in ſpeluncis & cavernis abſconderit, præcipitabitur in occultas voragines; ſi anxiè inquirat amicos pro auxilio, dæmonibus occurret. Miſer peccator ſic deprehenſus quò effugiet? latere enim impoſſibile, apparere intolerabile. Si quæris, quis te accuſet? dico, totus mundus: quia offenſo creatore, omnis creatura averſatur perditum odio. Devotiſſimus pariter ac doctiſſimus Idiota, conſiderans textum Pſal-
Idiota l. 7. contemp. de morte. Pſ. 33. v. 22. mi, *mors peccatorum peſſima*, præ horro„re exclamat. [Mors peccatorum peſ„ſima eſt, Domine Jesu Chriſte. Mala „ſiquidem eſt in amiſſione mundi, „pejor in ſeparatione carnis, peſſima „vermis & ignis contritione duplici. „Habebit namque peccator horrorem „in exitu, dolorem in tranſitu, pudorē „in conſpectu tuo, & pavorem nimiũ; „cùm dimiſſis omnibus (quorum erat „illi præſentia jucunda, gratus aſpe„ctus, cohabitatio familiaris) de nota patria egrediens, ad incognitam „penitus veniet regionem: cui etiam „occurrent teterrimæ creaturæ, horri„dæque larvæ hoſtium antiquorum. „O benigniſſime Domine Jesu Chri„ſte, quis juvabit peccatorem in die „tantæ neceſſitatis? quis tuebitur „eum à rugientibus præparatis ad „eſcam? quis conſolabitur.] Nemo conſolabitur impium, nemo peccatori feret ſuppetias: quas tamen juſti Deúmque timentes à ſuis ſanctis Angelis Cuſtodibus fideliter recipient. Etenim dum in hoc conflictu à ſiniſtris horrenda dæmonum turba *ſuperinſtat agens*, à dextris verò virtus Ange-
Succurſus S. Angeli Cuſtodis. lici Cuſtodis præſtolatur, in illo, qui medius eſt, liquidò deprehenditur,

cui

cui parti jure poſſeſſio vindicetur. Nam ſi pietatis in eo videntur inſignia, magno tunc ſubſidio ac levamini eſt S. Angelus Cuſtos homini agonizanti in eo diſcriminis æſtu; ſolans & confortans, & quantùm fas eſt, diſpellens mœrorem, ac nebulas triſtitiæ à Sathanâ infuſas diſijciens, appoſitis ex Divinæ Bonitatis illuſtribus quibusque ſpeciminibus prudenter ſuggeſtis, tabeſcentis animæ malagmatis: ſed & invitationis Angelicæ blanditijs oblinitur, atque harmonicæ melodiæ dulcedine, ut exeat, provocatur. Quòd ſi verò eum ſiniſtræ parti meritorum nigredo, & fœditatis ſqualior adjudicet, intolerabili mox terrore concutitur, repentini impetûs violentiâ perturbatur, præcipitanter invaditur, ac de miſeræ carnis ergaſtulo violenter evellitur, ut ad æterna ſupplicia jam cum amaritudine ab inſultantibus dæmonum turmis pertrahatur.

415. *Amicorum in morte importunitas & circumſtantia.* Poſt omni ex parte ſic devictum, circumdatum, coanguſtatum, & enervatum hominem in corpore & anima, adhuc *Accipiter Circus ſuperinſtat agens*, & ultimam ſuæ victoriæ imponit virtutem; producens *reſervatum* belli nervum, quo hoſtem omninò in terram proſternat. *Et proſternent te inimici tui in terram.* Quinam inimici? Qui lectum circumſtant morientis; conjunx, liberi, nepotes, conſanguinei, ſodales, familiares; juxta illud Matthæi: *Inimici hominis domeſtici ejus.* *Matth. 10. v. 36.* Legit Syrus: *Et inimicos habebit vir filios domûs ipſius.* O quàm anguſtiant morientem filij, filiæque circumſtantes lectum! Liberos puſillos paulò pòſt relinquere puſillos, & incertis educationibus atque accommodationibus dimittere quàm amarum parenti, ſpem poſteritatis ſuæ in relicta prole conſtituenti! Conſortem dulciſſimam, hinnulum chariſſimum videre orbatum, viduum, ac plurimorum offenſis objectum! Sodales in vitæ converſatione jucundiſsimos, nunc à longè ſtantes, nunc impertinentia negotia ſimulantes, nunc tepido affectu valedicentes! Fortunas ſuas tam anxiè comportatas, & tam inquietè cuſtoditas vel auctas, diripientibus cedere! quàm amara hæc omnia, homini cum morte colluctanti! Accedit graviſsima Magiſtri Sententiarum doctrina; *Mag. ſent. in 4. d. 7.* quòd vix ullus, quem morbus urget, & pœnæ terrent, ad veram ſatisfactionem veniat; maximè cùm filij, quos illicitè dilexit, ſunt præſentes: quia illi anguſtiant moribundum, ne reſtituat iniquè ablata. O quàm maturè præmonuit D. Jeremias: *Vnusquisque* *Ierem. 9. v. 4.* *ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam; quia omnis frater ſupplantans.* Hi ſunt inimici tui, qui quidem ſubinde mœrorem & planctum ſimulant, de tuo tamen obitu clàm conſolatione replentur: hinc properant, ut cadaver tuum biduanum aut triduanum, jamjam fœtore accedentes gravans, cum aliquali luctûs ſolennitate è domo efferant; atque ita profundè in terram proſternant, ita bene in ſepulchro collocent, ita cautè ſuperimpoſitâ lapidis mole cuſtodiant, ut ampliùs egredi haud valeat; & denique nullus lapis ſuper lapidem remaneat, nullum os ampliùs oſſi cohæreat.

Audiſti, ô homo, quos hoſtes timere debeas? quàm atrociter Mors agonizanti *ſuperinſtet agens?* in quæ diſcrimina rerum te tandem ultima vitæ tuæ hora rediget? quas inter anguſtias dolorum, & inimicorum inſidias, ultimum concludes momentum? Nunc *ſi ſapientiâ tuâ plumeſcit Accipiter, extendens alas ſuas ad auſtrum*: *Iob. 39. v. 26.* ita juxta D. Gregorij interpretationem, ſancti Spiritûs flatu concaleſcens, inveteratas iniquæ converſationis plumas abijce; & bene vivendo novas melioris vitæ aſſume pennas, ut ſecutus poſsis mortis anguſtias contemnere, & ad cœleſtis gloriæ præſidium liberè evolare.

Amen.

POST PENTECOSTEN.

PHASIANUS STOLIDUS.

Der dolle Faſan.

LEMMA.

Hominum ſententia fallax. Ovid, 5. Faſtorum.

THEMA.

Non ſum ſicut cæteri hominum. Lucæ 18. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS XLIV.

Sententia S. Chryſoſtomi, *Non poteſt eſſe ſuperbus, qui fatuus non ſit, ſtultitiâ verò plenus eſt ſuperbus*, gravi inductione diſquiritur; ac tandem efficaci Epilogo ad æqualitatis ſtateram ſuperbi trahuntur in morte.

414. Phaſianus ſuperbi etymon.

SI fortè hodie orexis quempiam irritat ad guſtandum argumentum de pretioſiore ac rariore aviculâ, variarum quidem occurrerent cupediarũ genera; & ex delicijs Ornithologicis concupiſcentiæ, quas lixæ, coqui, tabernarij, pincernæ, gaſtrimargi & placentarij poſſent delicatè præparare; niſi amarũ dulci admixtum cupediam deſtrueret, & hodiernus Phariſæus Publicano oppoſitus diſguſtum Auditoribus graviſſimum concitaret; dum meliori ſe ſanguine natum, excellentiori virtute inſignem, clariori pietate illuſtrem, majori longè dexteritate, auſteritate, prudentiâ, religione ac ſanctitate conſpicuum jactitat, inſolenti faſtu ſeſe omnibus anteponendo: *Non ſum ſicut cæteri hominum. Veruntamen*, quidquid me tandem ab hoc propoſito poſſit divertere, *dicam*, (ut audacter cum D. Chryſoſtomo loquar.) *Phaſianas aves, fercula affluenter mixta, humidos & avidos cibos, leges ſuper hu*

S. Chryſoſtom. hom. 17. ad pop. Antioch.

poſitas. Dum & patriâ & decore, & ſapore cæteras omnes videtur ſuperare volucres, cum Phariſæo ſibi ſtultè applaudit Phaſianus, *non ſum ſicut cætera avium.* Patria enim huic Colchos eſt Inſula, ubi primò fuit genita ad ripas Phaſi fluminis; unde ab Argonautis primò in Græciam, exinde verò ad alias terræ nationes pretioſo affectu deportata clareſcit; quomodo de hac ave etiam Martialis canit. Martial. L13. Ep.

Argivâ primùm ſum tranſportata carinâ,
Antè mihi notum nil niſi Phaſis erat.

Decor ei eximius varietate colorum, plumarum vivacitate, macularum elegantiâ, intuentes in delicioſam rapit admirationem. Nec animus deeſt venuſtati, quem erecto gradu, volubilibus oculis, alto & criſtato capite, ad non inane terriculamentum obviantium jactabundus præſefert. Sapor ei ita rarus, ita voluptuoſus, ut à ſolis Apicijs ac Philoxenis in menſis Magnatum quæratur, & in delicijs habeatur, ſiccæ cæteroquin naturæ, & ventrem ſtringens: *Non ſum ſicut cætera avium. O HOMINUM SENTENTIA*

TIA FALLAX! Fateor te, mi Phaſiane, in omnibus ſuperbi typum gerere, nec quidquam aliud tuis artubus & motibus deſiderare, quàm magnus æſtimari, *monſtrari ac dicier, hic eſt.* At enimverò, dum ſuperbit maximè Phaſianus, ſtultus efficitur atque ridetur: quippe, ut Tertullianus refert, cùm Phaſianus videt canes inſequentes, venantium turbas, & pertæſus fugæ, & ineptus remedio, quo tumultui tanto ſeſe eripiat, prædatoribus obvertit humeros, & in obviam arborem ſe immittens caput abſcondit. In ea ſecurum ſe putat, quòd non arcus nec pharetras videat, atque ideò ſe non patêre ullius oculis. Ita deceptum venator invenit, aggreditur, nullóque captum periculo plumis primùm, dein vitâ ſpoliat.

Tertull. [illegible] lo 3. c. de vel.

Hanc aiunt, cùm deliteſcendum habet, caput ſolum planè totum in condenſum abſtrudere, reliquam ſe in aperto relinquere. Ita dum in capite ſecura eſt, nuda quâ major eſt, capitur tota cum capite.

Ælianus l. 16. c. 11.

Contrariâ ſtultitiâ agitur Pæfagus, qui abſcondendo caudam arbitratur ſe inviſum, & ſecurum ab invaſione venatoris, ſciens ſibi ab eo ob caudæ pretium ſtrui inſidias. Ita nempe in præſumptuoſis noſtris arrogantijs nos *FALLIT OPINIO*; prout rectiſſimè Juſtus Lipſius diſſerit: *Nimis citò opinionibus abducimur; & quid aliud ferè hodie noſtrum dicere aut docere?*

Juſtus Lipſius l. 1. Manuduct. diſſert. 8.

Exinde adverto, veriſſimè dixiſſe S. Chryſoſtomum: *Non poteſt eſſe ſuperbus, qui fatuus non ſit, ſtultitiâ verò plenus eſt ſuperbus.* Quod ego ſequenti diſcurſu luculentiùs demonſtrabo.

S. Chryſoſtom. hom. 39. ad pop.

415. Stultorum plena ſunt omnia.

Paradoxa cuipiam meritò videtur Ciceronis ſententia, enuntiantis, *ſtultorum plena eſſe omnia.* Quis enim tam effrontis & temerarij eſſet ingenij, qui per omnes hominum conditiones diſcurrendo auderet pronuntiare ſtultos ruſticos, ſtultos opifices, ſtultos mercatores, ſtultos Philoſophos, ſtultos Juriſtas, ſtultos Aſtronomos, ſtultos Medicos, ſtultos Theologos, ſtultos Magiſtratus, ſtultos Principes? *Stultorum plena ſunt omnia.* Propè ad Ciceronis mentem acceſſit Medicus quidam Germaniæ, qui in celebri urbe ante ædium ſuarum fores expoſuit picturam, repræſentantem plurimos hominum ſtatus in cappis ſtultorum: in medio eorum propria ipſius effigies, ſicut & alterius Medici, gravi & livoroſâ æmulatione ſtimulati, ſecū urinam in vitro conſiderantis. Quisquis hanc pictam ſtultorum ſcenam intuebatur, ſannis & riſu eos cenſuit. Equo vectus tranſibat Nobilis, qui ſubſiſtens & intuens tabulam riſit, joco ſo lepôre ſciſcitans: quanta ſtultorum ſocietas in hiſce ædibus verſaretur. Subitò ad feneſtram conſiſtens Medicus, dum hæc à Nobili excipit prolata, protinùs refundit: Bene dicis, multa hìc ſtultorum ſocietas in his ædibus commorantium, ſed longè major numerus prætere quitantium. Subſcripſerat fortè ſuæ tabulæ hanc gnomam: *ſtultorum plena ſunt omnia.* Sed verò num toleremus hujus criſis enuntiationē? Nunquid non antiquiſſima Sichimorum civitas de tribus olim gloriabatur decoris; de *ſecuritate*, quam portis ſemper apertis teneret; de *divitijs*, quas ſine obligatione æris alieni poſſideret; & de *Sapientiâ*, qua ita clareſceret, ut ad publicos ludus ex civibus nunquam invenirent, qui ſtultiſando alios exhilararet, ſed talē ex alia vicina civitate mutuum peterent? Et quot in hoc Auditorio præſentes ſunt viri ſapientiâ clariſſimi, rebus præclarè geſtis, dexteritate, maturáque in dirigendis negotijs circumſpectione celeberrimi? ſine quorum præjudicio impunis tranſeat Ciceronis ſententia? Scio, olim Pariſijs repertam domum, in qua domeſtici ſtulti naſcerentur: ſcio, Antycitanas Inſulas haud alios progenerare incolas quàm ſtultos: ſcio, Laplandos ideò tales à Germanis nominari, quia in negotiationibus ſeſe plurimū ſtultitiâ tinctos demonſtrant: ſcio, Atlantides & Pſyllos in Africa, Lesbios & Cumanos in Æolide, Arcades & Abderitas, ſtupidiſſimarum Nationum ſibi conciliâſſe famam. Et quidem æquo foret ſuſcipienda animo criſis, quam Thomas Morus in ſupremi

mi Parlamenti Collegio ſub Henrico VIII. Angliæ Rege dedit Cardinali Thomæ Wolſæo, ſupremo Regni Præfecto. Cùm enim Cardinalis ab Optimatibus quidpiam magni momenti expoſceret, in quod iſti cum graviſſimo Eccleſiæ Romanæ ac Reipublicæ Chriſtianæ detrimento protinus conſentirent; ſolus ſeſe more ſuo oppoſuit Regni ſupremus Cancellarius Thomas Morus, vir de maximis Eccleſiæ rebus ſummè meritus. Exinde ſtomachatur Cardinalis, Moro humiles natales objicit, de temeritate toti Parlamento reſiſtendi publicè objurgat; tandémque increpat, eum velut ſtultum & inſipientem fuiſſe locutum. Haud ſegnior Cancellarius reponit: *Ergo ſupremo Numini unanimes agantur gratiæ, quòd Anglia Rex inter ſuperioris Parlamenti optimates unicum duntaxat ſtultum ſuſtinere dignetur.* Hæc quidem ſingula particularem quandam ſtultitiæ notam inferunt; ſed *ſtultorum plena eſſe omnia*, non à Sapiente Cicerone prolatum eſſe crederem, niſi etiam ſapientiſſimus Eccleſiaſtes ſuam adijceret teſſeram, dicens: *ſtultorum infinitus eſt numerus.* (*Eccleſ. 1. v. 15.*) Vos, qui hæc auditis, nolite contra utrumque excandeſcere; nam D. Chryſoſtomus lucubrationem addit: *Non poteſt eſſe ſuperbus, qui fatuus non ſit; ſtultitiâ verò plenus eſt ſuperbus.* Cùm ergo paſſim ſeſe prodant elato animo, inflato ſpiritu, ac ſuperbâ gradientes viâ homines, ſubſcribo & ipſe Sapientum apophtegmati *ſtultorũ plena eſſe omnia, & numerum infinitum.*

416. *Superbia Phariſæi exagitatur.*

Vt percipiamus, quàm veriſſimum ſit, omnem ſuperbum eſſe ſtultum, ingrediamur hodie Jeroſolymitanum Templum, in quod ſubierunt duo cives oraturi; quorum alter erat Publicanus, alter ſcripturarum ſcientiam oſtentabat. Audiamus, quæ oratio fuerit eruditi, & Prophetas ſcientis Phariſæi: *Jejuno bis in Sabbato; decimas do omnium, quæ poſſideo; non ſum ſicut cæteri hominum.* Potuitne Lucifer majorem ſibi ſomniare arrogantiam, cùm ob intolerabile ſuperbiæ pondus è ſupremis Empyrei cœli ſphæris in centrum voraginũ eſt detruſus? Is ſtultâ ſuperbiâ inflatus voluit ſimilis eſſe Altiſſimo, licèt bene agnoſceret, ſe ab Angelicis choris non eſſe diverſum; quibus ſeſe antepoſuerat, quaſi Sol minoribus aſtris ſtipatus. At verò Phariſæus, ſtulto faſtu percitus, execrandam ſuarum actionum jactantiam arbitrabatur eſſe orationem, qua ſe omnibus anteferret mortalibus, & Superos in ſuæ ſanctitatis admirationem abriperet. Gilbertus Abbas plura audiendi impatiens, tum inceptam in Publicanum ſatyram, tum contextum in propriam laudem panegyricum, formidabili voce interpellat. *Phariſæe non rogas, ſed propè aſtanti Publicano injurias irrogas. Tu de teipſo perhibes teſtimonium; exiguum eſt teſtimonium tuum. Duo quædam in oratione tua non tam redolent, quàm fœtent, tumor & tepor. Tumor eſt in eo, quòd Publicano improperas: Tepor, quia omnino nihil rogas.* (*Gilbertus ſer. 23 in Cant.*) Conſiderate modò (ſi noſtra tamen vitia horrere poſſumus) quàm ſuperbia, omnium ſcelerum radix, ita Phariſæum infatuet, ut hæc ei videatur eſſe oratio DEO oblata; atque ideò fons gratiarum, quas ſolet Divina Pietas in animum verè orantis effundere. Tam vehemens ſcilicet, tam proterva eſt ſuperbientis imaginatio, ut ſemetipſũ extra rerum ſeriem extrahat, in loco ſublimiori collocet, & totum rationis ac virtutis ordinem perturbet. Didacus, noſtri Seraphici Ordinis clariſſima STELLA, appoſitè oſtendit, quòd hic Phariſæus actum quidẽ orationis præſetulerit, ſed in rei veritate plus nõ intellexerit, quid faceret, quàm ſtultus aliquis, qui eleemoſynam oſtiatim collecturus & collum ſuum aureis circumdaret monilibus, & pretioſis veſtimentis indueret corpus, credens, hæc ſibi fore media ad majorem in proximorum animis excitandã compaſſionem: cùm potiùs laceras debuiſſet induere veſtes, & ſua manifeſtare vulnera. (*Didacus Stella ſuper Luc.*) Ridete ſuperbi ſtultitiã; quam ampliùs ferre non potens S. Chryſoſtomus, & mendacij arguit, & gravis „injuriæ. [Quomodo, inquit, ſenten„tiam de omnibus hominibus, cùm te „jactas, (*S. Chryſoſt. in Pſal. 33.*)

„jactas, dediſti, ut diceres: *Quia non ſum ſicut cæteri homines?* Si homo es, „caſibus plenus es: ſi homo es, pugnas cum ſarcinâ carnis, cum voluptatibus ventris, cum avaritiæ cupiditatibus; ſi homo es, ſenſus tui impugnantur deſiderijs: agnoſce miſer, quia caro concupiſcit adversùs „ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem; hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non ea, quæ vis, facias. „Quomodo ergo non es ſicut cæteri „homines, cùm te ipſum non videas, „quid ſis?] Nec agnoſcas, quòd ſtultus factus ſis in tuis adinventionibus, & phantaſijs, quêis appetis ab omnibus *digito monſtrari & dicier, hic eſt.*

417. *Superborum ſtultitiam indignamur.*

Non ſum, ſicut cæteri hominum. Vanitas & ſuperbia ita ſtultorum eſt propria, vix ut mente captum aliquem invenias, quin hoc vitio inſigniter laboret: imò ſuperbia tam manifeſta eſt ſtultitia, ut cùm pleraſque alias mundi ſtultitias vel excuſare, vel etiam ſpecioſo Sapientiæ nomine honeſtare conentur mundani homines, hanc unam non vehementer accuſare atque odiſſe non poſſint, juxta illud Eccleſiaſtici: *Odibilis coram DEO eſt & hominibus ſuperbia.* (Eccli. 10. v. 7.) Et verò quàm ſit manifeſta ſuperborum inſania, argumento ſit illud ejuſdem Eccleſiaſtici: *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.* (Eccli. 19. v. 27.) Ecquid enim? Inducite tantiſper hominem pileo ex altera tantùm aure ſuſpenſo; pendulâ in humeros infami, & non niſi tali capite dignâ caudâ; cervice non ſtatâ, & faſtu ferociter erecta; ore ſupercilioſo; naſo contumeliam, & contemptum ſpirante: ampullatis buccis verba crepantem; anſatis brachijs vix æquante thoracem pallio; fluentibus ad ſuras caligis; ſubſultantibus, & ad æquilibrium velut agitatis gradientem humeris ac pedibus; arcuatum brachium imponentem femori: *non ſum ſicut cæteri hominum* Quid ergo quæſo, vel morio, vel *μωρὸς*, hoc eſt, ſtultus, mirè ſibi in ſuis ineptijs ac captioſis phantaſijs complacens, & pares omnes ſuo ſupercilio poſtponens; ut proinde rectè dixerit S. Auguſtinus: *Qui ſibi placet, ſtulto homini placet.* (S. Auguſtin. Pſal. 122.) Nullo proinde, vel admodum exiguo diſcrimine, cum ſuperbis atque ſtultis agimus: quemadmodum enim ſtulto quidpiam narranti atque affirmanti aſſentimur, nec, tametſi aliter rem habere ſciamus, quidquam tamen ejus dictis opponimus; tum ne gratis quæramus jurgium, tum ne in caſſum perdamus verba: ita planè cum ſuperbo, ſe ac ſua putidè jactante, nos gerimus. Niſi fortè rectum diſcrimen obſervet D. Chryſoſtomus: quòd licèt ineptientem ſtultum rideamus, ejus tamen etiam aliquâ commiſeratione tangamur; at verò ſuperbum & rideamus, & indignemur, imò in animo deſpiciamus. Menecrates Medicus ad tantam ſuæ facultatis penetravit excellentiam, ut paſſim ab omnibus celeberrimam famam ſibi vindicaret: dicebat ergò, *non ſum ſicut cæteri Medici*; faſtúque inflatus ſibi arrogabat cujuſdam Jovis eminentiam. (Ælian. l. 12. var. hiſt.) Hac ſtultitiâ correptus ſcribebat Philippo Macedonum Regi literas, tali epigraphe: *Philippo Menecrates Iupiter ſalutem.* Advertit rex tonum ſuperbientis, eique ſtomachabundus reſpondit: *Philippus Menecrati Medico ſanitatem.* Quâ utique plurimùm indigebat, dum capite delitaret: *ſtultitiâ quippe plenus eſt ſuperbus.*

418. *Potentes & ſapientes per ſuperbiam ſtulteſcunt.*

In hoc agmine ſtultorum, quod Phariſæus ducit, primi videntur choreizare *viri potentes à ſæculo*: qui armis, victorijs, & viribus dum magni evadunt atque animo intumeſcunt, tum maximè videntur ſtulteſcere, cùm dicunt in corde ſuo, *non ſum ſicut cæteri homines.* Seneca infelicem vocat Alexandrum M. quòd in minimo puncto ſe dixerit magnum. (Seneca Ep. 91.) *Ita dico*, inquit, *infelix ob hoc, quòd intelligere debebat, falſum ſe gerere cognomen: quis enim in puſillo magnus eſſe poteſt?* Nemo ſanè. Stulti potiùs ſunt appellandi, qui Alexandrum M. æmulantur, & in parvo puncto magnitudinem ambiunt: quippe dum magnitudinem in puncto quærunt, dum magnas potentias in mundo affectant, dum gloriam

riam vanam ſpirant, dum inſolenti faſtu tumeſcunt, dum pomposo apparatu procedunt, dum ambulant in magnis & mirabilibus ſuper ſe; ſubitò in punctum impingunt, allidunt caput, offendunt pedes, crepant medij, fundunt viſcera; & ex puncto, per punctum, *in puncto ad inferna deſcendunt.* (Job.21.v.13.) Æquè ſtulti ſunt, qui ſcientiâ inflati ſuper aſtra Dei conſcendere ſatagunt, & in altiſſimis ponere nidum ſuum, ut cæteros deſpiciant, & velut abortivos contemnant; tantò ſublimiùs elati, quantò ad profundiorem lapſum deprimendi. (Rom.1.v.22.) *Dicentes ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Stulti facti ſunt in cogitationibus ſuis, quibus evolârunt, ut lapſu graviore ruant; *obturaverunt aures ſuas*, ne Chriſto obſequerentur; *erraverunt ab utero*, ut ad reprobum ſenſum darentur. Quid enim ad tantam inſipientiam induxit plurimos, ut à viâ veritatis & ſalutis deficerent? Ut Apoſtolorum tempore Simon magus à dæmonibus velut volans in aëre circumferretur, pro Numine adoratus à plebe? Ut Photinus ſimplicem & veracem Chriſti doctrinam reijceret, quominùs à tot Orthodoxis Theologis, quorum familiaritate cumprimis utebatur, ad veram Eccleſiam converteretur? Ut Ebion & Cerinthus, propter conſtantem in præſtitutis erroribus pertinaciam, à S. Joanne Evangeliſtâ dicerentur *Primogenitura diaboli?* Ut Valentinianus ob negatos mitræ Epiſcopalis ſplendores ab Eccleſiâ deficeret, & maximam Fidelium frequentiam in ſuæ hæreſeos pravitatem induceret? Ut Gnoſtici, ſeu cognoſcentes, ſuam ſectam cæteris omnibus clariorem & ſapientiorem extollerent? Ut Apollinaris, Marcius, Arius, Pelagius, Chriſtiano orbi tam funeſtas faces immitterent? Ut perfidus Lutherus nec Univerſali Romanæ Eccleſiæ ſe ſubmitteret, nec Oecumenico Concilio Tridentino ſubſcriberet, nec Divinæ Veritati in Scripturis Canonicis revelatæ obtemperaret? Ut acuminatum Calvini ſupercilium in Religionis myſteria tam doloſè ac ſubtiliter fureret? Ut tanta in Fidelium gregem, quæ præ oculis ingemiſcimus, damna ingruerent? Hæc omnia mala, quorum contritio, velut mare amarum, magna eſt, originaliter promanant tanquam rapidiſſimi torrentes à modico fonte ſuperbæ phantaſiæ, qua dixit inſipiens in corde ſuo: *Non ſum ſicut cæteri homines.* Sic *dicentes ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Et *non poteſt eſſe ſuperbus, qui fatuus non ſit.*

In eosdem ſtultitiæ ſcopulos illidunt, qui generis *nobilitate* intumeſcunt, quique honores ac publicas aucupantur dignitates. Et quidem circa generis nobilitatem, quâ ineptè ſibi perſvadent Nobiles, *ſe non eſſe ſicut cæteros homines*, quàm apertè ſtulteſcunt? Cùm inprimis generis nobilitas ſit bonum adeò extrinſecum, ut vix à ſapientibus, quòd inter noſtra bona numeretur, dignum cenſeatur; juxta tritum illud: *nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi, &c.* Deinde Natalium ſplendor non niſi analogicè dicitur *Nobilitas*; utpote cujus verum decus ac dignitas non à ſanguine, ſed à virtute derivetur; unde etiam appoſitè in venæ ſectione quidam Medicus aſſerebat: *Rubrum vidi ſanguinem, non nobilem.* Et D. Gregorius Nazianzenus generis nobilitatem nil aliud aiebat eſſe, quàm *veterem ſanguinem.* Certè nullum æquè inter omnia bona calumniæ patet, quàm generis ac propaginis nobilitas: ſiquidem ut ſcitè notavit Plato, ſi cujusque inde ab ipſis naturæ incunabulis eruatur ac repetatur genus, ſicut non occurret tam ruſticus quiſpiam, quin ſuum genus poſſit à regibus accerſere; ita nec tam nobilis, quin propaginem ſuam à ſervis acceptâ referre non debeat. In hoc D. Ludovici Galliarum Regis Chriſtianiſſimi, juxta & religioſiſſimi, ſingularis eluxit modeſtia: fertur enim Rex iſte ſanctiſſimus, eximium veræ nobilitatis ſpecimen, nusquam libentiùs quàm Poſſiaci diverſari ſolitus; nec non & ſolitus dicere, nusquam ſe, non Rhemis, licèt eſſet ibi inauguratus, non Pariſijs, quamvis ea ſit regni ſedes ac metropolis,

419. Nobiles ſuperbi[illegible]

S. Greg. Naz. in carm. de vita [illegible]

polis, non denique ullo in regni ſui loco, ampliore quàm Poſſiaci honore affectum ac decoratum eſſe; utpote quo in loco eſſet ſacro fonte tinctus, ac Chriſtiani nomine inſignitus. Quam nobilitatem adeò præcipuam ſemper & antiquam habuit, ut vel pauperibus eâ ſibi exæquatis, parem ſe ac etiam inferiorem, cibis non rarò manu propriâ miniſtrandis præbere, alienum haudquaquam à ſuâ perſonâ duceret. Quo Sanctiſſimi Regis facto eorum Nobilium confutatur inſania, qui ſolidam Chriſtiani nominis dignitatem vix penſi habenres, in evanidâ illâ natalium claritate totam nobilitatis laudem conſitam eſſe ſtultè exiſtimant, eámque virtutum ſplendori longè anteponunt.

420. Sed nec ij melioris digni ſunt cenſuræ, qui *honores* ac *dignitates* venando ſuperbiunt. Quis enim haud dignè rideretur pro ſtulto, qui umbrâ ſuam ſvâpte naturâ ſequi ſolitam, inani veller curſu proſequi? An non muſca dignas dat ambitûs ſui pœnas, dum ad candelæ lumen ambitioſo nimiùm volatu accedit? pennas ſibi amburit primò, tum viſcoſo fallacis ſplendoris capitur aucupio. An non capra vel eo ipſo præceps ruit, dum præruptas & præcipites rupes hoc ferè eventu conſcendit, ut quò ſeſe altiùs perreptando promoverit, eò graviori fallatur veſtigio? Ah! fugaces ſunt & fallaces, ignémque continent doloſo ſuppoſitum jubari; ſed, quàm voles, fidum eis jubar adſtrue. Periculis ac præcipitijs ſunt obnoxij; ſed eis clivum, ut libet, levem ac ſecurum affinge: verùm cæteris ſublatis unum hoc eis vitij relinquito, quòd inſtar ſomni prætervolent. Nunquid eum ſtultiſſimum judices, qui in his felicitatem poſitam arbitretur; atque adeò præ momentaneis hiſce honoribus, æternis ſe patiatur privari? Si quis ita eſt in mundo peregrinus, ut hæc ſuæ memoriæ exemplis edoctus neſciat, ut Belliſarios, Andronicos, Baiazetes, aliósque innumeros ignoret; percurrat mundi hiſtorias, & Sacræ Scripturæ ſententias, & propriæ experientiæ caſus; & inveniet, *non eſſe* honoribus ac dignitatibus *ſuperbum*, *qui non ſit ſtultus*. Laborioſè Spiritus Sanctus in libro Sapientiæ hanc ſuperbam ſtultitiam producit in ſcenam, dum per varias ſimilitudines ſerò nimis ſuam ſtultitiam deplorantes inducit. *Quid nobis*, inquiunt, *profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam: cujus, cùm præterierit, non eſt veſtigium invenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam avis, quæ tranſvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris, ſed tantùm ſonitus alarum verberans levem ventum, & ſcindens per vim itineris aërem: commotis alis tranſvolavit, & poſt hoc nullum ſignum invenietur itineris illius: aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diviſus aër continuò in ſe reclauſus eſt, ut ignoretur tranſitus illius.* Et hanc tam anxiè de ſe latam ſententiam confirmat Spiritus Sanctus: quoniam *ſpes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur; & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur; & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt; & tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis.* Ex quibus motivis meritò concludunt, ſuámque anticipant ſtultitiam: *Nos inſenſati vitam* bonorum *æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: Ecce quomodo computati ſunt inter filios DEI, & inter Sanctos ſors illorum eſt.*

Sap. 5. v. 8. & ſequentibus.

Ib. v. 15.

Cap. 5. v. 4.

Honores inordinatè quæſiti, vel poſſeſſi, ad inſaniam inducunt.

Ejusdem morocomii ſunt, qui in multitudine divitiarum gloriantur, & 421. cum divite Epulone quotidie induuntur byſſo & purpurâ, ac cæteros contemnendo, dicunt, *non ſum ſicut cæteri homines*. Pleroſque divitum amentes eſſe, adeò compertum eſt, ut Ariſtoteles pronuntiare auſus ſit, *nihil aliud ferè eſſe divitias, quàm felicem amentiam*. Sed & in Evangelio ad divitem illum in ſuis theſauris luxuriantem dicitur: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam; & ea quæ paraſti, cujus erunt?*

Divitum ſtulta & inſeniata ſuperbia.

Ariſtoteles 2. Rhet. c. 16.

Luca. 12. v. 20.

erunt? Nunquid ergo, inquies, magnũ non eſt opibus abundare, multos agros, vineas, domos, palatia poſſidere? Magnum certè iis, qui majora nec ſenſu, nec intelligentiâ perceperunt. Sed verò quid non ſtultitiæ ridere eſt in divite ſuperbo? Si quis puer extructâ luteâ caſulâ in ea vehementer gloriaretur, ac etiam puerili quadam libidine ita caſulam ſuam illam deperiret, ut præ ejus amore pateretur inſigne ſibi palatium aut regnum auferri, an non omnium judicio pueriliter deſiperet? Si quis unius poſſeſſor nummi propterea vehementer inflaretur, ac ſe magnoperè divitem putaret, quòd mendacè ludificatus perſpicillo, eum non niſi ut centuplicatum, aut centuplo quàm ſit majorem conſpexiſſet; an non tantò ab omnibus ſtultior haberetur, quantò ſe ditiorem reputaret? An non inſanus eſſet, ſi quis medijs ad bonum aliquem finem ex naturâ ſuâ deſtinatis ita uteretur, ut ex modo utendi à fine conſequendo vel retardaretur, vel omnino impediretur? Si quis conſcius ingentis theſauri in agro defoſſi, cunctaretur exiguis quibusdam fortunis alienandis eum ſibi comparare, ac non cum

Matth, 13.

prudente illo Evangelico negotiatore continuò univerſa, quæ habet, venderet, & emeret agrum illum; an non meritò fatui nomine notaretur? Nunquid non eſſet is fatuus, qui futurorum præſcius, quos adeò ingratos fore intelligeret, ſummis in delicijs atque amoribus haberet; eum verò, quem animo in ſe longè amiciſſimo, atque adeò adverſis in rebus futurum ſibi perfugio ſciret eſſe, vix amici numero ac loco duceret? An non meritò pronuntiares dementiſſimum, qui propterea non auderet jacere ſementem in agrum, quia jaciendo ſemen ſuæ crederet rei jacturam facere? Atqui ſecundùm D. Chryſoſtomum *Divites* à pueris caſulas ædificantibus non diſtant, niſi quòd ampla & clara prætoria divites ſæpè ad ſuum faciant ſupplicium, quæ pueri imitantur ad luſum. *Divites* fallaci-

S. Chryſoſt. hom. 14. in Matth.

bus hiſce mundi perſpicillijs deluſi, terrena omnia, quæ ſola oculis ſubijciuntur, magni ac multi æſtimant. *Divites* cum illo adoleſcente Evangelico triſtes, ac præ nimio poſſeſſionum ſuarum affectu Chriſtum omnibus venditis ſequi, Deique conſilium amplecti repudiant; ideóq; difficiliùs camelo, per foramen acûs tranſituro, ad regni cœleſtis poſſeſſionem admittuntur. *Divites* juxta S. Bernardum Claravallenſem Abbatem, & B. Ægidium S. Franciſci ſocium, præ inordinato opum amore Dei conſilia ſequi, & relictis terrenis cupiditatibus ad cœleſtia bona aſpirare detrectant. *Divites* juxta S. Damaſcenum, neglecto bonorum operum exercitio, totos ſeſe ad acquirendas opes familiámque amplificandam enervant; vilipenſis cœleſtibus theſauris, qui per bona virtutum opera promerentur. *Divites* juxta S. Baſilium, ſementem eleemoſynæ in manus pauperis ſerere renuunt, quia timent, ne erogando perdatur; cùm tamẽ eleemoſyna pauperis manui commiſſa, nullius præterea cultûs ac laboris indiga, certum ſemper ac centuplum ſuo auctori fœnus ereet, nobiliorémque ſemente meſſem reponat. Sic certè difficulter, & rarò invenitur dives, qui non ſit ſuperbus; *& ſuperbus eſſe non poteſt, qui fatuus non ſit.* Denique *mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Sicut de perfido Joviniano ſcribit S. Hieronymus: *Ille Romana Eccleſia authoritate damnatus, inter PHASIDAS aves & carnes ſuillas non tam emiſit ſpiritum, quàm eructavit.*

Matth, 19.

S. Bernardus ſerm. Ecce nos relinq. Chron. S. Franc. p. 1. l. 7. c. 12.

S. Ioan. Damaſc. c. 13. de Barlaam.

S. Baſilius in Luc.

Luc. 16. v. 22.

S. Hieronym. l. contra Vigilantium.

Adeſte in compendio, quotquot Phariſaico ſpiritu agitati cum ſtultis ſuperbiendo ultra modũ inflamamini. Si vobis de veſtris actionibus vanè complacendo, aureas pro præmio ſpondetis coronas; eæ non minùs ſunt futiles, quàm poma in littore Gomorrhæo, quæ ad ſpecimen externum pulchra, ad primum contactum fatiſcunt in pulverem & ventos. Si de pulchritudine & corporis venuſtate contenditis, ſæpè ſub venuſtâ facie turpis latet conſcientia. Quocunque tan- 412.

Mon omnes facit æquales.

tandem ſuperbiæ typho agitemini, ut cum inſipientibus dicat unusquisque in corde ſuo: *Non ſum ſicut cæteri homines*, ſed longè melior, longè excellentior, longè nobilior, longè venuſtior, longè potentior, longè opulentior, longè ſanctior, longè eminentior: Ecce, ego eò vos ducam, ubi

Sap. 7. v. 6. *unus omnium eſt introitus ad vitam, & ſimilis exitus!* Fecit negotium ſuum Divina Providentia, fecit Fortuna, fecit natura, fecit indoles: ex hoc ſortilegio ubi ceſſerunt avaris divitiæ, incaſtis venuſtas, ambitioſis honores, malitioſis ſcientiæ, indignis dignitates, facinoroſis deliciæ, tyrannis potentiæ, & deliciæ mundanis; exhauſto tum ſortilegio, finito ludo, reges ac reginæ, nobiles & ruſtici, Doctores & ſtulti, pedites & equites eodem con-

Seneca conſ. ad Marciam. c. 20. cluduntur ſacco: ſcilicet *Mors, ubi res Fortuna malè diviſit, exæquat omnia*; ut quilibet ſit *ſicut cæteri homines*. Vt ſuperbiam Alexandri Magni reprimeret Diogenes Cynicus, inter exſicca mortuorum oſſa, ubi ſciebat Regem tranſiturum, laborioſè unum cranium poſt alterum conſiderat, ac manibus hinc inde contrectat. Venit interim Alexander unacum regio ſuo comitatu: quid hîc negotiaris, inepte

Laërtius in Diog. Diogenes? Cui mox Philoſophus: caput Regis Philippi diſquiro, ſed planè invenire haud queo, cùm unum ſit alteri prorſus æquale. Quisquis rapiatur animo ad civitatem Damaſci, ubi Turcarum terror Tamberlanus de ſucciſis hoſtium capitibus tres magnas inſtruxit pyramides, ibique cum Diogene diſcernat inter dominum & ſervum; diſcernat caput cujusdam ſapientis Platonis à ſtulto Marcolfo, divitis Crœſi ab Iro paupere, pulchri Narciſſi à deformi Therſite. *Contẽplare*

S. Baſilius ſerm. de mortuis. *ſepulchra*, inquit S. Baſilius, *vide num poſſis diſcernere, quis ſervus, quis Dominus, quis pauper, quis locuples?* Par utrobiq; ſquallor in ſepulchro, ſimiles vermes in cadavere, non diſpar fœtor in putredine: corruptio & reſolutio in cineres cunctis eadem, larva exoculata, deformis aſpectus, horror ubique idem. Vsque adeò *mors, ubi res Fortuna malè diviſit, exæquat omnia*: éſtque eadem ſtulti & ſuperbi poſt mortem conditio, ſi cauſam æternæ ſalutis præſcindas. Et quid aliud loquuntur mortuorum oſſa, quàm ut non ſuperbiat terra & cinis? Cui inſeruit, quod

Paludanus narrat de præfato Alexandro, quòd cùm audiviſſet adhuc extare paradiſum terreſtrem, ad orientalem plagam cum nonnullis ſociis inquiſiturus, & viſurus paradiſum exierit. Quærentibus autem ſocijs obvius fuit venerabilis quidam ſenex, & ait: Paludan. Segret. & aug.

Ite & renunciate Alexandro, illum incaſſum quærere paradiſum, cùm via paradiſi ſit humilitas, quam ipſe ignorat. Accipite porro lapillum iſtum, & offerte regi his verbis: A lapide iſto diſces, quid de te ipſo ſentire debeas. Lapis verò nec pretio, nec pondere parvus eſt, ſed tanto, ut in bilance appenſus cujusvis rei pondus pendat; pulvere tamen obductus, minoris ponderis quàm palea erit. Lapis iſte utique Alexandrum ſymbolizat, quippe qui pondere majeſtatis & potentiæ univerſos excedit Principes: at cinere conſperſus, aut in cinerem converſus, cum omnibus hominibus etiam minoribus æqualis erit. Experientiam capiat Alexander, & diſcat, quid de ſemetipſo ſentire debeat: nimirum quamvis rex ſit, non niſi pulverem eſſe; & licèt in vita ſit impar dignitate cum omnibus, in morte tamen cum omnibus parem vilitate futurum. Nam *Mors, ubi res Fortuna malè diviſit, exæquat omnia.*

Evigilavit aliquando ad harum 423.
rerum meditationẽ S. Franciſcus Borgias, dux olim Gandiæ: qui dum Iſabellæ Auguſtæ demandatum ſibi à Cæſare funus procuraſſet, ac Imperatricem pulchritudinis dudum in vitâ prodigium adeò à morte mutatam conſpexiſſet, ut ne internoſci quidem poſſet; ita demum ad ſe reverſus, ſecum expoſtulâſſe fertur. *O miſeram vitæ rationem! ô fallaces hominum ſpes, & inanes noſtras cogitationes! Quousque tandem diligimus vanitatem, & quærimus mendacium? quousque veris neglectis bonis umbras ſectamur? Regna, imperia, nobilitas, honores morte ſolvuntur,*

SS. Borgias, & Auguſtinus ex mortis ſpectaculo converſi.

In ejus vita l. 1. c. 7.

tur; forma dignitas morbo, & morte amittitur: omnia denique citò ex lætitia & voluptate, ad luctum & lachrymas recidunt. En! illa Auguſtarum pulcherrima, ut in funere deformata jacet! Expergiſcere igitur anima mea; expergiſcere tanquam è veterno. Sat Principi mortali datum: te ſequar DEVS immortalis? Ipſe dixit, & factum eſt; ſæculum, diadema reliquit; Deo in Societate Jesu uſque ad ſanctitatis apicem adhæſit. Ambulabat Divus Auguſtinus cum Sancta Matre ſua Monica ad Oſtia Tyberina, quærens occaſionem ſecundis velis traijciendi in Africam: obviabat tunc Pontianus Vrbis Præfectus, qui eò venerat, ut Auguſtinum, de ingenij ſublimitate jam tunc celebratiſſimum, omni officiorum genere proſequeretur. Itaque Auguſtinum, & Matrem ejus, in Vrbem humaniſſimè introducit, eiſque magnifica veterum ædificia viſenda monſtrat; ſed & in concamerato ſepulchro Cæſaris cadaver conſiderandum aperit. *Et vidi*, inquit S. Auguſtinus: *quòd omnino eſſet colore livido ornatum, putredine circumdatum*; ventrem diſruptum, & conglomeratis vermibus ſcatentem, capillos à cranio avulſos, dentes ex corroſis labijs proringentes, membra ſingula horrendo ſquallore deliteſcentia. Dicebam pientiſſimæ Matri meæ: ubinam ergo ſpecioſum Cæſaris corpus? ubi chryſeo colore tincti capilli? ubi gratioſus aſpectus, quem reverebantur Principes, adorabant plebei. Et reſpondebat pia Mater: Viden, ô fili, quàm ſolus derelictus ſit! Vbi ſpiritus immortalis ad æternitatem avolavit; nunc ſepulchrum hoc tribus cubitis longum, plenum putredine & corruptione, domus ejus in æternum. *Eia ergo*, exclamat S. Monica ad circumſtantes, *Fideles Chriſti, conſiderate quid ſumus.* Si *veſanè* cum *Phaſiano* caput ſuperbum in condenſum abſtruditis, & ſtultè cum Phariſæo alios deſpicitis, *conſiderate Chriſti Fideles, conſiderate quid ſumus*: Brevi Epilogo hæc de ſuperbiâ, hæc de ſtultitiâ, hæc denique de morte ſtultum cum ſuperbo æquante, profundo ſunt ponderanda animo, & perenni recordatione refricanda memoriæ: nam *Forſan & hæc olim MEMINISSE IVVABIT.* Amen.

S. Auguſtin. ſerm. 48. ad fratres in Eremo.

Æneid. 1. v. 207.

DO.

POST PENTECOSTEN.

ANSER CLANGENS.

Die ſchnadernde Ganß.

LEMMA.

- - - *Pulſat clangoribus urbem.* Statius l. 10.

THEMA.

Solutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè. Marci 7. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS XLV.

Vt rectè loquatur Sacer Orator, ſolvatur vinculum linguæ ejus, & condiatur aquâ libertatis, ſale diſcretionis, ac melle facundiæ: ne alioquin dum alijs ineptè prædicaverit, ob multos errores intercurrentes in ſuo officio reprobandus evadat.

424. Linguæ gratioſæ conditio.

EXimlæ cujusdam artis experimentum capite, coquariæ facultatis magirici Magiſtri, quale ſuper menſam Aragonum Regis practicatum eſſe teſtatur Joannes Bapt. Porta: (Porta l. 14. Mag. nat. c. 9.) Anſerem ita aſſare completè, ut tum primùm incipiat clangere, cùm cultro ſupra menſam in partes diſſecatur. Rem ſic agito. Depluma Anſerem usque ad caput, & pone intra circulum vivis carbonibus compoſitum; nec nimis amplum, ut activitas ignis torrere poſſit Anſerem; nec nimis anguſtum, ne Anſer calore præpotente extinguatur. Intra carbones pone aliquot ollulas, plenas *aquâ, ſale, & melle*; Anſerem verò continuâ pinguedine illini, ut & faciliùs aſſetur, & meliùs ſapiat guſtui. Dum incipit ſentire ignis acrimoniam, quàm implumis fugere non poteſt, ſitiet & aquis præſentibus ſeſe reficiet; ventrem autem omnino expurgabit. Tu verò ſpongiâ bene madente caput ejus continuò refrigerabis, & pectus. Tandem dum advertis Anſerem ita aſſatum, ut jam præ nimio calore ad viſcera penetrante nutare ac corruere incipiat; accipe uſſum, convivis appone, cultro conſcinde: tunc Anſer clanget in menſâ, priùs fauce abſumptus, quàm vitâ extinctus. Thermopolarum experientia curioſa, & rara. Ex Anſere ſic aſſato & clangente ſuper menſam, vellem ego præſertim adaptare Concionatoribus Verbi Divini linguam, *rectè loquendi*, quomodo etiam hodie *ſolutum eſt vinculum linguæ muti, & loquebatur rectè.* Verùm hæc lingua debet eſſe benè condita tribus: *aquâ, ſale, & melle*, ut ſuccinctè, bene, & opportunè loquatur. *Aqua* eſt neceſſaria, ut fluat quaſi ros eloquium eorum: & ut dulce proferant verbum, ſit *mel* & favus ſub linguâ eorum: ſale verò quàm maximè opus eſt, ut juxta Apoſtoli monitum, *Sermo eorum ſemper in gratiâ ſale ſit conditus.* (Coloſſ. 4. v. 6.) Jam ſi cujusdam ſit artis, Anſerem præfato modo aſſare, ut

etiam menſæ illatus ſolitos edat clangores; longè majoris erit obſervantiæ, linguâ ſuâ ita moderatè ac tempeſtivè uti, ut *rectè loquatur*. Hæc eſt illa *Eccli. 6. v.5.* Lingua, de qua Eccleſiaſticus: *Lingua eucharis* gratioſa in bono homine *Cicero de off.* *abundat*. Et Cicero, *Difficile*, ait, *eſt dictu, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitáſque ſermonis.* Hoc eſt, quod in ſacro Epithalamio cani- *Cant. 4. v. 3.* tur: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Et in Proverbijs: *Prov. 16. v.24.* *Favus mellis compoſita verba, dulcedo animæ ſanitas oſſium.* Hæc gratia rectè loquendi feſſitavit in ore Neſtoris; de quo Homerus: *cujus ab ore, melle dulcior fluebat oratio.* Hæc ſedem habuit in linguis Abigailis, Judithæ, Eſtheris, quæ mirâ labiorum ſvavitate ferociſſimos leones cicurarunt. Itaque ut ſolvatur vinculum linguæ ad *rectè loquendum*, applicabo hodie ignem fervoris zeloſi, ſalem diſcretionis, mel Verbi Divini, aquam declaratæ veritatis, & cultrum benè ſvadæ eloquentiæ, ut Anſer affatus *PVLSET CLANGORIBVS VRBEM*, & linguas mutorum Concionatorum faciat diſſertas, in nomine Jesu.

425. *Anſerum opportunus clangor quantùm profuerit Reipublicæ Romanæ.* Anſerem loquacitatis eſſe ſymbolum, quis ignoret? quando & ipſe ſuo importuno clamore ſe prodit, ac gratitantibus quietam *pulſat clangoribus urbem.* Sed & ejuſdem clangoribus ſervata Reipublicæ Romanæ integritas annumeratur, prout Ælianus *Ælianus l. 12. c. 30.* egregius animantium naturarum ſcrutator refert. [Anſeres acriùs, quàm canes ad cuſtodiam advigilare, Romani planè exploratè perceperunt. Cùm enim acerrimum bellum Galli eis intuliſſent, ſimul & vi atque impreſſione intra urbem irrupiſſent, Romámque præter arcem Capitolinam, ad quam difficilis aſcenſus erat, cœpiſſent; quam etiam fidei ſuæ permiſſam cuſtodiebat M. Manlius Conſul, qui filium ſuum, etſi rebus præclarè geſtis, & pugnâ ſtrenuè pugnatâ, tamen quòd injuſſu Imperatoris pugnâſſet, morte mulctavit. Galli igitur clam molliti ſunt noctu ingredi: canes objecto cibo obmuteſcebant; at Anſeres, cùm ex eorum naturâ ſit ad objecta cibaria clamores tollere, & minimè à ſtrepitu conquieſcere, editis clangoribus M. Manlium, & circumfuſas cuſtodias ſomno excitârunt.] *Ælianus l. 12. animal.* Et quod eſt in Anſeribus memorabile, domeſticam diu ſervant amicitiam; compertus eſt enim Anſer ad 60. annos in eâdem domo vixiſſe. De Placido Philoſopho fertur, eum frequenter cum ſuo Anſere longa produxiſſe colloquia; eúmque adeò dilexiſſe, ut extinctum feſtivè ſepelierit, copioſis lachrymis defleverit, ac lugubri amictu celebraverit. Quid? quòd ultra allata de conſervato Capitolio narrant Plutarchus & Plinius. Ad perpetuam rei memoriam Romani in menſe Auguſto diem unum ſolennem agebant Anſeri, quem triumphali curru impoſitum glorioſâ proceſſione circumducebant: canem econtra alligabant cruci è ſambuceâ confectæ, quem ſicut exquiſitiſſimis ſannis irridebant, ita victorioſo Anſeri panegyricis plauſibus aggratulabantur. Gregem inſuper Anſerum ſpeciali in templo opiparè alebant, erátque prima Cenſoris ſollicitudo, hos Anſeres dignè conſervare; qui & *ſacri Anſeres* à S. P. Q. R. paſſim appellitabantur. Et hoc quidem ad perpetuæ memoriæ plauſum exhibendum Anſeri, qui *loquebatur rectè*, hoc eſt, *opportunè & tempeſtivè*: ad perpetuam ignominiam canis, qui dum deberet latrare, *importunè* ſilebat. Conſiderate Auditores, quot validiſſima præſidia tradantur hoſtibus, quot proditiones ſuccedant feliciter, quot expugnentur caſtiſſimæ mentes, quot diffamentur juſtiſſimi Viri; quia ſcilicet is, qui deberet hoſtiles inſidias ſolvere, aut catenatas proditiones ſuccidere, aut pudicas virgines tueri, aut etiam proximi famam vindicare, non *loquebatur rectè*, tacebat, diſſimulabat, verebatur, complacebat, negligebat, dormiebat, torpebat; ſimilis illis, de quibus querulatur Propheta, quòd in officio juſtitiæ aut charitatis tacti eſſent *canes muti non valentes latrare*; *Iſa. 56. v. 10.* ideóque digni, ut in mundi Capitolio

tolio

tolio ſempiterno afficiantur opprobrio.

426. *Prædicatores non taceant.* Natura quibusdam avibus brevem, & temporarium cantum commodavit; hirundinibus matutinum, cicadis meridianum, noctuis ſerotinum, ululis veſpertinum, bubonibus nocturnum, gallis antelucanum. Quippe hæc animalia vario inter ſe tempore, & vario modo occinunt, & occipiunt carmine; ſcilicet galli expergifico, bubones gemulo, ululæ querulo, noctuæ intorto, cicadæ obſtrepero, hirundines perarguto. Sed verò Verbi Dei Præconis ratio & oratio tempore jugis eſt, & auditu venerabilis, & intellectu utilis, & modo omnicana. Non tacet de ſuggeſtu Concionator: ſed ut virtutes ſvadeat, & vitia perſequatur, opportunè importunè *arguit* cum hirundine trinſante, *increpat* cum cicada ſtridente, *inſtat* cum noctua boante, *obſecrat* cum ululâ plorante, *terret* cum bubone vociferante, *exſitat* cum gallo excubante; & cum Anſere ſemper vigili, ſemper loquaci ac gratitante, *implet clangoribus urbem*, prodit pericula, inſidias detegit, hoſtes confundit, conſervat Eccleſiam, vitiorum occurſus eliminat, cœleſtem gratiam & regnum æternum annuntiat, ſuúmque per omnia præſtat officium, & *loquitur rectè*. Non tacet, non diſſimulat, non expaveſcit, non obmuteſcit, ne præfatam de canibus incurrat ignominiam: *Canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia, canes impudentiſſimi neſcientes ſaturitatem.* *Iſa.56.v.10. & 11.* Canis ad hoc tantùm eſt utilis, ut latret, & ſuo latratu fures arceat: quòd ſi mutus ſit & taciturnus, naturâ vel morbo, vel offâ objectâ, inutilis eſt & plurimùm noxius; cùm in ejus vigilantiâ & latratu conquieſcat herus, alioquin contra fures ipſe per ſe vel per alios vigilaturus. Erant olim canes muti Scribæ & Phariſæi, quia devorabant ſubſtantiam ſui gregis & populi, lac abſumebant, lanam auferebant, carnes comedebant; cæterà inutiles, imò noxij Reipublicæ, quia in Chriſtum ſalutis auctorem inſurgebant. Imò S. Epiphanius eos mutos vocat, id eſt, *rabidos*: nam rabidi canes non latrant, ſed ſilenter mordent quosvis, etiam dominos ſuos; in quos æquè, ac in alienos, irruunt & graſſantur. Quod ipſum Scribæ & Phariſæi in Chriſtum commiſerunt, rabidos ei immittendo dentes, & ſanctitatem ejus mutâ mordacitate dilaniando. Scio, etiam Anſeres obſervare *tacendi tempus*, præſertim quando ſuper Taurum montem ad alienas terras migrant; tunc enim roſtris lapides imponunt, quorum ferendo pondere lingua à pernicioſo, & periculoſo clangore coërceatur, ne ab Aquilis ibi inſidiantibus in prædam arripiantur: ſicque Anſeres impoſito ſibi *SILENTIO VITAM* ſervant. Et bonum eſt ſubinde tacuiſſe: nam Ovidio aſſerente, *Os mutum facti caret judice.* *Metam.6.* Et frequens erat Simonidis parœmia: Pœnitet me fuiſſe locutum, *TACUISSE NUNQUAM.* Nec imputo Anſerum probro hanc ſaxeam taciturnitatem: nam peregrini tunc ſunt, quorum in alieno ſolo non intereſt clamoroſos ſtrepitus edere, niſi velint clangoris pœnam vitæ periclitantis cenſu exſolvere. At verò Anſeres in ſuis ſtabulis & pratis gregatim paſcentes, cùm eorum vel maximè interſit, ab immodici *ſilentij cenſurâ* omnino ſint immunes.

427. *Prædicatores muti quàm nocivi ſint alijs.* Quantâ autem digni ſint animadverſione Verbi Dei Præcones, qui velut *muti canes* immittunt in gregem lupos rapaces, nec arcent irrumpentium flagitiorum inſidias; D. Gregorius uberrimè, & graviſſimè inſectatur. [Sicut, inquit, incauta locutio in „errorem pertrahit, ita indiſcretum „ſilentium hos, qui erudiri poterant, „in errore derelinquit. Sæpè namque „rectores improvidi humanam amit„tere gratiam formidantes, *loqui* libe„rè *recta* pertimeſcunt, & juxta veri„tatis vocem nequaquam jam gregis „cuſtodiæ paſtorum ſtudio, ſed mer„cenariorum vice deſerviunt: quia „fugiunt veniente lupo, dum ſe ſub „ſilentio abſcondunt. Hinc namque *S. Gregorius 3.paſt.c.4.*

„eos

,,eos per Prophetam Dominus incre-
,,pat, dicens : *Canens muti non valentes*
,,*latrare*. Hinc rurſum quæritur, di-
,,cens : *Non aſcendiſtis ex adverſo*,
,,*nec oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut*
,,*ſtaretis in prælio , in die Domini.* Ex
,,adverſo quippe aſcendere , eſt pro
,,defenſione gregis voce liberâ hu-
,,juſmodi poteſtatibus contraire. Et
,,in die Domini in prælio ſtare , eſt
,,pravis decertãtibus ex juſtitiæ amo-
,,te reſiſtere. Paſtori enim recta ti-
,,muiſſe dicere , quid eſt aliud , quàm
,,tacendo terga præbuiſſe ? qui
,,nimirum ſi pro grege ſe objicit , mu-
,,rum pro domo Iſraël hoſtibus ſe op-
,,ponit. Hinc rurſum delinquenti
,,populo dicitur : *Prophetæ tui viderunt*
,,*tibi falſa & ſtulta, nec aperuerunt ini-*
,,*quitatem tuam , ut te ad pœnitentiam*
,,*provocarent*. Prophetæ quippe in ſa-
,,cro eloquio nonnunquam Docto-
,,res vocantur, qui dum fugitiva eſſe
,,præſentia indicant , quæ ſunt ven-
,,tura manifeſtant Quos Divinus ſer-
,,mo falſa videre redarguit, quia dum
,,corripere culpas metuunt, in caſſum
,,delinquentibus promiſsâ ſecuritate
,,blandiuntur : qui iniquitatem pec-
,,cantium nequaquam aperiunt, quia
,,ab increpationis voce conticeſcunt.
,,Clavis quippe apertionis, ſermo cor-
,,reptionis eſt : quia increpatio cul-
,,pam detegit, quam ſæpè neſcit ipſe
,,etiam , qui perpetravit. Hinc Paulus
,,ait : *ut potens ſit exhortari in doctrinâ*
,,*ſanâ , & eos, qui contradicunt , arguere.*
,,Hinc per Malachiam dicitur : *Labia*
,,*Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem*
,,*requirunt ex ore ejus : quia Angelus Do-*
,,*mini exercituum eſt*. Hinc per Iſaiam
,,Dominus admonet, dicens: *Clama, ne*
,,*ceſſes , quaſi tuba exalta vocem tuam*.
,,Præconis quippe officium ſuſcipit ,
,,quiſquis ad ſacerdotium accedit ; ut
,,ante adventum Judicis , qui terri-
,,biliter ſequitur, ipſe, ſcilicet claman-
,,do, gradiatur. Sacerdos ſi prædica-
,,tionis eſt neſcius , quam clamoris
,,vocem daturus eſt præco mutus ?
,,Hinc eſt enim , quòd ſuper Paſtores
,,primos in linguarum ſpecie Spiri-
,,tus Sanctus inſedit ; quia nimirum,
,,quos repleverit , de ſe protinus lo-
,,quentes facit. Hinc Moyſi præcipi-
,,tur , ut tabernaculum Sacerdos in-
,,grediens , tintinnabulis ambiatur ;
,,ut videlicet voces prædicationis ha-
,,beat , ne ſuperni Spectatoris judi-
,,cium ex ſilentio offendat. Scriptum
,,quippe eſt : *Vt audiatur ſonitus , quan-*
,,*do ingreditur ſanctuarium in conſpectu*
,,*Domini , & non moriatur.* Sacerdos
,,namque ingrediens vel egrediens
,,moritur, ſi de eo ſonitus non audia-
,,tur : quia iram contra ſe occulti Ju-
,,dicis exigit, ſi ſine ſonitu prædicatio-
,,nis incedit.] Hucuſque Gregorius.

Videtis, quàm peccent canes muti, 428.
non valentes latrare , nec volentes
rectè loqui. Non ſic canes DEI, non ſic
Sacri Anſeres, non ſic inſignes , & eo
nomine digni Tractatores Verbi DEI.
Nam non modò coram plebecula ,
ſed etiam coram Regibus & Princi-
pibus liberè & intrepidè perhibue-
runt teſtimonium Veritati: quia tales
ſe præſtabant, ut à nemine reprehen-
di poſſent , ſive quoad probita-
tem, ſive quoad eruditionem neceſ-
ſariam ; unde manare concionato-
ris libertatem , monuit ſapienter
S. Chryſoſtomus. Cùm autem ſint in
eam rem exempla luculenta bene
multa, omnibus tamen præripuiſſe
palmam videntur inſignes duo Chri-
ſtiani Oratores ; in Occidente unus ,
nimirum S. Ambroſius; alter in Orien-
te , nempe S. Chryſoſtomus. Notum
eſt , quomodo Theodoſio Imperatori
candidè & fortiter Verbum DEI pro-
poſuerit S. Ambroſius , non modò in
cauſâ Theſſalonicenſium præcipitato
æſtu cæſorum ; ſed etiam in negotio
incenſæ per quendam Epiſcopum Sy-
nagogæ , à quo Theodoſius eam
proprijs expenſis reſtitui juſſerat. E-
gregiè ad Ruffinum aulæ magiſtrum ,
qui Theodoſio perſvadere nitebatur,
ſe facilem cædis Theſſalonicæ patra-
tæ veniam & ingreſſum in Eccleſiam
impetraturum : *Videris mihi*, inquit,
canum impudentiam imitari ; nam tametſi
tuo ſvaſu tam crudelis facta eſt cædes , tu
tamen ita perfricuiſti os, ut nec pudeat, nec
pigeat, tantâ rabie contra DEI imaginem
inſa-

Ss. Ambroſius & Chryſoſtomus in rectè loquendo liberrimi.

S. Chryſoſt. hom. l. 5. de Sacerdot.

Cornelius à Lap. ſuper Iſa. 56. v. 11.

inſanivisſe. InſtanteRuffino, ac obnixè veniam precante, dicentéq; Imperatorem brevì ſubſecuturum; S. Ambroſius Divino zelo accenſus, *Ego*, inquit, *Ruffine prædico, me illum ab introitu Sacri veſtibuli prohibiturum: quòd ſi Imperium mutârit in tyrannidem, eadem lubens equidem excipiam.* Dixit, fecit, Imperatoris animū ſuâ conſtantiâ fregit. Idem S. AmbroſiusImperatorem in quadam „Epiſtola ſic affatur, fermè initio. [Ni„hil inSacerdote tā periculoſum apud „Deum, tam turpe apud homines, quā „quod ſentiat, non liberè pronuntia„re. Siquidem ſcriptum eſt: *Et loquebar „de teſtimonijs tuis in conſpectu regum, „& non confundebar.* Et alibi: *Fili homi„nis, ſpeculatorem te poſui domui Iſrael.* In „eo inquit, ſi avertatur juſtus à juſtitijs „ſuis, & fecerit delictum, quia non di„ſtinxiſti ei, hoc eſt, non dixiſti, quid „ſit cavendū, non retinebitur memo„ria juſtitiæ ejus, & ſanguinem ejus de „manu tua exquiram. Tu autem ſi di„ſtinxeris juſto, ut non peccet, & ipſe „non peccaverit, vitâ vivet, quia dixiſti „ei. & tu animam tuam liberabis. Malo „igitur Imperator, bonorum mihi eſſe „tecum, quàm malorum conſortiū. Et „ideò clementiæ tuæ *diſplicere debet „Sacerdotū ſilentiū, libertas placere.* Nam „ſilentij mei periculo involveris, liber„tatis bono juvaris. Non ergo impor„tunus indebitis me interſero, alie„nis ingero; ſed debitis obtempero, „mandatis Dei noſtri obedio.] Digna tanto veritatis præcone, tantóq; Dei Miniſtro libertas dicendi: quia *ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.* Quantâ loquendi libertate uſus ſit S. Chryſ. in Oriente erga Eudoxiā Auguſtam, cùm notiſſima ſit hiſtoria, tum maximè infractum animi robur manifeſtat in quadam homiliâ dehortans à jurandi conſvetudine popu„lum, ubi zelantiſſimè exclamat. [Si „quis hoc mandatum præſtare negat, „velut tubâ quâdam per ſermonē pro„hibeo Eccleſiæ limina talem aſcen„dere, licèt Princeps, licèt ipſe ſit dia„demate redimitus. *Vel à præſulatu me „dejicite, vel manentem periculis conclu„dere nolite.* Hanc aſcendere cathedrā „non tolero, niſi magna præſtiturus. „Nam ſi quid tale fieri non poteſt, me„lius in imò ſtare. Nam Principe, qui „ſubditis nihil proſit, miſerius nihil.] Et *loquebatur rectè*, hoc eſt, zeloſè, penetranter, efficaciter. Eandem *rectè loquendi* libertatem eſſe prorſus neceſſariam omnibus Verbi Dei præconibus, niſi perire velint cum pereuntibꝰ, profitetur S. Gregoriꝰ; tractans denuntiatum divinitus ſpeculatori exitium, niſi pereuntes admoneat, & putum ſe præſter ab eorū culpis, eas liberè & animoſè perſtringendo: ita ut quantò magis eis præcipitur, ut taceant, tantò ampliùs prædicent & admirentur, ac velut *ſacri Anſeres pulſent clangoribus urbem.*

S. Ambroſius l. 5. ep. 9.

S. Chryſoſtom. hom. 26. ad pop.

S. Gregorius hom. 11. in Ezech.

Aquā hactenus aſſando Anſeri affudiſſe videor, ut linguā refrigeret inter calores, & clangendi libertate utatur; quæ libertas aquarum fluiditate, ac liquiditate, haud rarò ab Emblematicis ſymbolizatur. Ad *ſalē* digredior, linguę à corruptione conſervādæ quā maximè neceſſariū. Quid enim linguę concionatoris magis ſale proficiet, quando Servator ad omnes Verbi Dei præcōes pronuntiavit: *Vos eſtis ſal terræ?* Per ſalē, qui cibos condit, & ſapidos ab inſipidis diſcernit, alij ſapientiā, alij diſcretionē intelligunt. Vtraq; condiendæ & afficiēdæ concionatoris linguæ eſt neceſſaria, ut ſermo ejus *ſit ſale conditus*; alioquin quadrabit Catulli versꝰ: *nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.* Certè nec ipſi Deo placuit ſacrificium, quòd ſale conditum non fuerit. *Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies.* Et quomodo placebit ſermo præconis Divini, ſi ſale Sapientiæ & diſcretionis conditus nō ſit? *Sapientia* quidem foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam; præſertim in plateis Divinorū Voluminū, quæ nobis à Spiritu S. revelantur, & à SS. Patribus ac Doctoribus explicātur. *Diſcretio* autē omni perfectioni ac virtuti ordinē ponit; ordo deinde modū tribuit, atq; decorē & perpetuitatē: unde à D. Bernardo, *Diſcretio non tam virtus*, dicitur, *quàm quadam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrix affectuū, & morū doctrix. Hæc nimirum docet, NE QVID NIMIS.* Negotiū diſcreti Concionatoris in praxi eſt perdifficile, quia pendet à varijs circumſtantijs, quarum libratio attentum & maturū expoſcit judicium. *Loquebatur rectè*, hoc eſt, prudenter &

429. Sale diſcretionis condienda concio.

Matth. 5. v. 13.

Levit. 2. v. 13.

S. Bernardus ſerm. 49. ſuper Cant.

diſcretè, circumſpectè & conſideratè. Præſertim quoad Prælatos cautiſſimè agendum eſt, ne temerè effundatur *contemptio ſuper Principes*: ad quod ſæpè ſæpiùs, neglectis juſtitiæ & charitatis legibus, imprudentes Concionatores temerè impellit arridens talibus objurgationibus populus. Generaliter tamen loquendo, etiam non excluſis Prælatis, reprehendenda ſunt publicè peccata publica. Quoad Prælatos quidem eo optimo modo, quo fieri poteſt; teſtando ſcilicet dolorẽ ſuum potiùs, quàm profundendo invereeundè ſtomacho, aut acriùs increpando: quoad cæteros autem, juxta leges Prudentiæ; ſed tamen fortiter, & magno zelo Divini honoris ac ſalutis proximorũ, quę juxta Ezechielẽ de manu ſpeculatoris taciti requiretur. Ipſe Ezechiel Propheta, cùm ad Divina oracula & vaticinia Iſraëlitis evulganda mitteretur, hæc audijt à Domino: *Vt adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam; ne timeas eos, neque metuas à facie eorum.* Sed cur, inquies, ut adamantem & ſilicem? quæ poſſit eſſe ſocietas in Divini Verbi præcone adamanti cum ſilice? Omnino quàm convenientiſſima. *Adamas* fortitudinis eſt ſymbolum, inſignisq; patientiæ; licèt enim tundatur ac contundatur, attamen ſilendo durat, nec diſſilit in partes, nec in ignes ſcintillat. *Vt adamantem dedi faciem tuam*, ô præco: ut ſi privatis de rebus atq; injurijs agatur, ſi ſupplicijs & calumnijs tua perſona impetatur, id equidem illuſtri ſilentio admittas, æquo & infracto animo feras, heroicâ fortitudine & patientiâ ſuſtineas, ad ferrum & ignes promptus invictùsq; exemplo Chriſti tui, *qui diſceſſurus ſignari volebat voluptate patientiæ.* Econtra *ſilex* ſi percutitur, ardet, & quaſi flamantes ſcintillas expirat, atque exeandeſcit totus; adeóq; iræ, juſtæq; ultionis eſt ſymbolum. *Vt ſilicem dedi faciem tuã*: ut ſi de Religione, de Divino cultu, de gloriâ DEI agatur negotium, tum verò ut ſilex percuſſus nihil niſi ignes & flammas in noxia capita evomas atque evibres, animum & vocem explices, fulmináque concitatæ orationis jacias, & in ſceleſta capita altùm dctones, exemplo Servatoris, qui pro ſeipſo loqui auditus nunquam, pro æterni Patris gloriâ tacere & obmuteſcere nunquam eſt viſus; quia *omnis ſermo ejus erat ſale conditus.*

Antonius Fernandez p. 1. Exam. c. 3 parag. 3. n. 10.

Ezech. 3. v. 9.

Tertull. l. de Patient.

430. Non ero hic ſtreperus *Anſer inter olores*, ut eximijs in Cathedrâ DEI Doctoribus & Prædicatoribus aſpergam diſcretionis & prudentiæ ſalem: juvabit tamen quaſdam ex SS. Patribus, & magnis Eccleſiaſtibus adducere regulas, quarum obſervatio ad diſcretionis ſalem conducet plurimùm. Et inprimis quidem oratio juxta Auditorij capacitatem accomodanda eſt, neq; dicendo *ambulandum in magnis & mirabilibus ſuper ſe*, ſed potiùs ſimpliciter humi repeṅdum. Id quod nominatim in D. Paulo eſt perſpicuum, qui, licèt orator fuerit omnibus numeris abſolutiſſimus, ita ut S. Chryſoſtomus terſum Iſocratis lævorem, amplam Demoſthenis ſublimitatem, verendam Thucididis majeſtatem, excellentem Platonis dignitatem in eo agnoſceret; Auditores tamen ſuos non rapiebat exquiſito verborum nitore, ſed ſublimitatem ſenſuum in fictilibus vaſis verborum ſimplicium & abjectorũ exponebat, ac patris more cum puſionibus balbutiebat. Ipſius Chriſti conciones quantùm redoleant ſimplicitatem, quantùm abſint à typho cotum, qui ſuggeſtum ad formandos mores vertunt in ſcholaſticam cathedram, agitando utrinq; profundas quæſtiones, & ſupra audientium captum imodicè ineptiendo, nemo nõ ex S. Evangeliorum Codice obſervat. Idem cernitur in Patrum, & Apoſtolicorum virorum Homilijs: quamvis enim ſublimiſſima fidei myſteria tradant, dimiſſis tamen inutilibus ſpeculationibus, ac minutiloquio ſoli dicentis gloriæ ſerrituro, ea duntaxat proponunt, quæ ſalus audientium exponi poſtulat. Cum quo tamen illud addo, ſi apud promiſcuũ Auditorium ſubinde res difficiles ſint attingendæ, eâ temperatione attingantur, ut non ſint ſupra captum & ingenium eorum, qui audiunt, ac ne verba quidem exquiſitiora & abditiora, licèt elegantiora, ſint uſurpãda. Deinde juxta S. Auguſtinum, *movere dubia, nec ſolvere, vel differre, magna eſt Concionato-*

Sal diſcretionis quomodo Concionatori obſervandus in particularibus.

S. Chryſoſtom. ſuper 2. Corinth. 11 & hom. 3. ad Titum.

Ioan. Bonifacius l. 1. ſeſ. fructu ep. 1.

Theophilus Raynaudus Heteroc. ſpirituel.

S. Auguſtin. l. 4. de doct. Chriſt. c. 39.

Rich Villerinus l. 1. de Emaun c. 7.

natoris imprudentia. Ad quæſtionẽ enim interpoſitã nullam ſolutionẽ reddere, ſed quaſi in diſſolubilem relinquere, quid eſt aliud, quàm ciſternã aperire, & ſine operculo relinquere? Si autem bos aut aſinus in eam ceciderit, juxta Divinas leges, Dominus ciſternæ reddet pretium jumentorum. Inſuper concionis juſtò major prolixitas apud Eccleſiæ Auditores faſtidium cauſat; nam Auditores profanitatum ſuperſcænam, vel alibi, non faſtidiunt prolixitatem. Hinc pulchrè Damaſcenus

S. Damaſcenus orat. 1. de aſſumpt.

„ait: [*Sicut cibus immodicus nauſeam in-*
„*fert, & faſtidium cibi, morbóſque, & mor-*
„*tem plerunque ingenerat, ita nimia ſer-*
„*monis ubertas & prolixitas nauſeantem*
„*& faſtidientem dimittit Auditorem: qui*
„*tantùm abeſt, ut ex tali profuſione verbo-*
„*rum proficiat, ut potiùs in impatientiam,*
„*& Divini Verbi averſionem feratur.*]

Pari ratione vel ſemper docere, vel ſemper movere, vel ſemper leniter vel ſemper ſeverè agere, utrumq; indiſcretionis eſt nota: adeóque curanda eſt olei, & vini mixtura cum Samaritano; & cum D. Paulo arguendum, ob„ſecrandum, increpandum. [*Neque*

S Chryſoſtom hom de nomi. n Abraham.

„*enim*, inquit S. Chryſoſtomus, *hoc ſem-*
„*per, ſolùm agere oportet, neque ſemper*
„*illud ſolùm, ſed utrumque alternis vici-*
„*bus, quò major inde ſequatur utilitas.*
„*Nam ſi ſemper argueremus, impudentio-*
„*res illi fierent; ſi ſemper obſecraremus,*
„*ignaviores redderentur. Quapropter &*
„*Medici non ſolùm ſecant, ſed & vulnera*
„*obligant: neque ſemper amara, ſed non-*
„*nunquam & lenia pharmaca infundunt, ut*
„*per priora purificentur ſanies & putredo,*
431. „*per poſteriora autem mitigetur dolor.*]

Concionatoris judicium moderandum in correptionibus, & adhibenda cautela.

Duo ſunt, quæ in Anſerum incubatione obſervant Ornithologi. Sicut enim Anſer propria ova ſola fovet, *NON ALIENA*; ita tam tenaciter proptios excludit fœtus, ut *ALIENOS* quoscunq; *ABIICIAT*. Prius quidẽ bonũ eſt, & diſcretioni conforme, ut quis ad ſua attendat, nec ingerat ſe alienis negotijs; & quod ſua nõ refert, percontari deſinat. Sic enim Horatio teſte,

Horatius l. 2. Ep. 1.

Navem agere ignarus navis timet: abrotonum agro (*Medicorum eſt,*
Non audet, niſi qui didicit, dare. Quod
Promittunt Medici: TRACTANT FA-
BRILIA FABRI.

Alterum verò, ita tenaciter proprios diligere partus, ut *alieni* quicunque *abijciantur*, omnino ſuperbiam notat in fronte eorum, qui Juſto Lipſio teſte, *Sententia ſua tenaces, judicia omnia & CONSILIA SPERNUNT ALIORUM.*

Iuſtus Lipſius cent. 1. Ep. 47.

Faciendo prius ſacer Orator tranquillè & proficuè ſuo fungetur officio, & à manu diſcretionis ſecurè per avia & devia alienorum judiciorum dirigetur. Faciendo poſterius, inhumanitatis & contentioſæ pertinaciæ arguetur, & miris implicantijs ſeſe innodabit; nec proſperabit operando, ſed odia & indignationes ſibi imponet perſiſtendo: & dum aliorum judicia, conſilia, ſenſus & intelligentias quascunque contumaciter abijcit, ipſemet ab omnibus deſpectus leviter abijcietur. Magna proinde ſacro Oratori adhibenda eſt circumſpectio in proponendis; & præſertim circumſpecta diſcretio ubique accurato oculo intendenda circa correptionem Auditorum; exploranda gentis, loci, regionis conditio; non facilè credendum levibus rumuſculis, mulierculæ conquerenti, ſuſpicioſis delatoribus aut ſuſurronibus. Nõ ſunt in pejus interpretanda, quæpiam, juſtam vel rationabilem admittunt interpretationem: æquè ſtultè agitur, ſi levia delicta graviter, ac ſi gravia delicta leviter perſtringũtur. Occultiſſima, & uni ſoli cognita, longis & publicis homilijs debellare, toto reliquo auditorio ignorante, quid tot velint clamores, magna eſt imprudentia; ſicut econtra plurimũ offendit, dum quæ publica ſunt, & mali exempli, totiq; mundo diſplicẽt, ſoli videntur Concionatori nõ diſplicere, dum ea ſic tranſit diſſimulanter, quaſi nõ auderet attingere: obſervandũ tempus opportunũ, v. g. publicarum calamitatũ; dũ enim amari peccatorũ fructus guſtantur, ipſorum malitia meliùs intelligitur. Prævia peccatoris laus, & in quibusdã cõmendatio, plurimũ juvat ad conciliandum ejusdẽ ſtatim feriendi animũ. Carpẽda magis vitia, quã homines; & magis ſcelera, quàm ſcelerũ auctores in odiũ provocandi: neq; eadẽ omniũ vel temporum, vel conditionũ, vel perſonarũ, vel ſtatuum

Medulla S. Evangelij Bonavent. Dernoye. c. 9. parag. 8.

in reprehendendis criminibus ratio habenda. Perſonas autem quantumcunque in reprehenſionibus nominare, etiam de veris delictis, gravis eſt Auditorij offenſa. Denique ſicut raritas correptionis facit eam acceptabiliorem, ita nimis frequens obtundit, ſuíque parit contemptum. In omnibus autem candida prædicatoris pateſcat intentio, & ſalutis alienæ deſiderium. Sícque lingua Concionatoris ſale diſcretionis condita, gratiam propalabit in populis proferendi verba ſalutis, & prudentiam *rectè loquendi.*

432. Facundiæ ſvavitas concionatori competens.

Sed nec mel deficere debet aſſando Anſeri, ut languentem reficiat linguam. *Melli* propria eſt dulcedo, & ſvavitas pronuntiationis ſacro Oratori; qui prædicando Verbum DEI *rectè loquitur*, hoc eſt, *facundè, ſvaviter, ornatè*: neque enim pretioſa monilia cinguntur ferro, nec diademata regia imponuntur trunco, nec delicata vina libantur teſtâ, nec gravia negotia tractantur ludicrè, nec roſæ imponuntur fimeto: pro dignitate, & dulcedine Sacri eloquij etiam lingua Concionatoris debet eſſe melle condita, ut ſvaviter, ut ornatè, ut facundè loquatur, hoc eſt, *rectè.* Præcepit DEUS Ezechieli rem tantopere relatu dignam. *Fili hominis, comede volumen iſtud, & vadens loquere ad filios Iſraël. Et aperui os meum, & cibavit me volumine illo. Et dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto, quod ego do tibi. Et comedi illud: Et factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.* Ita planè Divinum eloquium ſicut ſuper mel dulce & ſvave eſt, ſic etiam dulci & ſvavi pronuntiatione indiget, ut cum fructu inſtilletur languenti Auditori. Verùm, quod ſupra circa viſcerum egeſtionem Anſeris intra carbones anguſtiati, & melle refecti contingere diximus, id in ſe expertus eſt paulò pòſt Propheta, & poſt eum S. Joannes in Apocalypſi; qui poſtquam volumen ab Angelo oblatum deglutivit, quod erat in ore mel, in ventre factum eſt ei amaricatio: quia ut revolvit, tanta eſſe ſupplicia gentis ſuæ, ex intimis viſceribus indoluit. Nempe Verbum DEI ſimile eſſe debet pilulis, quæ foris auro, ſaccaro aut melle obductæ deglutiuntur cum ſvavitate; ſed cùm in ventre diſſolvuntur aloë, myrrha, crocus, manna & hujuſmodi ſpecies, ventrem amaricant, & torminibus eum cruciant, ac quaſi lacerant: ſic, ait Doctor Angelicus, Verbum DEI dulce eſt rationi, ſed amarum ſenſualitati. Sicut ergo pilulæ, quæ ventrem non lancinant, non ſunt bonæ ſed evanidæ, non efficaces ſed adulteræ; quia noxios humores non expellunt, nec expurgant: ita concio, quæ mentes & conſcientias ſuis vitijs affixas non concutit, non turbat, non exagitat, bona non eſt, ſed evanida; quæ aures tantùm mulcet, & ex corde noxios mores non defricat, non expellit: quod enim ſunt pravi humores in ventre, hoc ſunt mali mores in mente. *Favus mellis, compoſita verba: dulcedo animæ, ſanitas oſſium.* Sicut ſpecies vultûs rapit oculos intuentium, ſic ſpecies & decor modeſti ſermonis rapit aures audientium; & ſicut favus mellis delectat palatum, ſimúlque reficit, nutrit & roborat corpus; ſic pariter verba prudenter, & ſvaviter compoſita ac concinnata delectant aures, dulcorant animam, ſanant oſſa, hoc eſt, medullas corporis & intima animæ. Omnino Oratoris ſacri officium eſt *docere, delectare, & movere*; quæ tria per mel repræſentantur. Mel enim reficit, dulcorat & ſanat: refectio repræſentat doctrinam, dulcedo delectationem, ſalubritas motum & perſvaſionem. Vnde ex S. Auguſtino: *Dixit quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Docere neceſſitatis eſt, delectare ſvavitatis, flectere victoria.*

Ezechielis 3. v. 1. 2. 3.

Ibid v. 10. Apoc. 10. v. 10.

S. Thomæ ſuper Apocal.

Proverb. 16. v. 24.

S. Auguſtin. l. 4. de doct. Chriſt.

Debet ſacer Orator docendo, movendo & delectando Anſeris reſolutum affectum imitari; qui dum gratam in prato invenit herbam, non deſiſtit roſtro trahere, vellere & extirpare, quouſque herbam cum radice evincat. *DEFICIAM*, inquit,

AVT

AVT EFFICIAM. Morc Spattanorum, qui malebant vitam in acie perdere, quàm hoſtem non ſuperando turpi fugâ ſibi conſulete. Proponit ſibi thema Prædicator, diſponit in partes, exornat textibus, demonſtrat argumentis: ſi vitium aliquod oppugnat, ſi virtutem ſvadet, ſi rem arduam tractat, ſi de medijs opportunis conſultat, ſi pro Auditorij ſui ædificatione laborat; *docendo, delectando, & movendo EFFICAT, NE DEFICIAT.*

433. Facundia concionatoris variè viciatur.

433. Sed verò etiam in hac melliflua dicendi ſacundiâ non deſunt, qui graviter excedant, & pernicioſis *pulſent clangoribus urbem*: dum enim ex prioribus nonnulli ſalem diſcretionis in corripiendo malè uſurpant, ad alterum extremum non pauci declinant; eóque turpiùs contra rectè loquendi ſvavitatem delinquunt, quò ineptiùs *ſub omni cubito* lenocinantes *pulvillos conſuunt*: nec tantùm duris & fortibus abſtinent, ſed mollia quoque & placentia ſtudioſè ingerunt, ne enervem & effæminatum avertant Auditorem. Quam ob cauſam perpetui ſunt in ſolâ Divinâ benignitate explicandâ, quaſi non ſit DEUS æquè juſtus ac miſericors: ideóque dignè promerentur illam D. Baſilij ex Iſaia cenſuram, *Caupones tui miſcent aquam vino*, hoc eſt, adulterant & cauponantur, dum Scripturam ipſam in aquam convertunt; permiſcentes, quæ ſuo ipſorum intellectu excogitarunt, in extremam Auditorum perniciem, & aſſentando alentes eorum vitia in perditionem. Non defuerunt alij, qui præ cordis inopiâ, & Evangelicum Oratorem dedecente lenocinio, ad gratiam captandam profanitatibus patrocinarentur; & quæ conterere Verbi DEI ſecuribus debuerant, perfidè cum inſigni ejusdem Verbi „abuſione tuerentur [*Avertat DEUS*, „exclamat hìc Auguſtinus, *ab Eccleſiâ* „*ſuâ, quod de Synagoga Iudaorum Ieremias* „*Propheta commemorat, dicens: Pavor &* „*horrenda facta ſunt ſuper terram. Pro-* „*pheta prophetabant iniqua, & Sacerdo-* „*tes plauſum dederunt manibus ſuis, &* „*plebs mea dilexit ſic: & quid facietis in* „*futurum?* Abſit, abſit à nobis, ut Sa„cerdotes plaudant manibus iniqua „dicentibus, & plebs DEI diligat ſic. „Abſit à nobis, inquam, tanta demen„tia. Nam quid faciemus in futu„rum? *Et certè minùs intelligantur, mi-* „*nùs placeant, minùs moveant, quæ di-* „*cuntur, vera tamen dicantur, & juſta,* „*non iniqua libenter audiantur.*] Multò proclivius eſt perſpicere, quàm fœdum & indignum ſit, munerum cupiditate revocari à *recta* veritatis *elocutione*; & ventriloquio indulgere liberaliùs, ut gratus & acceptus magnatum menſis aſſideat Concionator. Non exercet hic ullam in dicendo poteſtatem, ſicut Magiſter verax, & viam DEI in veritate docens; qui inter cætera, quæ contra avaritiam diſputavit civium, adeò nulli unquam adulatus eſt, ut in Jeroſolymâ, civitate magnâ & opulentâ, nec ſaltem unius noctis hoſpitium aliquando habuerit: ideóque *erat docens eos ſicut POTESTATEM habens, non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.* Quid de illis ſentiendum, qui ita plebeculæ cujuscunque Auditorij ſenſibus commoventur, ut vel frangantur animo, ſi non faveat, vel efferantur & inflentur, ſi ejus favor ac plauſus benevolè aſpirent? Sunt, qui eſcam laudum captantes ineptiunt affectando volubilitatem verborum, & citatiſſimam ſermonum profuſionem, caſſo labore, cùm ſtilla plùs agrum fœcundet, quàm pluvia impetuoſa. Sunt, qui in aucupando laudum fumo, & ſpumeo plausûs fuco conciliando ita pueriliter occupantur, ita ſcholariter verbis communibus & uſitatis orationem proſequi dedignantur, ut totum negotium in ſententiarum floſculis, & periodorum lenocinijs conſiſtere arbitrentur; hi calamiſtrati concionatores. Cujus vitij exempla vel maximè illuſtria notavit M. Antonius Muretus in quibusdam maximarum rerum ad populum interpretibus: quorum oratio, quæ non compta ac calamiſtrata, ſed gravitatis, authoritatis, majeſtatis ac ſanctimoniæ plena

S. Baſilius ſuper Iſa. 1.

S. Auguſtin. lib. 4. doct. Chriſt. c. 14. Ierem. 5. v. 31.

Matth. 7. v. 29.

M. Antonius Muretus ad Senecæ Ep. 40.

eſſe deberet, tota papavere ac ſeſamo ſparſa eſt, & ex mellitis verborum contexta globulis: ita ut ad eos, non tanquam ad vitæ magiſtros aut vitiorum correctores, ſed tanquam ad comœdos aut hiſtriones eatur. Poteſt locutionis calamiſtratio tolerari in adoleſcentibus, in viro gravi & maturo non poteſt. Sunt qui ad captandum plauſum jocos & ſales inter dicendum conſectantur, qui potiùs decent infames ſcænicos, quàm Eccleſiaſtici oratoris gravitatem. Contra quos non dubitavit Leonardus Leſſius cum pluribus claſſicis Doctoribus affirmare, grave peccatum eſſe, jocos in ſacris Concionibus adhibere; nimirum frequenter ac veluti ex uſu, ac meditatò & ſtudioſè: nam parvitas materiæ, vel inadvertentia peccatum tenuarent. Rationem reddit, quia hoc eſt contra reverentiam, & attentionem neceſſariam, ut Verbum DEI fructum idoneum ferat: per jocum quippe temittitur animus, & attentione ac reverentiâ conveniente ſpoliatur; & plaga non levis Concionatoris exiſtimationi infertur, dum pro ſcurra & hiſtrione ridetur. Et quamvis poſſint ſubinde ſales, lepôres aut lætitiæ adhiberi, honeſtâ hilaritate condîtæ, præſertim ubi Auditor oſcitans labia diducit & languet; Doctoris tamen Eccleſiaſtici eſſe, lachrymas potiùs movere quàm riſum, admonuit S. Hieronymus, ad illud Iſaiæ: *Popule meus, qui te beatificant, ipſi te decipiunt.* Ita verò mellitæ ſtudeant facundiæ Concionatores, ut cum D. Paulo poſſint gloriari: *non ſumus, ſicut plurimi, adulterantes Verbum DEI.* Cæterùm verò circa plauſum & laudum delationem, non usquequaque abjiciendam, ſervanda eſt Apoſtolorum praxis, & ſanctâ æmulatione obſervanda S. Auguſtini confeſſio; cùm dixit: „[Periculum meum eſt, ſi attendam, „quomodo laudatis, & diſſimulem, „quomodo vivatis. Ille enim novit, „ſub cujus oculis loquor, imò ſub cu„jus oculis cogito, non me tam dele„ctari laudibus popularibus, quàm „ſtimulari & angi, quomodo vivant, „qui me laudant. *Laudari autem à ma„lè viventibus nolo, abhorreo, deteſtor; „dolori mihi eſt; non voluptati. Laudari à „bene viventibus, ſi dicam, nolo, mentior. „Si dicam, volo, timeo ne ſim inanitatis ap„petentior quàm ſoliditatis.* Ergo quid di„cam? Nec plenè volo, nec plenè no„lo. Nec plenè volo, ne in laude hu„mana pericliter. Non plenè nolo, „ne ingrati ſint, quibus prædico.]

Leſſius l. 4. de virt. c. 4. n. 96.

Theoph. Raynaudus in Heraclito ſpiritualibus. fol. 107.

S. Hieronym. ſuper Iſa.

1. Corinth. 2. v. 17.

S. Auguſtin. hom. 23. ex 50.

Anferem ita vivum afflatum habetis, Auditores; & ut ſacri veſtri Oratores *rectè loquantur*, fructuoſè clangant, Divinum Verbum ita de ore eorum ſuſcipite, ut in cordibus veſtris pellucidè ut aqua diffluat, virtuoſè ut ſal operetur, & ut mellis favus dulciter digeratur. Amen.

DO-

POST PENTECOSTEN.

CELERES MERGI.

Die geſchwinde Duck-Endten.

LEMMA.

Celeres revolant ex æquore Mergi. Virg. l. 1. Georg.

THEMA.

Et quis eſt meus proximus? Lucæ 10. v. 29.

SYNOPSIS CONCIONIS XLVI.

Familiari luſu oſtenditur, qualem ſibi proximum adſciſcere debeant Divites, Nobiles, Fortunati, Juſti, Juvenes, Docti, ut ad ſalutis metam per charitatem celeres attingant.

434. Charitas eſt via ad metam cœleſtem.

TOta hodierni Evangelij hiſtoria ſimilis videtur eſſe cuidam ludo, pueris ad accelerandum cursum familiari, quē ſolent *Apodidraſcindam* appellitare, das Duckenbergen. Ponunt metam, ad quam unus Circator expectat velatis oculis, donec reliqui omnes in varios angulos ſeſe occultaverint: tū circator hinc inde quęrit occultos; ſi quempiam invenerit, & celeri curſu eum pręveniendo ad metam inclamaverit, eidem ſic depræhenſo incumbet impoſterum onus alios quærendi: illi verò, qui circatoris obtutum præveniendo ad metam penetrârint, læti clamant: *io, ſalvum me feci!* Hui / mich erlößt! Imitatione quâdam Mergorum, qui, cùm amphibij ſint, nunc aquis ſe immergunt, piſcésq; venantur; diutiùs ſubinde infra aquam morantur, ſubitò emergunt, & ad terram *CELERES REVOLANT EX ÆQVORE MERGI.* Rubeis plerumque plumis promicantes, & in capite cornua, pedésque habentes in caudâ, quibus ut homo *ſtant corpore recto.* Cùm aquis tantùm oblectarentur, B. Martinus Divinâ virtute coëgit, aquam contra propriam naturam deſerere, ac deſerta loca petere: cujus pulli, quamprimum ſunt ovo excluſi, etiam perditâ matre, celeri gradu & volatu victum ſibi quærere nôrunt. Vt meritò à mergendo Mergorum nomen fuerint adepti. Quot currunt Perſonæ in hodierni Evangelij Apodidraſcindâ? Chriſtus, Scriba doctus in lege, Samaritanus, Sacerdos, Levita, homo deſcendens in Jericho, latrones, ſervus ſtabularius. Ex his *Scriba* Circatorem agit (er muſte vnderhalten;) quippe qui ſollicitè inquirebat: *quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Occultant ſe interim *latrones*: *homo deſcendens*, dum properat in Jericho, à latronibus tenetur: *Sacerdos* quidam ſe parum exhibet videndum, ſed mox iterum ſe occultat: *Chriſtus* judicem agit hujus ludi, ac Scribæ mandat; inquires, & *diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & proximum ſicut teipſum.* Venit *ſtabularius*, ut ſe liberaret: inclamat circator *Scriba*, *quis eſt meus proximus?* Occurrit *Levita*, celeriter ſciſcitatur Scriba, *quis eſt meus proximus?* Dum & ſtabularius, & Levita & Sacerdos ſubitò ſe iterùm in fugam prori-

Caſp. Schotttus l. 9. mirab. c. 33.

S. Vincent. hiſt. animal. l. 16. c. 105.

Lucæ 10. v. 25.

proripiunt, adeſt Samaritanus, & circatorem præcurrit ad metam, hilariter clamando: *Io, ſalvum me feci!* Hui! mich erio ſt! Inſequitur Scriba: *& quis eſt meus proximus?* Repetit Samaritanus: *Io, ſalvum me feci!* Quid hoc? quomodo ſe fecit ſalvum? Quia nempe hominem deſcendentem in Jericho, à latronibus ſpoliatum & vulneratum, ex motivo veræ charitatis Divinæ curavit, equo impoſuit, ſtabulario commendavit, oleum & vinum plagis infudit, ſicque adeò metam æternæ vitæ rectè invenit: *Io, ſalvum me feci!* Sed verò continuemus hanc Apodidraſcindam, in qua *Scriba doctus in lege* circatorem agat, & ex omni hominum conditione inquirat, *quis ejus ſit proximus*: nos interim ita celeri gradu *metam properemus ad unam* æternæ beatitudinis per charitatem, ut circator nullatenus nos deprehendat. Latete, ſilete; & dum tempus eſt, proſilite, in nomine Domini.

435. Ita ſanè eſt, quod de hominibus illis infelicibus refert Sapiens: *Sed & æſtimaverunt luſum eſſe vitam noſtram, & converſationem vitæ compoſitam ad lucrum.* In hoc luſu, an non diabolus & peccator imitantur Mergos? quibus proprium eſt, in profundum mergi, ac piſces incautos deprehendere; ſaturatâ tandem ingluvie emergere, & delicioſè eminus circumnatare. In hoc luſu frequenter cicurantur Mergi, & ad piſcandum heris inſtruuntur: prout Odericus teſtatur, ſe in quadam Orientis civitate comitatum eſſe hoſpitem, piſcatorum ad magnum fluvium; vidiſſéque in naviculis ejus Mergos ſuper perticâ alligatos, quibus ille guttur filo ligaverat, ne piſces deglutire poſſent. Hoſpitem poſuiſſe ad ſingulas naviculas tres ciſtas, tum Mergos ſolutos dimiſiſſe; hos autem mox piſces cœpiſſe quàm plurimos, & ciſtis impoſuiſſe, ita ut brevi tempore implerentur: demum hoſpitem filis à gutture ſolutis, eos jam ſibi ipſis piſcari & piſcibus paſci permiſiſſe, iterúmque perticis alligatos domum revexiſſe. Viderat aliquando S. Martinus, conſiſtens propè lacum, Mergos præfato modo inſidiari piſcibus; & quia Sanctus mentem ſuam ex quibusvis creaturis ad Deum, & ſpiritualia elevabat, cum gemitu cordis aſſerebat adſtantibus. *Forma hæc dæmonum eſt; inſidiantur incautis, capiunt neſcientes, captos devorant, exſaturarique non poſſunt devoratis.* Alius quidam Doctor Aſcanius Martinengus ſub hiſce Mergis peccatorem intelligit: *quis Mergus eſt*, inquit, *niſi peccator mortali culpâ proſtratus?* qui in aquis maris, id eſt, mundi delicijs, ubi amaritudo peccari involvitur, multotiès impinguatur, ibíque moratur & habitat pro cibis bonorum temporalium expiſcandis, quibus miſera ſenſualitas recreatur. Sic cum Æſaco Priami filio, in Mergum converſò, *Æquor amat, noménque manet: quia mergitur illi.* Sed verò *dum peccatar memoriâ mortis angitur, è medio undarum, è medio voluptatum, ad Chriſtum veluti littus, rupémque tutiſſimam, cum clamore pœnitentiæ properat; PRÆVIDENS SIGNA PROCELLÆ*, ſuperventuræ omni homini operanti iniquitatem, & in malitiâ ſua perſeveranti. Dimitto tam pias interpretationes, quando nobis res de luſu agitur, in quo nobis unica meta æternæ quietis & beatitudinis eſt arripienda. Ad hanc properant Chriſti Fideles in ſilentio, cum timore incolatûs ſui, incedentes in mandatis Domini, per ſemitas Juſtitiæ, & dilectionis Dei & proximi ſui: ne ſubitò præoccupati furtivo mortis circuitu quærant tempus pœnitentiæ, nec tamen ampliùs eum Mergis ad profundum Abyſſi Divinæ miſericordiæ penetrare poſſint, nec amaris tempeſtivæ contritionis lachrymis abſcondi.

Audivit hoc Scriba in lege peritus, dilectionem Dei & proximi malum non operari, viámque tutam & opportunam aperire ſine offendiculo currendi ad metam, ac ſalvum ſe faciendi: hinc officioſè per omnes angulos diſquirit, ſi quo modo inveniat proximum, quem charitatis obſequio amplexus ad metam præveniat, ut ſe moleſtæ ſuæ circationis onere exſolvat. Quærit igitur apud divites & potentes: *Et quis eſt meus proximus?* Hi quidem aiunt, proximos ſibi amicos, 436.

Mergus ſymbolum dæmonis, peccatoris & viatoris. *Sap. 15. v. 12.*

Caſp. Schottus ...

Ovid. Metam. 11.

Divites pro proximo ſuo non gnathones, ſed pauperes habeant.

Ezech. 13. v. 18. *qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.* Amici optimi, qui potentum excuſant delicta, & eorum [illegible] defendunt, aut ſaltem tacendo approbant, ut Domini in ſuis peccatis tantò ſvavius dormiant, quanto confidentiùs ſuper hujusmodi blandiloquentiæ adulatoriæ cervicalia quieſcunt. Sed vero occurrit Jeremias Propheta, &, dum ſe hujusmodi gnathones erigunt, protinus commonet, ut *unusquisque ſe à proximo ſuo cuſtodiat*: qui inſtar chamæleontis omnium, quas aſpiciunt, rerum colores induunt; & inſtar Echonis omnes, quas audiunt, referunt voces; & inſtar Prothei omnes, quas volunt, imitantur formas. Noluit hos Regius Citharædus pro ſuis proximis agnoſcere, quin potius, dum purum vellent ipſi oleum lenitatis poſt peccatum adulterij admiſſum affundere, ex eorum manibus ſeſe [illegible]: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*; non blandiloquentia adulatoris, qui peccata mea extenuet, excuſet, vel fucatis coloribus pingat: Samaritanum potius volo, qui infuſæ correptionis acrius admiſceat vinum: *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me.* Et ideò potius Nathanem pro ſuo reſpexit proximo à ſuo diſcretè & charitativè fuit correptus: potiùs Sanctum Ambroſium honoravit Imperator Theodoſius, Zachariam Papam Rex Luitprandus, Columbanum Epiſcopum dux Grimoaldus; ut ab ijs per [illegible] non corrumpantur [illegible] eos diligentes [illegible] *in le scho*, hoc eſt, in [illegible]. Vos, ô divites, vos, ô Potentes à ſæculo, ſi de proximo veſtro inquiritis; ij ſunt pauperes & mendici, pupilli & orphani, viduæ & peregrini, ſive quibus juxta Sancti Laurentij primi Venetorum Patriarchæ ſententiam ſalva [illegible] poteſtis, [illegible] dando eleemoſynam: [illegible] juxta Sanctum Leonem Laurentium facultates terreſtres in cœleſtes theſauros deportant: qui juxta Sanctum Auguſtinum veſtri ſunt *neceſſarij* juxta S. [illegible] Joannem Eleemoſynarium veſtri *Domini*. Vidi vos eſſe Mercatores, quibus divitiæ & potentiæ mergunt in interitum, prout Divus Paulus ad Timotheum ſcribit: *Qui volunt divites fieri, incidunt in deſideria inutilia & nociva, quæ MERGUNT hominem in interitum.* Sæpe contingit, ut ij, qui in profundo maris veniunt [illegible] aud[illegible] pluſ poſſe [illegible], a fluctibus rapti, aut à monſtris marinis abſorpti, aut ab abyſſo devorati: quia *divitiæ mergunt hominem in interitum.* Ergo ut emergatis, ô divites, & celeres revoletis ab æquore [illegible] de proximo veſtro paupere eſtote ſolliciti, qui ſecurè vos ducet ad metam æternæ felicitatis, & vobis centenas exhibitioni dilectionis reddet in ſinus veſtros: ut eluſo Scillâ, ambulantes in mirabilibus ſuper ſe, poſſitis ad [illegible] liberati clamare, *Io me! ſalvus evaſi* per eleemoſynam [illegible] ex motivo charitatis propter DEUM [illegible] pauperibus [illegible]liter elargitus, [illegible] *Timoth. 6. v. 9.*

Pſal. 140. v. 5.

Jerem. 9. v. 4.

Ibidem.

437. Exit de Scriba doctus in lege divertit ad *Nobiles*, ſolicitè interrogos inquirens: *Et quis eſt meus proximus?* Nobiles quidem *Proximos* ſibi ſtatuunt propinquos, & carnis neceſſitate ac ſanguinis antiquitate connexos. Hos inter exquiſita curialitas in converſatione venandi aucupandi, piſcandi, equitandi, ſaltandi, [illegible]di, etiandi ut plurimùm nullus eſt finis. Quotidiana convivia, alearum & taxillorum ludi, chorearum frequentia, & [illegible] [illegible] la ſunt, qui [illegible] incauti ſe comitantur non [illegible]. At vero *unusquisque à proximo ſuo cuſtodiat*: nam juxta Veritatem [illegible], *inimici hominis domeſtici ejus*: & ſanguine propinqui ſunt, qui ut plurimùm

Nobilis inter proximos ſuos non conſanguineos, ſed ruſticos recenſeat.

Matth. 10. v. 36.

temporalia commoda tibi optanti, ac procurant, ſed vero ſalutis viam impediunt, quominus ad præſtitutam metam æternæ felicitatis poſſis pervenire. Quod cognoſcentes Dei amici nullatenus permiſerunt à carnalibus propinquis ſe impediri, quominus veluti celeres Mergi volitarent ex hujus mundi æquore ad portum & littus ſalutis. Repulit Eleazarus conſanguineos, ſimulatam carnis vetitæ comeſtionem ſvadentes: repulit Sanctus Gordius Martyr cognatos, ad externam Chriſti negationem inducentes: repulit Sanctus Bernardus fratres, Sanctus Thomas Aquinas matrem & ſorores, Sancta Clara parentes, qui ſibi à propoſitâ ingrediendæ arduæ Religionis motâ erant offendiculo; quia *inimici hominis domeſtici ejus*. Qui frequenter ſibi invicem evadunt lupi, & crudeles latrones; ut Abſolon Amnoni, propter violatam ſororem; ut Ægyſtus Agamemnoni, propter corruptam uxorem; ut Polyphemus, ut Thyeſtes ſuis germanis fratribus uſque ad necem infeſti. Vos, ô ſanguinis nobilitate decorati, vos avitis ceris & gentis proſapiâ illuſtres; ſi de *Proximo* ſollicitamini, Ruſticus quiſque in veſtris pagis & Toparchiis veſter *Proximus* cenſetor, quia vobis antiquiſſimo vivit ſanguine propinquus: quem proinde non contemptim, non tyrannicâ duritie, non intolerabili ſervitute, non oneroſâ ſuppreſſione; ſed juxta Chriſti legem debitâ charitate, juſtitiâ, pietate ac dilectione proſequi debetis atque tractare. Ad Chriſti Genealogiam vos remitto: ibi invenietis primò Agricolam Adamum, deinde magnos Patriarchas, tum pauperem David de *poſt fœtantes* acceptum, ſucceſſivè ab ejus lumbis progreſſos maximos Reges, & in paupere Joſepho, Chriſti nutritio, iterum ad priſtinam humilitatem Reges redactos. Ita ut de aliis hominum Genealogiis rectè apud Senecam pronuntiârit Divinus Plato. *N[illegible] regem non ex ſervis e[illegible] orin[illegible], n[illegible] minem non ſervum ex r[illegible]ibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum fortuna verſavit.* [illegible] poſt idem Seneca. [Non facit n[illegible] [illegible]m atrium plenum fumoſis i[illegible] „nibus. Nemo in noſtram gloriam „vixit, nec quod ante nos fuit, no- „ſtrum eſt. Animus facit n[illegible], „cui ex quacunque co[illegible] ſupra „fortunam licet ſurgere.] [illegible] verò urgere exempla co[illegible] obſcuro ſolo nati, ſuâ virtute [illegible] nobiliſſimi, & econtra al[illegible] claro orti ſanguine, turp[illegible] vitæ [illegible]um [illegible]fecerunt d[illegible] Apposite ad rem D. Chryſoſt[illegible] „[Tu qui magna, inquit, de no- „bilitate Majorum jactas, ultra [illegible] „vos atque atavos tuos ſi progreſſus fue- „ris, invenies multos ex genere tuo „agaſones forſan aut caupones fuiſ- „ſe. Ad alteros econtrario [illegible] „diaris tu al[illegible] quantulum [illegible] „tes, & invenies m[illegible] te [illegible] „res fuiſſe. Hoc enim e[illegible] rſu[illegible] „ferè humanum etiam a Scri[illegible] „comprobari poteſt.] Fuſius eo[illegible] loco proſequitur præiens [illegible] Mandrita Conſtanti[illegible] o[illegible] Solis apud Romanos Patriciis ac nobilibus licitum erat, in argumentum nobilitatis portare lunulas in calceis: quod fortè ab He[illegible] hauſtum, apud quos referente [illegible] ſancto Hieronymo, bullulæ in ſi[illegible]tudinem lunæ pendentes è [illegible] mulierum, argumentum erant nobilitatis. Quid enim [illegible] mutabilius, quid in d[illegible] inſtabilius luna. De[illegible] h[illegible] homo in *Jericho*, quod interpretatur *Luna*: ut a[illegible] *nobilis* [illegible] *Ruf*[illegible] [illegible] næ [illegible] æ [illegible] eſt defi[illegible] & [illegible] ergo nobilis & ruſticus [illegible] menſa cum [illegible] ctione [illegible] gunt a[illegible] [illegible] Præfati, [illegible] cundum [illegible] nobi[illegible]

ſt[illegible]

Seneca Ep. 44.

S. Chryſoſt. hom. 19 in Matth.

Pantofla pontific.

[illegible]

[illegible]

„ſtrem locum. [Nulli te unquam de „generis nobilitate præponas, neque „obſcuriores quasque & humiliore „loco natas te inferiores putes. Neſcit Religio noſtra perſonas acci„pere, nec conditiones hominum, „ſed animos inſpicit ſingulorum. *Ser„vum & nobilem de moribus pronuntiat. „Sola apud DEVM libertas eſt, non „ſervire peccatis. Sola apud DEVM eſt „nobilitas, clarum eſſe virtutibus.*] Itaque cum ruſticis ad metam clamate: *Iomi, ſalvus evaſi!* quia ex plebe infimum ruſticum, tanquam proximum meum, ex charitatis motivo non contempſi, non deſpexi.

438. Fortunatus inter proximos ſuos non numeret garrios, ſed infortunatos.

A nobilibus ad Fortunatos digreditur Scriba doctus in lege, ut inveniat, *quis ſit proximus ejus?* Numerant iſti melioris fortunæ Favoritæ innumeros proximos, ſocios, amicos, commenſales, qui de rebus ſecundis apprimè gratulantur; & congaudere videntur ex animo, cùm flant Favonij ridentes Fortunæ, & plenis velis navigat blandientis fortis carina. Etiam hìc *unusquisque ſe à proximo ſuo cuſtodiat.* Abſunt enim à decore veræ amicitiæ quàm longiſſimè, qui ſecundam fortunam, non hominem diligunt. Hos Ixionis amicos Anaxillas tineis contulit, utpote quòd aſſident homini, quàm diu aliquid exhibet, quo veſcantur; tamdiu enim tineæ aſſident frumento. Suidas hanc vocat amicitiam, quæ ferveat, quàm diu fervet olla. *Fervet olla, vivit amicitia.* Et verè dixit Ecclesiaſticus: *Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.* Ad quod alludere videri poſſet Martialis, ſi libros Sapientiales aliquando legiſſe videretur; dum canit.

Athenæus l.6.c.6.

Eccli.6.v.10.

Hunc quem vina tibi, quem menſa paravit amicum,
Eſſe putas fida pectus amicitia?
Vinum amat & cyathos, & ſuminâ, & oſtrea, non te:
Sublato vino, nullus amicus erit.

Hos proximos Alphonſus Rex ex Sicilia navigans comparavit Mergis, qui circa navim ſecum volitabant & natabant, quàm diu illis panis & eſca obijciebatur. Cùm enim videret eas eſcam certatim arripere, & ſaturatos mox iterum aufugere, ac *celeres revolare ad littora Mergos:* Perſimiles, inquit, ſunt his garrijs Purpurati, & Curiales aliquot mei; ſimul ac namque aliquod munus, aut beneficium, dimicantes invicem à me acceperint, profugiunt. Vos, ô Fortunati, ſi ſcire vultis proximos veſtros: ecce hi ſunt infortunati & infælices, ac abjectiſſimi quique, amicis, opibus, membris, omnique fortunâ deſtituti; cum quibus eidem fortunæ rotæ alligati, infima ſummis ac ſumma infimis gyratis; & qui nunc in apice per momentum conſiſtitis, facilè ad ima miſeriæ declinatis. *Omnium iſtorum,* inquit Sapientiſſimus Seneca, *quos incedere altos vides, bracteata felicitas eſt. Hora momentum intereſt inter ſolium & aliena genua.* Et alio loco vult doceri Principem, mobilem eſſe potentiam, quam dedit caſus; & his portionibus, quibus ad ſumma perventum eſt, retrò iri; ac ſæpè inter fortunam maximam, & ultimam nihil intereſſe. Ammianus item Marcellinus verſabiles fortunæ motus mortalitatem ludentes, & nunc evehentes quosdam ad ſydera, nunc in Cocyti profunda mergentes, ſubjectis hiſce exemplis declarat. [Hæc „Fortuna mutabilis & inconſtans, fe„cit Agathoclem Siculum ex figulo „regem: & Dionyſium, gentium „quondam terrorem, Corinthi lite„rario ludo præfecit. Hæc Adramite„num Audriſcum in fullonio natum, „ob Pſeudophilippi nomen evexit: & „Perſis legitimum filium, artem „ferrariam ob quærendum docuit „victum. Eadem Mancinum poſt Im„perium dedit Numantinis ſummâ „atrocitate, Veturium & Claudium „Corſis; ſubſtravitq; feritati Cartha„ginis, Regulum. Iſtius iniquitate „Pompeius, poſt quæſitum Magni ex

Panormitan. l.1 de rebus Alphonſ.

Seneca lib. de tranq. animi.

Idem l.6 de Benef. c.13.

Ammianus l.14.

„rerum geſtarum amplitudine co„gnomentum, ad ſpadorum libidi„nem in Ægypto trucidavit. Et Eunus „quidam ergaſtularius ſervus, ducta„vit in Sicilia fugitivos. Quàm mul„ti ſplendido loco nati, eâdem rerum „Dominâ connivente, vitiati genua „ſunt amplexi, vel Spartaci? Quot ca„pita, quæ horruêre gentes, funeſti „carnifices abſciderunt? Alter in vin„cula ducitur, alter inſperatæ præfici„tur poteſtati, alius à ſummo culmine „dignitatis excutitur. Quæ omnia ſi „ſcire quisquam velit, quàm varia „ſunt & aſſidua, arenarum nume„rum idem jam deſipiens, & mon„tium pondera ſcrutari poterit.] Hæc Ammianus occaſione Galli, Juliani Imperatoris Germani, quem Cæſaris gradu exturbatum Conſtantij patruelis gladius ultor è vivis ſuſtulit. Quare cùm fixum ſit, maximam eſſe humanæ Fortunæ mobilitatem, Fortunatus infortunatum obſequiosè diligat, unúsque alterum charitativè ad metam ſalutis perducat: & ſi quo modo ſiniſtra fortuna obliquos adijciat aſpectus, ad bonam ſpem & fiduciam hortetur afflictos generoſiſſimis Æneæ ad ſocios verbis:

O ſocij (neque enim ignari ſumus ante malorum.)
O paſſi graviora! dabit DEUS his quoque finem.

439. Ad Juſtos & in DEI gratiâ conſtitutos procedit Scriba in lege doctus, ſollicitans inter eos: *Et quis eſt meus proximus?* Hi quidem pro proximis ſuis exhibent viros timentes DEUM, & in domo Domini *ambulantes cum conſenſu*; ſaltem ut in ſignis exterioribus apparent: hi enim jugiter orationibus inſtant, & ad omnia Pietatis officia expeditos ſeſe demonſtrant. Fateor bonum eſſe, talibus approximari: verùm etiam hìc *unusquisque ſe à proximo ſuo cuſtodiat*. Nam licèt tales rectâ videantur tendere ad metam ſalutis; *eſt* tamen *via, quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.* Et non raro *vir iniquus* ſub hypocriticâ ſanctitatis larvâ *lactat amicum ſuum, & deducit eum per viam non bonam.* Talium ſanctitatem quàm diu ſuſpexeris, laudaveris, commendaveris, mirè ſibi in tua converſatione complacebunt, & in tuo conſpectu tranquillitatem animi continebunt. At verò ſi vel parum mellita ſubtraxeris verba, & acriore alloquio virtutem tentaveris, *fumigabunt montes*, ſi digito tetigeris; ſimiles bombardis, quæ etiam onuſtæ, quamdiu non admoveris ignem, nulli ſunt terribiles, nulli fatales, ſpecioſæ plurimùm & elaboratæ, patiuntur ſe contrectari, inſpici, moveri & laudari: at ubi admoveris ſcintillam, omnia extrema minantur, totæ inflammantur, & neminem ſine noxâ ad ſe accedere patiuntur. Quin potiùs, ô Juſti & ſancti, pro veſtris proximis capeſſite peccatores, latrones, fures, ſeditioſos, adulteros, ſacrilegos; & quidem tales, qui fortè cras trahentur ad rotas, furcas, focos, aliáque extrema ſupplicia. An non enim *Tunc tua res agitur, cùm proximus ardet Ucalegon*; qui ob inopiam aquæ aut aliorum competentium mediorum defectum, exortam in ſuis ædibus flammam haud poteſt ſuffocare? aut cùm in acie tuus confoditur commilito, qui fortè ante te in prælio ſtetit, malè armatus, malè clypeo munitus? Si DEUS te eo loco conſtituetet, quo David Uriam, ubi prælium agerētur fortiſſimum, ubi graviſſimæ tentationes, impetuoſiſſimi paſſionum incurſus, ſubdoloſi affectionum cuniculi, nuda humanæ fragilitatis inermitas, periculoſa humanæ vitæ militia, quàm non & tu caderes? quàm non ſuccumberes? quàm non ſubverrereris? quàm non irâ exardeſceres? quàm non per occaſionem delinqueres? quàm non turpem fugam arriperes, & cum peccatoribus tuam portionem collocares? Quapropter dicant potiùs Juſti cum Propheta Iſaia: *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen* gratiæ ſuæ, aut Verbi Divini, ſemen bonæ inſpirationis, timoris, compunctionis & pœnitentiæ, ſemen ſui efficacis auxilij ad reſiſtendum peccato, *quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Dicant cum afflictiſſimis

Sancti pro proximis ſuis non hypocritas ſed peccatores ſuſcipiant.

Proverb. 14. v. 12.

Proverb. 16. v. 29.

Pſal. 143.

Iſa. 1. v. 9.

Thren. 3. v. 22. ſimis Judæis in Threnis: *Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti.* Dicant cum S. Mariâ Ægypticâ, à cœnoſis peccatorum ſordibus ad ſanctitatis eximiæ apicem reductâ: *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Dicant, & profiteantur ſe cum Seraphico noſtro Patre Franciſco, aliisque perfectiſſimis Dei amicis, maximos peccatores, mortalib' cunctis peiores, iniquiores latronibus: non quia talis eſſet Franciſcus, ſed quia tam humili confeſſione agnoſceret, ſi tanta gratia fuiſſet collata latronibus, quanta collata eſt Franciſco, fortè plura & majora præſtitiſſent virtutũ merita, quàm ipſe, & multi Sanctorum: ſicut econtra, ſi Franciſcus majorem haud obtinuiſſet gratiam, quàm adulteri & latrones, fortè illis longè pejor evaſiſſet. Itaque cum peccatoribus, ô Juſti, properate ad metam ſalutis, & dum eorum peccata indignamini, perſonas Chriſtianâ dilectione afficite; quandoquidem ipſemet Chriſtus propter peccatores in mundum venerit, *ut quæreret & ſalvum faceret, quod perierat.*

440. *Iuvenes non cum iuvenibus, ſed cum ſenibus proximè ad metam properant.* Etiam inter licentioſos & diſſolutos juvenes negotium agit Scriba doctus in lege: *Et quis eſt meus proximus?* Facilis videtur hujus proximi deprehenſio; nam *graculus graculo*, puer puero, & luſcus aſſidet luſco. Magna eſt inter adoleſcentes convenientia; formæ, ætatis, motum, ſanguinísque decor multos conjungit proximè; & tam arcto amicitiæ vinculo nectit, ut juvet illud Ovidij accinere: *Ovid. 1. Ponti Eleg. 7.*

Nam prius incipient turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas;
Quàm malè ſe præſtet veteri Gretinus amico.

Sed verò licèt major quædam in adoleſcentibus videatur conſiderem animi ſimplicitas ac morum innocentia, attamen etiam horum *unusquisque à proximo ſuo ſe cuſtodiat*, præſertim ſi ſexûs diverſitas ab adoleſcentibus, ob ætatis fervorem, multò majorem exigit in quærenda proximitate cautionem. Vtpote quòd juxta S. Hieronymum *nullus diu ſit tutus, qui continuò proximus vivit periculo*: *S. Hieronym.* ita ut conſultiſſimum ſit, præſertim juvenibus, non tantùm à dilectione periculoſa mulierum, ſed etiam ab earum conſpectu, imò à recordatione alienari. Juvenum hac in parte certamina ſunt longè omnium acerrima. Sic Joſephi formoſiſſimi de impudica hera victoriam celebrans S. Chryſoſtomus, *S. Chryſoſtom. Ep. 1.* negat exiſtimandum eſſe, quòd quia retia ſaltu ſuperavit, citra laborem id præſtiterit. [Siquidem ingentem ſudorem in ea re ſubijt. Ac ſi id perſpicuè ſcire cordi eſt, cogites velim, cujusmodi res ſit juventus, ac juventutis flos. Nam tum in ipſo juventutis flore erat, quo ſcilicet tempore acrior naturæ flamma exiſtebat; quo tempore ingens libidinis tempeſtas, quo denique tempore imbecillior ratio. Juvenum enim animi non admodum magno prudentiæ præſidio muniuntur; nec magnum virtutis ſtudium & curam gerunt: verùm & perturbationum tempeſtas atrocior eſt, & ratio, quæ eas gubernat ac moderatur, infirmior.] Itaque juvenibus ad diſparem præſertim ſexum illa Novella Imperatoris ſancita eſſe videtur: *Marcianus in Novell. de Sanctimon.* *Vitanda ſunt & magnis attentionibus nauſeanda, humana cupiditatis illecebra, in quæ perſpicuè primæ ætatis ardor impellit.* Proximi veſtri, ô ſpecioſi Juvenes, ſunt decrepiti, ægri, & cum morte confligantes ſenes, qui fortè cras vel perendie efferentur ad ſepulchrum; vobis proximam parantes viam, ut ſequamini veſtigia eorum, & ſeriùs pauliſper ad eandem mortis metam properetis. Præclariſſimo diſcurſu hoc declarat fortiſſimus martyr Thomas Morus, Angliæ Cancellarius, apud Stapletonium. *Stapletonius l. de quatuor noviſſimis in vitâ Mori.* [*Sicut*, inquit, *qui è carcere ad patibulum ducitur, quò duæ quidem viæ ducunt, una per circuitum longa, alia recta & brevis, ſed utraque ad patibulum ducto ignoratur, donec ad exitum ventum ſit; non habet exiens, unde longiorem ſibi promittat propter alterius viæ incertam longitudinem: ſic ju-*

 venis

venis non poteſt longiorem ſibi vitam promittere, quàm ſenex] Cùm enim omnes ad mortem ſimus condemnati, ſi hodie efferatur aliquis, cogita tu juvenis, te ipſi proximum fore; quia is quidem per compendium, tu verò per ambages, ad eandem tenditis metam; ad quam *piſcantibus amula Mergis mors* indeclinabilis te juvenem ſimul ac ſenem impellit: æqua enim eſt conditio boum ac vitulorum, nec minoris numeri vitulina quàm bubula coria in foro venalia exponuntur. Senes quidem haud ampliùs diu poſſunt vivere; ſed verò juvenes citò & facilè poſſunt mori. Ita dum Scriba juvenculos conquirit, vos, ô Juvenes, honorificâ dilectione, pietate & obſervantiâ Senes excipite, ſimúlque celeres properate ad metam, clamate animoſi: *Io nos!* Charitate *evaſimus ſalvi.*

Docti non appoſcant ſuos hujus ſæculi pro proximis, ſed indoctos & ſimplices.

441. Ad ſuam inſuper facultatem properat Scriba, atque inter legis doctos ſciſcitatur: *Et quis eſt meus proximus?* Docti ad cathedras & pulpita ſua haud alios admittunt proximos, quàm doctos, ſcientificos, eruditos, ſapientes: cum quibus de rebus ſublimibus, & entibus à materiâ abſtractis ſubtiliter diſputant, mirabiliter diſcurrunt, ſibique de ingenioſis ſuis inventionibus delicatè complacent. Sed verò licèt docti cæteroquin ſint admodum circumſpecti, non tamen advertunt, magnam ſubinde ſub hiſce proximis latêre ignorantiam; & ideo *unuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat.* Si cætera intelligis, ſumma eſt ignorantia, ſe ipſum non nôſſe. Et reverà juxta D. Bernardum: *Monſtroſa res eſt, gradus ſummus & animus infimus; ſedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otioſa; ſermo multus, & fructus nullus; vultus gravis, & actus levis; ingens authoritas, & nutans ſtabilitas; facies rugoſa, & lingua nugoſa.* Modicam certè ſcientia inflans & intumeſcens videtur nutrire charitatem, ſed potiùs contemptum proximorum inducere, & plurima in eorum perniciem machinari mala & ſcandaloſa; cùm econtra charitas pro proximis ſit ſollicita, ut eos ædificet, & ſine implicatis ambagibus ad metam ſalutis deducat. A qua longiſſimè aberráſſe videntur magni illi humanarum ac Divinarum, ſed vani & ſuperbi Scientifici, qui in libro Sapientiæ inconſolabili gemitu atque exanimi terrore vociferantur ſuam miſerrimam ſortem: *Ergo erravimus à viâ veritatis, & Juſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Eheu! erravimus à via veritatis, à viâ veræ fidei & virtutis, per hæreſes & falſa dogmata, per doctrinas ſuſpectas, periculoſas & ſcandaloſas. Non luxit nobis lumen Juſtitiæ, lumen ſanæ rationis & intemeratæ prudentiæ, lumen ſcientiæ Dei & mandatorum ejus; quod ultrò ſprevimus, volentes degere in operibus tenebrarum, in tenebris voluptatis, & concupiſcentiæ. Et Sol intelligentiæ, Deus & Chriſtus, qui omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, nobis ortus non eſt, nec illuxit nobis, qui malitiosè feneſtras cordis clauſimus, & radios inſpirationum ejus frivolè excluſimus. Et ut appoſitè ad *Apodidraſcindam* celeres ſuos ſcilicet aperiant conatus, ſine offendiculo penetrandi metam, confuſi profitentur ſuam deviationem: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus.* Sed verò abſit horum proximitas: quin potiùs, ô docti, in proximos aſſumite ſimplices & rectos corde; aut certè ſtultos & indoctos, quos Deus elegit, ut confundat ſapientes. Quis enim proximior docto quàm indoctus, ſapienti quàm ſtultus? Clariſſimè in præſentem periodum diſputat D. Paulus ad Corinthios: *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens.* Cùm enim Sapientia hujus mundi ſtultitia ſit apud Deum, & contra; ſequitur, nos haud aliter verè poſſe ſapere, niſi ſecundùm mundum ſtulti ſimus: ut licèt magni ſapientéſque videamur mundo per ordinatam ſcientiam, tamen quaſi pueri, imò quaſi ſtulti, ſubdamus nos Fidei, diſciplinæ, cruci & obe-

S. Bernardus l. 2. de conſiderat. ad Eugenium.

1. Corinth. 8.

Sap. 5. v. 6.

Ibid. v. 7.

1. Corinth. 3. v. 18.

S. Basilius in Reg. brevior. interrogat. 194. ... ienti Christi. Quæris S. Basilius: [... modo ... ... in hoc ſæculo: Ac ... S ... judicium Domini ... qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobumetipſis prudentes: & illum ... imitatus, qui ... ſum apud te: at ... omni ... prudentia ſua, de ... qua ... veris, nihil antea tanquam ... ; imò ne ... quidem ... cogitaverit, priusquam ab ... Domini mandato ſcire didicerit quid placeat D... ſive in opere, ſive in verbo ſive in ... ne. Itaque docti cum ... per te, & ejus ... hæc ... In nos: per ... DEUS nos ... vos fecit. Charadrius hunc ... Sicut proximum ... fieri pa... ; proximum nobili, ... ad ... declinare; fortunato ... ærumnis ... ; juſto, ... peccata collab... juveni, ... docto, ... ficere: ita benignâ charitate ... dives pauperem, ... ſticum ... , felix infortunatum, juſtus peccatorem, ... ignorantem; ut omnes cum talento ... concredito ſimul ad vitæ metam ſine impedimento perveniant ſempiternę. Amen.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

CHARADRIUS PER MEDIVM TRANSIENS.

Der gerad durchgehende ...

LEMMA.

- - - *Medio tutiſſimus ibis.* Ovid. 2. Metam.

THEMA.

Dum iret in Ieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam. Lucæ 17. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS XLVII.

Sicut locus melius meritò præfertur extremis, ita in omni humana actione ſecundùm rectæ rationis regulam laudabiliter elicibili aut ... abili tantum officit ferrea Extremitas, quantum proficit aurea Mediocritas.

44 Charadrius ... ritas ... tis ... ur

Siquis ex vobis, Auditores, ... laborat af... ... ; ecce, ... ex noſtro Ornithopho *Charadrium!* De quo Ælianus ... refert, quod ... Charadrium. ... hinc ... ex animo ... affectum ... *Ælianus hiſt. animal. ...*

QUI

OBTVTV ad *SANITATEM* reducat. Sed adhuc m[illegible]us, quòd ſi ipſe pernici[illegible]ſum illum traxerit in ſe humorem, avolando iterum purgetur; ſin autem ab ægro[illegible] vi[illegible]m avertat, indicet, illum h[illegible]c a[illegible]ctu eſſe mori[illegible]rum. Itaque aſpectu ſuo *exceſſum* bilis tollit Charadrius, cui na[illegible]ura flavum circulum in oculis poſuit. Sed nec *defectum* ſu[illegible]ere conſuevit in ſuo gradu; nam ſæpè ſæpiùs circa col[illegible]m[illegible]am, vel arborem ambulando, circ[illegible]um conficit centies aut millies timens, ne in circulo incepto perficie[illegible]d[illegible] aliquid deficiat. Subinde verò quando directè procedendum eſt, & fortè moleſtum aliquod impedimentum ſaxi, trunci, luti aut lacunæ interjaceat; ita ubique tranſit per medium, ut à nullo offendiculo vel obſtaculo ſe patiatur coërceri. Hinc & Proverbium ortum inter homines, parum de rerum agendarum ſerie ſollicitos: *per medium tranſit, ſicut Charadrius*: Er trapt mitten durch/ wie ein Trül. Ita c[illegible]rc[illegible]lariter ambulare, vel p[illegible] m[illegible] tranſire, ſtupid[illegible] quidem hujus avis adſcribitur; ego verò eximiæ cuidam virtuti adſtruo, quam vocant *Mediocritatem*. Hane enim S. Augu[illegible]us in quadam circuli p[illegible]p[illegible]rti[illegible]ne conſi[illegible]ere diſputat in libro de quantitate animæ: ut ſicut omnes circuli circumferentiæ æqual[illegible]er ſe debent habere ad medium, atque à centro æqualiter diſtare; ita etiam omnes virtutis actus, & partes æqualiter debeant reſpicere medium, ſ[illegible]e *rationis*, ſive *rei*. Certè nemo juſtior, nec temperantior quiſquam, nec in ulla virtute excellentior, quàm qui exactiſſimè in agendis & ſ[illegible]inendis obſervat medium, au[illegible] ſine formidine cum Charadrio per medium tranſit. Ita nempe Phaëtonti ſvaſum a Sole, ut ardentem ejus currum ordi[illegible]atâ medioc[illegible]itate [illegible]igeret; N[illegible] *altiùs egre[illegible]us, cæleſtia ſigna cremaret; inferiu[illegible] terras: MEDIO TVTI[illegible]S[illegible]VS [illegible]* Ita etiam I[illegible]s a P[illegible]e [illegible]dal[illegible] e[illegible]s, al[illegible]s è cera c[illegible] [illegible] d[illegible]s, nec [illegible]s a[illegible]e volare *ne ſi demi[illegible]ibus, unda [illegible]avet pennas: ſi celſior [illegible] [illegible]at. INTER V[illegible]VMQVE [illegible]LA.* Etiam hodie [illegible] c[illegible]parabile omn[illegible] [illegible]a, [illegible] pe[illegible]ret[illegible] Jeruſ[illegible], per [illegible]onfinia Ituræx, non per m[illegible]a aut ſylveſtria, n[illegible]n per e[illegible] Provinciarum: ſ[illegible] q[illegible] *medium* ſemper dilexerat, *medius* [illegible] æ[illegible] inter Patrem & Spiritu[illegible], *mediator* inter DEUM & h[illegible]i[illegible], [illegible]pertus in *medio* Docto[illegible], [illegible] in *medio* latronum, c[illegible] *medio* diſcipulorum, venturus olim *medius* inter vivos & mortuos, el[illegible]s & reprobos; hodie, inquam, [illegible]*bat per MEDIAM Samariam & [illegible]* ut exinde pateret o[illegible]us, q[illegible]um eo ad cœleſtem illam Jeruſale[illegible] [illegible]lunt aſcendere, tuti[illegible]me e[illegible]e per[illegible] turos, ſi per *medium* tranſea[illegible], & [illegible] virtutum *mediocritate* [illegible] v[illegible] perennent. Prout D. Antonius Pad[illegible]nus interpretatur: quia *Samaria c[illegible]dia, Galilaa transmigratio, [illegible] viſio pacis interpretatur, qui prae[illegible] ſtodit, ad virtutes tranſit, ut ſi[illegible] ſalem ire poſſit.* Proinde [illegible] h[illegible] Charadrius *per medium tranſiens* [illegible]p[illegible]ſam exhibet fan[illegible]i [illegible] de *aurea MEDIOCRITATE* ta[illegible]re in humanis actionibus deſide[illegible]à: non ambulabo in circuitu, ſed r[illegible]dè tranſibo per medium: & e[illegible] gratioſâ veſtrâ attentione, q[illegible] in rebus om[illegible]ibus *ferrea* ob[illegible] *emitas*, quantùm econtra *aurea mediocritas* proſit, ſollicitè explanabo i[illegible] n[illegible]e Domini.

443. *Facta eſt* olim *contentio* [illegible] *Fratr[illegible] quis eorum videretur [illegible]e major* [illegible] an ſiniſter? ſummus, vel [illegible] p[illegible]mus, an ultimus? m[illegible] [illegible]s? Cyro Pe[illegible]r[illegible]n [illegible]i [illegible] locus viſus eſt maj[illegible], a[illegible] d[illegible] quippe convivas, [illegible] ciperentur, [illegible] ſini[illegible]r c[illegible]e e[illegible] ſ[illegible]evi[illegible]; utpote hanc pa[illegible], [illegible] [illegible] a [illegible], [illegible] Et fortè [illegible] cauſ[illegible] Æneæ ſ[illegible]am conſed[illegible] ca[illegible] [illegible] Æ[illegible] [illegible]r; hu[illegible]c [illegible]

Albertus M. lib. 23 animal. [illegible]

Obſervatio in Charadrio.

S. Auguſtin. l. de quant. animæ, c. 16.

Ovid. [illegible] Metam.

Idem 8. Metam.

S. Antonius Pad. [illegible] hac Dominica.

Horat. l. 2. carm. 10.

Medi[illegible] cu[illegible] ſen[illegible]

non niſi natu majoribus filijs conceſſerunt; & nobis honoratior gradus, aut ſedes à dextro latere placet: imò Vniverſorum Judex, qui & ipſe *ſedet ad dexteram Patris*, tanquam ad condecentiſſimum ſuæ Majeſtatis ſtallum, electis ſuis amicis ad dexteram in exactiſſimâ illâ totius Mundi Exomologeſi collocandis dicet: *Venite Benedicti Patris mei.* Nec deſunt teſtimonia, quibus *poſtremo* loco primaria deferatur dignitas; nam in Theatro Senatores ex infimo loco ſpectabant; Victores in triumpho poſtremi incedebant; & convivij Princeps in triclinio noviſſimus epulabatur.

Sigonius l. 2. de jure Rom. Baronius to. 1. fol. 206.

Sed & *primo* loco apud Romanos ſua dignitas non deſiderabatur: etenim Senatores ævo maximi, *primo* loco ſententiam dicebant; idem autem erat ſententiæ dicendæ, atque ſedendi ordo. Neq; *Extremitas* ſuâ prærogativâ caret; nam catuli ſecundùm Plinium, qui naſcuntur ulteriores, ſunt communiter cæteris meliores; ſic & qui extremi ſunt per humilitatem, corporalẽ miſeriam & paupertatẽ, in conſpectu DEI ordinariè ſunt meliores; prout etiam ex Beniamino conſtat, qui inter fratres Joſeph fuit quidem ultimò & extremò natus, à Joſepho tamen ampliùs cæteris dilectus, & melioribus ferculis in menſâ ſatiatus. Certè Evangelicus Paterfamilias, cœpit *à noviſſimis & extremis denarium diurnum diſpenſare*; & ipſius Chriſti teſtimonio, *erunt noviſſimi primi, ac primi noviſſimi.* Porro *Medius* locus plerisq; viſus eſt major: & quidem Homero, qui ſenem Priamum collocavit inter liberos ſuos *medium*: quin & à Virgilio ſolertiſſimo Homeri imitatore accuratè refertur, quomodo

Halicarn l. 7. antiq.

Matth. 20.

- - *Aulæis jam ſe Regina ſuperbis*
Aurea compoſuit ſpondâ, mediámque locavit.

Æneid. 1.

Extat apud Spartianum locus ſcitu ſanè digniſſimus: nam cùm Adrianus Imperator ſervum ſuum, infimæ ſortis homuncionem, inter Senatores obambulantem fortè conſpicaretur; miſit, qui colaphos improbo ac procaci ſervo infligeret, & contumelioſè ex Senatorum ſocietate, *medióque* loco, hoc eſt, potiſſimo exturbaret. DEUS & Natura medium elegerunt locum; prout apud Aggæum dicitur: *Spiritus meus in medio veſtri.* Firmamentum enim fuit factum in *medio* aquarum: Lignum vitæ fuit poſitum in *medio* Paradiſi: Filij Iſraël tranſierunt per *medium* ſicci maris: & Sacerdotes, qui portabant Arcam, in *medio* Jordanis ſubſtiterunt. Ipſemet Servator noſter ſive ſtando, ſive ſedendo, ſive tranſiendo eligebat *mediũ*. *Stetit enim in medio diſcipulorum*; *tranſibat per medios fines Decapoleos*; *tranſiens per medium illorum ibat*; *ſedens in medio Doctorum*: & hodie *tranſibat per mediam Samariam & Galilæam. Medio tutiſſimus ibis.* Subſcribo & ego huic *medio* loco; nam eſt omnium nobiliſſimus, quia circumjacentibus præeminet, iisq; ſua decora vel imitanda, vel ſuſpicienda exponit: eſt omniũ communiſſimus, quia ad omnẽ circumferentiam æquali ſeſe liberalitate profundit: eſt omnium ſtabiliſſimus, quia immobili quadam firmitate ſubſiſtit; & ideo polus in *medio* cœli eſt ſtella immobilis, ſicut & terra in *medio* elementorum naturaliter ſtat immota, ſuíſque librata ponderibus.

Aggæi 2. v. 6.
Geneſ. 1. & 2.
Exod. 14.
Joſ. 3.

Benè, optimè, & non ad inſipientiam nobis *Medium tenuère Beati!* Sed & virtus in *medio* conſiſtit, quæ ſecundùm Ariſtotelem eſt *habitus electivus in Mediocritate quantum ad nos conſiſtens, ut prudens definierit.* Exactâ diſquiſitione hanc virtutum *Mediocritatem* proſequuntur Philoſophi: inter quos Plato virtutes & *ſummitates* vocabat, & *medietates.* Summitates quidem, quòd vitiorum ordini è regione oppoſitæ, longè emineant, cùm ſint ſummum quoddam, & præcellens bonum: medietates autem, quòd in meditullio quodam vitiorum ſint ſitæ. Vel enim humana actio rectæ rationis regulæ eſt adæquata, & ſic eſt bona ac virtutem parit; vel eſt ei regulæ inadæquata per exceſſum aut defectum, & eo pacto ſicut à medio exorbitat, ita vitioſa & vitij parens efficitur. Notum illud Cleobuli, unius ex ſeptem Græciæ Sapientibus, *MODUS OPTIMUS*:

444. Mediocritas virtutum à Philoſophis commendatur.
Ariſtoteles 1. polit. c. 6.
Apuleius l. de Phil.

quod dictum Auſonius carmine, quo ſeptem Sapientum dicta latinè expreſſit, in Cleobulo, oſtendit recidere in illud, *Ne quid nimis*, & veræ honeſtatis charaćteriſmum continere. Ipſe Pythagoras commendabat, & celebrabat quàm maximè hujuſmodi *mediocritatem*, tanquam virtutis medullam: ſic enim in collectaneis de ejus vitâ legitur. Pythagoræ apophthegmatum ſumma: fugari quidem debere omni ſtudio, atque igne & ferro amputari, à corpore quidem morbum, ab animo verò indocilitatem, à cubiculo ſumptum nimium, ſeditionem ab urbe, è domo diſcordiam, ſimúlque ab omnibus, *Ut ne quid ſupra modum*. Ex Seneca breviter idem habetur: *Cùm ſit utrinque virtutis modus, aquè peccat, quod excedit, quàm quod deficit*. Sic & Theages Pythagoræus diſertè tradit, virtutem nihil aliud eſſe quàm habitum ejus, quod decorum eſt: decorum autem eſſe ait, quod neque excedit, neque deficit, ſed eſt in *medio* ſitum. Philoxenus dicebat *eſſe jucundiſſimas carnes, quæ carnes non ſunt, & ſuaviſſimos piſces, qui piſces non ſunt; quemadmodum amœniſſimam eſſe navigationem juxta terram, & ambulationem juxta aquam*. Paradoxa audienti videbitur hæc apophthegmatis contradictio: ſed verò, ut rectè expendatur; jucundiſſimæ ſunt carnes, quæ carnes non ſunt duntaxat, ſed aliquid plùs; & ſuaviſſimi ſunt piſces, qui piſces non ſunt duntaxat, ſed aliquid ampliùs: non quidem in ſubſtantia, ſed in qualitate; quando ſcilicet carnes jucundiſſimo embammate ſunt conditæ, & piſces ſuaviſſimo ſunt conſperſi liquamine. Sic actus illi humani ſunt optimi actus, qui non ſunt actus duntaxat, ſed quid magis: non autem in eſſe phyſico, ſed morali, non in entitate, ſed mediocritate: quando videlicet actus medium poſſident, mediocritate gaudent, & diſcretione præſtant. Inſuper ſicut amœniſſima eſt navigatio juxta terram, non in extremis maris, & gratiſſima ambulatio juxta aquas, non in ultimis finibus terræ; ita optimi & maximè meritorij ſunt illi actus, qui in medio conſiſtunt, non autem qui circa extrema verſantur. Subnecto Philoſophorum ſententijs ex almo Sanctorum Patrum circa auream medioeritatem prolixè diſputantium collegio, unicum mellifluum S. Bernardum egregiè præcipientem. *Tene medium, ſi non vis perdere modum; locus medius, tutus eſt: medium, ſedes modi, & modus virtus*.

[*Iamblicius in Pythagora collect.*] [*Seneca de benef. c. 26.*] [*Stobæus ſer. 1.*] [*Eraſmus l. 6. Apoph.*] [*S. Bernardus l. 2. de Conſid. c. 10.*]

Proinde hæc doctrina veriſſima quidem eſt, ſi objectivè & effectivè, non autem formaliter intelligatur. 445.

[Mediocritas virtutis in quo conſiſtat.]

Virtus enim non eſt formaliter *medium* inter extremos habitus vel actus pravos, quaſi ex ipſis componatur, vel ab utriſque participet; ſed conſiſtit in *medio* effectivè vel objectivè, quatenus qui ex virtute operatur, neque excedit, neque deficit operando, ſed manet in *medio*, per abnegationem utriusque extremi vitij. Hoc ipſum virtutis *medium* deſignant voces *recti & rectitudinis*, quibus uti ſolemus, cùm de virtutis honeſtate ſermocinamur: quia enim in ſpatio rectum dicitur, quod non ad alterutrũ extremum vergit, ſed breviſſimo itinere, hoc eſt, per *medium* tendit ad ſuũ terminum; hinc in moralibus *rectum* aut *directum* dicitur, quod neque hac neque illac declinat, ſed ſiſtit in *medio*. Stultè autem quidam apud Guilielmum Pariſienſem, cùm audiviſſet mandari à DEO, ut rectâ viâ gradiamur, hoc eſt, ut honeſtatis ſemitas teneamus; craſſæ intelligentiæ, & verborum ſono ac cortici adhærens, recto ſemper itinere progredi volebat: uſque eò more ſtupidi Charadrij inſipiens, ut ſi præcelſam arborem obviam haberet, nollet tantiſper à rectâ lineâ deficere, ſed conſcenſâ arbore, factâque per rectam lineam exceenſione, tum demum progrederetur: idémque præſtaret occurrentibus in viâ muris, ædibus ac turribus, ſi quando pertuſis illis rectus progreſſus pateret. Vera itaq; *rectitudo*, quam DEUS nobis ineundam præſcribit, quámque affectantes recti appellantur, non alia eſt, quàm virtutis honeſtas inter extre-

[*Guilielm. Pariſienſ. lib. de moribus c. 8.*]

extremos affectus media, & nec declinans ad dexteram neq; ad ſiniſtrã; quomodo & Chriſtus, *tranſibat per mediam Samariam & Galilæam.* Et alio loco, *per medios fines Decapoleos, &c.* Vt propterea in eum ſenſum accipiendũ ſit illud Iſaiæ oraculum: *Hæc eſt via, ambulate in ea; & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Et præclariſſima Sapientis regula: *Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram: averte pedem tuum à malo;* hoc eſt: Dirige greſſus tuos juxta regulam rectæ rationis, legis & voluntatis Divinæ, ut ab ea nec deficias, nec illam excedas; nec amore proſperorum & amicorum, nec timore adverſorum & inimicorum à rectâ virtutis viâ deflectas: & ut D. Auguſtinus proſequitur, *ne declines in dexteram ſuperbâ præſumptione juſtitiæ, nec in ſiniſtram ſecurâ delectatione peccati.* Cæteris omnibus ad propoſitum opportunior concinit Iſidorus Peluſiota, utriusque oraculum ad *mediocritatem* virtutis derivans. [Quoniã, „inquit, inter profuſionem & ſordes, „*media* eſt liberalitas: Animi autẽ ma-„gnitudo inter ſuperbiam, & humili-„tatem interjecta eſt: Pietas denique „inter ſuperſtitionem, & impietatem; „quæ cauſa quoq; eſt, quòd Sapientes, „cùm vitia virtutibus vicina defini-„viſſent, *medium* locum virtutibus tri-„buerunt: mihi etiam ad omnes virtutes *media* via optima eſſe videtur.] *Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram: averte pedem tuum à malo.* Relinquo ſublimioribus Scholis accuratiùs diſputandum, quomodo Juſtitia circa medium *Rei & Rationis* ſimul occupetur; reliquæ autẽ virtutes morales *medium rationis* juxta rectum prudentiæ dictamen duntaxat obſervent: virtutes etiam Theologicæ ſi non poſſint quoad *objectum* ſuum Divinum proſequendum excedere *auream mediocritatem*, ſaltẽ quoad *actuum* ſuorũ exercitiũ poſſint à *medio*, ſeu rectæ rationis regulâ deficere. Hęc, inquam, Theologis committo diſputanda, quando mihi adſtruendũ reſtat, quomodo in rebus omnibus *ferrea* obſit *Extremitas*, & econtra *aurea* proſit *Mediocritas*: *Medio tutiſſimus ibis.*

Iſa. 30. v. 21.

Proverb. 4. v. 27.

S. Auguſtin. l. 2. de peccat. mer.

Iſid. Peluſ. l. 4. ep. 113.

446. Si in hac vitæ mortalis peregrinatione ad cœleſtem illam Patriam properare deſideras, *ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Extrema nocent: *Medio tutiſſimus ibis*; & quidem inter ſpem & metum, ne de ſalute diffidas, declinando ad ſiniſtram; neque præſumas, declinando ad dexteram. Cum Abrahamo Inter Bethel & Hai metanda ſunt caſtra, & ab Occidente relinquendum eſt Bethel, quod interpretatur *Lux inacceſſibilis*, Hai autem ab Oriente, quod interpretatur *abyſſus* ſeu *chaos*: adeóque in anxietatis occaſu non deſperet de luce inacceſſibili, ſeu Deo; in præſumptionis verò Oriente, abyſſum & chaos illud æternæ damnationis expaveſcat. Extremè opponuntur præſumptio, & deſperatio; illa parit ſecuritatem fallacem, hæc puſillanimitatẽ pernicioſam: porrò à ſecuritate fallace generatur negligentia mediorũ ad ſalutem competentium, à puſillanimitate provenit ignavia ad operandum bonum, & declinandum à malo. Tam præſumptio quàm deſperatio Iſraëlitis exterminium grave attulerunt: quando enim deſperantes de promiſſæ terræ ingreſſu abjecerunt animum progrediendi, ac voluerunt revertere in Ægyptum ad ollas carnium, puniti ſunt à Deo triſtiſſimo mortis ſupplicio: at verò dum obcæcati temerè præſumpſerunt aſcendere montem ad invadendos & exturbandos Chananæos, cæſi ſunt à Chananæis latitantibus in monte, & adrepentes Hebræos facili impetu deturbantibus. Abjectio animi de obtinendâ æternâ vitâ, & præſumptio ejusdem ſint duæ columnæ Herculis, per quas Homo Catholicus cum firma ſpe ſalutis tranſit ad vitam æternam: ſint duo pedes Coloſſi Rhodij, per quos onerata noſtræ mortalitatis navis tendit ad portum: ſint duæ alæ, quibus feliciter evolamus ad aſtra. Fallitur, quisquis in extremitatibus viarum ambulat. *Arcta* quidem *eſt via, quæ ducit ad vitam*; ſed verò quia *media* eſt, tutiſſima eſt: ſi quis ab hac *mediâ* viâ ad dexteram vel ad ſiniſtram

Via ad cœlum media inter deſperationem & præſumptionem, quantùm conferat.

S. Gregorius ſuper. 1 Reg. 20

Origenes hom. 8. ſuper Joſ. 7.

Num. 14.

Matth. 7. v. 14.

ſtram declinaverit, occurrent ei lapides offenſionis, lubrica plurima, præcipitia, & mala aſperrima: non deerunt graſſatores, & ſtygij latrunculi, qui iter hoc undique obſideant, & viatores ſpolient, impoſitiſque plagis non rarò ſemivivos relinquant. Declinabat pauliſper Pſalmiſta ab hâc viâ per peccatum, & mox conquerebatur: *In viâ hac, qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.* Tot inter pericula & difficultates, quis inoffenſo ambulet pede? quis hoſtium diſcrimina, quis abſconditas evadat inſidias? quis obvia paſſim declinet offendicula? niſi Spiritus S. ab errore reducat, ad bonum inducat, per mediam ſalutis viam ad cœleſtem patriam adducat. Quàm benè dictum à Sapiente: *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum DEI.* Per has vias deducit Dominus, & non alius; quia ut D. Bernardus ait, ipſius eſt de viâ iniquitatis ad viam veritatis reducere, & deducere per eam. *Per vias*, inquit, *rectas*, hoc eſt, „*per medium.* [Viæ Domini viæ rectæ, „viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ planæ. „Rectæ ſine errore, quia ducunt ad „vitam. Pulchræ ſine ſorde, quia do„cent munditiam. Plenæ multitudi„ne, quia totus mundus eſt intra Chri„ſti ſagenam. Planæ ſine difficulta„te, quia donant ſuavitatem: jugum „enim ejus ſuave eſt, & onus ejus „leve.] *Hæc eſt via, ambulate in ea.*

Pſal. 119 v. 6. & 41. v. 4.

Sap. 10. v. 10.

S. Bernardus in ſerm. de Expoſit.

447. *Iuſtitia quælibet extrema à ſe removet.* Quantum obſint extremitates Juſtitiæ, juvat facilè colligere ex illo Sapientis monito: *Noli eſſe juſtus multùm; neque plùs ſapias, quàm neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.* Copioſa eſt hujus ſententiæ apud Patres explicatio, qui omnes in hoc collimant, etiam exceſſum & defectum in Juſtitiâ inducere vitioſam iniquitatem. Licèt enim Ariſtoteles nolit, Juſtitiam in medio duorum vitiorum extremorum, ut aliæ virtutes morales, conſiſtere, ſed tantùm inter duo inæqualia; ſcilicet inter lucrum & damnum, ſeu inter injuriam facere, & injuriam pati, inter quæ hæc virtus æqualitatem, & medium petit: poteſt tamen etiam Juſtitia quodammodo inter contraria vitia verſari, præſertim ſi de *commutativa* ſit ſermo: nam v. g. qui debet alteri centum aureos, ſi tantùm ſolvat quinquaginta, peccat per defectum, facitque creditori injuriam: ſi verò ſolvat ampliùs, puta centum quinquaginta, tunc poteſt eſſe ſibi ipſi, aut aleudæ ſuæ familiæ iniquus per exceſſum. Æqualitatem hæc Juſtitia commutativa in ſuis contractibus exigit, averſans *magis & minus.* Et quanta hæc extrema in civili comercio inducunt mala? Apparuit aliquando S. Dominico oranti diabolus tripudians, & canens: *magis & minus, magis & minus.* Adjurat Sanctus canentem, ut quid ſibi hoc veller, ediſſerat: Reſpondit, omne lucrum ſibi ex hoc mundo, *per magis & minus* provenire. Medium autem eſt, quod placet DEO, diſplicet diabolo, utique in nundinis, & emporijs ſuam cantilenam ſæpiùs accinenti. In Juſtitia etiam *diſtributiva noli eſſe juſtus multùm*; hoc eſt, cave ne nimis timeas beneficia vel præmia dare indigno, quo fiat, ut eadem etiam deneges digno: neque declines amicorum affectu ad dexteram, neque inimicorum odio ad ſiniſtram; ne dicas diviti, tu ſede hic, pauperi autem, tu ſta ibi; ſed juxta proportionem meritorum, & qualitatum, in ſuo gradu aut beneficio quemlibet colloca: alioquin per exceſſum & defectum tam Rei publicæ, quàm privatæ ingentia inferes damna. In juſtitia *vindicativa* noli eſſe nimius Juris & Juſtitiæ exactor, cenſor aut ultor; nec nimis remiſsè agas in vindicandis delictis, ſi tua interſit authoritate publicâ hoc agere Per remiſſionem enim inducetur impunitas graviſſimorum delictorum, honeſtati & tranquillitati humanæ paſſim officientium: per nimiam verò vindictam ſævitia ac crudelitas reſultabit, & verificabitur illud Juriſconſultorum axioma, *ſummum jus, ſumma injuria.* Præclara eſt S. Hildeberti in propoſito ſententia. *Quiquis nihil reatûs impunitum relinquit, delinquit: culpa eſt, totam perſequi culpam.*

Eccleſ. 7. v. 17.

Ariſtoteles l. Eth. c. 4. & 5.

S. Vincentius ... Dom ... ...

S. Hildebert. ... ep. 21.

culpam. Magnum quid & divinum ſapit, offenſus clemens: bonus princeps ita crimen inſequitur, ut quem punit, hominem reminiſcatur. Alioquin judicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam. Quòd ſi etiam juſtitia accipiatur pro ſanctitate vel innocentia, *noli eſſe juſtus nimis*, ut tuam juſtitiam vendites, jactes, oſtentes inſtar Phariſæi jactantis,& deſpicientis Publicanum velut peccatorem. Hinc S. Auguſtinus in ſuis ſententijs ait, „[Divinitus dictum eſt, noli eſſe juſtus multùm, quoniam non eſt Juſtitia ſapientis, ſed ſuperbia præſumentis. Qui ergo ſic fit nimis juſtus, „ipſe nimis fit injuſtus. Quis eſt autem, qui ſe facit juſtum, niſi qui dicit,ſe non habere peccatum.] Quales erant Pelagiani, qui dicebant ſe juſtos per proprias naturæ vires, & merita, non per vires gratiæ à Chriſto redundantis; adeóque poſſe ſe ex naturæ viribus vitare omne peccatum, etiam veniale. Itaque videbitur ſibi aliquis prorſus innocens, nec promereri flagella, quæ ſibi à DEO immittuntur; alius fortè nimiùm ſe abijciet, & omnium ſcelerum reum dicet ſupra veritatem: illud hypocriſin, hoc dejectionem ſapit: utrumque extremum malum: neuter benè agit, *medio tutiſſimus ibis.* Vſque adeò in omni acceptione Juſtitia exigit mediâ inter extremitates bilance conſiſtere: *Haud ſecus ac ſpinas inter roſa mollis acutas.*

S. Auguſtin. in ſent. n. 165.

448. Ingrediamur aliam viam, quæ ducit ad cœlum, & quidem viam *Mortificationis*: hæc niſi verſetur in medio inter extrema *copia & inopia*, nec tuta, nec regia eſt. Galenus, Medicorum Princeps, inter obſervationes ad venæ ſectionem pertinentes etiam hunc ponit aphoriſmum: *Qui in corde calor eſt, interdum minor ſeipſo efficitur, aut propter ſanguinis copiam, aut propter ingentem inopiam.* Calor in corde, virtutem repræſentat in homine: quæ interdum minor ſeipsâ efficitur, aut propter devotionis copiam, aut propter ingentem inopiam. Si quis enim innocens vitâ, moribus integer, converſatione inculpatus, actione probus, pietate inſignis, propter devotionis copiam aſperiori pœnitentiâ excipiat carnem, ſævientibus flagellis corripiat corpus, pilis cameli ſuperinduat pectus, duriorem ſibi ſternat humũ, leguminibus & herbis jejunus veſcatur, ſitim reſtingnat gelidâ aquâ, vigilias in multam noctem protrahat, unde in infirmitatem incidat, & decumbere cogatur; non exercet virtutis actum, ſed vitij: non enim mortificat, ſed enecat carnem, & ad ſummum ſtuporem deſolationémque adducit. *Nihil* enim *minùs expedit, quàm agrum optimè colere*, ait Plinius; quia ſic omnis ejus ſuccus, & vigor exhauritur, ut fiat effœtu ſterilis: ſic qui nimijs laboribus & mortificationibus mentem & corpus excolunt, utrumque enervant, & ſtupidum efficiunt. Econtra qui propter ingentem devotionis inopiam helluatur, pergræcatur, vacat poculis, indulget genio, atque omnia concedit carni; is neque actum virtutis elicit, ſed peccati: non enim ſuſtentat carnem, ſed dementat, ſed impinguat, ſed dilatat, ſed DEO & Spiritui ſuo reddit rebellem. Præſtat autem actum temperantiæ aut Religionis ab hiſce extremis diſcedere, & in *medio* conſiſtere: *medio tutiſſimus ibis.* Pernicioſas calamitates Hiberis populis intulerat Meduſa, monſtrum tam horrendum, ut ſolo aſpectu homines induraverit in ſaxa. Habebat autem Phorcus tres filias Gorgones, quarum duæ impaſſibiles, ac ſola mortalis Meduſa. Itaque Pallas Perſeum heroëm mittit ad obtruncandam Meduſam, & populis illis occidentalibus ſuccurrendum: qui ſe huic heroico facinori accingens ad Græas perrexit, quæ erant Gorgonibus ex altera parente ſorores. Hæ unicum habentes dentem, & oculum, quibus viciſſim inter ſe tres utebantur, Perſeo commodârunt, diſpoſitâ inſuper occaſione Meduſam à tergo invadendi, & trucidandi. Prout ingenioſum figmentum ulteriùs Poëta proſequitur. Meduſa *carnem* ſignificat, monſtrum ſanè ita horridũ & perni-

Mortificatio corporis cauta inter copiam & inopiam. *Galenus de curandi ratione per ven. ſect.*

Plinius l. 18. c. 6.

Ovid. 4. metamorph.

pernicioſum, ut & homines in duriora quaſi ſaxa traducat, & in extremas miſeriæ plagas detrudat. Monſtrum equidem, quod unicum & ſolum eſt mortale; quia una & ſola mortalis eſt caro. Hujus quidem monſtroſæ ſorores, ſcilicet Mundus & Diabolus, homini plurimùm officiunt; ſed non patitur Mundus, nec Diabolus moritur: ſola autem Caro ut ſola patitur, ſic ſola moritur. Vnde non juberis eſſe Perſeus in mortificandis Mundo aut Diabolo, ſed Carne.

Coloſſ. 3. v. 5. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Expediturus autem mortificationem carnis, divertaris ad Græas, nempe virtutes; utpote quæ ex uno Patre, ſed ex altera parente ſunt carni ſorores. Ex uno Patre, quia caro & virtus ſunt à DEO; ſed ex altera parente, quia caro ex terra, virtus autem provenit ex gratia. Porrò hæ Grææ de uno dente provident; quoniam virtutes diſcretionem exigunt, ne Chriſtianus Perſeus, *dum ſequitur affectionem* carnem mortificandi, *corpus deſtruat per immoderatam exercitationem, ac deinde neceſſe habeat, non ſine magno Spiritûs detrimento debilitati circa curam corporis occupari.* Proinde *hac via, in qua ambules; ne declines ad dexterã vel ſiniſtram.*

S. Bernardus ſerm. de Circum.

449. Etiam in Fortunæ bonis ita ſervanda *aurea Mediocritas*, ut neque ſis bonis temporalibus nimis gravatus, neque nimis ſis inops & pauper: ſed *medio tutiſſimus ibis* inter ſuperfluitatem exceſſivam, & defectivam mendicitatem. Exemplo ſit Nilus, qui Ægyptijs adfert frugalitatem & delicias, ſi ad punctum ſedecim cubitorum ſeſe effundat; quòd ſi ultra vel infra ſedecim cubitos emergat, famem & ſterilitatem confert. *Juſtum enim incrementum*, inquit Plinius, *eſt cubitorum ſedecim*: quia medium. Eſt autem medium, quia *minores aqua non omnia rigant, ampliores detinent tardiùs recedendo. Hæ ferendi tempora abſumunt, ſolo madente; illa non dant, ſitiente. Vtrumque reputat Provincia. In duodecim cubitis famem ſentit, in tredecim etiamnum eſurit; quatuordecim cubita hilaritatem*

In utriusque Fortunæ bonis mediocritas, & æquanimitas optima.

Plinius l. 5. c. 9.

adferunt, quindecim ſecuritatem, ſexdecim delicias. Novit, quid petat Salomon in Proverbijs: *Duo rogavi te*, inquit, *ne deneges mihi, antequam moriar. Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo neceſſaria.* Effectus peſſimos utriusque extremi mox addit: *Ne fortè ſatiatus illicier ad negandum, & dicam: quis eſt Dominus? aut neceſſitate compulſus furer, & perjurem nomen Domini DEI mei.* Scilicet navis, quæ nimis onuſta eſt mercibus, facilè mergitur; & quæ nimis eſt vacua, facilè à ventis abripitur, à fluctibus evertitur. At ſi tantum reponas, quantum requirit neceſſitas, etiamſi vehemens turbo ingruat, facilè percurrit undas. Memorabile eſt, quòd usque in hodiernam diem hoſpes in villa Tyſi prope montem Alverniæ, quicunque ille ſit ullo tempore, neque redigatur ad pauperiem, neque ad divitias elevetur: quia olim ita D. Franciſcus noſter P. Seraphicus apprecabatur, poſtquam ab eo benevolè acceptus eſt hoſpitio; ita videlicet, ut ejus domui nec divitiæ à DEO, nec paupertas darentur, ſed victus duntaxar neceſſarius: unde id hoſpitium etiam hodie *domus Sancti Franciſci* appellatur. Quare cui hæc media fortunæ via contigit, is DEO reddat gratias, nec quidquam aliud deſideret. Sed & in mutabilis Fortunæ conjuncturis ita in *medio* inter proſpera & adverſa eſt procedendum, ut neque ad extollentiam in proſperis, neque ad depreſſionem in adverſis declinemus: utrumque enim extremum pernicioſiſſimum eſt. Ad hoc hortatur Apoſtolus Corinthios: *Exhibeamus nos ſicut DEI miniſtros, per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris*, in proſperis & adverſis: in utrisq; periculũ latet, ſi ad alterũ declinantes à medio æquanimitatis excedamus. Vbi ſolus ſufficiat S. Caſſianus. „[Ne divertaris ad dextrã, neq; ad ſiniſtram; id eſt, ne tibi de virtutibus „blandiaris, & dexiris ſucceſſibus ac „ſpiritualibus extollaris; nec deflectens ad ſiniſtrum tramitem vitio„rum, ſecundùm Apoſtolum, gloriam „tibi ex eis in tua confuſione conqui„ras.

Proverb. 30. v. 8.

P. Lucas Wadingus in annal. Ord. anno 1260.

2. Corinth. 6. v. 4.

S. Caſſianus l. 11 de inſtit. c. 4.

„ras. Nam cui ſub ſpecie ſuccinctæ „veſtis nitidæ cenodoxiam non po„tuit diabolus generare, pro ſqualli„da, & incuita ac viliore conatur in„ſerere: quem non potuit per hono„rem deijcere, humilitate ſupplan„tat: quem ſcientiæ & eloeutionis „ornatu nequivit extollere, gravita„te taciturnitatis elidit. Si jejunet pa„làm, vanitatis glorià pulſatur: ſi il„lud contemnendæ gloriæ cauſâ con„texerit, eodem vitio elationis obtun„ditur.] Ambulavit hanc mediam æquanimitatis viam egregiè Paulus, & maximam in ea mentis tranquilitatem inveniens dixit: *ſcio & abundare, ſcio & penuriam pati.* Ambulavit & fortiſſimus Jobus, qui inter opes & ſecundas fortunas Pater fuit pauperum, in paupertate & afflictione patiens, & DEUM benedicens. *Hac eſt via, ambulate in ea.*

Philipp. 4. v. 12.

450. In cæteris omnibus humanis actionibus, ut honeſtæ & laudabiles ſint juxta prudens proborum virorum judicium, omnino oportet *mediocritatis* viâ incedere, & rectæ rationis dictamen ſequi. Apodes ſeipſas perdunt, dum ſemper volant, quia tandem ex nimia defatigatione cadunt in terram; & dum in terrâ jacent, ampliùs reſurgere nequeunt, quia pedibus carent: ergo ut ſeipſas ſalvent, mediæ inter cœlum & terram, ore ſuo ab arbore pendent. Sic dum orationi, & contemplationi aut nimiùm aliqui incumbunt, aut minùs, utrique ſe deſtruunt: quia dum continuò & nimiùm contemplantur, obliviſcuntur proximi; & dum minùs, obliviſcuntur DEI: ſalvantur autem, dum ita contemplationis *medio* utuntur, ut & DEUM diligant & proximum non negligant. Via inter Scyllam & Charybdin ſimul navigandi peritiâ avet, & felicitatem deſiderat: ſi enim in Scyllam ingruant naves, illiduntur rupibus; ſi in Charybdin irruant, abſorbentur voragine. Sic in omni doctrinâ & ſcientiâ, earúmque regulis & axiomatibus, teneatur modus inter ſcopulos diſtinctionum & voragines univerſalium terminorum: hæc duo enim ingeniorum & artium naufragijs perhibentur famoſa. Hoc omnes Architecti, Artifices & Scientifici obſervant, ut ne quid inſolens vel turgidum, nec quid humile vel abjectum in ſuis operibus ponant; ſicque *mediâ* viâ ita perficiant id, in quo laborant, ut nullum ſubeant artis vel cenſuræ periculum. Quoad ſanitatem conſervandam arcus nimis intenſus facilè rumpitur, nimis remiſſus nihil valet. Pro ſanitate utere medico & modico vino: quia modicum vinum medetur oculis & nervis, qui copioſiore & immodico vino læduntur. Sal etiam modicè ſparſus, condit & ſapit: plùs ſatis, offendit guſtum. Similiter Gallus Phrygiæ fluvius medetur corpori, ſi modicè ſumas; ſi verò immodicè, animum lymphatum agit. Denique memorabilia ſunt illa carmina, quæ S. Cyprianus ad Senatorem Apoſtatam ſcripſit.

Varijs experientijs extremitas reijcitur, mediocritas commendatur.

S. Cyprianus ad Senat. Apoſt.

Omne quod eſt NIMIUM, contra cadit; unum operantur
Et calor & frigus; ſic hoc, ſic illud adurit.
Sic tenebræ viſum, ſic Sol contrarius aufert;
Et pariter lædunt gelidum fervénsque lavacrum.
Eſcâ alitur corpus, corpus corrumpitur eſcâ:
Vimque ſuam minuit, SI QUID protenditur ULTRA.

Et prolatis alijs nonnullis exemplis, quibus exceſſum, & quidquid à medio exorbitat, nocivum, & vitandum confirmet, concludit. *Me Dea ſic docuit*: MODERAMEN AMABILE *dixit.* Vt exinde ſatis conſtet, quia omnis *Extremitas* obeſt, dum omnis *Mediocritas* prodeſt.

Vidiſtis, Auditores, Charadrium per medium tranſeuntem, vidiſtis Salvatorem tranſeuntem per mediam Samariam & Galilæam. Ergo ut & vos directè ad Cœleſtis civitatis tranquillam requiē penetretis, nocivas extremitates in omnibus actionibus declinate, auream mediocritatem inveſtigate, & cum Charadrio *pari paſſu* ambulate. Amen.

DO-

POST PENTECOSTEN.

CAPITULARIS AVIUM DIÆTA.

Aller Lufftvögel Reichstag.

LEMMA.

Volat ambiguis mobilis alis. Seneca.

THEMA.

Reſpicite volatilia cœli. Matth. 6. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS XLVIII.

Pro digno Volatilium cœli reſpectu, Capitularis eorum Diæta Religioſo more inſtituitur, in qua temporis præteriti, præſentis, & futuri alata ratio ſanctè & circumſpectè pertractatur.

451. Capitularis Avium Diætæ congruè Inſtruitur. HEu me! quis horror attonitos invadit artus! quò me intereiſſi trahunt gemitus! quò rapit abſorpta mens, terrificis agitata aſpectibus, flammivomis perculſa ſpe-
Joan. Major. in ſpec. v. Luſus ex. 2. ctris! Factum audite, quod ex Speculo exemplorum reflexum radium traijciendo mé graviter perculit. [Vidit quidam devotus vir in raptu aliquem in Purgatorio militem, qui inter vivos fuit caſtus, bonus, hoſpitalis, & probæ vitæ; ſed Avium venationi, & ludo nimiùm deditus. Is propter immodicas hujuſmodi recreationes tenebat avem in manu, à quâ in facie, humeris, & brachijs fruſtatim corrodebatur, & graviter affligebatur. Requiſitus ab illo devoto, cur tam miſerè lancinaretur ab ave, cùm tamen vitæ tam probæ vixiſſet. Reſpondit: Divina quidem ſervavi præcepta, nec iniquè aliquid contra Deum aut Juſtitiam admiſi, ſed quia aucupio atque venationi plurimùm otij dedi, hinc juſto Dei judicio crucior his pœnis uſque ad ultimum teruntium: niſi tuis, ac filiorum meorum precibus atque ſuffragijs, è tantis ſupplicijs fuero ereptus. Tu verò meis filijs & cognatis Dei judicia manifeſta, ne propter pares exceſſus pari ſupplicio caſtigentur.] Et ego qui tot tetendi retiacula, tot decipulas poſui, tot viſcatas virgulas fixi, tot laqueos extendi, tot niſos & falcones emiſi, totúsque aucupio me diſtraxi, quid aliud expecto ſupplicij, aut quid præmij? Pavore contabeſcerem, nec quidpiam ampliùs induſtrium Ornithologiæ meæ impenderem, niſi Divino erectus oraculo præciperer aquilinos erigere oculos, & opticos intendere nervos in cœleſtis regionis Phonaſcos: *Reſpicite volatilia cœli.* Hoc animatus mandato, excuſsâ Divinæ ultionis formidine, ſingulare aggredior opus; & quia Volatilia cœli jubeor reſpicere, ea omnia, quâ præditus ſum poteſtatis plenitudine, ad Capitularem cito canonicè, & legitimè convoco Diætam. Neque hoc videatur vobis inſolens, Auditores, quando etiam Seraphici noſtri

noſtri Patris temporibus *Capitulum Sturnorum* celebratum fuiſſe, noſtris Annalibus perhibetur. *Chronica FF. Min.* Appoſita ſimilitudo. Convocabat S. Patriarcha ſuos Fratres Religioſos Minores, auſteritate vitæ & Religionis primordijs præcellentes, ad *Portiuncula* Conventum propè Aſſiſium: convolabant ex omni circumquaque natione ultra quinque mille Fratres ad primum hoc Generaliſſimum totius Ordinis Capitulum. Et quia in aprico religioſa ſua caſtra metabant campo, Divinis laudibus, orationibus, charitatis ac pietatis officijs diu noctúque jugiter intenti, ad ingentem Accolarum ædificationem; hinc illa Diæta legitima, appellitata fuit *Capitulum Sturnorum*: ſimilitudine ſcilicet à Sturnis acceptâ, qui ideo gregatim, & cuneatim volant, quia eorum quilibet in fraternâ hâc ſocietate intimus eſſe naturali appetitu inclinatur. Cùm ergo Religioſa valde ſint *Volatilium cœleſtium* Collegia, Capitularem eorum Diætam religioſo more ita ſanctè, ita circumſpectè pertractabimus, ut & quæ bene vel malè hactenus acta ſint, appareant; & quæ impoſterum ſint ordinanda, in cœli Volatilibus reſpiciantur. E quibus illa Avis, quæ *VOLAT AMBIGVIS MOBILIS ALIS*, tempus ſcilicet *præteritum, præſens & futurum*, Præſidem aget Capituli, & per omnes ſeſſiones principaliſſima agenda proponet, diſquiret, reſolvet, expediet. Vos interim eſtote attenti, & ad excipiendã rerum agendarum ſeriem accurati *reſpicite*.

452. *Temporis ſymbolum accuratè expoſitum.* Antiquis pingebatur Saturni ſimulachrum homo ſenex, calvus, prolixâ barbâ, pallidus, triſtis & curvus, nunc nudo, modò obvelato capite; dexteram armabat falx, ſerpens ſiniſtrâ tenebatur, qui mordicus caudam apprehendens circuli figuram repræſentabat. Singula myſterio pollent. *Per Senem* deſignabant tempus, inter cæteras hujus orbis res antiquiſſimum, cùm intereuntibus ſingulis tempus remaneat. *Caput* oſtendit, multa tempore velari, & oblivione multa obtegi; ſicut & tempore multa aperiuntur, quæ diu latuerunt. *Barba* prolixa ſapientiam ſignificat, quæ tempore ſuo cuncta reperit, eruítque. *Falx* illi velut ad res naſcentes præparandas tribuitur, cùm omnia tempore occidant, & metantur. *Serpens* orbicularis additur, quòd rebus pereuntibus & tempora nova, & res aliæ in orbem veluti perpetuâ revolutione ſuccedant, tacitè proſerpendo, & nullo edito ſtrepitu dilabendo: nam juxta Poëtam,

- - Mortalia facta peribunt. *Horatius.*
Multa renaſcentur, quæ jam cecidére; cadéntque,
Quæ nunc ſunt in honore.

Etiam *clepſydra* imponitur Saturni vertici, & alæ junguntur humeris, quo ſignificetur velocitas temporis; nam Senecâ teſte, *Volat ambiguis mobilis alis* hora: *Seneca.* quæ ab alijs breviore compendio per clepſydram utrinq; *alatam* ſymbolizatur. Paſſim omnibus *tempus* volucre, volatile, volubile pingitur, fingitur, exhibetur. *Auſonius.* Sed & ipſa anni *tempora* pulchrè apud Alciatum à volatilibus cœli per tempeſtivas ſuas viciſſitudines eleganter prænuntiantur. *Alciatus Embl. 100.*

Adveniſſe hyemem Frigilla renuntiat ales;
Ad nos vere novo garrula Hirundo redit.
Indicat æſtatem ſeſe expectare Cuculus;
Autumno eſt tantùm cernere Ficedulas.

Et quod Sacræ Scripturæ textus addit apud Jeremiam: *Milvus in cœlo cognovit tempus ſuum; turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus adventûs ſui.* *Jerem. 8. v. 7.* Nec iſtæ ſolùm volucres temporis viciſſitudines, & opportunas occaſiones obſervant; etiam Galli & coturnicis cantus inſtantia tempora diſtinguit. Heliodromos avis quotidie & Orientem, & Occidentem cum Sole petit. Coitum Solis & Lunæ exortus ſcarabæus denuntiat; nec admirationi obſtat vilitas beſtiolæ, ſed juvat. Ipſo Solſtitij die virio avis prodit, Nec minùs temporũ præſagia ſuggerunt matutinus fulicæ clangor, noctua garrula, grus ſilens, alcyon nidulans,

lans, mergus fugitivus, anas ſe expurgans, ardea triſtis, & his ſimilia ſexcenta alia. Quibus addo id, quod Plinius de Apibus obſervat: *Apes*, quas meritò inter cœli Volatilia numeramus, *peragunt opus ſuum non ſtatis diebus, ſed quoties cœli commoditas invitat: ita SVO quaque TEMPORE capienda eſt OCCASIO.* Verbo denique, TEMPUS, quod Volatilia cœli per ſuas viciſſitudines reſpiciunt, cùm meritò inter Volatilia reponatur, *volat ambiguis mobilis alis*: volat velociter, volvitur celeriter, & ſuâ pernicitate omnia cœli Volatilia deſpicit; ſive à Philoſopho pro menſurâ motus, à Speuſippo pro ſolari circuitu, ab Alberto Magno pro primo Mobili, à Proclo pro cœleſti revolutione accipiatur.

Plin. l. 11. c. 6. & 10.

453. Proinde *Tempus* perniciſsimè *alatum* Alitibus cœli præſit in Capitulari Diæta, & de prætcritis actionibus ſolertem inſtituat diſquiſitionem, ac dignam pro qualitate geſtorum ſententiam ferat. Peractâ hujus Magni Ornotrophij ſolenni viſitatione hactenus elapſum *Tempus* in ordinarijs meis concionibus illud eveniſſe comprobavit, quod mihi quidem ad eximiam meam conſolationem, toti verò Venerabili meo Auditorio ad publicam & feſtiviſsimam debet cedere ædificationem. Nempe dum non rarò Evangelicæ prædicationes aprico & paluſtri aſsimilantur campo, ad quem omnibus cujuſcunque conditionis perſonis liber acceſſus pateat; & harum quidem aliæ garrulas coaxantium, ac confabulantium colligunt ranas; nonnullæ ſurdas aſpides, atque obturatos auribus ſerpentes tollunt; plurimæ Divini Verbi temerè corrodentes eloquia mures capiunt; non paucæ venenatos turpis libidinis ſine formidine bufones decoquunt. Dum, inquam, frequenter hæc alijs contingunt Verbi DEI Præconibus, conciones tamen meæ hactenus aſsimilatæ ſunt areæ aucupatoriæ, illecebris bene inſtructæ: ad quam tot *cœli Volatilia* avido volatu incidunt, quot devotiſsimæ animæ amantiſsimorum meorum Auditorum plauſibili frequentiâ concurrunt, ut auſcultent allectricibus meis apophthegmatibus, cordiales meas exhortationes æquiſsimo ſuſcipiant animo, micas panis & adipem frumenti de Divini Verbi diſſeminatione colligant, & tandem captivas ſe reddant in obſequium Fidei Domini noſtri JESU Chriſti; qui dabit incrementum Juſtitiæ veſtræ, & in libertatem vos rediget Redemptionis copioſæ.

Conciones frequentantur velut Ornithobo ſcium.

454. Et verò hoc ipſum *præteritum tempus*, in ordinarijs concionibus tam fructuoſè tàmque religioſè conſumatum, ad alia quæcunque *præterita* vos remittit: & jubet *reſpicere Volatilia cœli*, quæ ſuo volatu celeriter tranſeunt, & pernici velocitati totum ſuum tranſvolandi laborem conſignant. Hoc autem pulcherrimum juxta ac ſaluberrimum Romani Philoſophi monitum eſt; ſic etenim Annæus Seneca (*cujus*, magno teſte Auguſtino, *quædam ad Paulum Apoſtolum leguntur Epiſtolæ*, eúmque *Magiſtrum ſuum* compellat) *Infinita*, inquit, *eſt velocitas temporis, quæ magis APPARET RESPICIENTIBVS: nam ad præſentia intentos fallit. Reſpicite* illos, quibus annus *volat* velut *ambiguis mobilis annis*, 12. menſes, 52. hebdomadas, 365. dies, ac 8766. horas; quò, & quàm perniciter avolârint! *Reſpicite* totam celerrimæ veſtræ anteactæ vitæ periodum! Fuit quondam tempus, cùm vagiretis infantes in cunis, & penderetis velut leve onus ac dulce numiſma è collo genitricis, ab uberibus matris: ubi nunc infantia? *Reſpicientibus apparet.* Inde repſiſtis è cunabulis, ludebatis crepundijs, militabatis globulis, equitabatis in arundine longâ; pendebat è collo pulla, è manu tabula Alphabetica: ubi nunc pueritia? *reſpicientibus apparet.* Abjectis tum crepundijs, exutâ prætextâ cœpiſtis adoleſcentiam exçoiere literarijs ludis, ac primis ſcientiarum elementis perficere: tum magna in caſibus declinandis ſolertia, accura à in temporibus metiendis induſtria, in verſibus ſcandendis defatigatio: ubi nunc adoleſcentia? *Reſpicientibus apparet.*

Temporis præteriti velocitas, & vanitas reſpicientibus apparet.

S. Auguſtin. Ep. 54. ad Maced.

Seneca Ep. 49.

paret. Ex ephebis egreſſi ſubduxiſtis manum ferulæ, & juventutis flore maturati Academica Gymnaſia frequentâſtis; cœpiſtis chartis, ſcriptis, codicibus, ſyllogiſmis impalleſcere: ubi nunc juventutis occupatio? *Reſpicientibus apparet.* Vbi nunc negotia illa prægnantia, quibus eratis confecti? ubi diuturna ſtudia, quibus impigrè exercitabamini? ubi opipara convivia, queîs usque ad nauſeam reficiebamini? ubi exquiſita gaudia, quæ veſtra dilatârunt corda? ubi delicioſæ voluptates, quibus aſſiduâ venatione inſidiati eſtis? ubi agilitatis exercitia in choreis, è quibus defatigati receſſiſtis? ubi inſtructæ ſuperbi apparatûs feſtivitates, quas celebrâſtis ſolenniſſimè? ubi magnifica opera, quæ perfeciſtis? ubi reliqua prioris vitæ negotia, quibus vel feliciter vel infeliciter fuiſtis innodati? *Apparet reſpicientibus, quia infinita eſt velocitas temporis PRÆTERITI:* cum quo ſimul etiam juxta Sapientis elogium, *Tranſierunt omnia illa tanquam AVIS, quæ tranſvolat in aëre; & tanquam NAVIS, quæ pertranſit fluctuantem aquam; & tanquam nuntius velociter percurrens.* Conficiant Nuntij intra paucas horas magnum iter, & inſperatæ victoriæ laureatas adferant literas; prævertat navis ſecundo flumine & flamine impulſa omnes veredarios, curſores & dromedarios: Aviū his major eſt velocitas; & tamen hanc ſuperat pernicitas temporis. Ah! *Tranſierunt tanquam Avis, quæ transvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris, ſed tantùm ſonitus alarum verberans levem ventum, & ſcindens per vim itineris aërem: commotis alis transvolavit, & poſt hoc nullum ſignum invenitur itineris illius.* Obſervat hîc celeberrimus in Academia Oxonienſi Doctor, Robertus Holkot, opportunam Avis & Navis conjuncturam. [Poſtquam comparata eſt, „inquit, felicitas temporalis *navi tranſfretanti*, hîc comparatur *Avi volanti*: „ſicut enim Avis velociter transvolat, „& nullum argumentum relinquit „itineris, per quod volat; ita divites & „potentes volant in ſuis honoribus, in „dignitatibus ad tempus. Et *reſpicite*: „non remanet de eis veſtigium, „ſive ſignum.] *Reſpicite*: tot erecta theatra, tam immania ſpectacula, tam ſplendida excitata palatia, tam ſumptuoſa convivia, tot lætabunda tripudia, tot cruenta prælia, tot triumphales apparatus, tot celebrati hymenæi, tot denique Mundi ſyſtemata? *Tranſierunt omnia*, transvolârunt.

Sap. 5.

Sap. 5. v. 11.

Robertus Holkot in Sap.

Engelgrave in cælo Empyreo Lalend. Ian.

455. In hac admirabundâ *Præteritorum* conſideratione non jam *reſpiciam* ſtupenda Mundi miracula, quæ corruerunt; non glorioſas Gentilium memorias, quas ſola volumina retinent; non præpotentes Monarchias & regum genealogias, quas aliquando *fuiſſe* ſicci Annales tradunt. Hæc omnia ſilens prætereo, ut ſola *cæli Volatilia reſpiciam*, & cum Propheta Baruch circumſpiciam in vanitatis Ornithoboſcio. *Vbi ſunt principes Gentium, & qui dominantur ſuper beſtias? qui in avibus cæli ludunt, qui argentum theſaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum?* Quorſum Marci Lælij Strabonis pretioſa ſimul & artificioſa Aviaria? quorſum Luculli exquiſitæ incubationes, & Lucij Axij celebrata columbaria devenerunt? *Vbi ſunt Principes, qui in avibus cæli ludunt?* Vbi nunc ſtat illud magnificum Mauſoleum à Mannhe Ægypti Rege erectum fidiſſimæ Cornici in perpetuum gratitudinis ſymbolum; eò quòd illa cornix literas regis velociſſimo ſimul ac ſecuriſſimo nuntio in omnem terram ac locum deferret? Vbi nunc Henrici I. ex frequenti aucupandi delectatione *Aucupis* cognominati, aſſolentiſſimæ illæ ac ſumptuoſæ Ardearum venationes? Vbi Fridericus Ænobarbus, ubi Henricus IV. Romani Imperatores, qui falconibus ad capiendas argutè aviculas emiſſis plurimam ſuæ vitæ partem conſecrârunt? *ubi ſunt Principes, qui in avibus cæli ludunt?* Vbi Quabacondonus ille magnus Japoniæ Monarcha, qui convocatos Regni Magnates invitavit in regnum Oriar ad tam ſolenne aucupium, ut

Mundi vanitas aucupijs aſſimilata.

Baruch. 3. v. 16.

Cælius l. 25. c. 18. ante lect.

Maffeus de reb. Ind. lib. 10. p. 127.

ultra triginta millia rariſſimæ ſpeciei & qualitatis aves cœperit, quas in ſuã metropolim tam glorioſo induxit triumpho, ac ſi tot Principes ſibi ex Chinenſibus inimicos fortiſſimè debellâſſet? *Tranſierunt omnia illa, tanquam avis, quæ in aëre tranſvolat.* Cùm enim in avibus cœli ludendo, horas, dies, vitam perderent, ſimul & cum avibus ex communis auræ uſurâ in tetricam avolârunt terræ caliginem, Mundi vanitatem.

456. Transitoria mundi vanitas multis argumentis ventilata.

Quidquid Mundus poſſedit pulchrum in ſpectaculis, pretioſum in clenodijs, glorioſum in triumphis, jucundum in venationibus, magnificum in ædificijs, regium in coronis & ſceptris, optatum in nuptijs, imperatorium in præfecturis, in officijs potens, in potentiâ terribile, ſplendidum in divitijs, incomparabile in venuſtate, Divinum in inventionibus, rarum in prodigijs, charum in muneribus, clarum in rebus geſtis, hæc omnia in *præteritum* ſucceſſivè *tranſierunt*. Ad hanc explicandum præteritionem haud equidem opus eſt ſvadâ Ciceronis eloquentiâ, nec argutis Ariſtotelis argumentationibus, nec penetrativis Quintiliani hortamentis; verbo ſatis: *Tranſierunt. Reſpicite* evanida ſæcula ab origine Mundi, quæ ad noſtra hæc momenta ſex mille circiter annos attingunt. Quàm innumeri vixerunt mortales, qui priori momento in theatro ludicræ vitæ comparentes ſimul, poſteriori itidem quodam momento iterùm diſparuerunt, & *tranſierunt*. *Reſpicite* opera, quæ Filij hominum vel ſcriptis comprehenderunt, vel obeliſcis erexêrunt, vel artificijs invenerunt, vel ædificijs reliquerunt, vel armis conquiſiverunt, vel ſpectaculis adhibuerunt: & hæc omnia tantæ molis opera tandem momento *tranſierunt*. O quanto cordis jubilo Beati cœlorum Incolæ, quanto horrore damnati gehennæ Spiritus reſpiciunt ad præteritum *tranſierunt*! Jam non affligant vos, Purpurati Chriſti Martyres, terribiles lanienæ, & exquiſita Tyrannorum ſupplicia; non vos, Candidati Chriſti Confeſſores, pœniteat gemituum, lachrymarum ac millenarum mortificationum; non vos, caſtiſſimæ Virgines, domeſticæ luctæ & inquilinæ carnis pugnæ pigeat; non ingraveſcat ampliùs ſanctiſſimis cœli Incolis prolongata vis, & dura carnis cum Spiritu colluctatio: hæc enim reſpectu tam incomparabilis mercedis pretia tam exigua *tranſierunt*. At verò inconſolabili ejulatu *reſpiciant* damnati, quidquid delectabilitatis depravatis ſenſibus liberaliter conſecraverant; ſuas curioſitates immanes Heliogabalus, ſuas effæminationes Sardanapalus, ſuas crudelitates Nero, ſuas victorias Auguſtus, ſua trophæa Cæſar, & quidquid damnoſæ ineptiæ humana malitia perpetraverat. *Tranſierunt* omnia, *tanquam Avis, quæ transvolat in aëre*. Vt meritò generoſiſſimus vanitatis contemptor B. Jacoponus, pro ſuo pientiſsimo ſpiritu, quo Seraphicæ humilitatis ſublimitatem æmulabatur, ſuum illum affectuoſiſsimum rhythmũ auſpicatus ſit hoc interrogatorio:

Cur Mundus militat ſub vanâ gloriâ,
Cujus proſperitas eſt TRANSITORIA?

Was führt die Welt im Schilde
Der eytlen ſchnöden Ehr?
Auff freches Glück gezihlt /
Vergeht / vnd kombt nit mehr?

De *præterito* ad *præſens* tranſeamus 457.
tempus; quod in hac Capitulari Vola- Religioſa
tilium Diætâ religioſo more ita di- officiorum
ſtribuit ſuum cuivis officium, ut diſtributio
ſciat ſuo munere ritè fungi, & ſingu- inter volucres.
la horæ momenta, de præſenti ad præſens fluentia, fructuosè ad DEI gloriam & cœleſte meritum conſummare. Si tota Volatilium congregatio foret Religioſus cœtus, legitima officiorum diſtributio, *Tempore Præſide*, in ſequentem optimè diſponeretur ordinem, ad hoc ut ſingula ordinatè fierent. Ego hanc Volatilium ordinationem ita capitulariter facio, ut etiam inter Religioſos quoslibet, & conſequenter alios quoque Chriſtianæ Hierarchiæ contribules, quilibet poſsit ſuæ functionis regulas colligere. Quod ergo felix fortunatúmque ſit, ut ſatisfiat Chriſti mandato, *RESPICITE VOLATILIA COELI*

in

in Canonica officiorum diſtributione. Sortem Miniſterij *Provincialis* ſuſcipiat prudens & amoroſus Pellicanus, qui proprios pullos ſudore & ſanguine paſcat, reficiat amore. *Cuſtodis* officio fungatur agilis Halcyon, tunc maximè nidificans, cùm tempori tranquillitas favet. Pro *Diffinitoribus* Provincialibus honorentur migrantes Grues, quibus Ariſtotelica conteſtatio faveat, quòd *multa prudenter faciant*. *Priorum* ſit imitari Gallos gallinaceos, ut rei domeſticæ vigilantem & ſollicitam curam adhibeant. Sublimiorum ſtudiorum *Lectores* promulgantur Aquilæ, irretortâ ingenij acie ſolares Sapientiæ radios contemplantes. *Concionatores* Divini Verbi inſtituuntur glotorantes ac pietatis cultrices Ciconiæ, ut de ſuggeſtu nidi ſui longè latéque inſonantes ex alto Divinam annuntient voluntatem. *Artium liberalium Profeſſores* ordinantur exiguæ molis Reguli, qui dum altiùs volare non poſſunt, ſaltem ſub Aquilarum alis conquieſcant. *Novitiorum Magiſtros* candidæ ſymbolizent Columbæ, ut ſuos juvenculos doceant gemere & meditari. *Chori Regentes* Luſcinias imitentur, ut ſciant ad Dei laudes pronuntiandas vocem rectè elevare, protrahere, abrumpere, moderari. *Choraliſtæ* ſint alacres Alaudæ, quæ elevando mentem canunt aſcendendo, & deſcendunt canendo. *Sacriſtia & Altarium cura* committatur Hirundinibus, non ut ubique ſuas maculas imprimant, ſed ut impreſſas emundent. *Hoſpitum Charitas* aſſignetur Paſſeribus, ut ſicut ſub omni tecto agunt inquilinos, ita peregrinos ſub tecto ſuo liberaliter tractent. *Plantandis hortis*, & excolendis viridarijs præſint Curruccæ: (ut etiam ſalibus & lepôri aliquid indulgeatur,) *Portæ* Biſtardæ, *culinis* Oehtopi, *Sartorijs* Caprimulgi, *Praxatorijs* Orioli, *Furnis* Turdi, *Infirmarijs* Muſcipetæ, *Macello* Lanij: & quidquid reliquorum Volatilium ſupereſt, Conventualium jure & functione gaudeant. *Novitiatu* initientur, quotquot adſunt, Aves Canarienſes, ad omnia munia dociles, & expediti. Sicque præſens Volatilium ſyſtema Religioſum cœtum in ſuis functionibus peragendis aut informat, aut imitatur: ut exinde quivis agnoſcat, cur *reſpicere Volatilia cœli* Servator mandaverit.

458. Ea nempe eſt Volatilium induſtria, ut non ſerant, neque metant, neque congregent in horrea, ſed præcisè à Patre cœleſti alantur: cæterùm verò totum negotium ſuum Authori naturæ commendent, & de præſenti operentur juxta ſuæ levitatis inſtinctum; canant, nidificent, circumvolent, ſaliant, meditentur, opus ſibi à Deo propoſitum perficiant, paſcant, & nunquam in ſuo labore deficiant. Quidni inter homines ſit monſtrari tales, qui ita otiosè ſe gerunt in ſuis functionibus, ut illis præſens *Tempus breve creditum, defluat inane?* Annon hortatur Galatas Paulus, *ut bonum operentur, dum tempus habent?* Nunquam ſatis amplificatum cenſuerunt temporis, rei utique pretioſiſſimæ, diſpendium Seneca, Dio, aliiſque mo-
„rum Magiſtri: è quibus prior, [Ma-
„gna vitæ pars, inquit, elabitur malè
„agentibus, maxima nihil agentibus,
„tota aliud agentibns. Quem mihi da-
„bis, qui aliquod pretium tempori po-
„nat? qui diem æſtimet? qui intelligat,
„ſe quotidie mori? In hoc enim falli-
„mur, quòd mortem non proſpicimus.
„Magna pars ejus jam prærerijt: quid-
„quid ætatis retrò eſt, mors tenet. Fac
„ergo, mi Lucili, quod facere te
„ſcribis; omnes horas complectere:
„ſic fiet, ut minùs ex craſtino pendeas,
„ſi hodierno manum injeceris. Dum
„differtur vita, tranſcurrit. Omnia,
„mi Lucili, aliena ſunt. Tempus tan-
„tùm noſtrum eſt. In hujus rei unius
„fugacis ac lubricæ poſſeſſionem na-
„tura nos miſit; ex qua expellitur,
„quicunque vult. Sed tanta ſtultitia
„mortalium eſt, ut quæ minima &
„viliſſima ſunt, certè reparabilia, im-
„putari ſibi, cùm periêre, patiantur.
„Nemo ſe judicat quidquam debe-
„re, qui tempus accepit: cùm interim
„hoc unum eſt, quod nec gratus qui-
„dem poteſt reddere.] Scitè præterea

Tempus præſens officiosè & utiliter applicandum.

Galat. 6. v. 10.

Seneca Ep. 1. ad Lucilium.

Fff 3 In

Guerricus Abbas ſerm. 6. de Purific. in hanc ipſam rem Guerricus Abbas „ſuum prodit judicium. [Illud ſanè „miſerrimum eſt, quòd hodie non „putatur jactura, ſed lucrum, ſi dies, „qui nobis ad purgationem dati ſunt, „labantur nobis dormiendo, præte- „reant & pereant negligendo. Genti- „lis quidam, ut aiunt, cùm ſederet „ad menſam, veniſsétque in mentem, „nihil extremum aut memorabile ſe „egiſſe die illo, cum gemitu gravi & „dolore menſam pepulit, exclamans: „ô *Amici, diem perdidi.* Nos hodie di- „cere videbimur, *diem lucrifeci*, ſi ſine „opere totus per inertiam poſſit ela- „bi? *Sic nullus ferè eſt, qui tempori pre- „tium ponat, qui cogitet apud ſe, quantùm „valeat ad comparandam æternitatem dies „una.*] Et ſi cætera omnia ſuppleantur, quantum incurritur temporis præſentis diſpendium ex longis allocutionibus? Nihil quippe pretioſius tempore, quod ad colligendum æternæ beatitudinis pretium divinitùs proviſum, magno ſtudio eſt impendendum. Benè monebat Siracides: *Eccli.4.v.23.* *Fili, conſerva tempus.* Nimirum intelligebat, quanti tempus eſſe debeat. Vt propterea fatuè omnino plerique mortalium nullum merci adeò pretioſæ ſtatuant pretium, quin potiùs captate ſe dicant occaſiones faciendi, ut tempus effluat, atque *avolet ambiguis mobilis alis*: quod tamen citra cujusque operam ocyſſimè, & perniciſſimè elabitur. Laërtio teſte dicere ſolebat Zeno Philoſophus, nullâ nos re plùs egere quàm tempore. Franciſcus Svarezius, Theologus admirabilis, longas eum amicis confabulationes, ſvaves pretioſiſſimæ rei deprædatrices dicere ſolitus erat. *Theophyl. Raynaud in Philologica fol.445.* De Aldo Manucio ſeniore proditum eſt, cùm eſſet optimè impendendi temporis ſtudioſiſſimus, hunc titulum cubiculi ſui foribus inſcripſiſſe. [Quisquis es, rogat te Aldus, etiam atque etiam, ut quidquid eſt, quod à ſe velis, perpaucis agas, deinde actutum abeas. Niſi tanquam Hercules defenſo Atlante veneris ſuppoſiturus humeros: ſemper enim erit, quod & tu agas, & quotquot huc attulerint pedes.] Itaque abhorrebat Aldus à longinquis colloquijs, ne tempus pretioſum perderet. Rem quippe tanti æſtimandam, cujus irreparabile eſt diſpendium, quis ferat improvidè otio aut confabulationibus prodigi, perdi, dilapidari?

Negotium hìc faceſſit S. Baſilius, 459. *Temporis bene impenſi delectabilitas.* Seleuciæ Epiſcopus, paucis ſed vehementibus verbis; cùm exulians ob trophæa cum fervore viventium, & lugens ob miſeriam negligenter agentium irreparabilem vitam, exclamat: *Delectabile tempus quod præterlabitur, & formidabile.* *S. Baſilius orat. 29. in Olymp.* Stupore confixus hæreo in hac ſententiâ, nec capio, poſſe idem tempus ſimul eſſe delectabile noſtro appetitui, ſimul & formidabile genio: quando & delectabilitas omnem à ſe videatur formidinem excludere, & formido longè ab omni volupiâ abeſſe. Refugio igitur ad Græcum Doctorem, ſeſe ipſum explicantem. *Delectabile propterea*, inquit, *quòd ſui fruendi perſvaſionem hominibus ingerat.* Adeò ſcilicet jucundum eſt tempus, adeò pretioſum, ut menſis unicus vitæ piè actæ primis Eccleſiæ Prælatis & magnis cœli Incolis poſſit aſſimilari. Quemadmodum immaculata Chriſti Mater affectibus ſuis intenſiſſimis uno momento tantam conſecuta eſt gloriam, quæ omnem humani intellectûs capacitatem tranſcendit. Agnovit hoc PhiloHebræus, *Philo lib. de mobilitat.* ſcriptor quanquam non Chriſtianus, à S. tamen Hieronymo inter Sacros numeratus. *Vel unus dies*, inquit, *Sapientis, integra vita æquiparatur.* Moriamur cùm Deus voluerit, modò vivamus, quomodo velit Deus: quia ſicut in nummis non attenditur numerus, ſed imago Principis & metalli præſtantia; ſic in vitâ non æſtimatur longævitas, ſed morum & actionum probitas. Homóne inter homines reperiri poſſit, qui rerum ita ſit imperitus, aut deſtitutus prudentiâ, ut unam illam Abrahami diem, quâ montem conſcendit, buſtum compoſuit, gladium evaginavit ad immolandum filium, non anteponat ſeptingentis ſeptuaginta ſeptem annis, quibus vi-

xit

xit Lamech, primus in mundo Bigamus? Idipſum eſt, quod omnem reſpuens conſolationem, in Monachorum ſuorum cœtu lugebat Guerricus Abbas, ioco ſuprà allato; valdè commotus, quòd, qui viverent, momentũ quodvis præſentis vitæ tam parvi facerent: quo poſſumus æternum conſequi regnum, temporali regno longè nobiliꝰ, tũ objecti increati poſſeſſione, tùm temporis diuturnitate, quæ omne aliud excludit tempus. *Nullus ferè eſt*, inquit, *qui tempori pretium ponat; qui cogitet apud ſe, quantùm valeat ad comparandam æternitatem dies una.* Si dies dimidiata, vel ad ſummum integra, ex tanti viri ſententia tanti eſt; quanti in noſtris animis eſſe debet veneratio DEI, poſſeſſi inter ſempiternos infinitæ felicitatis ſplendores? Nec vultis, ut præ gaudio exclamem? *Delectabile, quod præterlabitur tempus; quod ſui fruendi perſvaſionem hominibus ingerit.* Ita fas eſt, quemlibet officio, & vocatione ſuâ rectè fungi, ut præſentis temporis fruendi perſvaſione delectatus, irreparabilem ejusdem declinet jacturam.

Guerricus cit. loco.

460. Hac in Capitulari Diæta quod reliquum eſt, ſancitâ quadam conſtitutione firmetur, quæ in expoſiti noſtri Thematis ſolennitate conſiſtat: *Reſpicite Volatilia cœli.* Tria nempe ſpatia occupant volucres cœli. Primum, quod transvolârunt; & hoc præteriit: alterum, in quo actu exiſtunt; & hoc de præſenti occupant, ac immediatè pòſt non occupabunt: tertium, quò tendunt, quò avolant, quod requirunt; & hoc *futurum* eſt earum receptaculum. *Reſpicite Volatilia cœli.* An non vides, ciconias, grues, coturnices Solem ſequi, fugere brumas, meridionales partes abeundo & revertendo petere, adeóque IN FUTURUM proſpicere? Occurrit hic *tempus futurum*, volucre & alatum, citò advolans, ad quod omni momento, omni oculorum ictu *Reſpicite*: nam hoc *apparet reſpicientibus*, propter dubium labentis vitæ Epilogum admodùm *Formidabile*; & vel ideò magis, *quòd* Divo Baſilio exponente *ſuper vita Futurum DEI judicium latenter induxit.* Et hoc *Futurum* quàm formidabile damnatis? Qui vel tunc maximè de præterito affliguntur, cùm de recuperando perdito nullum ampliùs ſuppetit conſilium: prout Sanctus Humbertus de quodam tradit Religioſo viro, quòd audiverit damnatum his vocibus ejulantem. *Noveris, me cæteròsque averni incolas nihil acerbiùs lugere, nihil amariùs deplorare, quàm inter vanitates ſæculi brevèsque illecebras dilapidati temporis jacturam.* Sicut poſt punctum ſequitur linea, ſic poſt punctum ultimum interminata ſequitur *linea æternitatis.* Hæc ut ſit tibi fauſta vel infauſta, pendet à ſententiâ Judicialiter proferendâ. Æternitas incipit, ubi fluxa & alata Mortalitas deſiit. Poſt illud punctum ultimum, futura omnia incipiunt eſſe æterna. O punctum *formidabile* ac vaſtum, in quo *præterita* omnia, jucunda pariter, & amara merguntur; *Futura* conſurgunt nunquam interitura, ſeu cruciamenta, ſeu præmia. In quo, Divo Bernardo teſte, *omne tempus nobis impenſum, à nobis exigetur, qualiter ſit expenſum.* Quando itaque horrorem Judicis augebit ſcelerum gravitas, fœditas, multitudo, cuique velit nolit ſpectanda in illo hujus & alterius vitæ confinio, quàm anguſto, tam timendo. Quàm multos ſua fallit opinio, qui ſibi cum Oza ſuſtinente, Davide recenſente, Sale ſacrificante nimium confiſi, dum ſe Principi ſuo in nuptiali ac gemmato veſtimento putabant occurrere, turpi ſe centone mutilorum ac vilium operum ſemitectos (ah!) ſerò nimis advertent! Quos non monſtroſa ſcelerum deformitas paritura eſt judicando angores, cruciatus, deſperationem? Ingrati etiam animi labes ſævo tunc ſtupore ac triſtitiâ miſeram animam conſternabit. Huic enim in illo peranguſto *Futuro* ad æternitatem tranſitu incurrent à dextris collata DEI beneficia, à ſiniſtris commiſſa

Futurum tempus homini formidabile.

S. Baſilius citatus.

S. Humbertus de 7. donis.

S. Bernardus ſerm. 108.

miſſa

miſſa rei ſcelera, & inexplicabili rubore ferinas illi ſuas proditiones atrociter exprobrabunt. Pondera iiia *Euſeb. Emiſſenus hom. 4 ad Monach.* Euſebij Emiſſeni verba: *Quo quaſo vultu reſpicit Redemptio noſtra perditionem noſtram? Tantò graviora erunt humana delicta, quantò majora ſe oſtenderunt Divina beneficia.* Homo tot inter Dei gratias, & ſuas in Deum injurias; tot inter Dei munera, & ſua in Deum crimina; tot inter impenſos Dei favores, & accuſantis conſcientiæ dolores, in quam ſe convertet partem? ubi latebit? quomodo comparebit? Latere non poterit, apparere non audebit: aliud impoſſibile, hoc intolerabile. Hæc ſi cogitas, num tibi videtur *formidabile* illud tempus, *quod ſuper vitâ futurum DEI judicium latenter inducit?* Neſcio, quomodo laboraverit in ſpiritu, meditatus ſit cum corde, & exercitatus in anguſtia men- *Pſal. 76. v. 6.* tis Pſalmiſta, quando dixit: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Præfixi oculis meis, & reſpexi ſtatum *futuri* ſæculi; & diem, quo vivunt electi cum Deo, reprobique in inferno, corde revolui: quatenus ex conſideratione æternarum lætitiarum in patria, perpetuorúmque tormentorum in gehenna, univerſas mundi delicias contemnerem, & temporalia gravamina patienter ſuſtinerem. Subdit deinde, conſtantiſſimè & præcordialiſſimè conſiderandam eſſe præſentis vitæ brevitatem, gaudiorum mundi fallaciam, & infinita humanæ converſationis pericula. Hinc & Salomon hortatur ad memoriam futurorum: *Si annis,* inquit, *multis vixerit* *Eccleſ. 11. v. 8.* *homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum* (futurorum) *qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.* S. Remaclus Traiectenſis Epiſcopus *Notgerus in vita S. Remacli.* moriturus, hoc ultimum ſuis dedit monitum. [Tota ſapientis vita quædam debet eſſe commentatio mortis & eorum, quæ futura ſunt poſt mortem: deſcendant in infernum viventes, ut non deſcendant morientes. Paradiſi etiam memoria, & præmiorum ibi repoſitorum ſæpè recolenda eſt: tum ut bona repoſita deſiderentur; tum ut hoc aſpectu tribulatio dulceſcat; tum ut exinde Dei amor magis invaleſcat.]

Plura graphicè de futuris dicturo invidum tempus Orationis ac Capitularis Diætæ filum abrumpit. In qua cũ omnia pro majori *reſpectu Volatilium cœli* ſint acta, & volucre tempus *præterita* remiſerit, ad *præſentia* intentos feſellerit, *futura* formidabili obtutu exhibuerit: ita me impoſterum geram in functionibus vitę meæ, ut mente ſim Manucodiata, ſemper in cœleſtibus cogitandis ſubſiſtens; volatu autem Heliodromus, Solem orientem & occidentem ſine intermiſſione ſequens; & non deficiens à proficuâ temporis uſurâ, quouſque *præterita* mihi cedant ad conſolationem, *præſentia* ad ædificationem, *futura* ad beatam ſpem & retributionem.

Amen.

DO-

POST PENTECOSTEN.

PICUS MARTIUS.

Der ſcharpff-bewaffnete Baumhäckel.

LEMMA.

Repetito ſæpiùs ictu.

THEMA.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ. Lucæ 7. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS XLIX.

Mors præmatura Picus eſt, qui *duro fera robora roſtro figit, & iratus longis dat vulnera ramis*; dum repetitis ictibus varijs, cum inevitabilibus, tum caſualibus & aſcititijs, ſuccreſcentes Juventutis Arbuſculas immaturè ſuccidit, enecat, proſternit, extinguit.

461. Mors inſidioſa & fatalis juventuti.

PIcus avis mirâ pollet ſcandendi arbores ſolertiâ; tanquam ſtellio aut felis non modò ſurſum reptat, ſed etiã deorſum, & ſub ipſis ramis, pedibus & ventre ſurſum, tergore deorſum terram versûs converſo diſcurrit. Crura ei breviſſima, ſed admodùm robuſta, digitos inſuper pedum provida Natura dedit antè binos, totidem retrò, eóſque valdè conjunctos, ut ſub ſcandendo, arborem firmiùs apprehendat. Roſtrum inſuper rectum, durum, rotundum, & ad pertundendas arbores peraccommodum; quo arbores percutit, in quarum corticibus ſubeſſe vermes ex ſono conijcit: arborem proinde perforat, pertundit aliquoties, ac tam vehementer excavat, ut aliquando etiam ſternat. Sic vel à Pico *REPETITO SÆPIUS ICTU ſternitur arbos.* Antiqui Picum *Marti* conſecrârunt; quomodo Ovidius canit: *Martia Picus avis gemino pro ſtipite pugnans.* Ego verò Picum *Morti* dico eſſe ſimillimum, quam & plumarum ſuarum lugubri varietate, & ſternendi proprietate apprimè imitatur: ut à Germanis ob veſpillandi ſimilitudinem meritò nuncupetur Ein Todtler/ oder Rodtler; aut certè à ſpeculandi funalem prædam conſvetudine, Ein Specht. Picus iſte delicatam hodie ſuccidit arborem, juvenem teneræ ætatis, optimæ ſpei prolem, ſenectutis baculum, viduæ Matris ſolatium. *Ecce! defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ.* Nemo miretur, ſi hominẽ arbori ſymbolizem; nam tritum eſt illud Philoſophi: *Quid eſt homo? eſt arbor inverſa.* Quia pedes & digitos quaſi radices deorſum, caput verò & cerebrum, capillos & palmas, ac palmarum digitos, quaſi ramos ſurſum mittit: ſed & homo è parvo frutice ſenſim in altum ab infantiâ ad pueritiam, adoleſcentiam, virilitatem, ſenium *creſcit occultè velut arbor ævo.* Certè S. Gregorius Thaumaturgus fugiens perſecutionem Decij, ſeceſſit cum

Ovid. lib. 3. Faſt.

Diacono in collem, cúmque proditor quidam id perſecutoribus renuntiaſſet, illique totum collem perſcrutarentur, ut Gregorium comprehenderent, ipſe magnâ in DEUM fide immotis oculis & paſſis manibus in oratione conſtitit: quare DEUS perſecutores acriſiâ, ſeu cæcitate percuſſit: redeuntes enim dixerunt, ſe in colle nil niſi duas arbores paulùlum inter ſe diſtantes vidiſſe: quibus digreſſis proditor in collem conſcendens, non duas arbores, ſed duos homines, putà Gregorium cum Diacono, conſpexit. Vnde vi Divinâ id factum agnoſcens, ut illi perſequentibus arbores eſſe viderentur, procumbit ad pedes ejus, & ex proditore fit fidei Confeſſor. Nempe ſicut ille cæcus à Bethſaida, Chriſti virtute illuminatus, *vidit* primò *homines ſicut arbores ambulantes*; ita hi perſecutores obcæcati viderunt Gregorium & Diaconum ejus, ſicut arbores, conſiſtentes. Vultis videre proſtratam à Pico arbuſculam? *Ecce! defunctus efferebatur filius, unicus matris ſuæ*; quem mors præmatura *repetito ſæpiùs ictu* projecit, ſtravit, evertit. O *Martia Picus avis*, mors immatura & immiſericors, ut quid inſaturabili roſtro, *TAN DEM PULSANDO*, viridem potenter exſcindis juventam, non ſaturata decrepiti ſenij epulis! Siccine apud te continuò *ſecuris ad radicem cujusvis arboris poſita eſt*, ut potenter ferias, & ſine differentiâ juvenem cum ſene ſuccidas? Adeſte delicioſi, & improvidâ tranquillitate ſecuri juvenes; nam veſtra res agitur, dum *filius unicus matris ſuæ, repetito ſæpiùs ictu* proſtratus, *effertur* ad tumulum, ad ſepulturam. Vobis in præſenti diſcurſu, ſi placet & delectat, repetitos illos Libitinæ explicabo ictus, quibus immatura juventus frequenter à Pico proſternitur; eique tela ſucciditur absq; ulla ſpe, antequã ad medium ætatis vita penetraverit. Sine fletu, ſine metu auſcultate taciturni, in nomine Chriſti reſuſcitantis.

Cornelius à Lap. ſuper Marc. 8. v. 24.

Marci 8. v. 24.

Lucæ 3. v. 9.

462. Obſervârunt per experientiam Ornithologi, Picum eo præſertim loco impetere arborem roſtro cum ſtrepitu & fragore, ubi excavatam deprehendit corticem, morbidóque ſub cortice vermes, quêis voluptuosè veſcatur. Nec Mortis aliud ſcitur eſſe imperium, quàm ut ibi incipiat, ubi advertit defectum in naturâ, putredinem in carne, vermem in cauſâ: tum *repetito ſæpiùs ictu* poſt novas criſes, convulſiones, inflammationes, paroxiſmos, caſus, obſtipationes, apoplexias, ſuffocationes tandem *ſternitur arbor*; ſive quercoſâ ætate ſpectabilis, ſive pinoſâ viriditate efflorеſcens, ſive dumetali humilitate ſecura. *Quis* enim, ut cum Pſalte diſquiram, *eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam ſuam de manu inferi?* Nullus certè ex omnibus: nec in Chaldæâ Nabuchodonoſor, nec in Perſiâ Cyrus, nec in Media Darius, nec in Macedoniâ Philippus, nec in Græciâ Alexander, nec Carthagine in Africâ Hannibal, nec Julius Cæſar in Italiâ. Tandem cunctis peractis negotijs, *ſeriùs aut citiùs*, velut boni ſalij choreas abſolvunt ſinguli; & ubi ardentem titionẽ alteri offerunt, ſubitò è choreo ſeſe proripiunt, vitâ excedunt, diſparent, nec locus eorum ampliùs repetitur inter mortales. Quorſum ergo excurrunt? In domum æternitatis, in ſepulchrum, in cœlum, aut in infernum, ubi eis Sanctus Athanaſius biſulcam monſtravit ſemitam, in ſuo ſymbolo: *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum.* Adeſte, hìc adeſte, Domini Studioſi, egregiæ formæ juvenes; adeſte nobiles, & teneræ virgunculæ. Vos, quorum totum negotium in eo cardine agitur, ut calamiſtro criſpetis capillos; ventiletis cinnos; factitios cincinnos diffundatis humeris; odorato pulvere conſpergatis caput; ſuccuſſu humero-

Mors æquè ſuccidit adoleſcentes ac ſenes.

Pſal. 88. v. 49.

S. Athanaſ. in Symb.

merorum annuatis, & abnuatis; pedibus ſolo alliſis deferatis obſequium; arcuatis brachijs, & cavis manuum volis ſalutationes peragatis; redoleatis moſchum; emiſſitios oculos in formoſiores vibretis facies; vernilibus jocis honeſtas vulneretis aures; ſutilibus calceos toſis, pileum ornetis ligulis, gladiolum cum ſerico capulo appendatis lateri; follicante carbaſo manicas inſletis, noctu fidibus perſonetis plateas, cantetis ad limina, & ad muſicos modulos jocis agitetis pedes, clandeſtinis colloquijs puellarum inſidiemini pudicitiæ, aut certè furtiva rapiatis oſcula. Vos, quibus unica cura agitur, indulgere genio, evacuare pocula, luſitare aleâ, tempus transmittere otio, in multam lucem ſtertere, ſpeculum de formâ ſæpè conſulere, velle conſpici & alteri placere ſexui, etiam citharædum agere & Feſcenina canere, aſſidere mulieribus, fabellis & flabellis earum captare blanditias, & id unum allaborare, ut ijs ſeſe amabiles morum ſimilitudine faciant, ſeducant ac ſeducantur. Adeſte, inquam, & ſubſiſtentes hodie conſiderate Veſpillones. Quæ pompa hæc lugubris? quid rerum in feretro latet? *Defunctus* vitâ, aurâ, bonis, ſocietate humanâ, ſpe, munere, labore. Senex is utique, grandævâ annorum mole exhauſtus? Non ſenex, ſed *Adoleſcens*, qui octodecim vitæ annos vix exceſſit, & ſuperſtes ſibi adhuc minimùm ſexaginta ſpopondit ſuperſtitis vitæ annos. Et quorſum eum illo? *Effertur* ex paternis laribus in domum vetmium, è civitate in ſquallidam & opertam mortis caligine ſolitudinem, è delicijs ad luctum. Suiſne orbatus erat parentibus? *Filius* erat dilectus, & quidem albæ gallinæ filius, delicatè enutritus, ſollicitè educatus. Germanorum utique fratrum gaudebat coronâ? *Unicus* erat filius, multarum fortunarum hæres, connubij optimi ſponſus, & natus copioſarum poſſeſſionum dominus. Et cujus filius unicus? *Matris ſuæ*, viduæ deſolatæ, quæ omnem ſuæ poſteritatis ſpem in illum conjecerat. Quid hoc dicitis, Veſpillones? ergóne etiam in primo juventutis flore moriuntur adoleſcentes, ſucciduntur arbuſculæ? Moriuntur, ſuccîduntur; & flos qui hodie eſt in pratis ridens, *cras mittitur in clibanum*. Flores quidem facili metuntur falce; ſed nunquid robuſtæ juventutis ſtirpes contra vim mortis duriùs ſubſiſtunt? Etiam ſucco & ſacco valida *repetito ſæpiùs ictu ſternitur arbos*. Probè reſpondiſtis; efferte mortis victimam; ego circa hos repetitos mortis ictus maneo occupatus.

Juventutis pernicioſum otium. (margin, left)

Matth. 6. v. 30. (margin, right)

46. Inter illos ictus, quibus præmaturè juvenibus ſucciditur vita, nonnulli ſunt inevitabiles, nonnulli caſuales, & aſcititij aliqui. *Inevitabilis* primò eſt Divinæ Prædeſtinationis executio, qua juveni abbreviatur vita: præcognoſcit enim Deus, quòd ſi hic vel ille juvenis ad provectam viveret ætatem, graviter eſſet delicturus, finaliter impœnitens futurus, ac tandem omninò periturus; qui tamen præmaturè moriens intra innocentiæ melioris cancellos, ſine gravi peccatorum ſarcinâ, finaliter in gratia perſeveraturus ſit, ac beatè obiturus. Fertur anguis Pici nido fuiſſe inſidiatus: cùm itaque per arborem aſcenderet, & appropinquaret ad nidum, mox pullos devoraturus, fæmella utpote reſiſtendo impar, clamare ſaltem cœpit ac vociferari, ut protinus Picus advolaret, & rapiendis pullis ſuis ſuppetias ferret. Is ſine morâ adeſt, pro ſuâ familiâ pugnaturus: & quo eſt armatus roſtro, tam validè ſerpentis caput percutit, ut actus vertigine primùm, dein enecatus è ſublimi deciderit. Quis ignorat, ſerpentem eſſe peccati authorem? Hinc non rarò contingit, ut dum peccatum juveni ſtruit inſidias, Picus cervicem frangat, ſerpentem deijciat, animam morientis ſalvet *repetito ſæpiùs ictu*; quo juvenis ille *raptus eſt, ne malitia mu-*

Moriuntur multi præmaturè ex decreto prædeſtinationis ſpecialis. (margin, right)

Sap. 4. v. 11.

tares intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Audio hìc Sanctum Cyprianum, appoſitè commentantem. „[Sed & Spiritus per Salomonem docet, eos, qui Deo placeant, matutiùs iſtinc eximi, & citiùs liberari, ne, dum in iſto mundo diutiùs immorantur, mundi contactibus polluantur. Raptus eſt, inquit, ne malitia mutaret intellectum ejus; placita enim erat Deo anima illins.] Quis enim diu ad incudem fabri ferrarij conſiſtat otioſus, nec tamen ab evomitis igniti ferri ſcintillis feriatur? Quis in molâ ſe continear, nec tamen farinæ pulveribus dealbetur? Quis periculis Mundi vivat immerſus, nec tandem per Mundi pericula acceleret ruinam? Sciebat certò Deus, quòd juſtus hic niſi raperetur, malitia defacto mutaret intellectum ejus, & fictio deciperet animam illius; etiamſi communia, & ordinaria gratiæ auxilia, quæ cæteri habent, ipſi non deeſſent. Alioquin enim ſi non fuiſſet mutandus nec decipiendus, Deus hìc contrarium judicans & dicens, In hoc ſuo judicio falſus fuiſſet & erràſſet, quod abſit. Quia verò certò & infallibiliter ſcivit, eum ſub futuris circumſtantijs, & conditionibus non perſtiturum in finali gratiæ ſanctificantis perſeverantiâ, *ideo raptus eſt* ſubitaneâ infirmitate, inopinato caſu, præmaturâ morte. Nec eſt quòd dubitem, ſecluſo Divinæ Prædeſtinationis decreto; innumetos præmaturè olim mortuos nunc beari in cœlis, qui ſi vixiſſent diutiùs, fuiſſent damnandi: ſicut & innumeros cruciari in inferno, qui ſi obijſſent præmaturiùs, ſalvi evaſuri fuiſſent. Quòd ſi verò etiam juvenis morte præventus in impœnitentiâ decidat, & infernalis damnationis pœnas ſubeat; illud ſaltem inde capit emolumenti, quòd propter minorem peccatorum numerum minus etiam ſuſtineat lamentationis & væ, paſſurus plura, ſi per vitæ longioris licentiam plura deliquiſſet.

S. Auguſt. l. de correp. et gratia c. 8.

Itaque inevitabilis eſt iſte ictus Divinæ Prædeſtinationis.

Alius ictus, priori non multùm diſ- 464.
ſimilis, pariter reſultat ex diſpoſitione Divinæ Providentiæ. Cùm enim multi juvenes initio ſtatim crudelitatem præſeferant, vel nimias aſtutias & fraudulentias exerceant, plurimum damnum Reipublicæ Humanæ vel Chriſtianæ eſſent illaturi, ſi diu ſuperviverent: quocirca tales ſpinas, antequam in rhamnum creſcant, ſæpe Divina Providentia exterminat, validùmque imprimit ictum, ſive pet naturalem mortem, ſive per violentam, ſive per ſupplicia aut alios caſus. Cùm Cælius Pontius Juri dicendo præſideret, & ſubitò ipſius capiti *Picus* Martius inſideret, omnes Augures ad ſententiam convocabantur, quid portenti prognoſticaret caſus? Qui unanimiter edicebant, victoriam hoſtibus ceſſuram, ſi picus avolare permitteretur; econtra verò Rempublicam victuram, ſi picus enecaretur, ita tamen, ut ille prælio concideret, qui picum extinxiſſet. Caſus probavit augurium: nam quia Cælius Pontius alitem de capite proprio manu ablatam occidit, ipſe quidem glorioſam obtinuit victoriam, at verò cum quadraginta alijs Cælijs in acie cecidit. Similem eventum de Lucio etiam Tuberone referunt Annales. Si ſubinde Divina Providentia hune vel illum juvenem, quacunque volucre magis pernicem & pernicioſum, diutiùs vivere permitteret, quas ſtrages, ſcandala, mala in humanam inveheret ſocietatem? Ergo ut tam præſtituta tollantur ac præpediantur mala, *repetito ſæpiùs ictu ſternitur Arbos.* Stravit Deus fulmine Anaſtaſium Eutychianum, dum Juſtini Juſtiniani, & aliorum Nobilium Catholicorum mortem machinaretur: ſtravit Julianum Apoſtatam, dum poſt ſuum è Perſia reditum cruentam in Chriſtianos perſecutionem meditaretur: ſtravit Valentem Imperatorē Arrianum vivicomburio, dum

Futuros pernicioſos, aut petentibus inobedientes Deus abbreviat.

Volaterran. l. 14. c. 1.

Baronius.

Con-

Conſtantinopoli exterminium minaretur. Humanâ quadam Providentiâ imitabantur Divinam Areopagitæ, qui puerum quendam gladio decapitaverunt, eò quòd vivæ cornici oculos eruiſſe denuntiaretur; ne puer in virum evaſurus, etiam vicinis ſuis tam crudelis eſſe poſſet. Idem Providentiſſimus DEUS, qui morigeris, modeſtis, & erga genitores ſuos obedientibus ac venerabundis filijs promiſit longævitatem ſuper terram; etiam frequenter immorigeris, petulantibus, ac depravatis filijs ex juſtâ ſuâ vindictâ vitam abripit, ac in optimo flore ſuccidit. Cùm quotidianus eventus frequentiſſimè hunc ictum demonſtret, extraordinarium caſum refert Cantipratanus ſub Philippo Rege in Gallijs contigiſſe. [Erat juvenis ab ineunte ætate pervicaciſſimæ vitæ, ut id, quod de Iſmaële ſcriptum eſt, *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum*, in eo ita videretur impletum, ut nec parentes proprios quieſcere ſuſtineret, ſed ad amariſſimum vitæ finem perduceret. Poſt quos & ipſe mirabiliter infirmatus, & in agone mortis poſitus, ſumptis Eccleſiaſticis Sacramentis, ſubitò inter manus aſſiſtentium clamans horribiliter exilivit, dicens: Surgite omnes, arma accipite, juvate me contra proprium Patrem, quia omnium Inimicorum meorum ductor factus eſt, & me conatur occidere. Et hoc dicens, quaſi contra ingredientem multitudinem ad oſtium conabatur. Nec mora, cadens everſis terribiliter oculis, clamavit expirans: Heu me! pater meus modò validiſſimo lapide frontem meam percutiendo contrivit. Hi autem qui aſſiſtebant, neminem quidem videbant, ſed quaſi turbas ſe comprimentium & ingredientium audiebant. Vide ergo, qui nec Patrem proprium propitium habere potuit, quantis Divinæ vindictæ animadverſionibus dignus fuit. Non tamen abſolutè eum, qui apparuit, illius patrem dixerim, ſed quemcunque fortè ex ſpiritibus, ſive bonis, ſive malis; cùm dictum ſit: *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum contra inſenſatos.*]

Cantiprat. l. 2. Apum c. 14. n. 7.

Geneſ. 16. v. 12.

Sap. 5. v. 18.

465\. Ictum validum etiam parentes ſuis Liberis impingunt, dum talibus ſe ſe iniquitatum enormitatibus maculant, quas DEUS non rarò in poſterorum generationes vindicando animadvertit. De uterinis geminis Romulo & Remo, Romanæ Urbis & Imperij fundatoribus, refert Plutarchus, quòd, dum è lupæ mammis lac pro ſuo nutrimento exſugerent, etiam Picus frequenter advolârit, eſculenta competentia ipſis afferens, & proprio roſtro infantes ineſcans. Quod etiam Nigridius ex communi Romanorum traditione confirmat, utpote quòd Pici familiarem cum lupis quærant in quercubus & vallibus ſocietatem. O quoties parentes evadunt lupæ erga ſuos filios, eóſque hæreditariâ ſuarum iniquitatum originatione velut lacte enutriunt! At verò ex Divinæ Juſtitiæ abyſſo ſupervenit mors immatura, & ſuam indulcorando eſcam nutritis gulam frangit. Hic attonitus obſtupeſco, rememorans illam ſupremi Legiſlatoris in Deuteronomio comminationem: *Ego ſum DEUS æmulator, reddens iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem.* Quid hoc? Ergóne Deus juſtus punit inſontes, & aliena peccata requirit de illis, quia propria non commiſerunt? Certè Dominus apud Ezechielem retractat hanc querulam Judæorum parabolam, *Patres comederunt uvam acerbam* (hoc eſt, peccaverunt) *& dentes filiorum obſtupeſcunt*; atque, ſe effecturum, ut hæc ampliùs inter eos non uſurpetur parabola. Scio, quòd hanc comminationem aliqui accipiant de ſola parentum iniquitate, eò quòd Deus illam in filijs, etiam innocentibus, ſubinde ad exemplum cæterorum, temporali & corporali pœnâ puniat, aut prætnaturâ eorum morte caſtiget. Sed & Tertullianus ſatis accuratè perpendit, DEUM hanc pœnam ſtatuiſſe ob populi duritiem, ut legi Divinæ obedirent amore, ſi non ſui, ſaltem liberorum & filiorum ſuo-

Filij paternis malitijs inhærentes prætnaturè moriuntur.

Plutarch. in Rom. quaſt.

Deut. 5. v. 9.

Ezech. 18. v. 3.

Cornel. à Lap. ſuper Deut.

Tertull. l. 2. contra Marcion c. 15.

rum; ne alioquin per Divinam vindictam filij moriantur propter transgreſſionem parentum, antequã familia novorum abavunculorũ generatione continuaretur. Vtraq; explicatio validum hunc ictum exactè manifeſtat. Quia verò utrumque rarò contingit; hinc cõmuniter Patres adductã comminationẽ intelligunt de filijs, qui peccata parentum imitantur; prout

Exod. 20. v. 5.

ſubſequens textus declarat: *reddens iniquitatem Patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem, his qui oderunt me.* Quod ipſum clarè exprimit Chaldæus ſuper Exodum, dum vertit: *Viſitans peccata Patrum in filios transgreſſores, &c. Quando filij ſequuntur peccata Patrum.* Tam enim ſeverè juſtus eſt Deus, ut peccata parentum in filios, qui eos imitantur, vindicet, ſicque tam filii quàm parentes in filijs puniantur: licèt enim videatur ſilere aliquamdiu, ſi tamen videat filios aut nepotes ijsdem inſiſtere veſtigijs, & menſuram patrum implere, gravior in eos incumbet animadverſio Dei, quàm ſi nulla parentum peccata præceſſiſſent. Non enim ſolet Deus ad vindicanda proſilire peccata ſtatim ac immediatè, ſed expectat ſubinde, donec definitam à ſe peccatorum menſuram multitudine ſuâ & enormitate compleverint. Quomodo apud Matthæum dicitur:

Matth. 23. v. 32. & 35.

Et vos implete menſuram Patrum veſtrorum, ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus. Cùm verò completa hæc fuerit menſura, tunc Deus uno quaſi gurgite ſuam iram effundit, graviúsque punit poſteros; non quàm mereantur, ſed quàm puniviſſet, ſi ſoli ipſi peccâſſent. Nunquid non filius Davidi ex adulterio genitus vel ideò brevì fuit mortuus, quia Pater blaſphemari fecit ab inimicis nomen Domini per ſuum peccatum? Nónne ſeptuaginta nepotes Achab à rege Jehu ſunt decollati, ſicque tota domus Achab extincta; quia nempe tam iniquè avus eorum vineam Naboth extorſit? Annon propter luxurias, & idololatrias Salomonis ſciſſum eſt regnum Iſraël ſub filio ejus Roboam? Verè Deus *æmulator reddit iniquitatem Patrum ſuper filios*, quos ſubinde præmaturâ morte communi auræ ſubtrahit; præſertim ſi paternæ iniquitatis veſtigijs inſtiterint.

Frequens etiam prematuræ mortis ictus, eſt imprecatio & maledictio parentum; quæ Deo ratificante ſæpenumero ſuum ſortitur effectum: nam juxta Eccleſiaſticum, *Benedictio Patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Vidit idipſum, duce naturâ & ratione, Plato, qui exemplis manifeſtis oſtendit, preces parentum adversùs liberos ſemper aut plerumque à Deo exaudiri. 466.

Maledictio parentum abrumpit filijs vitam; *Eccli. 3. v. 11.*

Plato dial. 11. de legib.

[Oedipus, inquit, contemptus à filijs, ea illis imprecatus eſt, quæ exaudita effectáque à Dijs, apud omnes feruntur. Amyntora quoq; Phœnici filio iratũ illi maledixiſſe ferunt, & Hippolyto Theſea, plurimósq; alios alijs: quibus apertiſſimum factum eſt, à Dijs preces parentum adversùs filios exaudiri, *Nihil enim imprecatione parentis perniciosius filio.*] Quàm damnoſa ſit liberis execratio à parentibus in eos intorta, conſtat in Chamo, qui irridens patrem Noë ex vino nudatum, ab eo maledictus, hanc maledictionẽ & ſervitutẽ in poſteros Chananæos, qui ab Hebræis, poſteris Sem, vaſtati ſunt, transfudit. Antiquis inſuper exemplis compertum eſt, quorum unũ inſigne extat apud S. Auguſtinum de matre, quæ decem filijs maledicens, omnes illos tremulos, miſeros & vagos effecit.

S. August. l. 22. Civit. c. 8.

Ex Recentioribus contigiſſe fertur Anno 1608. in oppido Provinciæ juxta Maritimam Antieorum, quòd puella quindennis, matri inter prandendũ procaciùs obſtrepens, poſt mutuos verborum jactus, andiverit denique à matre ſupra modum exacerbatâ: tot dæmones te invadant, quot piſorum grana comediſti. Hanc quippe eſcam ad prandium adhibuerant. Nec mora. Ad matris vocem, puellam immenſa vis immundorum Spirituum occupavit, & per tres annos ibidem ſtabulata eſt; donec anno 1610. exacti ſunt ab eo diri inquili-

Theoph. Raynaud in Aſcet. Cent. hiſt. 92. quilini, in ſpecu à D. Mariæ Magdalenæ commemoratione, per eam oram celeberrimâ. Similiter ad Viennam Allobrogum pagus eſt, nomine *Pinet*; ubi anno 1631. mulier iræ impotens, triennem filiolum diabolo inter dejerandum addixit. Nulla in puero morbi ſigna apparebant, ſed valens & vegetus videbatur, ac reipſa erat. Cùm primùm tamen infelix mater execrationis verba complevit, filiolus, veluti ſi fulmine ictus eſſet, mortuus concidit; & matri immenſum cordolium, aſtantibus verò ſtuporem injecit. Quotus non contingit caſus, quo parentes ſuis liberis ex indignabunda execratione imprecantur diabolum, furcam, carnificem, crurifragium, peſtem, mortem, & hujuſmodi mala; quæ DEUS ex inſcrutabili ſuorum judiciorum abyſſo evenire permittit? Cùm *nihil* ſit *imprecatione parentis pernicioſius filio.* Sed & hodie videmus Filios ac familias illuſtres, quæ videbantur per ſæcula duraturæ, concidere & extingui. Cauſam quæris? Accipe: quòd parentes non honorârint, ut debuerant: ideóque ab eis non benedicti, ſed maledicti ſint filij; quippe DEUS parentibus, quaſi inſtrumento, utitur ad beandos vel perdendos filios: ſicut enim per Solem illuſtrat hunc mundũ, ita per benedictionẽ patrum illuſtrat,

Suetonius in Auguſto. firmátque domos filiorum. Felix fuit Auguſtus Cæſar, ſed in libidinoſis filiabus infelix: ideóq; eis maledicens, imò abdicans, omnes extinxit, utramque ſcilicet Juliam, filiam ac neptem, ac poſt Agrippinam à ſe adoptatam; quas proinde vocabat ſuas tres vomicas, ſive tria carcinomata, vetuítque eas ſuo inferri ſepulchro, exclamans: *O utinam cælebs vixiſſem, orbúsque periſſem.* Notent id parentes, ne ſimiles maledictiones, per infelices caſus ac præmaturas mortes, quas DEUS in eorum pœnam permittit, eradicent fundamenta familiarũ.

467. *Ignis concupiſcentiæ & iracundiæ multos abbreviant.*

Nec deſunt alij ictus, quibus ſæpiùs repetitis Incauta Juventus ſuccidit, ut arbos. Et hi quidem ictus à quatuor videntur elementis provenire. Si medicè aut phyſicè loquar, omnia elementa in hominis perniciem ſubinde videntur conſpirare: ſed verò de elementis moralibus ad vitæ abbreviationem effectivè concurrentibus perennat argumentum. De igne quidem regius Pſaltes canit: *Iuvenes eorum comedit ignis.* Ingens *Pſal. 77. v. 63.* Iſraëlis clades, quam tunc Propheta inducit, reflectens ſe, quomodo tempore Heli à Philiſthæis cæſi ſint Hebræi, concluſi gladio, & omni ex parte coanguſtati; ita ut in primo prælio quaſi quatuor virorum millia, in ſecundo triginta millia perierint: ubi inſuper Juventutis nervus bellicus ab ardore iræ DEI, à furore belli, ab immiſſo etiam materiali igne, fuerat exuſtus, frementibus Philiſthæis, quòd auſi eſſent Iſraëlitæ iteratâ temerariè pugnâ ſecum arma conferre. Sed verò quis ignorat, illum ignem, quo hodie multa Juventutis pubertas conflagrat, eſſe *ignem libidinis*, ſpiritum fornicationis, concupiſcentiæ effrænationem? Sic enim Job, deceptionem ſuper muliere nefas & iniquitatem maximam prælocutus, addit: *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans,* *Iob 31. v. 12.* *& eradicans omnia genimina.* Et Siracides, ex ſpecie mulieris concupiſcen- *Eccli. 9.* tiam quaſi ignem exardeſcere, pronuntiavit. Et David impios dixit auferendos, ſicut aufertur ab igne cera *Pſal. 57.* liquefacta. Ad quem locum S. Au- *S. Auguſt. ſup. Pſal.* guſtinus. [Concupiſcentia mala, inquit, quaſi ardor eſt ignis. Ignis conſumit veſtem: libido adulterij non conſumit animam? De cogitatu adulterij dum loqueretur Scriptura, ait: *Alligabit quis ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta ſua non comburet?* Geſtas in ſinu prunas, perforatur tunica: geſtas in corde adulterium, & integra eſt anima? Sed iſtas pœnas pauci vident, propterea iſtas maximè commendat Spiritus DEI. Audi Apoſtolũ dicentẽ: *tradidit illos DEUS in concupiſcentias cordis illorũ.* Ecce ignis, à cujus facie tanquã cera liqueſcunt. Solvũtur enim à quadã conſtãtiã caſtitatis, propterea & ipſi cũtes in libidines ſuas ſolu-

„ſoluti & fluxi dicuntur. Unde *fluxi?* „unde *ſoluti?* Ab igne concupiſcen„tiarum.] Igitur *juvenes eorum* frequenter *comedit ignis* libidinis, & concupiſcentiæ. Non quidem ſtatim devorat aut exſuccat ſuos alumnos ignis luxuriæ, ſed paulatim comedit: uno ictu depaſcit eis roſeum colorem; altero martium robur; mox ſanitatem; tum morbos inducit, Gallicum, paralyſin, bubonem, & hujusmodi tandem ex communi Medicorum ſententia nil ita immaturam ac præproperam mortem accelerat, ac flagrans Veneris ignis. Fertur à Poëtis, *Picum* ex progenie Saturni, regem Tyrrheniæ, ſub venatione à Dea Circe, à qua ob eximiam pulchritudinem ad turpem alliciebatur amorem, ob contemptum ejus fuiſſe in avem ſui nominis mutatum. Mutentur utinam noſtri juvenes in celeres Picos, ut *duro fera robora roſtro figant, & irati longò dent vulnera ramis*; avolentque perniciter cum Joſepho Ægyptio, antequam à Circe venereâ circumveniantur, depraventur, perdantur. Quàm ardens & depaſcens flamma eſt ira, quæ non tantùm intùs exedit hominem, ſed etiam in præcipitiſſima vitæ conjicit diſcrimina: oritur ſcintilla communiter à morſibus vexationum; poſtea ſuccreſcit ad ſatyras, criſes, & criminationes; denique erumpit in rixas, & provocationes, conſummatur duellis & internecione. O cæca juventus, ut quid exardeſcit ira tua *ſicut ignis in ſpinis*, ut calor tuus naturalis immaturâ extinguatur morte!

Guarinonius l. 5. c. 62.

Ovid. 14. metam.

468. Num & aqua, aut vini liquor ſæpiùs temulenter hauſtus officiunt vitæ? Suffodiunt ripas torrentes, & arborum radices ita potenter exſolvunt, ut tandem ſine fulcro ſuffoſſæ, lentam minitentur ruinam, & gravi caſu collabantur. Cernimus hodie in agrorum ſulcis, qui aquis diu jacent oppleti, nihil frugum creſcere, ſed mergi & ſuffocari ſegetem. Si qui juvenes potui tam ſunt aſſueti, & hepate tam inflammato, ut ſemper appetant potum, certo certiùs hi cogitent, ſe jam efferri ad ſepulchrum; nec ab eo ſe abeſſe longiùs. Rem clarè teſtatur S. Chryſoſtomus: *Non ita terra natura vexata aquarum ſuperabundantiâ continuè diſſolvitur, ut corporis vis molleſcit, diffluit, & exilis redditur vini potu continuo ingurgitata.* Ut taceam, quàm ſubitanea mala inferant ſanitati hauſtus immodici, & à temulentâ juventâ ad æmulam menſuram abſorpti. Alexander Magnus, & ipſe in ætatis flore per temulentiam ſuffocatus, propoſuit aliquando certamen bibulis, ſimul & præmium: ex quibus Promachus, qui præmium tulerat, triduo tantùm ſuperſtes fuit; è cæteris unus & quadraginta nimiâ ingurgitatione exanimati ſunt; adeóque in hoc vini cataclyſmo perierunt quadraginta duo juvenes. Quòd ſi ſubinde uno hauſtu impotenter ſumpto abrumpitur vita, quid fiet *repetito ſæpius ictu?* Sed & inſalubris aura & lethali ſpiritu conſperſa ſubitò extinguit, quos reficit. Intelligo pravæ ac perditæ ſocietatis auram, quæ nulli perniciofior aſpirat, quàm delicatæ juventuti, omnium rerum facies velut ceræ impreſſas in ſe ſuſcipienti. Quàm rectè monuit Sapiens in Proverbijs! *Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum via: fuge ab ea, nec tranſeas per illam; declina, & deſere eam.* Rem lepidam, ſed gravi doctrinâ refertam narrat Majolus de quodam ſturno, qui cicur factus didicerat eloqui verba illa: *Caveſis à mala ſocietate:* Hüt dich vor böſer Geſellſchafft: & hæc quidem in dies multoties iterabat. Contigit eum avolare è caveâ, & ad ſturnorum ſui ſimilium gregem devenire: cum quo dum volitaret lætus, etiam in ſubſtructam aucupis aream decidit. Reti igitur concluſi miſeri ſturni, dum ab aucupe alter poſt alterum necatur, ſturnus ille quondã domeſticus rem advertere, & ſuum intonare cantum incipit: *Caveſis à malâ ſocietate.* Quo audito vitam ei aucepsdonavit; qui monendo cavendam pravam ſocietatem, vix ſalvus evaſit. O juvenis *fuge ab eâ, nec tranſeas*

Temulentia, mala ſocietas, contumacia & otiũ abripiunt vitam.

S. Chryſoſtom. hom. 1. ad pop.

Proverb 4. v. 14. & 15.

Majolus in Paſcuaris, coll. 1.

ſeas per illam, deſere illam, declina ab ea: ut evadas in popinis rixas, in lupanaribus ſcorta, in plateis digladiationes, in luſibus damna, in helluationibus morbos, in varijs lutiditatibus infamiam, in periculis mortem, in occaſionibus peccata, in conventiculis miſerias multas. *Deſere illam, declina ab eâ.* Societatem meliorem & ſecuriorem quærunt *Pici*, dum tempore autumnali coturnicibus ad floridas & calidas regiones migraturis ſe junguñt, eiſque viam demonſtrant: conantúrque iter toties interpolatum tandem omnino perficere, usque dum ad deſideratas terras fæliciter penetraverint. Denique etiam Terra, quæ in æternum ſtat immota & contumax, juventuti inſidiatur; non per terribiles hiatus, non per pallidos tremores, non per ſubitaneas concuſſiones & ruinas, ſed per otium & contumaciam. Hæc quidem tam nociva eſt juveni, ut in Deuteronomio filius contumax, & protervus parentibus, per publicam ſententiam lapidibus obrueretur: *ut auferatis malum de medio veſtri.* Et quidni etiam hodie filios contumaces tollat bello, peſte, caſu, ſubmerſione, & millenis hujusmodi medijs? Illud verò, ſcilicet otium, juxta Senecæ Epiſtolam, eſt *vivi hominis ſepulchrum.* Scimus ſanè ex D. Luca, ficum infructuoſam, quæ triennio nullum tulerat fructum, juſſam ſuccidi, quòd terram fruſtra occuparet: ad ſignificandum utique, ægrè tolerari in mundo & Eccleſiâ Chriſti illos præſertim, qui otio torpent, & humanæ Reipublicæ per ſuam ignaviam ſunt admodùm oneroſi.

Deut. 21. v. 21. — Seneca p. 83.

Senſiſti & audiviſti ictus multiplices, ô circumſpecta juventus, quibus *ſæpiùs repetitis ſternitur arbor*, ſucciditur tela, abbreviatur vita, prævmatura mors inducitur. Sive ergo evitabiles, ſive inevitabiles tibi hi ictus obveniant, dum *defunctum* comitaris *filium unicum matris ſuæ*, dum plurimùm robuſtæ tuæ defers valetudini, dum ſilicernios meditaris olim aſſûmere ætatis capillos, juxta Sapientiſſimi Regis animadverſionem *Noli ſtultus eſſe, & ne impiè agas, ne moriaris in tempore non tuo.* Amen. Eccleſ. 7. v. 18.

POST PENTECOSTEN.

BASILISCUS FUNEREVS.

Der vergifftende Baſiliſck.

LEMMA.

Vulnerat aſpectu, luminibúsque necat. Mant.

THEMA.

Et ipſi obſervabant eum. Lucæ 14. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS L.

Quàm funeſtum ac peſtiferum malum ſit Invidia, quæ more Negationis omnia bona poſt ſe deſtruat, virtuti ac fortunæ inſidietur, ac juſtiſſimâ reflexione ſuum Authorem perimat, ſelectis argumentis atque exemplis docetur usque ad averſionem, & execrationem tantæ peſtis.

469. Invidia peſtis, ut Baſiliſcus.

HEu! *fuge crudeles oculos!* Fuge non jam Venereos, ſed Funereos aſpectus! fuge lethalem halitum, fatalem attactum! fuge præſentiam intolerabilem, peſtem inevitabilem! Procul hinc ex arcâ noſtrâ, procul eſte beati, quando talis præda, tam horrenda beſtia involavit: quæ non tantùm unguibus, roſtris aut alis, ſed vel maximè *VVLNERAT ASPECTV, LVMINIBVSQVE NECAT.* Tolerabile malum eſſet, ſi terrificæ Veſpertiliones, ſi horridæ Bubones, ſi diſſonæ Nycticoraces, *durum mortalibus omen*; noſtra tecta irritaſſent: ſed verò *heu! fuge crudeles oculos.* Mali ovi, malus pullus; *Funeſtus Baſiliſcus* adeſt: quem licèt propter caudam juvet inter ſerpentes numerare, propter alas tamen & caput criſtatum, & corpus plumatum plurimi inter volucres, licèt monſtroſas, proponunt; dicúntque cum Plinio, Alberto Magno, Aldrovando & alijs, gallum gallinaceum, ubi ad confectam ætatem (ad ſummũ 14. annorum) devenerit, & decrepitus eſſe incœperit, pro virium vel robore vel imbecillitate ovum ponere, atque edere ſub Caniculæ exortum; quando ab ambientis ſolis calore expultrix ac incubans virtus juvatur ad excludendum fœtum tam monſtroſum, & peſtiferum: qui non ampliùs digitorum duodecim magnitudine, candidâ in capite maculâ velut quodam diademate ſit inſignis; qui ſibilo omnes fuget ſerpentes; nec flexu multiplici corpus impellat, ſed celſus & erectus in medio incedens, necet frutices; non tantùm contactos, ſed & afflatos; exurat herbas, rumpat ſaxa, ſolóque *vulneret aſpectu, luminibúsque necet.* Quidquid ſit de veritate hiſtoriæ, Ornithologis diſcutiendæ: mihi Baſiliſcus ſignificat Invidum, è Gallo *lumbos ſuccincto*, ſuperbéque gradiente, & criſtas erigente oriundum. Superbia enim, quæ neminem ſibi vult eſſe parem,

Ioan. Euſeb. Nierembergius hiſt. natural. l. 6. c. 20.

Proverb. 30. v. 30.

parem, invidiam in promptu nutrit, quæ eſt inſeparabilis felicitatis comes; adeò, ut etiam faber fabro, figulus figulo, Medicus Medico ſuccenſeat, & æmulus ſit vicinus vicino properanti ad opes: nam ut Sanctus Auguſtinus ait, *Fieri non poteſt, ut ſuperbus non invideat.* Invidia autem, more Baſiliſci, viſu omnia necat: quidquid enim aſpicit, id veneno inficit, & *PROSTERNIT INTVITV.* Peſtifera beſtia, quæ laudanda carpit, & bona quæ ſunt, in malitiæ vertit occaſionem. Intravit hodie Chriſtus domum Phariſæi, & invitatus cum cæteris amicis diſcubuit ad menſam: in quam cùm varia ferculorum genera & cupediæ apponerentur, etiam allatus eſt gallus decrepitus, vetuſtus, affatus; in cujus viſceribus adhuc hærebat ovum, nunc ignis calore maturatum, in quo latitabat Baſiliſcus invidiæ, quando *& ipſi obſervabant eum.* Nempe, ut Didacus Stella legit, *Obſervabant, quomodo manducaret; quoties biberet? utrùm comedat carnes, nec ne? Et ſi manducet, helluonem; ſi non manducet, hypocritam eum vocare poſſent.* Hæc obſervatio procedit ex malitia & invidia inſidiantis, quam vobis hodie ita pernicioſam, ita degenerem & monſtroſam, ita letbalem exhibebo, ut nemo non concepto fatali in eam odio fugiat crudeles oculos, execretur peſtem, & ſeſe à morbo animæ, à lethali irâ, à radice criminum, à matre mortis, & voluntariâ phthiſi ſubtrahat, in nomine Domini.

S. Auguſtin. in Pſal. 58.

Did. Stella in cit. c. Lucæ.

470. Contigit S. Leonis Pontificis tempore, ut Romæ juxta ædem Sanctæ Luciæ *Baſiliſcus*, in ſpecu abſconditus, venenato ſuo ſpiritu omnibus ad cavernam accedentibus repentinum afferret interitum. Itaque trepidantibus ad tantum periculum univerſis, Pontifex ſolenni jejunio ac precatione indictis, in die Aſſumptionis Deiparæ exijt è Patriarchio; & ſanctâ præcedente Imagine, cum hymnis ac canticis, ad Baſilicam Sancti Adriani Martyris pedibus cum Clero proceſſit; inde ad Baſilicam Sanctæ Virginis ad Præſepe perrexit; & cùm ad ſpecum, ubi cubare ſerpens dicebatur, appropinquaſſet, caterva fidelium ſubſiſtere juſſa, interrito animo ad os ſpecûs, unde peſtifer erumpebat afflatus, acceſſit; atque oculis palmiſque in cœlum intentis, DEUM omnipotentem oravit, ut tetrâ illâ peſte liberaret populum. Quo facto, repentè illud fœdum virus Baſiliſci evanuit. Rariſſimè permittit DEUS, hoc malum Baſiliſci realis in genus mortalium mortifero ſuo conſpectu ſævire: Invidiæ verò peſtis, quæ amando excellentiam ſuam vel paribus invidet, quòd ei coæquentur, vel inferioribus ne ſibi coæquentur, vel ſuperioribus, quòd eis non coæquetur, paſſim ſua diffundit venena, ubique ſævit, ubique ſtragem edit. *Heu! fuge crudeles oculos.* In omnem terram exivit aſpectus ejus, & in omnes hominum conditiones debacchata eſt iniquitas ipſius. *Vulnerat aſpectu, luminibúſque necat* in Heroum caſtris, in dicaſterijs Senatorum, in Conſultorum Collegijs, in Prælatorum Synodis, in Doctorum Academijs, in Studentium exercitijs, in Capitulis Canonicorum, in clauſtris Religioſorum, in tabernis opificum, in nundinis mercatorum, & in crepundijs puerorum: præſertim verò in Aulis Principum non eſt angulus tam recluſus, camera tam ſignata, munus tam aſſecuratum, ratio tam exacta, in quam haud immittat invidia ſuos oculos: ut quæ à *videndo intus*, & quaſi à ſpeculando ſic dicta eſt; & *NECAT ANTE VVLNVS*. Inde truces frontes, amari obtutus, pallidæ genæ, tremula labia, fremitus dentium, mordacia verba, ſubtiles punctur æ, ſimulatæ amicitiæ, doloſæ violentiæ, ſubitaneæ turbationes, enormes calumniæ, cædes deniq; & ejectiones è ſedibus atq; officijs, exterminia & mala irreconciliabilia dimanant,

Invidia ubique fatalis & mortifera.

Sigonius l. 3. de regno Italiæ.

471. Invidiæ monſtroſus apparatus.

Videre vultis hujus monſtri imaginem, ut exinde concipiatis horrorem; Ovidius in ſua Metamorphoſi eam fideliter proprijs exprimit coloribus.

Ovid. 1. Metamorph.

- - - Monſtri nunc audi, quæ ſit Imago.
Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto.
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes.
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno:
Riſus abeſt, niſi quem viſi movere dolores;
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum, carpitque, & carpitur unà.
Suppliciúmque ſuum eſt.

Nyſſenus l. de vita Moyſis.

Neſcio, quid horribilius potuiſſet Nyſſenus congerere in hujus monſtri „execrationem. [Invidia, inquit, ma„lorum princeps, mortis mater, pri„ma peccati janua, vitiorum radix, „doloris initium, calamitatis pa„rens, inobedientiæ cauſa, ignomi„niæ principium. Invidia enim nos „longè exterminavit à paradiſo, ver„ſa in ſerpentem adversùs Evam. In„vidia repulit à ligno vitæ, ſacriſque „impaſſibilitatis veſtibus detractis, „ficulneis ignominiosè folijs induit. „Invidia Cain adversùs fratrem ar„mavit: mortem, quæ ſeptuplum pu„nita eſt, induxit. Invidia Joſeph „in ſervitutem detruſit. Invidia, „dico, mortifer ſtimulus, mucro „reconditus, naturæ morbus, bilis „venenoſa, tabes ſponte adhibita, „telum amarum, figens animam „clavus, flamma cordis, inteſti„norum ignis. Hanc qui habet, „non ſuis malis, ſed alienis bonis „infelix eſt; & contrà non ſuo bo„no, ſed malis proximi felix eſt. „Invidus enim felicitate aliorum „dolet, calamitatibus gaudet. Mil„vos cadaveribus paſci, & pretio„ſis unguentis emori aiunt: videtur „enim naturâ ſuâ ad putridum ac „purulentum eſſe affinis. Quando „verò huic morbo ſubjectus eſt ali„quis, amicorum commodis quaſi „unguento tabeſcit; & ſi quid ca„lamitoſum incidiſſe proximo in„tellexerit, illicò advolat, poſito in„vadit adunco: quo ſi quâ latent, di„ſtrahit atque diſſipat, & in medium „proponit omnibus.] Nulla funeſtior, quàm Invidiæ peſtis: dimidiam exhauſit natorum partem, quos orbis habuit, dum Abelem occidit. Nempe rudem adhuc & virginem mortem erudivit, & quam primus hominum promeruit, primogenitus fecit: nam Adam ſuperbiens ſuâ inobedientiâ induxit mortem; Cain invidens ſuâ voluntate intulit. Primus filius, primus malus frater, primus homicida, & quod ſceleſtius, parricida, fratrem per Invidiam occidens: ut quia ſuperbia cauſa & mater fuerat mortis, obſtetricaretur Invidia. Et quid miſerius invido, quem non tantùm mala propria, ſed etiam bona aliena cogunt miſerum eſſe? Quid ſceleſtius eo, qui minùs doleat ſuis malis, quàm optet aliena? Quid injuſtius, quàm bonis proprijs non gaudere, & aliena mala appetere? Quid funeſtius, quàm odiſſe omnes, ſe dolore afficere? *Heu, fuge crudeles oculos!*

Tam abjectum malum eſt Invidia, ut Invidus eo ipſo, quòd alteri invideat, ſuomet judicio ſe deijciat de gradu & ſtatu infra eum, cui invidet. Invidere enim non poſſumus, prout etiam Sanctus Gregorius diſcurrit, niſi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Hinc parvulus eſt, qui livore occiditur, quia ipſe ſibi teſtimonium perhibet, quòd illo ſit minor, cuius invidiâ torquetur. Vnde eſt, quòd hoſtis callidus primo homini invidendo ſurripuit; quia amiſsâ beatitudine, minorem ſe immortalitate illius agnovit. Cur memoratus Cain ad perpetrandum fratricidium corruit; niſi quia deſpecto ſuo ſacrificio prælatum ſibi infremuit, cuius Deus hoſtiam accepit; & quem meliorem ſe eſſe exhorruit, ne utcunque eſſet, ampu- 472.

Invidis abjectum malum.

S. Gregorius l. 5. moral. c. 11.

puta-

putavit? Cur Eſau ad perſecutionem fratris exarſit, niſi quia primogenitorum benedictione perditâ, quam tamen pro eſu lenticulæ ipſe vendiderat, minorem ſe eo, quem naſcendo præivit, ingemuit? Cur filij Jacob Joſephum fratrem ſuum tranſeuntibus Iſmaëlitis vendiderunt; niſi quia cognito revelationis myſterio, ne ſe fieret major, ejus profectibus obviare conati ſunt? Cur Saul Davidem ſubditum, lanceam intorquendo, perſequitur; niſi quia ultra ſe excreſcere expavit, quem magnis quotidie virtutum ſucceſſibus augeri ſenſit? Parvulus proinde eſſe debet, quem Invidia occidit; niſi enim ipſe exiſteret inferior, de bono alterius non doleret: ac proinde, qui invidiâ agitur, diſparem ſe ac inferiorem comparatione ejus, cui invidet, profitetur.

Quintilianus l. 11. Inſtit. c. 1.

Confirmat id optimè Quintillianus, qui notat, Invidiam ex inæqualitate invectam, ſicut amicitia ex æqualitate. [Habet enim mens noſtra ſublime quiddam & erectum, & impatiens ſuperioris: ideóque abjectos aut ſubmittentes ſe, libenter allevamus; quia hoc facere tanquam majores videmur. Et quoties diſceſſit æmulatio, ſuccedit humanitas. At qui ſe ſupra modum extollit, premere ac deſpicere creditur, nec tam ſe majorem, quàm minores cæteros facere. Inde invident humiliores. Nam hoc vitium eſt eorum, qui nec cedere volunt, nec poſſunt contendere.] Naſcuntur autem ex eo hæ animi turbationes, quòd quilibet homo ex impulſu naturæ ſit appetens honoris, & paribus de dignitate nihil velit cedere.

L. item ff. de pactis. cum qui. ff quod metus cauſa.

Valde autem eminentibus & omnino inferioribus nemo invidet, nec quiſpiam cum talibus certat, ut illos deprimat aut ſuperet: in quo verò aliquid ſubſidet nervoſi animi, hic aviditate inflammatus ſtrenuè progreditur, ut vel æquet, vel ſuperet, cum quibus certamen inſtituit. Proinde inter invidiam & æmulationem id diſcriminis obſervandum, quòd *Invidia* ſit affectus ſemper vitioſus; *Æmulatio* verò bona & mala eſſe poſſit; bona, ſi ad virtutem ſpectat; ſicque amoris boni cognata, docet *æmulari charismata meliora*: mala verò nec invidiâ melior, cùm erga res externas confertur. Hinc etiam Divus Hieronymus docet Lætam, quo modo filiam ſuam probâ æmulatione poſſit inſtituere: *Syllabas*, inquit, *jungat ad præmium, & quibus illa ætas deliniri poteſt, munuſculis invitetur: habeat & in diſcendo ſocias, quibus invideat, quarum laudibus mordeatur.* Vbi utique S. Pater non vult invidiam malitioſam, venenatum partum, tenero pectore foveri; ſed potiùs æmulationem ſanctam inſeri, qua ad virtutem ſtimuletur.

S. Hieronym. Ep. ad Lætam de filia inſtit.

Tam corruptum judicium ſuggerit Invidiæ virus, ut Invidus riſum capiat ex fletu proximi, fletúmque ex riſu, juxta illud Ovidij: *Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores.* Hinc ſi alius ridet, ipſe ſe rodit; ſi alius ſe rodit, ipſe ridet. De quodam Miſone narratur, quòd bonum omnibus mortalibus inviderit, omnéſque oderit, unde & longè ab omnibus illis in ſollitudinem ſe abdiderit: ubi cùm ridens fuiſſet deprehenſus, & interrogatus, cur ſolus exiſtens rideret? Reſpondit: ob hoc ipſum, quòd ſolus ſim. Eximij Alani eſt paraphraſis. [Invidis aliena proſperitas adverſa, aliena adverſitas proſpera judicatur: hi in alienâ gratulatione triſtantur, in alienâ triſtitiâ gratulantur: iſti ſuas in aliena paupertate divitias, ſuam paupertatem in alienis divitiis metiuntur: alienæ etiam famæ ſerenitatem detractionis nubilo obnubilare conantur, aut ejusdem gloriam ſolâ taciturnitate furari.] Idipſum ſimili ex fonte exaggerat S. Ambroſius, quòd *improbus ſuo delectatur bono, invidus torquetur alieno. Ille diligit mala, hic bona odit: ut prope tolerabilior ſit, qui ſibi vult benè, quàm qui malè omnibus.* Conſiderate hîc obſecro, qualiter invidos punitura ſint mala ſua,

473\. *Invidiæ corruptum judicium. Ovid. 2. metamor.*

Alanus de planctu nat.

S. Ambroſius l. 1. offic. c. 30.

471. Invidiæ monſtroſus apparatus. Ovid. 1. Metamorph.

Videre vultis hujus monſtri imaginem, ut exinde concipiatis horrorem; Ovidius in ſua Metamorphoſi eam fideliter proprijs exprimit coloribus.

- - - Monſtri nunc audi, quæ ſit Imago.
Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes.
Pectora felle virent; lingua eſt ſuffuſa veneno:
Riſus abeſt, niſi quem viſi movere dolores;
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum, carpítque, & carpitur unà.
Suppliciúmque ſuum eſt.

Nyſſenus l. de vita Moyſis.

Neſcio, quid horribilius potuiſſet Nyſſenus congerere in hujus monſtri „execrationem. [Invidia, inquit, malorum princeps, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix, „doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ cauſa, ignominiæ principium. Invidia enim nos „longè exterminavit à paradiſo, verſa in ſerpentem adversùs Evam. Invidia repulit à ligno vitæ, ſacriſque „impaſſibilitatis veſtibus detractis, „ficulneis ignominioſè folijs induit. „Invidia Cain adversùs fratrem armavit: mortem, quæ ſeptuplum punita eſt, induxit. Invidia Joſeph „in ſervitutem detruſit. Invidia, „dico, mortifer ſtimulus, mucro „reconditus, naturæ morbus, bilis „venenoſa, tabes ſponte adhibita, „telum amarum, figens animam, „clavus, flamma cordis, inteſtinorum ignis. Hanc qui habet, „non ſuis malis, ſed alienis bonis „infelix eſt; & contrà non ſuo bono, ſed malis proximi felix eſt. „Invidus enim felicitate aliorum „dolet, calamitatibus gaudet. Milvos cadaveribus paſci, & pretioſis unguentis emori aiunt: videtur „enim naturà ſuà ad putridum ac „purulentum eſſe affinis. Quando „verò huic morbo ſubjectus eſt aliquis, amicorum commodis quaſi „unguento tabeſcit; & ſi quid calamitoſum incidiſſe proximo intellexerit, illicò advolat, poſito invadit adunco: quo ſi quà latent, diſtrahit atque diſſipat, & in medium „proponit omnibus.] Nulla funeſtior, quàm Invidiæ peſtis: dimidiam exhauſit natorum partem, quos orbis habuit, dum Abelem occidit. Nempe rudem adhuc & virginem mortem erudivit, & quam primus hominum promeruit, primogenitus fecit: nam Adam ſuperbiens ſuâ inobedientiâ induxit mortem; Cain invidens ſuâ voluntate intulit. Primus filius, primus malus frater, primus homicida, & quod ſceleſtius, parricida, fratrem per Invidiam occidens: ut quia ſuperbia cauſa & mater fuerat mortis, obſtetricaretur Invidia. Et quid miſerius invido, quem non tantùm mala propria, ſed etiam bona aliena cogunt miſerum eſſe? Quid ſceleſtius eo, qui minùs doleat ſuis malis, quàm optet aliena? Quid injuſtius, quàm bonis proprijs non gaudere, & aliena mala appetere? Quid funeſtius, quàm odiſſe omnes, ſe dolore afficere? *Heu, fuge crudeles oculos!*

Tam abjectum malum eſt Invidia, ut Invidus eo ipſo, quòd alteri invideat, ſuomet judicio ſe deijciat de gradu & ſtatu infra eum, cui invidet. Invidere enim non poſſumus, prout etiam Sanctus Gregorius diſcurrit, niſi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Hinc parvulus eſt, qui livore occiditur, quia ipſe ſibi teſtimonium perhibet, quòd illo ſit minor, cuius invidiâ torquetur. Vnde eſt, quòd hoſtis callidus primo homini invidendo ſurripuit; quia amiſsâ beatitudine, minorem ſe immortalitate illius agnovit. Cur memoratus Cain ad perpetrandum fratricidium corruit; niſi quia deſpecto ſuo ſacrificio prælatum ſibi infremuit, cuius DEUS hoſtiam accepit; & quem meliorem ſe eſſe exhorruit, ne utcunque eſſet, amputa- 472. Invidia abjectum malum. S. Gregorius l. 5. moral. c. 11.

putavit? Cur Eſau ad perſecutionem fratris exarſit; niſi quia primogenitorum benedictione perditâ, quam tamen pro eſu lenticulæ ipſe vendiderat, minorem ſe eo, quem naſcendo prævivit, ingemuit? Cur filij Jacob Joſephum fratrem ſuum tranſeuntibus Iſmaëlitis vendiderunt; niſi quia cognito revelationis myſterio, ne ſe fieret major, ejus profectibus obviare conati ſunt? Cur Saul Davidem ſubditum, lanceam intorquendo, perſequitur; niſi quia ultra ſe excreſcere expavit, quem magnis quotidie virtutum ſucceſſibus augeri ſenſit? Parvulus proinde eſſe debet, quem Invidia occidit; niſi enim ipſe exiſteret inferior, de bono alterius non doleret: ac proinde, qui invidiâ agitur, diſparem ſe ac inferiorem comparatione ejus, cui invidet, profitetur.

Quintilianus l. 11. Inſtit. c. 8. Confirmat id optimè Quintillianus, qui notat, Invidiam ex inæqualitate invectam, ſicut amicitia ex æqualitate. [Habet enim mens noſtra ſublime quiddam & erectum, & impatiens ſuperioris: ideóque abjectos aut ſubmittentes ſe, libenter allevamus; quia hoc facere tanquam majores videmur. Et quoties diſceſſit æmulatio, ſuccedit humanitas. At qui ſe ſupra modum extollit, premere ac deſpicere creditur, nec tam ſe majorem, quàm minores cæteros facere. Inde invident humiliores. Nam hoc vitium eſt eorum, qui nec cedere volunt, nec poſſunt contendere.] Naſcuntur autem ex eo hæ animi turbationes, quòd quilibet homo ex impulſu naturæ ſit appetens honoris, & paribus de dignitate nihil velit cedere.

l. item ſi. pæ rag. cum qui. ſf quod metus cauſa. Valde autem eminentibus & omnino inferioribus nemo invidet, nec quiſpiam cum talibus certat, ut illos deprimat aut ſuperet: in quo verò aliquid ſubſidet nervoſi animi, hic aviditate inflammatus ſtrenuè progreditur, ut vel æquet, vel ſuperet, cum quibus certamen inſtituit. Proinde inter invidiam & æmulationem id diſcriminis obſervandum, quòd *Invidia* ſit affectus ſemper vitioſus; *Æmulatio* verò bona & mala eſſe poſſit: bona, ſi ad virtutem ſpectat; ſicque amoris boni cognata, docet *æmulari chariſmata meliora*: mala verò nec invidiâ melior, cùm erga res externas confertur. Hinc etiam Divus Hieronymus docet Lætam, quo modo filiam ſuam probâ æmulatione poſſit inſtituere: *Syllabas*, inquit, *jungat ad præmium, & quibus illa ætas deliniri poteſt, munuſculis invitetur: habeat & in diſcendo ſocias, quibus invideat, quarum laudibus mordeatur.* Vbi utique S. Pater non vult invidiam malitioſam, venenatum partum, tenero pectore foveri; ſed potiùs æmulationem ſanctam inſeri, qua ad virtutem ſtimuletur. *S. Hieronym. Ep. ad Lætam de filia inſtitut.*

473. *Invidiæ corruptum judicium.* Tam corruptum judicium ſuggerit Invidiæ virus, ut Invidus riſum capiat ex fletu proximi, fletúmque ex riſu, juxta illud Ovidij: *Riſus abeſt, niſi quem viſi fecêre dolores.* *Ovid. 2. metamorph.* Hinc ſi alius ridet, ipſe ſe rodit; ſi alius ſe rodit, ipſe ridet. De quodam Miſone narratur, quòd bonum omnibus mortalibus inviderit, omnéſque oderit, unde & longè ab omnibus illis in ſollitudinem ſe abdiderit: ubi cùm ridens fuiſſet deprehenſus, & interrogatus, cur ſolus exiſtens rideret? Reſpondit: ob hoc ipſum, quòd ſolus ſim. Eximij Alani eſt paraphraſis. *Alanus de complant. nat.* [Invidis aliena proſperitas adverſa, aliena adverſitas proſpera judicatur: hi in alienâ gratulatione triſtantur, in alienâ triſtitiâ gratulantur: iſti ſuas in aliena paupertate divitias, ſuam paupertatem in alienis divitiis metiuntur: alienæ etiam famæ ſerenitatem detractionis nubilo obnubilare conantur, aut ejuſdem gloriam ſolâ taciturnitate furari.] Idipſum ſimili ex fonte exaggerat S. Ambroſius, quòd *improbus ſuo delectatur bono, invidus torquetur alieno. Ille diligit mala, hic bona odit: ut prope tolerabilior ſit, qui ſibi vult benè, quàm qui malè omnibus.* *S. Ambroſius l. 3. offic. c. 30.* Conſiderate hîc obſecro, qualiter invidos punitura ſint mala ſua,

quos etiam bona puniunt aliena? Vbi poterunt fieri boni, qui ſunt in bono mali? aut quando malis benè uſuri ſunt, qui malè bonis uti non deſinunt? Quis enim ei poterit ſubvenire, qui ſe ſibi exhibet invidendo carnificem, & in horto ſuo *Timonis arborem* rigat? Hic Timo, qui oderat omnes, cùm vellet arborem, quam domi habebat, ſuccideret, in publicum prodiens clamavit: arborem meam, unde multi ſe ſuſpenderunt, cædere paro; ſi quis ſe de illa cupit ſuſpendere, id protinus agat, antequam exſcindam. Quid quòd, ut Socrates de dictis & factis Xenophontis tradit, invidia eorum plerumque bono tabeſcit, quorum calamitate homo triſtatur? quod maximæ ſtoliditati ac judicii corruptelæ tribuit Socrates, non excludens ſummam nequitiam, quam ea ab alieno bono averſio apertè prodit. An non *invidus*, quem velut Veſpertilionem promicans *EXCÆCAT CANDOR*, alienam felicitatem, ſuam ducit infelicitatem? An non invidus ſanctè viventium merita invidendo ſua facit peccata? Audiatur Salvianus, conſveto more perpulchrè ſui temporis carpens vitia. [Quis, inquit, tam propinquus corde quàm ſanguine, in quo non Lucivus malevolentiæ zelus ardet, cuius non ſenſum livor invaſit, cui non proſperitas aliena ſupplicium eſt? Quis non bonum alterius, malum ſuum credit? Cui ita ſufficit felicitas ſui, ut etiam alium velit eſſe felicem? Novum & inæſtimabile nunc in plurimis malum eſt: *Parum alicui eſt, ſi ipſe ſit felix, niſi alter fuerit infelix.*] *Heu! fuge crudeles oculos.*

Salvianus l. de provid.

474. Licèt oculatiſſima ſit Invidia, eſt tamen ad ſpecies diſtinguendas ita depravata, ut curvum judicet rectum, rectúmque curvum, minutias & feſtucas alienorum defectuum quaſi microſcopio amplificet in trabes, ampliſſimos verò proprios nævos in convexas & temotiſſimas minutias redigat. *Sicut vultures*, inquit Sanctus Baſilius, *per multa quidem prata, multa etiam amœna & odorata loca circumvolantes, ad tabida & feculenta loca feruntur: Muſcæ quoque ſalubre ſi quod offendunt, prætereunt, ad ulcera verò properant: ſic hi vitæ ſplendorem ac rerum benè geſtarum magnitudinem non reſpiciunt, inania verò & fragilia, & ſi quid erratum, ut quandoque in rebus accidit humanis, tantùm obſervant & divulgant, & per hæc tantùm homines cognoſci volunt.* Collyrium ad acutè videndum quærebat aliquis: alter dixit, optimum eſſe ad hoc perſpicillum invidiæ vel invidi. Nam invidum dici ab *intus videndo*, & *nimis videndo* aiunt, eò quòd etiam tenuiſſima quæque mala videat in proximo, nempe *feſtucam in oculo fratris*, & maculas in Sole, Lunâ, cæteriſque ſideribus: quod moderni Aſtrologi præſtare dicuntur. Lepidè Actius Syncerus apud Jovinianum Pontanum in concertatione Medicorum coram Federico Rege Neapolitano, ecquid magis oculorum vim in perſpiciendo juvaret, alijs alia proferentibus, jocatus eſt, eſſe invidiam, quòd majora omnia, ac pleniora videri faciat, juxta illud:

Invidiæ aſpectus depravatiſſimus.

S. Baſilius hom. 11.

Iovin. Pontan. lib. 6. de ſerm. c. 23.

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in arvis,
Vicinúmque pecus grandius uber habet.

Nimirum præ animi puſillitate, qua invido aliena omnia ſupra modum grandeſcunt. Sed hic ipſe opthalmicus aſpectus, fatalis admodùm accidit & pernicioſus. *Heu! fuge crudeles oculos*, ſi vis fugere crudeles cogitationes illius, qui eos, quos aſpicit, more Meduſæ non tantùm in lapides vertit, ſed etiam ipſe ſit lapis, ut nullius miſeriâ molliatur, proſperitate autem alterius etiam usque ad æmulationem indureſcat. *Heu! fuge crudeles oculos*, ſi vis declinare dilaniationes Lamiæ, quæ Regina ſpecioſiſſima cùm eſſet, ob animi feritatem, faciem aſſumpſit belluinam; & invidiâ ardēs ac furens adversùs omnes matres,

carum

earum liberos infantes ex ulnis avulſos necari juſſit, cùm proprios omnes videret mori. *Heu! fuge crudeles oculos*, ne immanitatem Caij Caligulæ in te convertas, qui ideò Ptolomæum Regis Jubæ fratrem trucidavit, quòd propter purpureæ veſtis fulgorem omnis populi oculos in ſe converterit, dum publicum ingreſſus eſſet theatrum, in quo ipſe Caligula ſpectaculum erat editurus. Hiſce oculis crudelibus ex apice fortunæ dejectum vidit Conſtantinopolis Cyrum, ſupremum regni ſub Theodoſio præfectum; & *INTVITV PROSTRAVIT*, eò quòd populus in theatro reſtaurationem civitatis illi adjudicârit, clamando: *Conſtantinus condidit, Cyrus reſtauravit.* Vidit Belliſarium, ſub Juſtiniano Imperatore ſupremum belli Ducem, univerſus Orbis ad extremas miſerias dejectum: is poſt expulſos Italiâ Gothos, poſt Perſianos, Wandalos, Alanos ſuperatos, poſt regem Gelimerum Conſtantinopolim triumphaliter inductû, poſt Africam Imperio ſubactam, poſt excuſum ab Imperatore numiſma, cujus una facies Juſtinianum objiciebat, altera Belliſarium, cum addito emblemate, *Belliſarius decus Romanorum*, denique ſublimi gradu depoſitus, exilio perpetuo mulctatus, oculis etiam orbatus ob inſimulatam invadendi Imperij machinationem, ſtipem emendicavit, clamans ad ædium oſtia: *Date obolum Belliſario, quem virtus extulit, invidia obcæcavit.* Vidit ab invidiâ extinctum Periclem Simias, Themiſtoclem Acmæon, Pompeium Clodius, Epaminondam Meneclides, Iphicratem Thracia, Conon Cyprus, Timotheum Lesbos, Chabriam Ægyptus, Charem Sigæus; ut probatiſſima ſit Plutarchi regula in præceptis politicis: *Ars prima regni & aulæ eſt, poſſe te invidiam pati.* Veriſſimè S. Baſilius, malignitatem oculorum invidorum deſcribens, ait: *Invidos exiſtimant nonnulli non ſolùm rebus alijs, ſed oculis etiam officere, incommodùmque afferre; unde & corpora vegeta pubeſcentium, aliorùmve ætate formâque florentium proſperam habitudinem inficiunt, atque debilitant.*

Diodorus l. 20.

Cedrenus, Procopius grocus.

Plutarchus in precept. polit.

S. Baſilius hom. de invidia.

475\. Tam multiplex & fœcunda eſt *Invidia* pernicies, ut nec brevibus terminis, nec anguſto poſſit fine concludi; ſed adjunctum ſcelus omne poſt ſe trahat, & totius malitiæ appendicem. Radix enim eſt, ſi S. Cyprianum juvet excipere, malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum. Inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat, dum quis ſuo non poteſt eſſe contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alterum in honoribus auctiorem. Zelo excæcante ſenſus noſtros, atque in ditionem ſuam mentis arcana redigente, Dei timor ſpernitur, magiſterium Chriſti negligitur, judicij dies non providetur. Inflat ſuperbia, exacerbat ſævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit diſcordia, ira fervèſcit, nec ſe jam poteſt cohibere vel regere, qui factus eſt poteſtatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur; hinc Charitas fraterna violatur; hinc adulteratur veritas; hinc ſcinditur unitas; hinc proſilitur ad hæreſes, & ſchiſmata: dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Epiſcopis invidetur, dum quis ſibi alterum præordinatum aut præpoſitum dedignatur. Hinc recalcitrat ac rebellat de zelo ſuperbus, de æmulatione perverſus, de honore hominis inimicus. Sed verò ex his omnibus vitijs, *invidiam*, quâ ſicut navem vacuam *VIS INOPINA RAPIT*, concomitantibus, tantò periculoſior eſt ſimulatio atque atrocior, quantò occultiùs inſidiatur atque depaſcit. Etenim ex canibus eos magis cavemus, quorum neque latratus iram præſignificat, neque ex adverſo incurſus eſt, quique manſveto habitu nos neque prævidentes, neque circumſpicientes obſervant. Prorumpit tandem *Invidia* ac ſimulationis vitium ex profundâ cordis latebrâ, ac citiùs mordet, quàm allatret; nec prænuntiâ commotione morſum declinandum demonſtrat hic canis: *Vulnerat aſpectu, luminibúſque necat.* Ignis eſt hæc ſimulatio, ſub paleis occultatus,

Invidia omnium malorum Pandora.

S. Cyprianus l. de zelo & livore n. 11.

tùs, qui initio quidem proxima quæque cremando corrumpit, flamma verò palàm non editur; ſed fumus quidam gravis,& acris odoris, intrinſecus violenter coarctatus evolvitur: quòd ſi aliquem flatum permeantem nactus fuerit, tunc in claram pariter & apertam flammam excitatur. Diu ſimulatio occultâ vi ſævit, depaſcitque interni pudoris paleas, uſque dum calamitate inſtante in manifeſtum prorumpat dolorem, inimicitiam, atque furorem. Sic tandem hæc mala beſtia, ſibi & omnibus nociva *VEL PERIT, VEL PERIMIT.* Plurima alia mala,perniciosáque damna, elegantiſſimo carmine deſcribunt Poëtæ.

Livor tabificum malis venenum
Intactis vorat oſſibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quid quiſquis furit,invidetque forti,
Vi debet,ſibi pœna ſemper ipſe eſt:
Teſtatur gemitu graves dolores,
Suſpirat,gemit,incutitque dentes:
Sudat frigidus, intuens quod odit,
Effundit mala lingua virus atrum:
Pallor terribilis genas colorat:
Infelix macies renudat oſſa.
Non lux, non cibus eſt ſuavis illi;
Nec potus juvat, aut ſapor Lyæi,
Nec ſi pocula Juppiter propinet,
Atque hæc porrigat & miniſtret Hebe,
Aut tradat Ganymedes ipſe nectar.
Nec ſomnum capit,aut quieſcit unquam,
Torquet viſcera carnifex cruentus,
Veſanos tacitus movet furores,
Intentans animo faces Erinnys
Lethaliſ; Titiique vultur intus,
Qui ſemper lacerat,comeſtque mentem.
Vivit pectore ſub dolente vulnus,
Quod Chironia nec manus levaret,
Nec Phœbus, ſobóleſque chara Phœbi.

476. Invidia juſtiſſimum malum. Quantumvis autẽ invidia cum ſuâpte naturâ, rum ex adjunctâ pernicioſiſſimi comitatûs pravitate ſit injuſtiſſimũ & virulentiſſimũ vitiũ;alio tamen capite negari non poteſt, invidiã eſſe malum juſtiſſimum,quod in artificem & parentem ſuum ſæviat, eique tormentum fiat.Hæc enim,cùm ſit dolor de proximi proſperitate ac ſucceſſu conceptus, quantò in proximum fortiùs concitatur, tantò ſibimet majus parit incommodum; & velut Tarantula alteram *VORAT, NE PHARMACA PRÆSTET.* Ex quo nihil ab homine nudo, qui omnium jaculis petitur, differre videtur. Fortis eſt aliquis, alius formâ clarus, alius eloquentiâ, prudentiâ animi præſtat, alius,in divitijs alius liberalis facultates egentibus diſtribuit, laudem ex hominibus in iis, quæ benignè facit, maximam refert; hæc omnia maligni feriunt animum. Cúmque mutire nihil audeat aut poſſit, ſimulat gaudium, ſecum tacitè rumpitur, coràm præfert hilaritatem, intus verò ab invidiæ malo perditur: eo modo, quo Hiarbita Maurus, dum Timagenem Philoſophum æquare vellet concionantem & non poſſet, præ invidiâ crepuit: aut quo Achitophel, videns quòd non fuiſſet factum ſuum conſilium, quod aliàs tanquam conſilium Dei, nunquam reprobatum, habebatur, *ſuſpendio interijt.* Vt dignissimum hîc locum obtineat illud à S. Hieronymo, ex quodam (ut ait) Neoterico laudatum. Horat. Ep. 1. 2. Reg. 17. S. Hieronym. in c. 5. Galat.

Iuſtius INVIDIA nihil eſt, quæ protinus ipſum
Authorem rodit, diſcruciátque animum.

Ratio, cur *Invidia* viperino more parentem ſuum laceret, inde provenit, quòd Invidia, quæ velut Salamandra *SOLIS RADIO TABESCIT*, ſit res abjecta & ſervilis: quoniam quiſquis invidet,potiora judicat alterius bona, quàm ſua; idque ne accidat, extimeſcit. Inde fit, ut nulli ſint, qui ingenuè prodere audeant, ſe alteri invidere; potiúſque vel ad iram vel ad odium referant, vel etiam ad metum, quod invidiæ eſſe ipſimet ſibi conſcij ſunt. Quia verò invidus affectum ſuum retegere non audet, ſicut non gravatè faciunt pro magna alleviatione alijs affectibus correpti; neceſſe eſt, ut magna intus in animo fiat miſeriæ compreſſio, quandoquidem tantâ ſollicitudine inhibeatur ejus retectio. Exinde verò corpori magna creantur incommoda, pallor, livi-

lividitas, macies, oculorum profunditas, contuitionis obliquitas: animo tormentum longè maximum ingeneratur, clauſis & cohibitis in animo intemperiebus illis ac furijs, à quibus miſerrimè lancinatur. Vſque adeò *Iuſtius invidiâ nihil eſt.* Non videbatur Juſtitia ſufficienter cuidam Diophoni ob rapinas adminiſtrata, quòd furcæ adjudicaretur: ſed inſuper quando cum alijs crucifigebatur, valde præ invidia doluit, quòd alius in altiore cruce, in furcâ eminentiore appenderetur. Ex quo S. Bernardi vox penetrantiſſima intonet: *O ambitio ambientium crux, quæ omnes torques, & omnibus places!* Vtique, qui invident dignitatem majorem alteri, majorem invident alij crucem.

Theat. lo. 1. vol. 1.

S. Bernardus.

477. Invidiæ ſolitudo propria.

Et ipſi obſervabant eum. Non eſt declinabile hoc malum, cujus peſtis cùm ſit omnis boni impatiens, ita ſolitudinem tuetur, ut ſecum neminem velit ſuſtinere ſodalem. Conſiderat hanc pravitatem S. Bernardus, dum conſiderat illud Pſalmi, *Erraverunt in ſolitudine, in inaquoſo;* & peregantur addit: *Solitudo hæc ſuperborum eſt, quia ſolos ſeſe reputant, ſolos appetunt reputari.* Literatus eſt, odit ſocium: aſtutus eſt in negotijs ſæcularibus, neminem vellet ſibi ſimilem inveniri: pecunioſus eſt, ſi diteſcere viderit alterum, cruciatur: fortis aut formoſus eſt, da ei parem & contabeſcit: ſolitarius eſt, ſed erroneus, errat in ſolitudine ſua; cor ei elatū, durum, expers pietatis, ignavum compunctionis, ſiccum eſt omni rore gratiæ cœleſtis. Scilicet invidus ſolus vult eſſe doctus, ſolus ſapiens, ſolus pulcher, ſolus potens, ſolus honoratus. Caium Caligulam obſervate in hac ſolitudine errantem; qui eùm præ invidiâ ſæviret, non tantùm Torquato vellus aureum è collo abripuit, eincinnato auricomos capillos evulſit, Pompeio additū *Magni* nomen obliteravit, affabili Proculo caput amputavit, Heroum obeliſcos evertit: ſed etiam quaſi *Solus* & *Sol* eſſe volens, optabat videre peſtilentias, incendia & alias calamitates mundo accidere, imò Romanos omnes unâ cervice erigi, quos unico ictu gladij poſſet interimere, ut ipſe ſolus Romanus eſſet. Mitto cæteros hac ſolitudine inſolitos, ubi ſolus occurrit Alexander Magnus, orbis domitor, invidiæ ſclavus: huic nihil gratius poterat accidere ad aures vel oculos, quàm ſi celebrati in bello milites ſegniter & formidoloſè egiſſent: ſed verò etiam nihil adeò Alexandri ſtimulabat invidiā, quàm ſi aliorum res heroicè geſtas audiret. Hinc Perticæ invidit, quia pugnax; Lyſimacho, quia induſtrius; Seleuco, quia magnanimus; Antigono, quia liberalis; Attalo, quia Cæſar; Ptolomæo, quia felix celebrabatur. Tam cupidus erat humanæ gloriæ, ut eam omni alteri invideret, more *Coturnicum:* quæ adeò malignæ ſunt, & invidæ, ut aquam limpidam ſi biberint, eam poſtea pedibus turbent, injecto etiam pulvere, ne alij poſſint bibere. Obtulerat Darius Rex Alexandro magnam ſui regni partem, dumodo ſecū pacificè & tranquillè regnaret, neq; armis omnia usq; ad exterminiū ſuccideret: cui per nuntios protervè reſpondit, non agi rem de pacifica compoſitione, quando *nec cœlum duos ſoles, nec Aſia duos reges capere poteſt.* Refert Plutarchus, quòd cùm præfatus Alexander cum ſua claſſe Oceanum, quantùm poterat, penetraſſet, tandem in quandam Inſulam deſcenderit; ibiq; ſacrificarit Neptuno, rogans, ut nemo tranſiret mundi fines, ad quos ipſe pertigerat: non ſolū invidens gloriam defunctis aut vivis præſentibus, ſed etiam mortalibus futuris, ut ipſe ſolus eſſet, qui extremis terræ plagis & oris impetâſſe diceretur. At verò hi omnes *erraverunt in ſolitudine:* dum enim præ invidiâ vel ſoli vel Soles eſſe volunt, in Luciferos tranſeunt, ſathanas atque diabolos, imò diabolo deteriores; nam ut Divus Chryſoſtomus fulminat, *Invidet Sathan, ſed hominibus, ſocio autem nemini: tu verò homo cùm ſis, hominibus invides.* Sed & ſi dormiret diabolus, *cujus invidiâ mors introivit in orbem terrarum,* non ſinerent eum quieſcere, ſed diabolo fierent diabolus. Non eſt mea

Pſal. 106. v. 4.

S. Bernardus ſerm. de ſalutiâ præſentis vitæ.

Svetonius, Livius.

Aldrovandus l. 13. de avibus.

S. Chryſoſtom. hom. 31 in 1. Corinth.

Sap. 2. v. 24.

hæc exaggeratio, ſed patientiſſimi Jobi, qui volens maledicere diei ſuo, ſic ſtomachatur : *Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan.* Maledicunt diei & lucis operibus, laudantque tenebrarum opera rebelles lumini, qui ponunt tenebras lucem, & lucem tenebras; ut extincto ſpiritu bono, ſuſcitent atque irritent Leviathan ſpiritum malum, ut faciat eos errare *in ſolitudine* invidiæ, qui in paſcuis ovium pinguedine terræ & rore cœli fruebantur, & deliciabantur *ſicut unus moris in domo.*

Job. 3. v. 8.

478. Felices & beati, qui Invidos patiuntur. Tandem etiam me ad illos converto, quos quidem crudeles Baſiliſci oculi feriunt ad ruinam, virtus tamen & Fortuna erigunt ad gloriæ ac decoris emolumentum. Intervenit hîc Valerianus, pulchro applauſu „ſuum judicium propalans. [*Felicem „planè illum judico, cujus glorioſam vi„tam torvis oculis alter aſpexit.* Nam „ſatis bono loco eſt illius cauſa, qui „alienâ laborat invidiâ : quia non li„vet homo niſi melioribus, nec invi„diæ ſubjacet, niſi quem ad celſiora „melior vitæ profectus evexerit. Illos „verò plùs quàm miſeros puto, quos „lucra alienæ felicitatis exagitant; & „iracundia, impiâ æmulatione con„cepta, occultis cordis jaculis in„quietat. Bene iſtos ſua tela puniunt. „Vt videatur mihi ipſa invidia ali„quid habere diſcretionis, cùm au„thoris ſui cor repercutit : & malè „conſcium pectus, cruento ſemper li„vore conſumit.] Invidia in bonos ſemper teſtimonium virtutis aut fortunæ confert: ut meritò Cicero in Catilinam dixerit, *Invidiam virtute partam, gloriam, non invidiam putandam eſſe.* Diogenes cuidam conquerenti, quòd plures ſibi inviderent, ſvaſit, ut ultionis gratiâ tanto majori ſtudio incumberet virtuti. Quæ optima certè eſt ulciſcendi ratio : neque enim aliud magis excruciat invidentem, quàm virtus illius, cui invidetur. Eſt enim virtus inſtar ſolis, qui ut lutum indurat, emollit ceram; ita improbos affligit, & probos recreat. Sed & Cato major phœnix fuit inter gentium populos in virtute, qui Romani populi judicio cognomento *prudens* eſt appellatus; & tamen nemo in Vrbe adeò invidiâ & odio eſt exagitatus, ut Cato: quadragies ſexies reus cauſam dixit, ſempérque eſt abſolutus. Valuit ſcilicet plùs eloquentiâ humanis rebus dominante, & innocentiâ, quàm omnes inimicorum validiſſimi conatus contra ipſum poterant machinari. Non deſunt hodie, nec unquam deerunt Catones, Religioſi, inquam, Viri & Apoſtolici, qui dum majorum imitantur virtutem, etiam invidorum morſus, latratus & injurias ſibi quàm offenſiſſimè adſciſcunt : cùm juxta D. Cypriani mentem *hoc ſemper opus diaboli ſit, ut ſervos DEI mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet : ut qui conſcientia ſua luce clareſcunt, alienis & invidis rumoribus ſordidentur.* Hinc omnes Eccleſiæ Annales fatales Baſiliſci obtutus memorant. Quia D. Ambroſius ad inſtantiam Imperatoris Adriani cedere noluit Eccleſiam quandam magnificam, ſed fortiter reſpondit, *Ad Imperatorem palatia pertinere, ad Sacerdotem Eccleſias*: hinc à Calligono ſupremo Regni Præfecto & perennes diſgratias, & lethales inſidias ſuſtinuit. Erat Auguſtinus magnum Eccleſiæ lumen, illuminans oculos & dans ſanitatem, potens dictis, ſcriptis & factis contra Eccleſiæ hoſtes; & tamen ab invidis Manichæorum ſectæ incorporatus audijt. D. Hieronymus puritate vitæ & doctrinæ clariſſimus, quibusdam tamen Origenis erroribus adhæſiſſe proclamatus eſt. Sic & Athanaſius pro ſceleſto adultero, Fulgentius pro Photiniano hæretico, Bernardus pro Biblicarum ſententiarum depravatore, Martinus pro iniquo Diœceſis invaſore traducebatur. D. Chryſoſtomus, vir Orientalis Eccleſiæ ſanctiſſimus, ita invidorū ſtimulis agitabatur, ut morigera ejus converſatio pro avaritia, vita tranquilla pro inhumanitate, magnanimitas in agendo pro ſuperbia, pene-

Valerianus hom. 13.

Cic. in Catil.

Sabell. l. 1. c. 6.

S. Cyprian. Ep. 10.

penetrans eloquentia pro temeritate, omnes ejus nobiliſſimæ virtutes pro hypocriſi traducerentur; ut meritò in Chevichavio Eccleſiaſticæ vitæ ingemuerit, dicens: *Invidia vis totam ſubvertit Eccleſiam, & toti nocet terrarum orbi: quodcunque malum videris, ex hac radice producitur; cadit in viros Eccleſiaſticos & perfectos*, quos non modicè adurit invidia; *ut qui conſcientia ſua luce clareſcunt, alienis & invidis rumoribus ſordidentur.*

S. Chryſoſt. in Chevichavio Eccle. vitæ. c. 6.

Quòd ſi ergo invidia tam fatalis ſit aſpectu, apparatu tam monſtroſo procedat, tam parvo & abjecto animo vigeat, tam corrupto judicio recta depraver, in rantam malorum ſyrtem incurrat, juſtiſſimo eventu invidentem affligat, ſolitudinem ſibi propriam vindicet, ac ipſo diabolo deterior evadat: ita ut S. Antonius de Padua dicere auſus ſit, quòd *DEUS magnam pœnam faceret invido, ſi ipſum poneret in gloriâ Paradiſi, quia ibi totaliter excæcaretur à gloriâ proximi, & à luce beatitudinis ipſorum.* Hinc quisquis es, cui infeſti ſunt invidiæ aſpectus, *heu: fuge crudeles oculos.* Amen.

S. Antonius ser. 2. Dom. Paſſ.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

STURNUS GREGARIUS.

Der ſchaarliebende Staar.

LEMMA.

Simul & ſemel.

THEMA.

In his duobus univerſa lex pendet, & Prophetæ. Matth. 22. v. 40.

SYNOPSIS CONCIONIS LI.

Sicut ſine dilectione Dei ac proximi nulla virtus eſt meritoria vitæ æternæ, ita omnis Virtutum apparatus à Charitate accipit Theologicum valorem coram Deo ad finem ſupernaturalem Beatitudinis promerendæ.

479. *Virtutum apparatus à ſturnorum grege ſymbolizatur.*

Silete, ſilete! caterva Sturnorum advolat, centenaria, millenaria. Ubi ſcalæ? ubi retia? ubi lucernæ? ubi viſcatæ perticæ? ubi parati laquei? ubi parietes erecti? ubi decipulæ ad fallendum inſtructæ? Silete, inquam, Sturni adſunt in cuneo gregati, linguâ piſitantes, & jucundâ ſocietate complaudentes. Quanta lætitia & exultatio,

Cùm Sturnos inopes, Fringillarúmque querelas *Mart. l. 9.*
Audis, & arguto Paſſere vernat ager.

Non curo fringillas, dimitto paſſeres: piſitantes hodie arrident Sturni, ingenio

nio faciles, & imitatione vocis ingenioſi; utpote qui diſcunt gratioſo negotio cantum à gallo, latratum à cane, hinnitum ab equo, grunitum à porco, à gallinâ crocitatum, à columbâ gemitum, ab anſere clangorem, à luſcinia cantum, & articulatam ab homine loquelam. Habebant olim Cæſarum Liberi Sturnos, Græco ac Latino ſermone dociles, meditantes in diem, & aſſiduè nova loquentes, longiore etiam contextu. Quidam Bavariæ Dux Sturnum aluit, articulatè ſcientem Antiphonam *Salve Regina* cantare eo modo, quo pauperes ſcholares ſub noctis crepuſculo ad feneſtras Divitum pro ſtipe ſolebant canere: his nempe auſcultans accuratè, meditabatur tamdiu imitationem, quouſque eandem exprimeret vocem. Quid de quodam Sturno dicam, quem ex licentiâ Superiorum meorum ipſemet inſtruxi, qui & Latinas & Italicas interrogationes didicerat lepidiſſimè exprimere. Scitis, cur Sturni catervatim volent, & ſeſe quaſi conglomerent volando? Rationem Plinius reddit. *Sturnorum generi proprium catervatim volare, & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus.* Scilicet tam affectuoſi, concordes & amicabiles ſunt Sturni, ut quilibet eorum velit in medio conſiſtere; hinc in pilam conglomeratus eorum volatus, concors ſocietas, jucundus concentus, ſecura exultatio. Principum non nemo ſuum pictorem juſſit, ſinceram Aulicorum cum ſuo Domino concordiam ingenioſo emblemate, ac artificioſo penicillo exprimere: is accuratâ deliberatione præviâ, gregem Sturnorum pingit, officioſo volatu circa quoddam Cor duabus expanſis alis præditum ſeſe conglomerantium, hoc addito lemmate: *SIMUL ET SEMEL.* Allzugleich/ keiner weich. Ego autem huic alato Cordi ſubſcriberem Concionis meæ thema: *In his duobus univerſa lex pendet & Prophetæ.* Myſterium capite. Dilectio, quæ eſt Charitatis actus, ſub cordis ſymbolo exprimitur: hæc autem duabus alis ad Deum & proximum evolat: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & proximum ſicut teipſum.* Porrò reliquarum omnium virtutum, ſive Theologicarum, ſive moralium apparatus comitatur, & circumvolat dilectionem, eo modo, quo Grandes & Aulici ſuum circumſtant & comitantur Principem; & quidem *ſimul & ſemel.* Sicut enim, inquit doctiſſimus noſter Lyranus ad id explicandũ optimam adducens ſimilitudinem in ſpeculativis omnes concluſiones dependent, ex hoc principio, de quolibet affirmatio vel negatio: *Sic in operabilibus dependent omnia ex dilectione DEI principaliter, & conſequenter ex dilectione proximi; propter hoc omnia mandata legis & monitiones non ſunt niſi quædam explicationes iſtorum duorum mandatorum; qui omnia ordinantur ad dilectionem DEI, & proximi.* Cajetanus hanc propoſitionem evidentem eſſe demonſtrat, quòd ſcilicet, quidquid in Legibus præſcribitur, & in Prophetis legitur, ordinatum ſit ad dilectionem Dei & proximi. Dei quidem, *quia in hoc clauduntur omnia, quæ ſunt Fidei, Spei, Religionis, & morum:* proximi verò, *quia & in hoc clauduntur, quæ ſunt Juſtitiæ, obſervantiæ, veritatis, amicitiæ, miſericordiæ, & ſimilium.* Hinc gratiſſimum ſimul & jucundiſſimum exhibebo aucupium, ſi oſtendero, ſine dilectione Dei & proximi nullam virtutem eſſe meritoriam vitæ æternæ; adeóque virtutes omnes ac Conſilia Evangelica, totámque legem à Charitate, quam comitantur, ſuum accipere Theologicum valorem coram Deo in ordine ad promerendam vitam æternam. *In his duobus tota lex pendet & Prophetæ. Simul & ſemel.* Ergo dum in hac compellendâ Sturnorum catervâ fatigor, vos gratioſâ veſtrâ attentione ſubſiſtite, & dum virtutes negotium faceſſunt, ſilete.

Plinius l. 10. c. 42. — *Plinius l. 10. c. 24.* — *Matth 22. v. 37. 39.* — *Lyranus ſuper Matth. loc. cit.* — *Cajetanus ſuper Matth.*

480\. Quid faceret homo curioſus, ſi ita eſſet elatus, ſicut Gentilitas Mercurio affinxit alas; aut ſicut Dædalus ſibimet fabricavit alas, quibus feliciter volavit in altum? Curioſa quæ-

Alatus homo quid faceret, aut facere deberet.

ſtio

ſtio curioſâ reſponſione exſolvitur. Sequamur hominem alatum, & obſervemus, quid faceret. Scilicet nobiliſſimas univerſi Orbis percurreret partes, obiret Provincias, regiones & oppida luſtraret, traijceret fluvios, transmitteret maria, ſubiret Promontoria, immenſa terrarum & aquarum ſpatia admirabili celeritate & incredibili pervolaret oblectamento. Ambularet inſuper, quò liberet; pedem inferret, quocunque placeret, omnibúsque ſeſe locis præſentem ſiſteret: infeſtas barbaris oras pervaderet ſine metu, obſeſſas hoſtibus munitiones perrumperet ſine formidine, per invias ſolitudines, ſylvarum receſſus, & abrupta montium juga, difficiléſque aditus penetraret ſine difficultate; invadendo arces, caſtella, turres, propugnacula, civitates, tutus eluderet cuſtodes, ſecurus irrideret vigiles, intrepidus negligeret præſidia, & excubias illæſus pertranſiret. Et hæc quidem ſi in exteris regionibus placet peregrinari: ſi enim delectat remanere domi, nec eas imitari aves, quæ certis anni temporibus mutant ſolum, quæ liquidior poſſet homini alato contingere voluptas, quàm relaxandi animi gratiâ, volatili deambulatione conferre cum familiaribus? Tunc levi alarum remigio volitaret per urbem ad ſalutandos amicos: tunc inſideret podijs, mœnibus ac ædium feneſtris, inſpecturus, quæ fiunt in conclavibus, & cubiculis: tunc remiſsâ hyemis inclementiâ, impellente Zephyro & invitante aurâ confluerct in hortos & viridaria; ibique floreſcentibus inſiſteret arborum ramis, & vel cum luſciniſs caneret ſub frondium umbella in amœno receſſu, vel inter vepreta tonſiléſque ſylvas, cum paſſeribus aliíſque aviculis colluderet. Hæc quidem ad voluptatem pertinent. Quid commoda memorem, à volatu provenientia? Fac enim hominem alatum eſſe, quantarum tunc utilitatum, Deus bone, colligeret acervum! Liceèt ſanè in Cretenſibus Labyrinthis, & inextricabilibus difficultatũ Mæandris includeretur cum Dædalo, inde cum eodem alarum beneficio evaderet liber; & mirabili velocitate, quò illum vocabunt negotia, quò incitabit amor, quò ſpes impellet, quò rapiet cupiditas, quò innata feret propenſio, nullo labore, nullis impendijs, nullâ commeatûs comparandi curâ, iniquitate locorum nullâ prohibente viam, aut retardante peregrinationis conſilium, ſine animi moleſtiâ, ſine corporis defatigatione, ſine nervorum exinanitione, illæſus pervolaret. Hæc faceret Homo, ſi eſſet Alatus. Et nobis, heu! quàm prolongatus eſt incolatus! Nec pennæ nec alæ deſunt, ſi juvet ad Deum, ad cœleſtia evolare. Nam ut Sanctus Petrus Damiani fatetur, *Nobis pro modulo noſtro pennæ ſunt inſitæ, virtutes ſcilicet ſpirituales, quibus ſi viriliter utimur, ad cœleſtia ſublevamur: ſin autem ex deſidia torpore deponimus, neceſſe eſt, ut in ſurripientium vitiorum profunda mergamur.* *S. Petrus Dam. l. 2. Ep. 18.* Velociſſimè volat & feliciſſimè, qui dilectione Dei & proximi alatus mentem ad ſublimia elevat, & totis conatibus ad cœleſtia anhelat; ut rectè Margunius Cytherorum Epiſcopus ſimiles ſibi alas creſcere optârit: *Margunius Ode. 2.* *Mens noſtra ſed levetur Alis librata ſurſum, Et ſemper incaleſcat radijs tuorum amorum.*

Jam verò quis modus commodiſſimus ad capiendos Sturnorum greges? 481. *Virtutes Ignitas alas Charitatis ſequuntur.* Sunt, qui in areâ ſuâ allectrices ponunt volucres, aut excoriatos movent ſturnos, ut gregem capiendum vel ad ſocietatem, vel ad pinguia paſcua alliciant. Sunt, qui cuipiam Sturno emancipato filum viſco illitum ad pedes ligent; qui deinde inter catervam evolans plures conglutinat, ut propter impeditam volandi vim gravitate ſuâ decidant. Omnium optimè placet, ſturnos de nocte capere: tunc enim obſervatur arbor, ager, viretum, ubi pro quiete nocturnâ confident; eriguntur in viciniâ parietes, & retia ad tegendum prata: nocte interim graveſcente, accenduntur tedæ, vehementem edentes ſplendorem; cúmque ſturni clamoribus & perticis è ſuis pelluntur ſedibus, protinus Ad ignes & Splendo-

RESconvolant, & retibus ſubitò ſuperinductis clauduntur CAPTI. Hac arte memini nuper Friſingæ pro unâ vice tredecimSiurnorum millia fuiſſe à noſtris Aulicis capta, deprehenſa & mactata. Facile eſt, totam virtutum reliquarum catervam ad ſe trahere, ubi *lucernæ ardentes* Divinæ Charitatis tenentur *in manibus*: imò ubi ipſa Charitas ignitis alis emittit *ſplendores ſanctorum* ad cœlos usque penetrantium deſideriorum. Aſſumit hoc argumentum D. Ambroſius,

Cant. 8. v. 6. &ubi in Canticis de dilectionis fortitudine dicitur, *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum*; vertit

S. Ambroſius ſerm. 19 in Pſal. 118. memoratus Doctor, *Lampades ejus alæ ignis*, & ſic proſequitur argumentum. „[Mortem habet Charitas, & zelum „habet Charitas, & alas ignis habet „Charitas. Denique Chriſtus diligens „Moyſen, in igne ei apparavit. Et Jeremias habens in ſe donum Divinæ „Charitatis, dicebat c.10. Et erat ignis „inflammans in oſſibus meis, & diſſolutus ſum undique, & ferre non poſſum. Bona igitur Charitas habens „alas ignis ardentes, quæ volitat per „pectora & corda Sanctorum, & exurit, quidquid materiale atque terrenum eſt: quidquid verò ſyncerum „eſt, probat: & quod contigerit ſuo „igne, meliorat. Hunc ignem in terras miſit Dominus JESUS, & refulſit „fides, accenſa devotio, illuminata eſt „Charitas, juſtitia reſplenduit. Hoc „igne inflammavit corda diſcipulorum ſuorum, ſicut teſtatur Cleophas „dicens Lucæ 24. *Nónne cor noſtrum „ardens erat in nobis, cùm aperiret Scripturas?* Alæ igitur ignis in flamma, „Scripturæ ſunt Divinæ. Denique „aperiebat Scripturas, & ignis exibat, „atque audientium corda penetrabat. „Et verò alæ ignis, quia eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne „examinatũ, &c.] Et paulò pòſt. [Bonæ „alæ Charitatis, veræ alæ, quæ volabant per ora Apoſtolorũ, & alæ ignis, „quæ purgatum ſermonem loquebantur. His alis evolavit Enoch raptus „in cœlum. His alis evolavit Elias curru igneo, & equis igneis ad ſuperna „translatus. His alis Dominus DEUS „per columnam ignis deducebat Patrum plebem. Has alas habuit Seraphim, quando ſumpſit carbones de „altari, & tetigit os Prophetæ, & iniquitates ejus abſtulit, & peccata purgavit. Harum alarum igne purgati „ſunt filij Levi, & baptizabuntur populi „nationum, ſicut teſtificatur Joannes, „dicens de Domino JESU, ipſe vos baptizabit in ſpiritu & igne. Meritò „uri renes volebat, & cor ſuum David, „quia alas igneas Charitatis ſciebat „non eſſe metuendas.] Hactenus Ambroſius. Itaque ubi rutilant tam excellentes ſplendores & ignes alatæ Charitatis, an non etiam regius & egregius virtutum reliquarum apparatus in eosdem coincidat fulgores; ut à dilectione DEI & proximi ſingulæ illuſtrentur, & lucido vinculo eleventur ad finem ſupernaturalem, ad promerendam æternam felicitatem?

Subſiſto hìc in re tam arduâ, & in 482.
Quomodo nulla poſſit ſine Charitate virtus ſubſiſtere. ardentis argumenti proſecutione: conglomerata enim difficultas inter Doctores agitatur, an cum Charitate Theologica & ſupernaturali omnes reliquæ Virtutes naturales connectantur neceſſariò, ita ut neq; virtutes morales ſine Charitate, neque Charitas ſine virtutibus moralibus haberi poſſit? Ampliſſimam hanc controverſiã in duo clariſſima membra divido. Quia poſſunt virtutes morales accipi ſecundùm propriam honeſtatem moralem, ipſis absque ullo ſupernaturali auxilio competentem, & viribus naturæ comenſuratam, ſecundùm prudens judicium bonorum hominũ. Hoc autẽ conſtituto, cùm habitus conſequantur ex actibus, perſpicuè efficitur, hominem gratiâ DEI & Charitate exarmatum poſſe nihilominus moralibus inſtrui atq; ornari virtutibus. Quot enim ſæculorũ Annales recenſent Viros ac Mulieres virtutũ, qui eximijs virtutibus mores humanos rectè & laudabiliter vel inſtruẽdos docuerunt, vel inſtructos exhibuerunt. Invenietis inter Philoſophos ethnicos nũc Cratẽ divitias contemnentẽ ex amore ſcientificarũ facultatũ; nunc Polemo-

nem

nem priùs ebrioſum ac intemperatũ, tũ Xenocratis Philoſophi oratione ad ſobrietatem & temperantiam traductum; nunc Platonem omnes opes, omnem rerum copiam virtuti cedentem; invenietis omnes Philoſophorum actiones eò collimare, ut honeſtatem moralem obſervent, & talia edant opera, quæ ſecundùm rectam Juſtitiæ regulam meritò rectéque laudentur; ac proinde undecunque bona ſint, & verarum virtutum effectus, pro quibus laudabiliter exercendis Ethicorum & Politicorum libri ab Ariſtotele ſunt publicati. Poſſunt etiam virtutes morales concipi, quatenus ad finem ſupernaturalem conſequendum, & ad æternam promerendam vitam ordinantur: & hoc modo ſicut verus finis virtutum moralium, hoc eſt, DEUS ſine Charitate non attingitur; ita ſine Charitate quælibet humana virtus videtur eſſe tantùm virtus perſonata, virtutiſque larva potiùs & figmentum apparens, quàm vera virtus. Sicque perſpicuum eſt, omnes virtutes inferiores, veluti ancillas ac pediſequas, Regiam charitatem affectari, à qua homini omnia bona pariter veniunt cum illâ, tanquam ab ipſiſſimo animæ ſole ac nitore, non conſpurcabili ullis tenebris aut vitij ſordibus. Clariſſima accedit Angelici Doctoris ſententia, dicentis: *Cùm per Charitatem homo in ultimum finem dirigatur, nulla poteſt abſque illâ ſimpliciter vera virtus eſſe.* Vellem, ut ex Thebaidis ſolitudine producatis hominem grandævum, virtutis ſtudioſiſſimum, qui ſapientiâ imitetur Salomonem, manſvetudine Davidem, zelo Eliam & Phineen, fide Abrahamũ, fortitudine Samſonẽ, juſtitiâ Joſuen; qui optimâ in moribus aſſecutus ſit Philoſophiam, in activa converſatione honeſtatem; qui inſuper Prophetiæ dono illuſtris occulta manifeſtârit, futura prædixerit; qui firmitate fidei transtulerit montes; qui ex liberalitate in cibos pauperum omnes ſuas facultates diſtribuerit, & corpus ſuum omni mortificationum genere afflixerit, ſi tamen Charitatem non habuerit, *nihil eſt, nihil ipſi prodeſt*: non æſtimabitur pretium animæ ejus coram DEO, ſine Charitate non acceptabuntur à DEO quæcunque virtutum aut donorum opera ad præmium ſupernaturale; quia juxta D. Bernardum, *QVANTITAS cujuscunque animæ æſtimatur DE MENSVRA Charitatis, quam habet, ut quæ multum habet Charitatis, magna ſit; quæ parum, parva.* Innumeros olim ſuſpiciemus in cœlis Regnantes, qui nunquam cum Paulo & Antonio ſuſtinuerunt eremi ſqualores, nunquam cum Procopio & Laurentio arſerunt ſuper craticulam, nunquam cum Corbiniano & Theodone longas ſuſtinuerunt peregrinationes, nunquam cum Cæciliâ & Barbarâ pro Virginitate decertârunt; & tamen quia omnes ſuas operationes ſecundùm rectam virtutum regulam inſtitutas per Charitatem ad DEUM ordinârunt, exultant nunc & lætantur glorioſi in cœlo, quia *quantitas animæ æſtimatur de menſurâ Charitatis.*

1. Corinth. 13. v. 3 4 5.

S. Bernardus ſerm. 27. in Cant.

S. Thomas 1. 2. q. 23. a. 7.

Non foret gratioſa hæc mea oratio, niſi & illa in alas pluméſceret, ut in agrum Evangelicum evolaret, requiſitura nobilem margaritam, quâ dextram Charitatis alam exornaret. *Simile eſt regnum cœlorum*, inquit Salvator, *homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: inventâ autem unâ margaritâ pretioſâ abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Et quænam illa pretioſa Margarita? Legi aliquando exclamantem D. noſtrum Bernardinum Senenſem: *O quàm pretioſus eſt amor, qui in conſpectu DEI omnia pretioſa facit!* Non jam ampliùs æſtimo lenocinantis Cleopatræ inaurem pretioſiſſimam, quam proco ſuo Antonio Cæſari aceto liquandam, & libandam obtulit. Incomparabilis virtutis erat Sardonyx annulo Polycratis Samniorum Tyranni inſertus, & omnis infortunij impatiens; qui etiam ultrò projectus in mare, à piſce deglutitus, poſtea verò, dum piſcis caperetur, & Polycrati ad comedendum apponeretur, ne quid ei infelicitatem ſapiens contingeret, reſtitutus eſt: quem annulum 483.

Charitatis pretium omnia faciens pretioſa.

Matth. 13. v. 45. 46.

S. Bernardinus to. 2. ſer. 5. art. 2. c. 1.

nulum poſt aliquot centenos annos Auguſtus Imperator coëmit, & aureæ coronæ impoſitum Deæ Concordiæ pro munere in Templum obtulit. Non placet Achates aut Jaſpis, pro ſanguine ſiſtendo ſaluberrimus: neque Amethyſtus, ebrietatem impediens: neque Carbunculus, peſtilentiæ offenſus: neque Hyacinthus, ſomni reconciliativus: ſed prout poſt S. Auguſtinum D. Thomas Villanovanus interpretatur, illa pretioſa Margarita eſt Dei dilectio, quâ poſſeſsâ omnia alia poſſides, quâ deficiente, etiam in ſummâ rerum copiâ, omnia deficiunt. Sic autem nervoſiſſimè loquitur S. Auguſtinus: *Non poſſumus putare vilem eſſe Charitatem, quando omnia, quæ dicuntur, non vilia ſed chara dicuntur. Si ergo quæ non ſunt vilia, chara ſunt, quid eſt charius ipsâ Charitate?* Non diſcrepat S. Proſper, brevi compendio ediſſerens Charitatis pretium. „[Charitas, inquit, eſt in omnibus „ſemper invicta, ſumma actionum „bonarum, ſalus morum, finis cœle„ſtium præceptorum, mors crimi„num, vita virtutum, virtus pugnan„tium, palma vitiorum, anima ſan„ctarum mentium, cauſa meritorum „bonorum, præmium perfectorum.] Quòd hic appellet Charitatem eſſe finem præceptorum cœleſtium, dictum eſt ex Apoſtolo, disertè ſcribente, *finem præcepti eſſe Charitatem*: quia nempe cùm ad eam perventum eſt, ibi ſiſtitur, nec eſt, quò ulteriùs tanquam ad excelſius vel pretioſius fiat progreſſio: quia mandatum de Charitate omnium eſt eminentiſſimum, quod legem complectitur, & Prophetas; & in hoc verbo omnium Scripturarum volumina coarctantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc Verbi Dei clamat authoritas, hoc ex ore ejus audivimus, hic invenit conſummationem omnis Religio. Primum eſt hoc mandatum, & ultimum. Hoc in libro vitæ conſcriptum, indeficientem & hominibus & Angelis exhibet lectionem. Legat hoc unum verbum, & in hoc mandato meditetur Chriſtiana religio, & inveniet, ex hac Scripturâ omnium doctrinatum regulas emanaſſe; & hinc naſci, húcque reverti, quidquid Eccleſiaſtica continet diſciplina: & in omnibus eſſe irritum ac frivolum, quidquid dilectio non confirmat. Quod Tullius de volumine legum 12. Tabularum pronuntiavit, nimirum *breviculum illum Juris omnes Bibliothecas ſuperare*; id multò juſtiùs de hac abbreviata conſummatione juſtitiæ, inundanter affirmari debet. *IN HIS DVOBVS tota lex pendet & Prophetæ.* Quantumcunque aliæ virtutes ſplendere videantur, Charitatis radijs præſtrictæ opacantur, & propè tenebreſcunt: & quantumcunque aliæ virtutes ſub umbrâ humanæ infirmitatis opacentur, Charitatis radijs expoſitæ illuminantur. Et quantumcunque humanæ operationes ſint ſteriles, viles ac æternæ remunerationis indignæ, ſi tamen à Charitate informentur, & eleventur ad finem ſupernaturalem, ad longè majus evehuntur pretium, quàm ea corpora materialia, quæ ab annulo Mydæ regis Phrygiæ attacta in aurum convertebantur. *O quàm pretioſus eſt amor, qui in conſpectu DEI omnia pretioſa facit.*

S. Auguſtin. tract. 9. in Ioan.

S. Proſper l. 3. de vita contempl.

1 Timoth. 1. v. 5.

Cicero l. 1. de orat.

Dum ita ferventer Charitatis alis orationis meæ fluit periodus, optarem unicè vobis, quod Plato viris bonis adhibuit, ſcilicet alas quibus cœlum petant: alas utique ipſiusmet Charitatis, quæ tanquam hominis ultimata & conſummata perfectio in eo ſita eſt, ut ad Deum erigat, & cum Deo conjungat. Vnaquæque enim res tunc demum perfecta cenſetur, cùm pertingit ad finem, in quem condita eſt, eique conjungitur, quàm benè fieri poteſt. Finis porrò hominis, citra ullum dubium, eſt Deus; ac proinde homo perficitur interventu conjunctionis cum Deo. Hanc præſtat Charitas, quam idcirco Apoſtolus *vinculum perfectionis* appellat, & ſuper omnia docet captandam. Firmat egregiè hanc doctrinam S. Auguſtinus, ſtatuens tanquam indubitatum, tunc optimè ſe habere hominem, atque ideò tunc perfectum eſſe 484.

Opera noſtra per Charitatem ad Deum elevanda.

S. Auguſtin. de doct. Chriſt. l. 1. c. 21.

cen-

cenſendum, cùm toto affectu adhæret Deo, ſummo ſuo bono ac fini unico. Adhæſio autem illa fit per Charitatem, qua homo unus cum Deo ſpiritus efficitur, & quadantenus in illum tranſit; quippe Divi Pauli teſtimonio, *qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* cum illo; antitheſi deſumptâ ex conjugio corporali, per quod conjuges una caro & unum corpus fiunt, cum conjugio ſpirituali, per quod anima Sponſa, & Deus Sponſus, tranſeunt affectu in unum Spiritum. Jam verò ſi nunquam mentem tuam per ardentem Charitatis actum ad Deum *elevas*; ſi nunquam in cœlum evoles; ſi nunquam coram Divinæ Majeſtatis throno præſentem te exhibeas, quomodo Deo adhærebis, aut unus cum illo efficieris ſpiritus? Præſtarétne Sponſa officium ſuum, ſi Sponſum retineret in ædibus, nec tamen vel unquam de die cum eo colloquereretur familiariter, nec honeſtis ſponſalium affectuũ argumentis eum proſequeretur? Quid tibi videreris, ſi amicus te ſinceriſſimè invitatum ad ſocialem cohabitationem, totâ die non ſalutaret, non tecum luderet, non epularetur tecum, nullam tibi faceret gratiam, nullum exhiberet amicabilitatis affectum? Et quomodo arridere, aut placere poſſint Deo tuæ eleemoſynæ, liberaliter in pauperes profuſæ? tuæ orationes, frequentiùs repetitæ? tui labores, pro bono publico vel privato ſuſcepti? tui dolores, ex nervorum irritatione tolerati? tuæ perſecutiones, ex æmulorum inſidijs atque invidijs ſuſcitatæ? quomodo Deo placebunt tuæ ambulationes pedum, operationes manuum, ſenſuum cæterorum intenſiones, animi motus & cogitationes? niſi per dilectionis actum, puramq; intentionẽ dirigantur ad Dei gloriam, ex perfectiſſimo Charitatis motivo; vel uniantur cum operationibus Chriſti, à Deo ad ſummum meritum acceptatis. Quid? niſi dicas cum Deo in corde tuo: O Deus meus, Creator, Rex cœli & terræ, ecce ego! propter amorem & honorẽ Nominis tui, hanc largior ſtipem, fundo has preces, patior has calumnias, ſuſtineo injurias, perſentiſco dolores, vinco difficultates, ſubeo labores, &c. cum perfectiſſima intentione placendi tibi, qui digniſſimus es omni laude & amore, ac retributione cœleſti præmias omne bonum opus, tui gratiâ factum; cùm apud te etiam calix aquæ frigidæ, datus uni ex minimis tuis propter te, non perdat mercedem ſuam. Hoc præceptum affirmativum dilectionis Dei, ſecundùm Subtilem noſtrum Doctorem, non tantùm obligat ſemper ad oppoſitum fugiendum, ne ſcilicet inſit actus odij, ſed obligat pro aliquando ad actum ipſum eliciendum, finem ultimum gratuitè diligendo; utpote ex cujus bonitate deſcendit omnis moralis bonitas in actibus, qui ſunt ad finem. Et licèt non determinet, quando, vel quoties ipſum teneantur Deum ſufficienter cognoſcentes elicere, notanter tamen docuit: *fortè determinavit hoc illud præceptum in die Dominico*, aut feſto, quibus obligamur ad miſſam audiendam. Ego autem non præcipio, ſed ſvadeo, ut mentem dilectionis actu frequentiùs de die in Deum eleves; & ubi non ad diſparata quælibet opera novam elicis intentionem, ſaltem mane unâ rectâ intentione omnia dicenda, cogitanda, & facienda illius diei ad Dei gloriam offeras, ex motivo perfectiſſimæ Charitatis, ad promerendam vitam æternam: niſi planè cum Siſypho velis lapidem volvere, aut cum Tantalo poſt pomum gannire, & ſine ulla ſpe æternæ retributionis operari, ac vitam agere Deo inanem.

1. Corinth. 6. v. 17.

Scotus in 3. d. 27 q. un. parag. quantum ad ſecundam.

485. Videbor vobis hactenus de ſolâ dilectione Dei fuiſſe locutus, & vel ideo parum dixiſſe, quòd non *Simul & ſemel* etiam dilectionem Proximi poſuerim aſſertam. Neque enim in una vel altera ſolùm, ſed *In his duobus tota lex pendet & Propheta.* Verùm enim verò non evolaret in cœlum Aquila, nec Sturni in medium agmen tenderent, niſi utriſque alis *Simul & ſemel* collaboran-

Charitas Dei & Proximi eſt una virtus.

Kkk tibus,

tibus,& grandiuſculam molem extollentibus ſuper auras. Sic & res ſeſe habet in propoſito circa dilectionem Dei & proximi. Nam ad Deum ſuaviſſimè ſtringendum fertur Charitas, éſtque id objectum ejus primarium: & quia in Deum tendit,circa alia quoque cum Deo connexa, & neceſſitudinem aliquam cum eo habentia, occupetur neceſſe eſt. Vnde quia agnoſcit proximum ad Dei ſimilitudinem effictum, aliquid eſſe Dei,ad proximum quoque porrigitur,quatenus aliquo modo unum cum Deo. Quamvis enim bonitas, quæ in Deo eſt, non ſit intrinſeca proximo ſed extrinſeca, attamen ſicut bonitas finis eſt ratio amandi media, quibus non ineſt; & excellentia prototypi eſt ratio adorandi imaginem, prototypo extrinſecam: ita bonitas Dei quamvis proximo extrinſeca, movet ad amorem proximi prout extrinſecè quaſi informati per Divinam bonitatem. Quod non obſtat, quò minùs amor ille ſit verus amor amicitiæ, etiam reſpectu proximi, tanquam amici ſecundarij & minùs principalis. Non enim habitudo illa ad Deum excludit fundamentum veræ amicitiæ reſpectu proximi, cujus bonum captatur in eo amore abſque retorſione ad nos. Quod ego hîc pluribus, id Divus Auguſtinus paucis exprimit verbis, dicens: *Ex una eádemque Charitate diligo DEVM, nos & proximos noſtros propter DEVM; nec aliâ Charitate diligitur proximus, quàm eâ,quâ diligitur DEVS.* Diſcurrit autem ſubtiliſſimè Scotus ſic. Charitas dicitur habitus, quo Deus habetur charus: poſſet autem haberi charus aliquo amore privato,quo amans nolit tolerare condiligentem; ſicut contingit in zelotypis, habentibus mulieres charas: ſed talis amor nec eſſet rectus, nec eſſet perfectus. Non rectus; quia velle aliquem ita diligere objectum diligibile ab omnibus, ut non condiligatur ab alijs, eſt contra rectam rationem: Deus enim, qui eſt bonum commune,non vult eſſe bonum privatum alicujus duntaxat. Neque eſſet perfectus; quia perfectus amor eſt, non tantùm amare objectum diligibile, ſed etiam velle ipſum ab alijs diligi. Et ſic Charitas non tantùm inclinat ad diligendum Deum in ſe, ſed etiam, ut Deus condiligatur ab alijs, quorum dilectio eſt grata Deo,vel ſaltem non ingrata:& conſequenter habens Charitatem inclinatur ab ea primò,immediatè, & actu directo ad dilectionem Dei in ſe & propter ſe; deinde verò quaſi actu reflexo inclinatur ad dilectionem proximi activam, qua ipſe Deum diligit. Sunt & alij reſpectus, quibus proximus diligitur propter Deum: Primò poteſt amari proximus, eò quòd ſit res quædam & bonum extrinſecum ipſius Dei, ad ejus gloriam ſpectans; quatenus Dei perfectio & bonitas, tanquam finis, magis innoteſcit ex bonitate, juſtitiâ & beatitudine hominis, tanquam ex medijs. Deinde poteſt diligi proximus, quatenus Divina bonitas ab eo participatur, eúmque afficit, & in eo relucet, atque adeò eum amabilem reddit: ſicque non tantùm diligimus juſtos, ſed etiam peccatores amamus; quos ideo creavit & redemit Deus, ut filij Dei ſint, & ideo etiam eis ſufficientem confert gratiam, quâ filij Dei eſſe poſſint, ſi velint. Item poſſumus moveri ad aliquem amandum, quia à Deo amatur, ſeu amore ſpeciali, quo juſtos amat; ſeu generali, quo omnes homines vult ſalvos fieri, idque tanto affectu, ut in hunc finem Sanguinem ſuum fuderit: efficit enim amicitia, ut amemus, quidquid amicus amat, tametſi illud aliàs averſemur. Sicque adeò *non aliâ Charitate diligitur proximus, quàm eâ, quâ diligitur DEVS.*

S. Auguſtin. l. 8 de Trinit. c. 8.

Scotus in 3. d. 28 q. un. parag. hoc tria ſunt.

Totus hîc exardeſco in commendandâ proximi dilectione, quæ non tantùm per modum Conſilij Evangelici nobis ſvadetur ad excellentiorem operationem, & promerendum æternæ gloriæ majus bravium: ſed 486.

Dilectio proximi ſignum eſt diſcipulorum Chriſti.

ſed verè etiam tanquam Divinum, præceptum ſtatuitur, quo non obſervato transgreſſor pro debitis circumſtantijs incurrat æternæ damnationis reatum. Ipſa eſt arbor vitæ in medio Paradiſi, in gremio Eccleſiæ plantata, de qua qui non comederit, pro mortuo relinquetur; qui comederit, immortalitate plenus erit. Nemo ſperet, præſtoletur nemo, hujus arboris fructum, dilectionem, inquam, fraternam, aut lacte innocentis vitæ, aut melle pietatis externæ, aut aliæ contemplationis mannâ, aut ſupernæ conſolationis frumento, aut Angelorum pane tam facilè recompenſari; quando Divus Auguſtinus cum S. Paulo præter Charitatē reliqua omnia non ſufficere teſtatur: *Quidquid vis, habe, hoc ſolum non habeas, nihil tibi prodeſt. Et ſi non teneatur, non tantùm grave peccatum eſt, ſed radix omnium peccatorum.* [*S. Auguſtin. tract. 1. in Ep. 1. S. Joann.*] Proinde Apoſtolicum Collegium accuratè obſervaturus Magiſter, quo ſigno ſuos diſcipulos ab omnibus alijs pronuntiet diſtinguendos, *In hoc*, inquit, *cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis.* Sed verò dic ſodes, in quonam illo? Forte in Spiritu Prophetico, quo futuros liberorum eventuum caſus prænuntient? fortè in infuſis ſcientijs, & habitibus ſupernaturalibus, quibus ſuper omnem Academicam facultatem eminerent? fortè in virtute exorciſtica, qua dæmones ab obſeſſis eliminarent? aut certè in dejectione idolorum, in converſione gentium, in elocutione linguarum, in proſecutione actuum heroicorum? Minimè horum. Sed *in hoc cognoſcent omnes, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* [*Joan. 13. v. 35.*] Schola mea eſt doctrina & diſciplina dilectionis, Academia Charitatis: ſi ergo me Doctorem audire & ſequi, ſi diſcipuli mei eſſe, ac ut tales ab omnibus haberi, & agnoſci cupitis, vos invicem diligite. Hæc teſſera, hoc privilegium ſoli conceſſum eſt Charitati; non enim miracula, non ingenium, non eloquentia, non robur, non quid aliud, ſed ſola dilectio facit diſcipulos Chriſti; qui eſt Charitatis Magiſter, primipilus, rex, dux & princeps. *Omiſſis miraculis*, inquit S. Chryſoſtomus, *dilectionis eos ſigno notat, quando hæc maximè Sanctorum hominum eſt indicium.* [*S. Chryſoſtom. hom. 13. in Joan.*] Quid movit Trajanum Imperatorem, ut legem publicam de trucidandis omnibus Chriſtianis latam, & in tota Siciliâ promulgatam revocaret? Niſi quòd Plinius ejusce Provinciæ Præſes reſcriberet Cæſari, Chriſtianorum legem ſanctam eſſe, utpote quæ fraternam dilectionem & ſinceram concordiam præciperet, & omnes ſine violatione Juſtitiæ in vinculo Charitatis obſtringeret colligatos? Quid Pachomium, illuſtrem ſub Conſtantio Imperatore militem, ex gentilitate ad Religionem Catholicam, ex aula in eremum traxit? Niſi eximia Charitas, quâ Chriſtiani eum ac ſocios ſuos extremâ penuriâ laborantes, commeatu ad abundantiam ſuppeditato refecerunt tam affectuosè & amanter, ut Pachomius hiſce vinculis tractus gentilitati renuntiârit, & ſuſcepto baptiſmo inter eremi Monachos ſeceſſerit; quos vitæ ſanctitate incomparabili per plurimos annos ædificavit. Nempe ſicut in circulo lineæ à circumferentiâ ductæ ad centrum, quò magis accedunt ad centrum, eò magis accedunt ad ſe invicem; quò verò magis recedunt, & elongantur à centro, eò magis recedunt à ſeſe invicem: ſic pariter, quò quis magis accedit ad amorem DEI & Chriſti, eò magis accedit ad amorem proximi; quantùm verò recedit ab amore DEI, tantùm quoque recedit ab amore proximi. [*Dorotheus doct. ſexta.*] DEUS enim eſt centrum mundi, æquè ac cordis & amoris noſtri; proximi verò ſunt quaſi lineæ ductæ ad centrum: ideóque in DEO omnis proximorum amor coit, & unitur. Et hoc amoris ſigno ſuos diſcipulos notat Salvator, *quando hoc maximè Sanctorum hominum eſt indicium.*

Ex quibus proinde ratum eſt, dilectionem proximi eſſe illam teſſeram militarem, qua veri Chriſti milites 487. [Dilectio diſcernit filios Dei.]

 diſcer-

diſcernuntur à militibus carnis & diaboli. Vnde nihil aliud S. Joannes Evangeliſta in ſuis Canonicis Epiſtolis tam clarè illuſtravit, tam ornatè expreſſit, tam penetranter commendavit quàm dilectionem, quam ipſemet ex ardentiſſimo Salvatoris pectore hauſit. 1. Ioan. 4. v. 7. & 8. *Omnis qui diligit*, inquit, *ex DEO natus eſt; qui non diligit, non novit DEVM.* Accipio hanc dulciſſimam doctrinam à tanto Charitatis Doctore: ſed verò quia in citatâ Epiſtolâ adverto duos textus ſibi valde adverſantes, hæreo venerabundus, & ignoro, quo intellectu hanc controverſiam liceat concillare. Scribit in 1. 1. Ioan. 1. v. 8. cap. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quid enim humanæ miſeriæ magis appropriatum, quàm peccare, quando juxta Sapientis teſtimonium *etiam juſtus in die cadit ſepties?* Deinde in tertio ejusdem Epiſtolæ capite, non tantùm à filijs Dei omne peccatum videtur excipere, ſed etiam illis ſementum & fomitem pec- 1. Ioan. 3. v. 9. candi auferre. *Omnis*, inquit, *qui natus eſt ex DEO, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex DEO natus eſt. In hoc manifeſti ſunt filij DEI, & filij diaboli.* In hac oppoſitionis controverſia fluctuo, velut navicula ſine remis & velis, admodùm anxius, ne ad ſcopulos obliquæ expoſitionis illidam: videor mihi in errabundo Labyrintho hæſitare, unde evadere haud li- S. Auguſtin. tract. 5. in Ep. 1. Ioan. ceret, niſi D. Auguſtinus ad evolan„dum mihi alas ſuppeditaret. [For„taſſis, ait, ſecundùm quoddam pec„catum dixit, *non peccat*; non ſecun„dùm omne peccatum: ut quod ait, „qui natus eſt ex Deo, non peccat, „certum quoddam peccatum intelli„gas, quod non poteſt admittere ho„mo, qui ex Deo natus eſt. Et tale „peccatum eſt illud, ut ſi quisquam „illud admiſerit, confirmet cætera: „ſi quis autem hoc non admiſerit, ſol„vat cætera. Quod eſt hoc peccatum? „Facere contra mandatum? Quod eſt „mandatum? Mandatum novum do „vobis, ut vos invicem diligatis.] Et ubi plura in hujus mandati confirmationem adduxit, proſequitur inceptam proſopopæiam Hipponenſis Antiſtes ad Auditores ſuos. Cavete, ne decipiamini, nolite errare, fratres, ſi ſperaris regni cœleſtis hæreditate vos potituros, vel per rigidum vivendi inſtitutũ, vel per ciliciorum ſquallores, vel per voluptatum fugam, vel per eleemoſynas in pauperes profuſas, vel per obedientiam veſtris Præpoſitis exhibitam, vel per frequentem Sacramentorum uſum, vel per fructuoſam Divini Verbi auditionem: cœleſtis hæreditatis poſſeſſio nemini indulgetur, niſi per dilectionem proximi, quia *Sola dilectio diſcernit inter filios DEI, & filios diaboli.* Converſus deinde Auguſtinus ad Catechumenos, per ſacrum Baptiſmum eos obteſtatur, quòd neque SS. Trinitatis invocatio, neque per ſacrum fontem facta peccatorum ablutio eis ſint futuræ proficuæ, ſi ad ſacrum baptiſterium accederent, & adhuc antiquas invidias, odia, rancores ac inimicitias in ſuo pectore retinerent. Amor, amor omnium eſt neceſſarius, & maximè vos damnantium & ſpoliantium; ſi vultis Sathanæ vincula effringere, & filiorum Dei torquibus ornare pectora, ſignent ſe omnes ſigno Crucis, cantent Alleluja, baptiſentur, intrent omnes Eccleſiam, faciant parietes Baſilicarum: *Non diſcernuntur filij DEI à filijs diaboli, niſi Charitate.* Concludit tandem S. Doctor verbis ſvaviter ferientibus, de quibus meritò & columnæ cœli contremiſcant, & montium altitudines colliqueſant. *Qui habent Charitatem, nati ſunt ex DEO: qui non habent, non ſunt nati ex DEO. Magnum judicium, magna diſcretio.* O chariſſimi, aut diligitis illos, qui vos odio, calumnijs, injurijs, inſidijs, offenſis & rancoribus proſequuntur; aut non diligitis illos: ſi diligitis, aperite manus, ſuſcipite gratiam Dei ex alto, quia veſtrûm eſt regnum cœlorum: ſi non diligitis, abite retrorſum, declinate, procul eſte profani: quia *ſola dilectio diſcernit inter filios DEI, & filios diaboli.*

Bene,

Bene, optimè. *In his duobus tota lex pendet, & Propheta.* Concludamus rete, quia *tota lex, totus grex* nobis ceſſit in captutam. Lex Charitatis, grex virtutum. Lex rectæ intentionis, grex omnium meritorum. Lex optimi DEI, grex amoris mei. Vsque adeò lex gregem reſpicit, & grex legem: & ubi *ſemel* lex Charitatis DEI & proximi viget, *ibi & ſimul* grex omnium virtutum elevatur ad finem ſupernaturalem, & promerendam æternam felicitatem. Quare *ſuper omnia Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis*: & quia hodie tam bene ſucceſſit Sturnorum captura, ne reliquas aviculas ex noſtrâ areâ clamoribus & tumultibus abigatis, abite tranquilli, & ſilete. Amen. Coloſſ. 3. v. 14.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

CORNIX IMPROBA.

Die boßhafftige Kräße.

LEMMA.

. . . *Plenâ pluviam vocat improba voce.* Virgil. l. 2. Georg.

THEMA.

Ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: hic blaſphemat. Matth. 9. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS LII.

Improbitas blaſphemiæ tanta eſt, ut & difficilem obtineat veniam, & Judæorum Chriſtum crucifigentium excedat malitiam, & ab omni lege ſeveriſſimam provocet vindictam, & ipſum diabolum ſuſtineat Divinæ iræ executorem.

488. Cornix ceteroquin virtuoſa, dicitur improba ob blaſphemiam.

QVid eſt, quòd Cornix vel Cornicula, corvini generis avis, paſſim à Poëtis appelletur *Improba*? Hoceine prædicatum promeretur ex eo, quòd amicitias colat cum Ciconijs, quibus maria transvolantibus ducem ſe præbet: aut cum Ardeolâ, cum qua contra vulpem pugnatura procedit? Num ideò ſit *improba*, quòd inimicitias cum Noctuis gerat, quarum ova meridie abſumit, & cum Muſtelis, quarum nidos diripit, & cum Tympano ave, quam occidit? Sitne *improba* Cornix, quòd amore pullorum, volandi potentes diu proſequatur, & avolantes ſubinde comitetur; à quibus etiam alitur, tandem ſenio confecta? Quare *improba* Cornix, quæ individuam conjugalis juris ſocietatem cum conſorte ita ob- Ælian. l. 3. animal. c. 9

ſervat inviolatam, ut ſi alterutra moriatur, ſuperſtes uſque ad extremum vitæ diem vidua permaneat: unde veteri inſtituto Cornix in nuptijs auſpicatiſſimo omine invocabatur, & conjugibus *coroniſſare* atque *cornicare*, hoc eſt, ad exemplar cornicum, caſtè & concorditer, ac diu vivere imprecabatur? Num ideo *improba* Cornix, quòd communiter tres ſuperet hominum ætates diuturnitate vitæ; & populis ſeptentrionalibus, Polo Arctico vicinis, clamore ſuo diſtinguat diei ac noctis ſpatia, vivum ac clamoroſum horologium? Quare *improba* Cornix? Fortaſſe quia ovis tam impensè incubat, ut ob aſſiduum incubatum etiam plumas ſuas exuat? Num ideo *improba* Cornix, quòd una apud Menthem Ægyptiorum Regem educata, literas ferret, quò jubebatur; cui & magnificum ſepulchrum ad lacum Myridis prope urbem Crocodilorum erectum fuit? Magnæ hæc ſunt indicia virtutis, fidelitatis & fortitudinis: & tamen ab Alciato *improba Cornix*, ab Ovidio *armigera Cornix inviſa Minerva*, à Fauſto *ingrata licet crocitanti gutture Cornix*, ab aliis *garrula*, *ſiniſtra* nuncupatur. Quid cauſæ? Duas adverto cauſas latere. Quia quando caput ſpargens undis, velut occupet imbrem, inſtabili greſſu metitur litora: *Tum Cornix PLENA pluviam vocat IMPROBA VOCE.* Itaque dum improbè clamat Cornix, pluvias & tonitrua, ac grandines ciet. Deinde etiam quando cum Aquilis pugnandum, ſocias compellat Cornix, aciē inſtruit, & tergo incumbens, roſtro & unguibus tam potenti inimico reſiſtit: ubi verò deficiunt vires, improbo clamore *Kräbement, crament*, inſultat invaſori, improperat, convitiatur. An non ergo potiori jure dicendi ſunt improbi, qui non ſimpliciter in cœlum tollunt os ſuum, ut clament *crament*; ſed ex totis malitiæ viſceribus contra DEUM & Sanctos evomant *Sacramenta*, & *Sacramentorum* myriades, ac mille *Sacramentalium* claſſes, cœli ſtellis numeroſiores? *Ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: hic blaſphemat.*

Alciatus embl. 71. Ovid. l. 2. Eleg.

Lucan. l. 5. Virgilius l. 1. Georg.

Non blaſphemo, ſed ut oſtendam improbitatem blaſphemantium, hæc pronuntio: *Kräbement, crament, Sacrament.* Ut video, ſcandalizari vos & dicere, *hic blaſphemat.* Non blaſphemo, ſed ut blaſphemantes coërceam, hæc dico: & dicam in præſenti Concione, quanta ſit improbitas blaſphemiæ, utpote quæ apud DEUM tā difficilem obtinet veniam, & ab omni lege tam ſeveram in ſeſe provocat vindictam: quam ut declinetis ſecuri, ſubſidete & attendite religioſi.

489. Blaſphemia in communi eſt verbum maledicum, convitioſum, vel contumelioſum adversùs DEUM; & ſeſe ſubinde etiam ad Sanctos extendit. Seraphicus Doctor triplici potiſſimùm modo contingere ait blaſphemiam, ſive mentalis illa ſit, ſive verbalis, ſive ex utrâque ſimul mixta: *Vel cùm attribuitur DEO, quod ſibi non convenit: vel cùm removetur ab eo, quod ſibi convenit: vel cùm creaturæ attribuitur, quod propriè DEO convenit.* Improba utique blaſphemia eſt, DEO Ter Opt. Max. omnis boni Authori, & omnis perfectionis abſolutiſſimo fonti aliquid attribuere, quod infinitæ ejus eſſentiæ convenire non poſſit, & ſubſtantialiter repugnat. Quòd brutualis Epicurus DEUM proclamâritis acedioſum; quòd Lutherus & Calvinus DEUM prædicârint peccati Authorem; quòd Phariſæi Chriſtum inſimulârint diabolici pacti cum Beelzebub; quòd VVicleffus DEUM malitioſum arguerit ex annihilatione ſubſtantiæ panis ſub conſecratione Euchariſtiæ; quòd Alphonſus X Hiſpaniarum rex, ultra modum ſibi ſapiens viſus, dicere auſus ſit, ſi DEO interfuiſſet in prima mundi productione & ornatu, conſilio ſuo plurima ſe fuiſſe ad meliorem perfectionem reducturum; quòd Fridericus II. Imperator dixerit, tres impoſtores ſuis legibus mundum corrupiſſe, Moyſen, Chriſtum, & Mahometem: blaſphemiæ utique ſunt, tales nævos & maculas DEO ac Chriſto tribuentes, à quibus Divina bonitas abſolutè abhorret. Non minori blaſphemiâ laceſſitur,

Blaſphemiæ improbitas in quo conſiſtat.

S. Bonavent. in c. 5. Luca.

tur, ſi ejus Juſtitiæ, omnipotentiæ, miſericordiæ, cæteriſque attributis Divinis talia removentur, quæ ijs maximè competunt. Quanta blaſphemia, quòd Rabſaces palàm negâris, Deum omni ſuâ virtute poſſe Judæis auxilium ferre! Quanta blaſphemia; cùm in convivio quodam Bononiæ mirâ arte gallus aſſatus fuiſſet diſſectus, unus convivarum dixit, D. Petro hunc gallum in integrum reſtituere impoſſibile eſſe; alius verò: nec ipſe Chriſtus hoc præſtare poſſet! Ad quas voces ſtatim gallus ille proſiiit, & alis colliſis juſculum in decumbentium ora effudit: blaſphemi verò ſtatim leprâ hæreditariâ puniti ſunt. Æqualis blaſphemiæ improbitas eſt, ſi attribuitur creaturæ, quod competit Deo. Edixerat Henricus Leo, Saxoniæ Dux, Provincialem conventum in Ertenborg Vandalis, & verba fecerat ad Regulos de ſuſcipiendo Chriſtianiſmo. Ad quem Niclotus Obtritorum Regulus ait: Sit Deus (quem nos quoque in cœlis regnare credimus) Deus tuus; tu verò eſto Deus noſter, & ſufficit nobis: cole tu illum, quem voles, religioſiſſimè; nos te venerabimur. Non tulit autem blaſphemiam Dux, ſed corripuit verbum ſtultitiæ plenum. Cæterùm S. Thomas illud etiam addit: *Sicut DEUS in Sanctis ſuis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ DEUS in Sanctis efficit; ita & blaſphemia, quæ fit in Sanctos, ex conſequenti in DEUM redundat.* Eâdémque ratione, ſi quis vituperium dicat in Sacramenta Dei, in Chryſma vel quaſcunque res ſacras contumelioſa verba & maledica, blaſphemare propriè cenſendus eſt: præſertim ſi hujuſmodi blaſphemiæ ex odio, rancore, infidelitate, indignatione, irâ, deſperatione, vel abominatione propriè proveniat, & ex deliberatâ malignâ intentione profundatur.

Vincent l. 13. a. 84.

Alb. Cranz. in l. 14. Vand. c. 24. & 25.

S. Thomas 22. q. 13. a. 1. ad 2.

490. Circa improbitatem blaſphemiæ gravem movet difficultatem Doctor Angelicus, ponendo quæſtionis titulum; *An peccatum blaſphemiæ ſit maximum peccatum?* Argumentis pro & contra allatis, etiam adducit Gloſſam ſuper Iſaiæ decimum octavum: *omne peccatum blaſphemiæ comparatum levius eſt.* Deinde concludit expreſsè, quòd, cùm blaſphemia Confeſſioni Fidei adverſetur, conſequenter in ſeſe peccatum infidelitatis includat; tantò utique deteſtabilius, quantò copioſius reliquorum enormium peccatorum ſeriem poſt ſe trahit. Et quid unquam terribilius à Chriſto, primo morum Magiſtro, potuiſſet de cathedrâ decidi, quàm quòd peccatum blaſphemiæ ſit maximum peccatum. Sic autem inquit apud Matthæum: *Ideo dico vobis, omne peccatum & blaſphemia remittetur homini: ſpiritûs autem blaſphemia non remittetur.* Vertit Arabicus: *blaſphemia in Spiritum Sanctum.* Legit Syrus: *blaſphemia in Spiritum Sanctitatis.* Subſiſto hîc anxius, cùm omne peccatum, & etiam blaſphemia in genere remittatur homini per pœnitentiam, cur non etiam blaſphemia ſpiritûs æquè faciliter remittatur? Sive hîc per ſpiritûs blaſphemiam intelligatur juxta Philaſtrium hæreſis, negans Spiritum Sanctum eſſe Deum: ſive juxta Hilarium error, quo negatur Chriſtum eſſe Deum: ſive juxta Ambroſium ſchiſma, aut ſimonia, quâ v. g. Simon Magus volebat pecuniâ emere Spiritum Sanctum: ſive juxta Cyprianum negatio fidei, in perſecutione: ſive juxta Richardum à S. Victore odium, & convitium Dei: ſive juxta Theologos unum ex ſex peccatis in Spiritum Sanctum commiſſis, qualia ſunt præſumptio, deſperatio, agnitæ veritatis impugnatio, fraternæ charitatis invidia, impœnitentia, & obſtinatio; quodcunque horum ſit, *ſpiritûs blaſphemia non remittetur.* Explicat genuinè Cornelius à Lapide, non loqui hîc Chriſtum de peccato in Spiritum Sanctum, ſed tantùm de blaſphemia in Spiritum Sanctum; cùm ſcilicet quis calumniatur opera manifeſtè divina & miraculoſa, pia ac ſancta Dei, ad ſalutem hominum ab eo facta, quibus ipſe fidem & veritatem confirmat, uti v. g. eſt ejectio dæmonum: quæ cùm ſint opera bonitatis & ſanctitatis Dei, attri-

Blaſphemia in Spiritum S. non remittetur.
S. Thomas 22 q. 13 a. 3.

Matth. 12. v. 31.

Cornelius à Lapide ſuprà locum citatum.

tribuuntur Spiritui Sancto, qui ex vi proceſſionis & ſpirationis ſuæ à Patre & Filio procedit ut amor, bonitas, & ſanctitas: hæc enim cùm quis calumniatur, eáque ſcienter ex malitiâ adſcribit Spiritui immundo diabolico, ſicuti tunc faciebant Phariſæi, tunc dicitur committere blaſphemiam in Spiritum Sanctum: talis enim injuriatur Deo, illíque adimit ſuam ſanctitatem, & munditiem, quæ appropriatur Spiritui Sancto; adeóque ex Deo facit diabolum. Quo quid atrocius dici poteſt? quæ blaſphemia major, & injuria in Deum excogitari? Hine *Spiritûs blaſphemia non remittetur*: hoc eſt, difficulter ac rarò remittetur, aut relaxabitur. Eſt enim hæc blaſphemia in Spiritum Sanctum atrociſſima, inexcuſabilis, & planè veniâ indigna; ac quantùm eſt in ſeipsâ, omnem medicinam, ac modum perveniendi ad remiſſionem aufert & excludit. Opponit enim ſe directè Spiritui S. eúmq; è diametro à ſe abigit; imò blaſphemat eum, à quo ſolo abſolvi, curari, & ſanctificari poterat ac debebat. Confirmat hanc ſuam ſententiam Chriſtus, ac clariùs explicat: *Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis*, & ex humana ejus converſatione ac convictu offenſus, facta ejus humana calumniatus fuerit, vocans eum vini potatorem, amicum peccatorum & publicanorum, in comparatione Joannis Baptiſtæ, quem viderant abſtemium, rigidum, auſteram & ſolitariam agere vitam, *remittetur ei*: hujusmodi enim calumnia excuſabilior eſt, & minùs veniâ indigna, qui hominem tangit, non Deum: *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Eheu! quàm dura & irrevocabilis ſententia, *non remittetur*? Quid hoc? *non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro?* An non miſericordiæ Domini ſuper omnia opera ejus, qui peccatorē non deſpicit, ſed ad pœnitentiā, & remiſſionem perducit, in quacunq; horâ ad eum ingemuerit? O homuncionum miſerrime, cui prompta ſemper & lingua ad blaſphemandum rotatur lingua: quàm temerè præſumis obtinere veniam peccatorū, ſi nullus tibi favet Patronus, nulla media competunt ſalutis? Fortaſſis præſtolaris gratiam à Deo, quem blaſphemijs ad iracundiam provocaſti? Sed audi Sacerdotis Heli argumentum: *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt DEUS: ſi autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* Forſan tuæ plagæ feret medelā Chriſtus? Sed hunc projeciſti retrorſum, & verbū ejus conculcâſti, quin imò cum malo ac deſperato latrone blaſphemijs fontem gratiæ ac ſalutis deperdiſti. Forſan firmâ fide atque ſpe inniteris meritis, & paſſionibus Salvatoris, cujus unica guttula ſanguinis profuſa ſuffeciſſet pro mille mundis redimendis? Sed verò merita & paſſionem ejus pedibus contriviſti, cùm per ſanguinem, per plagas, per cruenta vulnera, per crucem, per clavos & coronam, per duriſſimam & contemptibilem mortē Redemptoris tui blaſphemaſti. Speras fortaſſis remedium veniæ à Sacramentis, efficaciſſimis gratiæ ſanctificantis inſtrumentis? Verùm quia noluiſti benedictionem, elongabitur à te, & veniet tibi maledictio; & quia blaſphemijs tuis multiplicaſti claſſes Sacramentorum ſuper ſtellas cœli, ſuper multitudinem arenæ maris, ex ſeptem illis à Chriſto inſtitutis nec unicum tibi ſufficiet applicatum ad ſalutem: non conſervaberis in S. Chryſmatis delibutione, qui per Chryſmatis proſtitutionem oleum & operam perdidiſti. Forſitan refugis ad patrocinium Sanctorum? At verò quid emolumenti tibi advenire poterit ab ijs, quos blaſphemando contempſiſti, ejecturus ex ſuæ felicitatis ac dignitatis cardine, ſi id quidem tuarum virium atque potentiæ fuiſſet. Quòd ſi denique blaſphemiæ improbitas neq; excuſetur per imbecillitatem naturæ, neque per ignorantiam animæ, neque per præcipitatum cæcæ paſſionis motum, neque per præventam bonæ voluntatis rectitudinem; & aliunde nec à Deo, nec à Chriſto, nec à Sanctis, nec à Sacris ſperanda ſit indulgentia; ſubſiſtit

Matth. 12. v. 31. Lucæ 12. v. 10. Marci 3. v. 28. 29.

1. Reg. 2. v. 25.

ſtic canon à Verbo Divino promulgatus, blaſphemia in Spiritum Sanctum *non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro.*

491. Sed verò hactenus in favorem Spiritûs Sancti duntaxat videor dixiſſe, non minori zelo & energiâ etiam pro Filio Dei contra blaſphemos conſurgo cum S. Auguſtino, *Non minùs peccant*, dicente, *qui blaſphemant Chriſtum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris.* Sanctus autem Bonaventura, Gloſſam in Pſalmum 68. teſtem adducens, blaſphemiæ crimen gravius etiam & enormiùs eſſe aſſerit ipsâmet actuali Chriſti crucifixione: *Gravius peccat*, ait, *contemptor ſedentis in cælo majeſtatis, quàm crucifixor ambulantis in terrâ paupertatis.* Idipſum exactis quibusdam rationibus probare conatus eſt Sanctus Bernardinus, blaſphemiæ impietatem horribilem refundens in ingratitudinem execrandam erga Deum & Redemptorem. Eſt enim ingratitudo ventus urens, & deſiccans fontem pietatis & fluenta gratiæ Dei. Sed quis magis ingratus eſt Deo de beneficio ſibi ſpecialiter collato præ cæteris creaturis, ſcilicet loquelâ & linguâ, quàm blaſphemator nominis Dei? Qui cùm debeat dicere cum Propheta, *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus in ore meo*, Dominum ſuo ore fœtido maledicit. Omnes etenim creaturæ, & quælibet ſuo modo, ſollicitè laudant Deum, & benedicunt potentiam, ſapientiam & clementiam Salvatoris. Sic omnes Spiritus beati, aquæ cœleſtes, Sol & Luna, cœli, virtuteſq; cœlorum, imber, grando, glacies, nix, pruina & omnes venti, lux & tenebræ, noctes & dies, terra, & omnia quæ in ea producuntur germina, montes & omnes colles, fontes & maria cum piſcibus ſuis, volucres cœli & beſtiæ terræ, homines & aliæ creaturæ, nunquam ceſſant à laude Creatoris, excepto maledicto blaſphematore; qui omnibus alijs creaturis repugnat, & linguam ſuam iniquam contra Deum relaxat, ingratus inſuper de immenſo Incarnationis beneficio. Nam membra illa humanæ infirmitatis, quæ pro ſalute noſtra aſſumpſit Dei Filius, blaſphemus nominat ad contumeliam ejus, dicens, Per viſcera, per anteriora & poſteriora Dei, &c. quaſi non ſatis fuerit afflictus Chriſtus pro ſua & aliorũ ſalute ab impietate Judaicâ, & propterea compleat contumelias ejus. Ex quo Judæis nequior efficitur blaſphemus. Tum quia Judæi Chriſtum occiderunt & contumelijs affecerunt, tanquam hominem mortalem, infirmum, & in ſtatu humilitatis conſtitutum: ſed blaſphemus im̃ortalem, ac regnantem in cœlis improbè injuriatur, creſcitque iniuriæ magnitudo ex ſublimitate majoris ſtatûs: ſtatus autem Chriſti regnantis in cœlo, eſt longè maior, & excellentior ſtatu Chriſti operantis in terrâ. Tum quia hoc Judæi ex ignorantiâ fecerunt, ob quam corã cœleſti Patre ab ipſo moribundo Chriſto excuſantur: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Et excuſat Apoſtolus: *Si cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* At verò blaſphemus credens ac ſciens, hoc malum perpetrat ex malitiâ non excuſandâ. Tum etiam quia Judæi non promiſerunt Chriſto fidem, reverentiam aut obſervantiam: at verò blaſphemus jam in Baptiſmate ſeſe obligavit, & in ſacro Chriſmate ſuam fidẽ confirmavit. Propter quod contra eos Iſaias graviter cõminatur: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt Deum, blaſphemaverunt ſanctum Iſraël, abalienati ſunt retrorſum.*

492. Inhæreo ardentiſſimæ aſſumpti argumenti proſecutioni, quo S. noſter Bernardinus Senenſis, penetrantiſſima illa Dei per Italiam & Germaniam Tuba, ſequenti immediatè capite, contra blaſphemos clangit: quos tanquam filios diaboli per hoc à filiis Dei diſtinguit, quòd veri filij Dei tolerare non poſſint, ſi verus eorum Pater im̃aniter à blaſphemantibus ſagittetur, de quo tamen filij diaboli minimè curant. *O cor lapideum*, exclamat, *& ferreum, imò durius omni duriſſimo adamante, tolerare poſſe blaſphemias Domini Dei!* Vis noſſe

Blaſphemus deterior eſt Judæis Chriſtum occidentibus.
S. Auguſtin. ſuper illud Matth. 26. blaſphemavit.
S. Bonaventur. l. 3. in pharetra.
S. Bernardinus to. 1. ſerm. 41. art. 2. c. 3.
Pſal. 33. v. 1.
1. Corinth. 2. v. 8.
Iſa. 1. v. 4.
Blaſphemus eſt filius diaboli.
D. Bernardin. loco cit. c. 4.

Digitized by Google

hanc diſtinctionem filiorum Dei, & diaboli, audi exēplū propoſito noſtro perquàm appoſitè deſerviens. Refertur enim quidam maritus, juxta opinionem ſuam, ex propria conjuge tres procreâſſe filios: uxor verò aliquando vehementer indignata marito, ad inſultandum ei confuſibiliter objecit, duos ſibi eſſe ſpurios & illegitimos filios, & unicum tantùm naturalem legitimum: noc tamen ſpecificè expreſſit, quiſnam legitimus, & qui illegitimi ex ijs forent. Mortuâ uxore etiam paulò pòſt maritus graviter infirmabatur. Vr verò ſuis rebus circumſpectè conſuleret, condito teſtamento eum ex filijs ſuis inſtituit hæredem ex aſſe, qui legitimus eſſet, alios verò illegitimos omnlno exhæredavit. Defuncto teſtatore quivis filiorum prætendebat hæreditatem ex præſumpta ſuâ legitimitate: hinc pertinax orta controverſiâ, cum ſtrepitu forenſi ad competentem Judicem decidenda producitur. Is cognitâ cauſæ incertitudine, Salomonicam ſapientiam imitatus, mortui patris ac teſtatoris cadaver ad arborem juſſit firmiter alligari; propoſitâ conditione, ut ille ſit declarandus hæres ex aſſe, qui fratrum proximus ſuâ ſagittâ cor patris tetigiſſet. Itaque cùm primus & ſecundus ſuis ſagittis induſtriè confixiſſent patris cadaver, tertio concuſſa ſunt viſcera: hinc tremor cordis & animi titubatio, horripilium, & pavor naturæ: horret facinus, pavet vulnus; & demū ipſius pietatis vinculo tractus, præelegit potiùs hæreditate patris naturalem dilectionem, quàm ejus ſubſtantiam temporalem. Proinde converſus ad judicem, date hæreditatem, inquit, cui dare licet; quia potiùs eligo illam amittere, quàm meum licet mortuum vulnerare patrem. Neſcitur rei veritas, palàm fit per naturam, quod erat abſconditum per culpam. Manifeſtatur hic eſſe filius verus, & rota hæreditas ejus poſſeſſioni adjudicatur. Enarratâ hac hiſtoriâ Concionator **Apoſtolicus de Senis** exclamat ardenter. *Quis unquam filius verus pati poteſt blaſphemias, & contumelias æterni Patris? Quis devotus Virginis filius ſufferre poteſt tot opprobria, quot à ſceleratiſſimis linguis hominum impiorum per illa ſpurciſſima ora contra glorioſiſſimam virginem fluunt? Quis corde ſenſatus, & in DEI zelo vivus, cùm ſentit DEUM vel Virginem blaſphemari, non confodiatur gladio doloris intrinſecus? & ſi non valet manu ulciſci Dominum, non clamet corde & ore, clamore valido & lachrymis uſque ad cælum, ex blaſphemiâ vulneratus in corde?* An non quotidie renovetur illa à Domino querela, per Jeremiam in Threnis profuſa inter lachrymas? *Poſuerunt me ſicut ſignum ad ſagittam:* pupugerunt me opprobrijs, & transfixerunt blaſphemijs ſuis. Thren. 3. v. 12. Negari enim non poteſt, quin blaſphemus, quantùm in ſe eſt, per verba ſua contumelioſa ſagittas & jacula ex oris ſui phatetra evibret in Redemptorem ſuum. Quomodo Lovanij in Brabantia die Sancto Veneris, dum manè improba juvenum ſocietas in taberna ſub ludendo enormiter Deum blaſphemantium helluaretur, foris interim in plateâ multi cives concurrerunt, ex compaſſione miſerabilis cujuſdam hominis graviter ſauciati, ignoti tamen, amarè plorantes. Nec erat illa ſauciata perſona alia, quàm Angelus objiciens Chriſtum, noviter tantis blaſphemiarum flagellis plagatum. Cùm enim blaſphemi monerentur ſceleris, & è tabernâ egreſſi ſauciatum illum diſparuiſſe viderent, *Converſi ſinguli ad ſeipſos*, ait Cantipratanus, *animadverterunt blaſphemijs ſuis rurſus Chriſtum Dominum contumelijs affectum, rurſus improperijs cruciatum.* Thom. Cantiprat. l. 2. Apum. c. 49. § 10. Et animadvertent aliquando filij diaboli improbitatem ſuam, quando *videbunt, in quem confixerunt* ſuas blaſphemias execrandas. Et tunc cognoſcent, quòd *gravius peccet contemptor ſedentis in cælo Majeſtatis, quàm crucifixor ambulantis in terrâ Paupertatis.*

493. Blaſphemia lege Divinâ morte punitur.

Hactenus de enormitate improbitatis blaſphemiæ; ad vindictam propero multiplicem, quam blaſphemia

in

Digitized by Google

in ſe provocat, per omnem legem graviſſimè prohibita, & ſeveriſſimè interdicta. Lege antiquâ Judaicâ in Levitico ſtatuitur ſequens ſententia ſuper blaſphemum. [Ecce autem egreſſus filius mulieris Iſraëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Iſraël, jurgatus eſt in caſtris cum viro Iſraëlita. Cúmque blaſphemaſſet nomen, & maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moyſen: miſerúntque eum in carcerē, donec nôſſent, quid juberet Dominus. Qui locutus eſt ad Moyſen, dicens: educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum populus univerſus. Et ad filios Iſraël loquêris: Homo qui maledixerit

Levit. 24. v. 16. Deo ſuo, portabit peccatū ſuum: & *qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſive ille civis, ſive peregrinus fuerit. Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.*] Moris erat apud Judæos, ut teſtes ſuper caput rei manus imponerent, quaſi ſignificantes, hoc caput eſſe impium, contra quod ferunt teſtimonium; ideóq; mortis eſſe reū, propter graviſſimū ſcelus, quod patrârat. Et meritò Deus blaſphemiæ aptavit legem & pœnam homicidij, eiúsq; reum juſſit lapidari: quia blaſphemator Creatorem cùm non poſſit interficere, linguâ ferit; ut juxta S. Auguſtini ſuperiùs effatum, non *minùs peccet, qui blaſphemat Chriſtum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixit ambulantem in terris.* Et quod Deus hac lege taxavit, certè etiam in effectu eſt executus. Nota eſt pœna blaſphemi Sennacherib, qui ob blaſphemiæ improbitatem eum 185. millibus eſt cæſus. Sic & blaſ-

Exod. 5. v. 17. phemus Pharao, quòd diceret, *Neſcio Dominum*, merſus eſt in mari rubro.

3 Reg. 20. v. 28. Sic & Syri dicentes, *DEUS montium eſt Dominus* eorum, *& non eſt DEUS vallium*, in valle à paucis Iſraëlitis prælio ſunt

1. Timoth. 1. v. ult. occiſi. Sic & Paulus in quadam Epiſtola blaſphemos tradidit Sathanæ. Ut exinde omnibus conſtet, quantum ſcelus ſit blaſphemia, quámque acriter illud puniat Deus, non tantùm in futuro ſæculo, ſed etiam in hâc vitâ.

Ad ſacros Eccleſiæ Canones diverto, qui in blaſphemos juſtiſſimis cenſuris ac pœnis admodùm rigoroſis detonârunt. Gregorius IX. ita determinat. *Statuimus, ut ſi quis contra DEUM, & aliquem Sanctorum ſuorum, & maximè contra B. Virginem, linguam in blaſphemiam publicè relaxare præſumpſerit per Epiſcopum ſuum pœna ſubdatur inferiùs notatâ.* Scilicet ut per ſeptem dies Dominicos coram foribus ſtans in pœnitentiâ, Eccleſiam non ingrediatur; eo modo, quo nunc adulteri ſimili confuſione caſtigantur: quolibet prædictorum dierum tres aut duos, aut certè unum pauperem eleemoſynis ſuis ſuſtentet, prout poterit. Renuens hanc pœnitentiam ſit abſolutè excommunicatus, & tam ingreſſu Eccleſiæ, quàm ſepulturâ privatus. Sed & mulctâ quinquaginta ſolidorum à ſæculari Poteſtate plectatur, juxta arbitrium facultatis ac fortunarum. Leo X. in Concilio Lateranenſi in decreto incipiente, *Ad abolendam execrabilem blaſphemiam*, Clericos blaſphemos primâ vice privat redditibus ac proventibus unius anni, recidivos toto beneficio; tertiò accuſatos, & de blaſphemia convictos, exuit omni dignitate ac beneficio Eccleſiaſtico. Laicos autem blaſphemos ſæculari Poteſtati committit, carceribus, mulctis pecuniariis, inhabilitatibus ad officia, depoſitionibus à gradu, & privationibus jurium ac privilegiorum caſtigandos: addit tandem, *ſi verò pluries in hoc ipſum peccatum lapſus fuerit, ad perpetuos carceres vel triremes damnetur, ad judicis deputati arbitrium.* Iiſdem pœnis ſubjaceant, qui cùm contra blaſphemos procedendum eſſet executione, viâ facti vel juris, denuntiatione vel inhibitione, diſſimulant improbitatem, connivent, cooperantur, aut ullâ ratione nefandi participes evadunt. Et hoc quidem meritò juxta S. Bernardini cenſuram: *quid enim ſi in terrâ ſuâ idololatriam ſuſtinerent, nonne æſtimaretur horrendum? & tamen blaſphemia in hoc deterior eſt: quia idololatria honorem ſuum DEO aufert, ſed ultra hoc*

494. Blaſphemi legibus Canonicis, & civilibus plectuntur ſeveriſſimè.

C. Statuimus. Extra de maled.

Conc. Lateran. ſeſſ. 9.

S. Bernardi. hic citatus.

blaſphemia contumeliam infert. Hæc omnia confirmavit Julius III. in bulla, quæ incipit, *Noviſſimo.* Similes Canones S. Carolus Borromæus Epiſcopus Mediolanenſis in ſecundâ & ſextâ ſuâ Synodo Provinciali contra blaſphemos ſacravit. Sed & Cæſareæ leges ſeveriſſimè animadvertunt pœnâ mortis in blaſphemos, quos Juſtinianus Legiſlator ſacerrimus tali prohibitione perſtringit: *Nemo juret per membra DEI, aut capillos, aut alio modo DEUM blaſphemet: his enim delictis & fames, & terræmotus, & peſtilentia fiunt: præcipimus ergo tales comprehendi, atque ultimis ſubdi ſupplicijs.* Certè S. Ludovicus, rex Galliæ, lege municipali latâ, blaſphemos candente ferro ſtigmatizari in fronte præcepit: & cùm Magnatum aliquis de ſimili improbitate accuſatus hâc pœnâ eſſet afficiendus, cujus tamen remiſſionem cæteri exorabant inſtantiſſimè, reſpondiſſe fertur, malle ſemetipſum tali torturæ eſſe notatum, ut è regno ſuo tantum nefas aboleatur. Simili exemplo Philippus Galliarum Rex, quamprimùm ad hanc regiam ſublimitatem fuit inauguratus, ſanctâ & promulgatâ lege, blaſphemos & perjuros demergi mandavit in profundis aquarum. Commendo & laudo illas municipales conſtitutiones, quibus de blaſphemiâ accuſati, aut denuntiati, exponuntur publicæ confuſioni, ſi grande ſaxum collo alligatum ſublimè ferant; ſi in foro infami columnæ alligari ponantur; ſi manicis ligneis conſtricti per plateas ducantur; ſi mulctam pecuniariam evomere cogantur, aut ſimili ſupplicio plectantur. *His enim delictis blaſphemiarum & fames, & terræmotus, & peſtilentia fiunt.*

Julius III. in Bulla 13.

Auth. ut non luxurientur.

495. Blaſphemi traduntur diabolo ad ſupplicium.

Denique innumerus futurus eſſem in recenſendis ſupplicijs à DEO per horribiles caſus illatis contra blaſphemiæ crimen, *quo* Salmerone teſte *nullum erat apud Judæos capitalius, nec apud populum atrocius.* S. Paulus Apoſtolus, Divini nominis & honoris zeloſiſſimus defenſor, nonnullos, qui in fide Chriſti fecerunt naufragium, Hymenæum videlicet & Alexandrum, Sathanæ poteſtati tradidit, ut ab hiſce miniſtris Tartareis cruciati, diſcerent deinceps ab omni blaſphemia abſtinere. *Tradidi Sathanæ*, inquit, *ut diſcant non blaſphemare.* Etenim tametſi implacabilis ille humani generis inimicus nullum loquendi genus libentiùs audiat, quàm blaſphemias, cùm hoc ſit idioma, quo in inferno loquuntur damnati; nihilominùs etiam in hac vitâ à Divina Juſtitia ad blaſphemos caſtigandos eſt deputatus. Unde „Theodoretus ait, [Tradidit eos diabolo, non ut bonorum magiſtro, ſed „ut ſævo carnifici: & ideo non dixit, „ut eos doceret, ſed, ut diſcant non „blaſphemare; ab Eccleſiaſtico enim „corpore ſeparati, & Divinâ gratiâ „nudati, ab adverſario crudeliter „flagellabantur.] Senſit hanc crudelem Infernalis caſtigatoris executionem puerulus ille quinquennis Romanus, qui malitiâ præveniente rationis uſum ſub blaſphemijs contra DEUM effuſis è paterno ſinu ab horribili diabolo fuit abreptus. Senſit vel maximè juvenis ille in Gallia Celtica, nobilitate quàm moribus clarior, quem in ſuum Pratum Spirituale produxit eximius Theophilus Raynaudus. Is juvenis Ordini militari adſcriptus, vomendis blaſphemijs præter cæteras labes gentilitiam claritatem & profeſſionem religioſam dehoneſtabat.. Cùm aliquando à venatione, cui pro gentis more addictus erat, ſeriùs domum rediret, & in multam noctem ei exercitationi inſiſteret, à matre viduâ increpatus, ac ni maturè deinceps regrederetur, cœnæ multatione intentâ deterritus, minas omnes ut fœminea terriculamenta deriſit. Sed cùm poſtridie domum cum fratre, & alio quodam, è venatione altâ jam nocte repetens, juſſa materna à Promo & Coquo, omnibúsque domeſticis adminiſtris obſervari exquiſitè vidiſſet; atque adeò ex matris præſcripto, quæ jam cubitum ſe receperat, obſeratis omnibus, poſt clamores fruſtra jactatos incœnatus hæreret: horribili devotione & execratione Sathanam excivit, & in

1. Timoth. 1. v. 20.

Theodoretus ſuper Timoth.

S. Gregorius 4. dialog.

Theoph. Raynaudus in Aſcetico. Centuria hiſt. 78.

DEUM

DEUM indignâ relatu concitatione blaſphemè ac furioſè bacchatus eſt. Reprimere fratris furorem fruſtra conatus alter frater, & ipſe muliſ materna particeps, in oppidū mittit, qui in frugalē cœnā aliquid conquirat; & allatis paucis ovis famem cum fratre blaſphemo ac tertio ſocio, ut licuit, depulsâ, in lectum, qui unus pro tribus præſtò fuit, ſeſe receperunt. Medius fratrem inter & alium nobilem venationis ſocium jacebat blaſphemus eques, irarum plenus ob ſubductas epulas, & cubationem incommodiorem. Affuit non ita multò pòſt gigantea ſpecie Sathan, duobus comitantibus moloſſis horrendæ magnitudinis ac feritatis. Horripilatio corripuit accubantes, blaſphemiarum paulò antè fuſarum haud immemores. Sed attoniti horrore, ac ſtupore defixi hæſêre, qui extremi accubabant, cùm medium blaſphemum evocari à Sathanâ ferociente, & fruſtra renitentem prehendi, ac eluſâ ſociorum ope abſtrahi per vim è lecto videtunt, & in menſam, quæ aderat protractum, grandi cultro diſſecari in fruſta, eâque moloſſis duobus voranda projici. Ferali officio perfunctus Sathanas, juſtum Dei judicium conteſtatus, nec ſibi in cæteros quicquam licere profeſſus, exceſſit, ſemimortuos præ conſternatione relinquens, quos habuerat adeò luctuoſæ tragœdiæ ſpectatores. Frater ob fratris cladem ſupra modum mœſtus, ubi ſuſpiria utcunque ſtitit, & lachrymas ſiccavit, cordolium perenne habiturus, coǵitavit ſæculum abijcere: & ſacræ religioni adſcriptus, vitam vixit, concepto de Divinis judicijs horrori conſentientem. Ex eodem Raynaudo aliud addo factum, quod blaſphemis ingerat animi concuſſionem, *ut diſcant non blaſphemare.* Apud montem Abbanum, hæreſeos antehac ſpelæum, Sectarij quidam Anno 1639. in auguſtiſſimam Trinitatem blaſphemè jocati ſunt; ſed non impunè. Serotinam enim ſymphoniæ gratulationem ad amaſiarum januas tùm obiviſſent hi ludiones hæretici, ab uno è ſocijs invitati ſunt, ut quod debitum amaſijs exolverant, Creatori quoque exhiberent; eóque animo ante templum omnis ſimul eorum pariter potantium chorus coaluit. In deliberationem ipſo initio venit, cuinam è tribus Auguſtiſſimæ Triadis Perſonis ea gratulatio ſymphoniaca eſſet pendenda. Et Patrem quidem tanquam nimis ſenem, & à concentu alienum præ ætate victâ, communi conſilio excluſerunt. Nec ad Filium quoque verti placuit, tanquam melancholicum, nec niſi cruces, clavos ac ſpinas animo præferentem. Circa Spiritum denique Sanctum, tanquam hilarem (ſic enim impiè garriebant) & lætitiæ fontem, complacuit omnibus defungi gratulationis officio. Alias complures blaſphemias ab ijs effutitas impiè, præſtat premere. Non fuit ſera, & in longum tempus protracta divina ultio. Caput & incentor cæterorum, mox acerrimâ febri corripitur; per cujus ardores, omnino immanes clamores, perinde ac homo deſperatione actus, ſuſtulit: & circum ejus domum, priusquàm impium ſpiritum emitteret, auditæ ſunt gratulationes ſymphoniacæ ijs geminæ, quarum blaſphemè edendarum author fuerat. Crimine ab uno, diſcite omnes. Nam nec omnes antecedentes ſceleſtos, déſervit pede pœna claudo. Quotidianæ paſſim vindictæ in blaſphemos ſubito ac iuſto Dei judicio evibratæ, teſtantur improbitatem ſceleris, de qua dixi.

Raynaudus citatus hiſt. 68.

Concludo tandem: & ſi quæ mihi à vobis gratia ob hanc dicendi fiduciam ſperanda reſtat, talem peto, qualem S. Chryſoſtomus in eadem argumenti proſecutione à ſuo populo petivit exhibendam. Verbis illius, non meis utor, quanquam & mea ſint, quæ ſentio, quæ loquor, quæ intendo. *Poſtquam de blaſphemiâ vobis verba nunc facta ſunt, unam à vobis omnibus petere volo retributionem pro Concione hac, atque ſermone, ut in civitate blaſphemantes mihi caſtigetis. Et ſi quempiam in bivio, & foro DEUM blaſphemantem audieris, accede, increpa: & ſi verbera infligere oporteat,*

S. Chryſoſtom. hom. ad populum.

teat, ne recuſes; ipſius faciem alapâ percute, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica. Et ſi ulli te accuſaverint, & ſi in carcerem traxerint, ſequere: & ſi pœnas judex pro tribunali repopoſcerit, dic cum libertate; quia Angelorum Regem blaſphemavit. Dic, & audacter dic cum Scribis in hodierno Evangelio: *Hic blaſphemat.*

Amen.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

RUBICILLA OFFICIOSA.

Das geſchäfftige Thumbpfäfflein.

LEMMA.

- - - *Ne quid pia Sacra moretur.* Ovid. l. 2. Faſt.

THEMA.

Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei & ALTILIA occiſa ſunt. Matth. 22. v. 4.

SYNOPSIS CONCIONIS LIII.

Exquiſitâ inductione fructuum & emolumentorum Sacrificij Miſſæ officiosè invitantur Sacerdotes, ut, quantùm ſine rationabili impedimento poſſunt, quotidie celebrent; Fideles verò Laici dignâ reverentiâ, & devotione Sacro quotidie aſſiſtant.

496. Miſſæ Sacrificium, & S. Communio ſunt nuptiæ cum Chriſto.

VIctimæ ſolennes ſunt hodie, properandum eſt in Bethlehem; hoc eſt, in domum panis: ſinite Samuelem quantocyùs pertranſire ad Majores natu illius oppidi. Vbi cornu olei? ubi tauri ſaginati? ubi extructum altare? ubi ignis & ligna? *NE QVID PIA SACRA MORETVR.* Nuptiæ ſolennes ſunt hodie, quas Rex parabolicus inſtituit ſuo filio; jam parietes Phrygijs tapetibus ornati; jam menſæ auricomis ſuperſtratorijs contectæ: jam ſellæ, & ſedilia ſerica inſtructa: jam focus, coquus, & cacabus pingui nidore ſpirantes; jam vina græca rubeſcunt in poculis cryſtallinis: ferculorum apparatus inventione, pretio, ſapore & numero, etiam Aſſueri videtur ſuperare magnificentiam. *Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias*, ſine mora, ſine dilatione, liberè & lætanter, velociter & properanter, *ne quid pia Sacra moretur.* Officioſus valde eſt Angelicus Doctor in harum nuptiarum apparatu instruendo; hinc & Origenis authoritatem ſecutus, taliter diſcurrit. *S. Thomas ſuper Matth.*

„[Eſt diſpoſitio Sapientiæ DEI. Tauri

„dicun-

„dicuntur rationes fortes. Iſa. 8. *In* „*forti manu ſua erudivit me.* Altilia, „dicuntur,quaſi alita benedicuntur, „propriè aves ſaginatæ, quæ nutriun„tur & impinguantur, & ſignificant „ſubtiles ſenſus ; & fiunt ſaginatæ, „quando ſacris ſenſibus multiplican„tur, quibus anima ſaginatur. *Sicut* „*adipe & pinguedine repleatur anima* „*mea.*] Nuptias ſcilicet Rex cœleſtis paravit Vnigenito Filio ſuo JESU Chriſto, quem deſponſavit Eccleſiæ, ex Judæis & Gentibus congregatæ: unde & ad prandium admiſit voluntarios atque coactos, & ubique per vias & ſepes intrare compulſos; de quibus tamen aliquis minùs dignus, non habens veſtem nuptialem, eſt exturbatus. Sed verò ſuccinctus ait Theophylactus. *Facit DEVS nuptias filio ſuo, copulans eum omni animæ formoſæ*, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ, per dignam ſumptionem pretioſiſſimi Corporis & Sanguinis Chriſti: quod totum utique eſt diſpoſitio Sapientiæ DEI; ut pia Sponſa, hoc eſt, Anima, & forti ratione atque fide erudiatur, de tanto Myſterio, & per ſumptionem cœleſti adipe, ac divinarum gratiarum pinguedine repleatur. Porrò hoc convivium Euchariſticum ſub ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio præparatur à Sacerdote celebrante: ibi adſunt actiones tranſubſtantiantes; ibi recolitur memoria ſalutiferæ Paſſionis; ibi immolatur victima propitiationis; ibi mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pign⁹ datur: ibi ſumptio, ibi conjunctio: ibi tauri, & altilia ſaginata, & ad guſtũ animæ condita; hoc eſt, ut D. Thomas loquitur, *Spiritûs Sancti dona, quæ conferuntur in hujuſmodi Sacramenti perceptione devotâ*, cum fructibus pinguiſſimis & emolumentis tanti Sacrificii. Licèt autem ad hoc prandium nuptiale occiſa ſint cætera Altilia; vivit tamen adhuc hodie Rubicilla officioſa, quæ pro ſua in tractandis Sacris dexteritate vobis optimos, dulciſſimos, efficaciſſimos Miſſæ Sacrificii exponet fructus; quibus ſaginandi, ad tantum myſterium, *ne quid pia ſacra moretur*, frequentandum properetis Invitati, tam Laici quàm Sacerdotes, In nomine Domini.

Theophylactus ſuper Matth.

497. *Officioſa Rubicilla*, quæ rectè apud Germanos Myſtæ, aut Canonicelli appellatione gaudet: nam triangulari roſtro prædita, linguam ampliſſimam intus movet, quâ omnem cantum addiſcere, & omnem ſignificativam vocem imitari novit. Et quid Clericis familiarius, quàm in decantandis Pſalmis gloriam accinere Trinitati Divinæ, ac linguâ ad omnem ſcientiam eruditâ Verbum DEI annuntiare populis? Cappam etiam ſubfuſcis & rubris pennulis tam appoſitè ſuper caput extenſam gerit, ut planè cucullatos imitetur Clericos. Manet continuò in eodem loco, ut Canonicus in ſuo Choro, aut Parochus in ſua Parœciâ. Colores purpureos per omnes pennas tam ornatè cum coccineis & candicantibus moderatur, ut jucundum præbeat diſcernenti aſpectum, & nonnihil multicolorem Eccleſiæ apparatum repræſentet. Cæterùm tota familiaris eſt Rubicilla & ſocialis, ficut Religioſi aut Canonici, viventes unius moris in domo: nunc canendo, nunc meditando, nunc articulatè pronuntiando, nunc conſveta ſua opera perficiendo, tota eſt *Rubicilla officioſa.* Decentiùs utique hìc Rubicillam adduco, quàm ſupra in Dominicâ ſeptimâ poſt Pentecoſten factum memineritis: ibi enim à germaniſmo non merebatur ornatius prædicatum; at verò hìc dignè inter Myſtes & Monachos collocatur, quos in ſacro ſuo munere admodùm officioſos eſſe decet. Illud ſpeciale in hac aviculatum ſpecie, quòd etiam fæmellæ pari perfectione canant, meditentur, pronuntient, operentur ſicut maſculi: unde ob ſimilem rationem cum Sanctimonialibus ſymbolizant.

Rectè Sacerdos quotidie celebrat.

Deſcriptio Rubicillæ.

Supra n. 195.

I mea, dixit, avis, ne quid pia ſacra moretur.

Ad Sacerdotes tanquam digniſſimos incruenti Sacrificij Miniſtros, ſive Eccleſiaſtici ſint ſive Religioſi, ea tendit invitatio, ut incruentum Miſſæ Sacrificium frequenter, imò quotidie cum debitâ devotione celebrent; nam

juxta

c. ſi non de conſecrat. diſt. 2.

juxta Canonē, *ſi non.* [Si non ſunt talia peccata, ut excomunicetur quis, non debet ſe à medicinâ Corporis & Sanguinis Domini ſeparare.] Et hoc videtur quotidiana vel neceſſitas, vel infirmitas ſvadere, *ne quid pia ſacra moretur.* Neceſſitas quidem; nam ſicut homo quotidie indiget corporali pane & alimento ad reſtaurandas perditas ventriculi vires, juxta illud Threnorum: *Omnes quæſierunt panem, ut refocillarent animam ſuam*; ita non eſt cibus magis ſapidus, ſatiativus ac virtuoſus quoad refectionem animæ, quàm panis conſecratus ſub Miſſæ Sacrificio: *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Infirmitas verò id aliunde videtur exigere ex cap. *ſi quotieſcunque*; ubi ſvadetur Sacerdoti, ut contra quotidianam peccandi proclivitatem opportuna animæ adhibeatur medicina. *Si quotieſcunque effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo illum ſemper accipere, ut mihi ſemper peccata dimittantur: qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam.* Quibus ſi illa tam ſanctè commendata, & tam amanter inculcata commemoratio accreſcat, *Hoc facite in meam commemorationem*; ſvaviter commoventur viſcera Sacerdotis, ut ſine gravi & rationabili impedimento à Divini Altaris participatione ſe haud ſubtrahat: ut de Sanctis Laurentio Juſtiniano Patriarcha Veneto, & Odilone Abbate, quotidie celebrantibus miſſam, niſi valetudine impedirentur, illud laudabiliter referatur; quòd ſcilicet dicere ſint ſoliti, eum, qui cùm poſſet Domino ſuo frui, non frueretur, facilè ſe declarare, Domini ſui nec curam nec commemorationem habere.

Thren. 1. v. 19.

Joan 6. v. 59.

c. ſi quotieſcunque de conſecrat. diſt. 2.

Luca 22. v. 19.

Bernard Juſtin. in vita. Laur Juſt. c. 9

Vide plura in Theophili Raynaudi Heteroclitis ſpiritualibus ſect. 2. punct. 2.

498. Semel aut ſæpius miſſam quotidie celebrandi ratio exemplis comprobata.

Hanc commemorationem Divinitatis myſterio ſublimem, & gratitudinis obligatione ſacratam, & affectûs teneritudine delicioſam, & latriæ cultu officioſam, & devotionis apparatu acceptabilem, & conſolationis fructu fœcundam, usque adeò Primitiva Eccleſia frequentavit, ut de die etiam ſæpiùs quoscunque obices fecerit eſſe inanes, *ne quid pia ſacra moretur*, & tanti Sacrificij uſus reſtringatur. Leo III. etiam novies de die celebraſſe Sacrificium, refertur à Strabone. Conſtituit Concilium Salegunſtadienſe, cui anno 1022. etiam Bruno Auguſtanus interfuit, ne quis trium Miſſarum numerum excederet. De S. Vdalrico Epiſcopo Auguſtano narrant Annales, eum plerumque tres ac etiam plures de die cecinisse miſſas, ſi infirmitas corporis, aut inevitabile ſtudium tempori non officeret. Quidquid ſit de can. 14. Concilij Emeritenſis XII. concedentis licentiam, diebus Dominicis, quando ob paupertatem Eccleſiarum plures eſſent uni Curato creditæ, in ſingulis ſingula ſacrificia offerendi; prout id etiam alios Epiſcopos in neceſſitatis causâ indulſiſſe, humana memoria retinet; illud certè Concilium Tridentinum Epiſcopum curare hortatur, ut ſuæ Diœceſis presbyteri ſaltem diebus Dominicis & feſtis ſolemnibus miſſas celebrent; imò etiam frequentiùs id præſtent, ſi curam animarum habuerint, ut officioſi ſuo muneri ſatisfaciant. Si ſolemnitatem Nativitatis Domini demas, in qua ex antiqua ordinatione Teleſphori Papæ cuilibet Sacerdoti tres Miſſæ legendæ conceduntur, vel ob triplicem Chriſti nativitatem, vel ob triplicis legis illuſtrationem, vel ob triplicis gaudij plenitudinem; non licet privato Sacerdoti ordinariè plura de die Sacrificia celebrare, quàm unum. Et hoc ſi quotidie præviâ competente diſpoſitione frequentârit, ſanctitatem imitatur S. Andreæ Apoſtoli, Ægeo Proconſuli idolorum Sacra jubenti reſpondentis, Ego quotidie immolo Agnum immaculatum: ædificatur S. Gregorij Magni exemplo, etiam ſi acutâ podagræ criſi pungeretur, rem Sacram non omittentis: admiratur S. Ambroſium Mediolanenſem Antiſtitem, qui ideo familiæ domeſticæ adminiſtrationem ſuo germano fratri Satyro commiſit, *ne quid* quotidie *pia ſacra* peragenda *moretur*: æmu-

Strabo. c. 22.

Conc. Salegunſtad. c. 5.

Walſtrm. c. 23.

Conc. Trid ſeſſ. 23. c. 14.

In vita S. Andreæ.

æmulatur Angelici Doctoris zelum, qui præcipuâ devotione erga præſtantiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum afficiebatur; ſolebátque quotidie Miſſæ Sacrificium offerre, & adhuc alteri fratri ſacrificanti miniſtrare. Habent hoc, & id hodie obtinent timoratæ conſcientiæ Sacerdotes, ut quotidie celebrent, imò diem perdidiſſe arbitrentur, quo non celebraverint; nunc perſecutionis, aut infirmitatis tempore cum Sancto Caſſio Narnienſi Epiſcopo in privatis ædibus; nunc cum Divo Cypriano in carceribus; nunc cum Sanctis Machuto & Maclovio ſuper balænam; nunc cum S. Bonifacio Epiſcopo & Martyre publicis in tentorijs; nunc cum S. Paphnutio in recluſis cellis; nunc cum S. Apollinare in anteforaneis tugurijs. Stupenda ſanè in S. Luciano presbytero ad celebrandum Sacrum devotio, Authore Nicephoro: cùm enim ei vis Tyrannica neque templi neque ſacrarij copiam faceret, & vincula quoque ac plagæ corpori motum denegarent, Lucianus in ſuo ipſius pectore decumbens, horrendo illo operabatur Myſterio; eóque modo & ipſe de illo participabat, & ut alij participarent, qui cum eo vinculis erant mancipati, ſvaſor erat. Sacrum illud in carcere perficiebatur, & ſacer ille Chorus, qui eum jam morientem ſtipabat, Eccleſiæ ſpecimen repræſentabat. Tam officioſa eſt devotio, & tam ingenioſa, incruentum Sacrificium & immaculatum offerre DEO Optimo & Maximo; quàm inſulſus & indignus prætextus, velle privare Eccleſiam, ſéque ipſum inprimis tantâ ubertate bonorum omnium abſtinendo à ſacrificio, ad quod conficiendum poteſtatem acceperis.

Nicephorus l.8.hiſt. c.31.

499. *Fructus Sacrificij dulces frequenter applicandi.* Sed verò etiam officioſos & probos Myſtas ad frequenter celebrandum invitare & allicere deberent eximij fructus, à tanto Sacrificio reſultantes, qui ſuper mel & favum dulces animas oblectant, & cœleſti pinguedine ſaginant. De Merope, quæ pietate in parentes cæteris volucribus præſtans, alvearia infeſtat, apéſque abſumit; ita ut Virgilius de re ruſticanâ moneat, *Virg. 4. Georg.*

Abſint & picti ſqualentia terga lacerti

Pinguibus à ſtabulis, Meropéſque, aliaq́ volucres;

tradit Bellonius, quòd in Candia à pueris ſic capiatur. *Bellonius. Geſnerus.* Accipiunt arundinem cum longo filo, in cujus extremitate hamus colligatur: hamo infigunt apem, eámque in aëre jactant, ut videri à transvolantibus Meropibus poſſit: hæ admodum inſidioſæ apibus, protinus advolant, & dum prædam capiunt, hamo trahuntur captæ Apiaſtræ; vulgo Immenfraß. *Brevis in volatilibus eſt apis; & initium dulcoris habet fructus ejus.* *Eccli. 11. v. 3.* Verè initium cœleſtis dulcoris in ſe continet Apis Euchariſtica, qua probi Sacerdotes velut hamo inſcati trahuntur, & capiuntur ad frequenter celebrandum Sacrificium! Hinc enim efficitur, ut quò frequentiùs hoc Sacrificium in Eccleſiâ offertur, eò majori DEI gratiâ & ſpiritualibus donis abundet; niſi perverſa fidelium malignitas gravioribus ſceleribus fontem illum Divinæ benignitatis avertat. Quod ut intelligatur diſtinctiùs, operæ pretium eſt intelligere, quid propriè interſit inter cruentum Sacrificium Crucis & hoc incruentum Miſſæ. Nam licèt ſit idem offerens & eadem hoſtia, haud tamen eodem modo utrumque vel à Chriſto eſt oblatum, vel à DEO acceptatum. Nam Sacrificium Crucis fuit veluti cauſa univerſalis moralis noſtræ ſalutis, & omnium mediorum ad illam; ac proinde ſicut cauſa univerſalis per ſe & ſola nihil ſolet efficere, ita nec per Crucis Sacrificium fuit ulli in particulari immediatè conceſſa ſalus, vel aliquod ſpirituale bonum. Nec enim eâ intentione offerebatur à Chriſto Sacrificium Crucis, aut à DEO acceptabatur, ut immediatè prodeſſet; ſed tantùm, ut infinitum pretium toti mundo ſufficiens velut in genere, &

quaſi in abſtracto paratetur; cum pacto, ut poſſent ex eo theſauro neceſſaria omnibus, modis & inſtrumentis tunc ab ipſo Chriſto inſtitutis, depromi ſecundùm certam & limitatam menſuram, prout Divinæ Sapientiæ placuit. Etſi enim Chriſtus Dominus dum viveret, per ſe immediatè multos mirabiles gratiæ effectus produxerit, tamen non produxit eo actu, quo Patri Sacrificium obtulit, ſed diſtincto, quo fructum Paſſionis ſuæ ijs, qui aderant, applicari à Deo poſtulabat: neque communiter ea particularia adhibuit inſtrumenta, quæ poſt mortem ſuam Eccleſiæ reliquit, & ante mortem potiſſimùm inſtituit; ſed cùm viveret, ijs quibus voluit modis, id pretium applicavit, & ſine Sacramentorum adminiculo gratiam multis largiri potuit.

500. *Triplici medio nobis Sacrificium Crucis applicatur.*

Sed verò tres alios præcipuè modos, vel inſtrumenta elegit, quibus nobis Sacrificij Crucis virtus applicaretur. Primò quidem elegit ad hoc bona opera noſtra, actúſque præcipuè internos, Fidei, Spei, doloris de peccatis, Charitatis, & aliarum virtutum; qui cùm in gratia fiunt, hauſto ex Chriſti Paſſione vigore & ſatisfacere ex rigore pro præteritis peccatis, & mereri ex Juſtitia gratiæ augmentum, viréſque majores in futurum, & impetrare ex Dei liberalitate quævis bona poſſunt. Nam illis morali quodam modo unitum eſt pretium Crucis Chriſti, quod per unumquodque bonum opus Deo exhibetur, non ad infinitum effectum, ſed ſecundùm capacitatem cujusque; ac proinde ad effectum finitum, & determinatum. Verùm quia lentiùs tardiúſque in hujusmodi actus prorumpimus, niſi interiùs exteriúſque excitemur, hinc ſecundò Chriſtus inſtituit Sacrificium Euchariſtiæ, ut utroque modo juvemur. Nam ſicut quando pendebat in Cruce, aut ſi modò penderet, fieri vix poſſet, quin ad tam cruentum ſpectaculum non tantùm undique concurrerent fideles, ſed etiam ſummoperè illo permoverentur; prout contigit latroni, cui Deus tunc etiam internam gratiam benignè conceſſit, & Chriſtus meritum ſuæ Paſſionis per ſe immediatè ex ſingulari gratiâ applicavit. Ita hoc tempore ex Chriſti inſtitutione, in hoc incruento Sacrificio immolatus Chriſtus in medio Eccleſiæ, non tantùm omnibus Fidelibus admirabile illud ſpectaculum renovat, ut ad illud accurrant; ſed ijs omnibus, qui aliquo modo ad illud concurrunt, aut pro quibus offertur, ſingulis pro ratione ſuæ infinitæ Sapientiæ, ſive ex opere operato, ſive ex liberalitate, fructum ſuæ Crucis voluit à Patre ſuo applicari, & de facto meritum ſuum applicat; atque ex pacto, quod cum Deo inijt, quibusdam pœnas peccatis debitas condonat, ut fecit latroni; alijs verò gratiæ auxilia, ac bona alia impetrat. Prout innuit Apoſtolus: *Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Hebr.4.v.16. Quod certè auxilium opportunum, ut impetravit Summus noſter Pontifex latroni, & alijs, qui revertebantur percutientes pectora ſua, ut converterentur, cùm ſe in Cruce immolabat; ita etiam modò impetrat ijs, qui vel offerunt, vel pro quibus offertur hoc Sacrificium. Verùm quia Sacrificium ex naturâ ſuâ offertur DEO ad eum honorandum, & ejus beneficia impetranda, non autem ad homines immediatè ſanctificandos; idcirco tertiò præter Sacrificium etiam inſtituit Sacramenta: per quæ immediatè Fideles ita excitati, tectéque diſpoſiti, non tantùm primam juſtificationis gratiam conſequuntur, ſed etiam, ſi jam juſti erant, magis ac magis ſanctificantur. Itaque Sacrificium incruentum ſe habet ad Sacramenta, & bona opera noſtra, ſicut cauſa magis univerſalis, quæ ſi non ſemper ſaltem ſæpiſſimè ſupponitur: cùm per illud gratiæ prævenientes ſive ex opere

ope-

operato, ſive ex Chriſti impetratione concedantur & ad bona Chriſtianáque opera facienda, & ad ritè ac utiliter recipienda Sacramenta. *Trident. ſeſſ.* 22. c. 2. Hujus enim Sacrificij oblatione, juxta Tridentinum, placatur Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia dimittens. Atque inde eſt, quòd cùm cruentum Sacrificium Crucis ſemel tantùm offerri debuerit, ut *initium* omnis *dulcorū habeat fructus ejus*; ita Sacrificium Miſſæ incruentum ſæpiùs offertur ad finem mundi usque, ut ſit in omnibus hominibus, non uno in loco exiſtentibus, aut uno in tempore, ſed continuo ſibi fluxu ſuccedentibus, convenientiſſimè univerſalis cauſa per particularem hanc determinata, diffuſáque in loca omnia & tempora operetur.

501. *Sacrificium laudis ſub Miſſâ Deo ſummè acceptabile.* Elucet exinde, quàm excellenter Chriſtus Divinam gloriam ſuam voluerit promovere. Cùm enim in eo præcipuè conſiſtat, ut per bonorum ſuorum & perfectionum communicationem innoteſcat & ametur; & cùm ad theſauros illos divitiarum Dei aperiendos haudquaquam humana ſufficeret natura, hanc veluti clavem fecit, quâ quoties volumus, recluſis immenſis Chriſti Paſſionis meritis Divinæ bonitatis & miſericordiæ fontem in nos derivaremus: ſicque ad inſignem vitę ſanctitatem pervenire poſſemus, & ex infinitis propè effectibus, quos quotidie in nobis aliiſque ſentiendo experimur, ad intelligendum, quidquid in Deo eſt, penetraremus; ac provocaremur ad eum excellenter amandum ac laudandum, hauſtáque inde eximiâ puritate majori Dei gloriæ ſerviremus. Hinc enim in nova Lege illa gratiæ & ſanctitatis abundantia in Apoſtolis & Martyribus, tótque alijs, per quos Chriſtus & Deum Patrem ac ſeipſum miro modo clarificavit, & quotidie clarificat: ut meritò Rubicilla officioſa eſſe debeat in decantandis Dei laudibus, & Sacerdos in offerendo latreutico Sacrificio laudis aſſiduus; quod Altiſſimo tantò erit acceptabilius, quantò compendioſius omnis laus in hoc Sacrificio fuerit incluſa. Placet mihi commentum Empedoclis, qui cùm in Olympico certamine viciſſet equis, ex myrrha, thure & aromatibus varijs bovem concinnavit, quòd animatis ex Pythagoræ placito abſtineret: *Ælian. var. hiſt.* ſed hoc maximè diſplicet, quòd bovem illum non Deo obtulerit, ſed populo ad panegyrin confluenti. Cui enim dignius parentatur hoc panegyrico ſacrificandi ritu, quàm ſupremo Numini, theſauros divitiarum ſuarum in hoc tanto Myſterio diſpenſanti? Adeſto Sacerdos, propera, atque agilem te exhibe, *ne quid pia ſacra moretur*: combina omnem laudis plauſum, Deo ex Apoſtolicorum virorum prædicationibus, & gentiū converſionibus reſultantē: combina laudem Dei promanantem ex eo, quòd quis omnes totius Sveciæ, Angliæ, Daniæ ac Germaniæ hæreticos, omnes totius Gręcię aut Moſcoviæ ſchiſmaticos, omnes totius Turciæ Mahumetanos, omnes totius Orientalis & Occidentalis Indiæ Barbaros ad S. Eccleſiæ Romanæ gremium reduceret: combina laudem, quam omnes in cœlo Angeli, omnes in terrâ homines, in inferno diaboli, omnes præteritæ, præſentes & futuræ, poſſibiles & actuales creaturæ Deo poſſent præſtare; tunc omnis iſta laudū operatio, cæteris paribus, tam acceptabilis Deo non foret, quàm unicus actus amoris, quo Chriſtus vel momento Divinam Majeſtatē proſequeretur: & hoc propter dignificationem ex unione Hypoſtatica in Chriſtum reſultantem. Quid ergo laudis exinde accipiat Deus, ſi à Sacerdote in hoc Auguſtiſſimo Sacrificio ad gloriam dignè immoletur ipſemet Chriſtus, fons omnis ſanctitatis inexhauſtus, & Divini amoris ardentiſſima abyſſus? Noverat id Henricus III. Imperator, qui victo Aba Tyranno, à quo Petrus Rex Hungariæ è throno fuerat ejectus, ut meritas Deo gratias ageret, depoſito paludamento, ſumptóque cilicio, item nudis pedibus

porrecto humi pectore, ac profuſis coram legionibus lachrymis, ante ſacroſanctum, & ſalutare Crucis ſignum ſub Miſſæ ſacrificio procidit, immortalem Divinæ benignitati gloriam retulit. Immortales quoque gratias egit, quòd Hungarorum manus evaſerit, ſævitiam eorum, & vires divinâ ope repreſſerit. Eâdem quoque Religione univerſus Exercitus Deo laudes ac ſacros hymnos concinere viſus eſt, ut Imperatoris exemplo Divinum beneficium recognoſceret. Sic & Alphonſus Rex Aragonum ad Troiam victoriâ potitus, non priùs arma deponere, & corporis curam habere voluit, quàm litatorio Sacro Deo egiſſet laudes & gratias. Et licèt Philo diſertiſſimus Hebræus dixerit, *Praſtat DEUM colere non victimis & donarijs, quibus ne totus quidem mundus ſuffecerit, ſed laudibus & hymnis*: noverant tamen iſti pientiſſimi Principes, nôrunt quicunque probi Sacerdotes, Deo bonorum omnium Largitori ſub Miſsâ Sacrificium laudis & gloriæ offerri, omnium diviniſſimum & acceptabiliſſimum.

Bonfinius l. 2. dec. 2. hiſt. Vngar.

Lud. Dominicus l. 1. var. hiſt.

Philo l. de plant. Noe.

502. *Ecce prandium meum paravi.* Orexin vobis ſuſcitâſſe videor, ad ſvaviſſimos hujus Sacrificij fructus percipiendos; appono eximia alia ejusdem condimenta, quibus & Sacerdotes & Laici Fideles invitentur ad prandium. Si quis fortè cum cœleſti Patrefamilias ob præcedentia delicta in diſgratiam concurrit; quò minùs ad has ſymbolicas nuptias invitetur, officioſè curandum eſt, *ne quid pia ſacra moretur*: nam hoc Miſſæ Sacrificium eſt *Propitiatorium*; quo & maculæ ex animo abolentur, & fuliginoſa candent, & fœda nitent, & obſcura clareſcunt. Iratus Princeps haud placatur faciliùs, quàm deprecando culpam, aut magni pretij donum offerendo. Et quod donum Divina Omnipotentia poſſet condere pretioſius, vel Bonitas melius, vel acceptabilius Sapientia, quàm donum Euchariſticum, quod Sacerdos æterno Patri offert ad impetrandam veniam? *Ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Nec herba Borith tantam vim obtinet, nec creta fullonum, nec hyſſopus moſaica purpureo ſanguine tincta, nec fanorum aſpergilla, nec populorum balnea, nec pigmentatiorum olea; ad inducendam animæ munditiem, ad delendum iniquitatis reatum, ac conciliandum Deum: cujus offenſi dignitas tanta eſt, ut ſi eſſet homo aliquis infinitâ gratiâ præditus, imò & ſi innumeri mundi conderentur hujusmodi hominibus pleni, infinitâ gratiâ pollentibus; omnes tamen illi quidquid agerent, vel totâ æternitate paterentur, pro unico peccato ſatisfacere de facto nō poſſent; eò quòd bonitas & dignitas omniū iſtarum actionum æquare non poſſent malitiam noxæ: cùm dignitas meritoriarum operationum ſit metienda ex dignitate perſonarum operantium; noxa verò ſit menſuranda ex dignitate perſonæ offenſæ; ita ut nulla inter utrasque poſſit apparere commenſuratio. At verò, ut cum S. Leone loquar, *Effuſio pro injuſtis Sanguinis juſti tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut ſi univerſitas captivorum in Redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. Quamvis enim in conſpectu Domini multorum Sanctorum pretioſa mors fuerit; nullius tamen inſontis occiſio, propitiatio fuit mundi. Acceperunt juſti, non dederunt, coronas: & de fidelium fortitudine exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum ſuo funere ſolvit; cùm inter filios hominum ſolus Dominus noſter JESUS Chriſtus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſunt ſuſcitati.* Jam verò cùm unica ejus actio omnium, quæ patrari, imò quæ fingi poſſunt, criminum malitiam ſuâ ſanctitate exſuperet, ipſe pro mei unius criminibus omnium actionum ſuarum merita in lytrum æterno Patri offert; pariterque pro aliorum delictis ſe & ſua omnia, non ſemel, non uno tempore, ſed tot in Altaribus, & per tot Sacerdotes ſeſe tradit,

Sacrificium Miſſæ Propitiatorium eſt & Euchariſticum.

1. Ioan. 2. v. 2.

S. Leo ſer. 12. de Paſſ.

dit, & usque ad finem mundi eſt traditurus. Quòd ſi verò à Patrefamilias eximia acceperit beneficia invitatus, officioſè iterùm curandum eſt, *ne quid pia ſacra moretur*: nam hoc Miſſæ Sacrificium eſt *Euchariſticum*, inſtitutum ad beneficiorum gratam recordationem, gratiarúmque pro ijs actionem. Innumera autem ſunt beneficia Dei in nos cumulata; nec ſcatet aër tot atomis, quot homo Dei beneficijs: ſicut autem nulla eſt proportio unius puncti ad immenſam totius Vniverſi circumferentiam, ita nec ulla inter noſtram erga Deum benevolentiam, & Dei in nos beneficentiam. Chriſtus noſtræ egeſtati conſulturus rationem nobis optimam ſubminiſtravit, par Dei in nos meritis grati animi pignus dignáſque referendi gratias, dum in uſus noſtros Sacrificium inſtituit Euchariſticum; per quod grati animi partes omnes exequi poſſimus. Fieri enim non poteſt, ut pro omnibus Dei donis, gratijs, favoribus, beneficijs, tam corporalibus quàm ſpiritualibus, Deo valeamus gratiores exiſtere, quàm per hoc Sacrificium: in quo ipſemet Chriſtus, totus in cor & linguam vertitur, ad gratias noſtro nomine æterno ſuo Patri agendas, & commemorandas.

503. Sacrificij effectus varij ex opere operato, & operantis.

Agendo de tauris mactatis & altilibus occiſis, nihil adhuc de prandio parato egiſſe aut operatus fuiſſe, neque cum officioſâ Rubicillâ prominentes in arboribus florum oculos collegiſſe exiſtimater; niſi etiam de virtute ac vi illa ſollicitaret, qua in auguſtiſſimo Sacrificio à Deo liberaliſſimo bona tam corporalia quàm ſpiritualia impetrantur. Et quidem vis illa effectiva obtinendi Dei dona ac fructus Sacrificij, alia conſiſtit *in opere operantis*; quæ dependet à bonitate & merito, pretio & virtute ipſius Miniſtri ſacrificantis: in quo & gratiæ ſanctificantis annexarúmque virtutum ornatus, & actualis devotionis robur plurimùm ſi emineant, plures & efficaciores Sacrificij effectus pro ſe offerentibus Sacrificium, aut ſuſcipientibus Sacramentum, & illis etiam, pro quibus offertur, obtinebunt, juxta intenſionem & menſuram operantis. Alia verò, & potior quidem, conſiſtit *in opere operato*, independenter à merito & dignitate Miniſtri: talis autem effectus ex opere operato in Sacrificio obtentus, juxta pleroſque Theologos, nec percipitur à Sacerdote, ut offerens eſt; nec à fidelibus, quatenus ſunt offerentes, ſed quatenus pro ipſis offertur. Hoc enim Sacrificium inſtitutum eſt, ut pro hominibus offeratur; & ut illis duntaxat proſit, pro quibus offertur; cúmque ſit applicativum virtutis ſacrificij Crucis, non cauſat effectum niſi in ſubjecto, cui talis virtus applicatur; quod quidem fit ab offerente, & oblationem pro tali perſonâ determinante; ſi tamen ipſa perſona, pro qua offertur, obicem haud poſuerit. Obtinemus & impetramus ex opere operato, hoc Miſſæ Sacrificio, remiſſionem pœnæ temporalis, ſolvendæ Deo pro peccatis commiſſis, ſive in hac, ſive in alterâ vitâ: ita ut acceptetur à Deo non tantùm pro viatoribus adhuc in vitâ exiſtentibus, ſed etiam pro defunctis fidelibus luentibus in purgatorio pœnas reſtantes: prout inter alios pluribus experimentis oſtendit Thomas Cantipratanus. Impetramus remiſſionem culpæ tam mortalis, quàm venialis, ſi non immediatè ac formaliter; ſaltem mediatè ac diſpoſitivè; quatenus homo, pro quo offertur, obtinet auxilium gratiæ actualis, quo ſe ad remiſſionem peccatorum, etiam venialium, diſponat. Sunt, qui velint, ſepties in Miſsâ remitti peccata venialia, ſicut ſepties in Jordane ſe lavit Naaman: nempe in Confeſſione, in invocatione Sanctiſſimi nominis Jesu, in Conſecratione panis, in elevatione Sanguinis, in oratione Dominica, in tunſione pectoris ad Agnus Dei, & tandem in ultima benedictione ſuper populum data. Certè S. Paſchaſius Pontifex in Decreto ſic citatur locutus; *Et ideo quia quotidie labimur, quotidie Chriſtus pro nobis myſticè immolatur: & paſſio* Chri-

Cantipratan. l. 2. apum. c. 27. n. 18. & ſequentibus.

4. Reg. 5. v. 14.

C. iteratur 72 de conſecrat. diſt. 2.

Chriſti in miniſterio traditur, ut qui ſemel moriendo mortem viceras, quotidie recidiva delictorum per hæc Sacramenta corporis & Sanguinis peccata relaxet. Impetramus augmentum gratiæ ſanctificantis; quod quidem non immediatè ex virtute Sacrificij confertur, ſed mediantibus auxilijs actualibus collatis per Sacrificium ad exercenda opera meritoria, quæ gratiam augent. Et quid de ſuffragiorum participatione dicam, ex auguſtiſſimo hoc Sacrificio redundante? quando Juſtinianus Patriarcha Venetus brevi compendio teſtatur, vi hujus Sacrificij gentibus fidem, lætitiam mundo, credentibus gaudium, unitatem populis, Sacramentis legalibus finem, initium gratiæ, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, ſpem laborantibus, peregrinantibus viam, & pervenientibus tribui ſpeciem, atque innumera alia participantibus conferri Spiritûs Sancti dona.

Juſtinianus Ve[...] ſerm. de Eucha.

504. *Auditio Sacri quantum præſtet.* Totus incaleſco cum officioſis Miniſtris Altaris: & ubi pro nuptijs ſpiritualibus prandium paravi, ambroſeis ferculis, donis cœleſtibus, ac ſacratiſſimis fructibus opiparè inſtructum; pro complemento etiam bellaria appono, in externis beneficijs cum ſpiritualibus tum corporalibus conſita, quæ pariter virtute Sacrificij petentibus Fidelibus conferuntur: uti ſunt doctina excellens, deſiderata promotio, ſanitas corporis obſirmata, familiæ honeſta ſuſtentatio, uteri legitima fœcundatio, à malis præſentibus vel imminentibus liberatio, afflicti ſpiritûs conſolatio, rerum mobilium aut immobilium indemnitas, & ſimilia hujus vitæ concomitantia bona. Quæ licèt non ſemper obtineamus infallibiliter, prout petimus; cùm nec libertas Dantis poſſit neceſſitari, nec noſtra voluntas reſpectu rei, quam petimus, ſemper conformis ſit voluntati Chriſti, utpote nobis ignotæ: veruntamen tametſi DEUS id præcisè non cedat, quod poſtulamus, aliud tamen tribuit, quod hic & nunc judicat magis expedire. Quid? quòd non tantùm Myſtæ ſacrificantes, aut ij, pro quibus Sacrificium offertur, tantotum fiant participes emolumentorum; quando etiam cum devotione religioſâ circumſtantes Fideles impetrant tum ſpiritualia gratiæ auxilia in futuram vitam, modo ſuperiùs relato, tum quævis alia beneficia & dona, quæ nobis adjumento eſſe poſſunt ad ſalutem. Verè S. Cyrillus hortetur *Quotidie adeſſe Sacrificio, quia dona in eo ſpiritualia dignè aſſiſtentibus diſtribuuntur*: & S. Maximus rectè Chriſtianos moneat, *ne unquam abſint ab Eccleſia & Synaxi propter Spiritûs S. gratiam, quæ tunc maximè communicatur ys, qui interſunt.* Certè hujus Sacrificij oblatio eſt realis oratio: & præterea, quas Chriſtus in Cruce orationes pro omnibus Fidelibus, tunc ante oculos ſuos habitis profudit, quando exauditus eſt pro ſua reverentiâ; eas omnes cum repræſentatione cruenti Sacrificij hic renovat, atque etiam applicat, ut aſtantibus & offerentibus proſint: nec dubium, quin etiam exaudiatur. Et verò inſuper magnam vim ad impetrandum habent Eccleſiæ preces, adjunctæ Sacrificio: & ipſæ etiam offerentium orationes, ſi unquam infallibiliter impetratoriæ ſint, certè tunc eſſe debent, quando fiunt non tantùm in nomine Chriſti, ſed etiam cum vera oblatione Corporis ejus, & toto pretio meritorum ejuſdem. Quid enim poſſet negari petenti cum Filio, & per Filium, & propter Filium? Hoc modo qui adeſt Sacrificio, non tantùm ſibi obtinere hæc bona poteſt, ſed etiam alijs omnibus Eccleſiæ univerſæ Prælatis, Principibus, parentibus, amicis, benefactoribus & alijs, pro quibus in Miſſæ Sacrificio orare quiſque debet. Et certè hanc cœleſtium donorum copiam, ſæpè teſtatus eſt Dominus etiam mirabiliter. Nam cum S. Eduardus Rex ſacro Miſſæ officio devotè, prout ſolebat, aſſiſteret, cum Comite Leofrico; vidit uterque Chriſtum Dominum conſiſtentem in Altari, & ſuâ utrumque dextrâ benedicentem, ac tali benedictione viſibili cœleſtis gratiæ abun-

S. Cyrillus Catech. 5.

S. Maximus [...] Liturg. c. 25.

dan-

dantiam ex hoc fonte derivatam ſignificantē. Nunquid non expertus eſt, quantùm proſit quotidie audire Miſſam, Miles ille apud Pinellum? qui, cùm Riſus diceretur, omnes hoſtes illæſus irriſit; ac tum demum ab ijs confoſſus perijt, quando Sacrum audire neglexit. Et alius Miles monoculus; qui, cùm ab hoſtibus ad necem quæreretur indeclinabilem, utroque oculo donatus eſt à Deo, ne ab hoſtibus agnoſceretur: quippe Sacro quotidie devotè interfuit. Alius apud eundem Pinellum opulentus cuidam mendico mercedem unius diei quotidie præſtitit, ut ejus loco devotè intereſſet Sacro: fecit mendicus diligenter, & aliquando ad Dominum converſus, niſi dederis mihi, inquit, mercedem centuplicatam, non ampliùs pro te orabo; tu verò experieris imminentem ſtragem. Dedit ergò dives mendico centum florenos unacum novâ integrâ veſte: & quidem is obligationi audiendi Sacrum longè ferventiùs ſatisfecit, quàm antè. Et ecce ſequenti nocte dives viſionem accipit à Chriſto, & docetur, quòd certiſſimè elapſo die fuiſſet corpore & animâ periturus, niſi mendicus in audito Sacro tam efficaciter pro ipſo exoraſſet. Æquè mirabile eſt, quod Æneas Sylvius refert de quodam nobili adoleſcente in Styriâ, qui à malo Spiritu ad teterrimas melancholias & turpiſſimas deſperationes impellebatur: nec ſuppetebat medium afflictiſſimo, niſi ſola quotidiana Miſſæ auditio. Contigit, ut aliquando ſerùs veniens ad Sacrum, omni aliâ occaſione audiendi Sacri deſtitueretur. Ergo exeuntem quendam de templo plebeum ſalutat, ac pacto convenit, velle ſe ipſi dare ſuum pallium unàcum numeroſâ peculij quantitate, ſi plebeus econtra nobili cederet fructum Sacri auditi: conventione utrinque factâ plebeus domum pergit, nobilis ante aram aliquantiſper perſolvit preces. Sed verò ubi ad ſuam arcem reverteretur ex Eccleſia, invenit plebeum in arbore ſuſpenſum; manifeſto argumento, idipſum ſibi fuiſſe eventurum, niſi præfatâ conventione fructuum Sacrificij particeps fuiſſet effectus. Experimur ſæpenumerò ex duobus vicinis civibus, eâdem conditione, arte, facultate præditis, unum feliciter agere, diteſcere bonis, augeri fortunis, proficere emolumentis; alterum econtra tot inter labores, ſudores, conatus, anguſtias & exinanitiones non proficere, non augeri, non diteſcere. Quid intercedat diſcriminis, quæris? Nempe proficiens primò *quærit regnum DEI*, quotidie ſub Sacro colens, adorans, implorans Deum; & ideò cætera adijciuntur ei: hic verò deficiens faſtidit Eccleſias, Sacra, orationes, ac cætera exercitia Catholica; hinc & in functionibus ſuis benedictione caret. Talis nempe eſt Divina benignitas, ut nihil ſinat perperam ſibi exhiberi; & qui vel per quadrantem aut mediam horam ſub Sacro manè ad eam vigilaverit, inveniet illam, & cornucopiæ illius largitatem abundanter colliget.

Pinellus de Euchar. Exercit. 19. & l. 1. de Miſſa. c. 3.

Æneas Sylvius de Europa. c. 21.

Propter tot eximios fructus & emolumenta Sacrificij, qui & dignè ſacrificantibus, & ijs, pro quibus offertur Altiſſimo, & devotè adſtantibus conferuntur, nollem vos cum Meropibus retrò volando versùs caudam tanti Sacrificij averſari excellentiam, ſed potiùs cum officioſâ Rubicillâ Sacris aſſiduè operari. Hortatur omnes Timotheus Jeroſolymitanus: *Vacemus Divinæ & myſtica menſa, per quam & mundus ſtabilitur, & orbis terrarum conſiſtit, & regnum cuſtoditur, & Eccleſia multiplicatur, & DEO ſacrificatur.* Nemo Sacerdotum ſine rationabili cauſa ab Altari ſe ſubtrahat; nemo Laicorum in frequentandis Sacris ſit negligens. Citò intrate, mandatum Regis urget: *dicite invitatis; Ecce prandium meum paravi.* Amen.

Timoth. Ieroſ. orat. de occurſu Dom.

DO-

POST PENTECOSTEN.

LARUS ESURIENS.

Der Hungerige Hollbrodt.

LEMMA.

Sorbet hians. Pont.

THEMA.

Domine, deſcende, priusquàm moriatur filius meus. Ioan. 4. v. 49.

SYNOPSIS CONCIONIS LIV.

Parturiens Larus mortis ſpecimen ac periodum exhibet, quo moribundus inſtruatur & domui ſuæ tempeſtivè diſponere, & ſalutaribus præſidijs ad periculoſiſſimam luctam ſeſe providè communire.

505. Moriturus Chriſtum ad ſe invitet, & omnia bene diſponat.

IN manifeſto vitæ periculo, quando omnia concrepant ad interitum, dum muri & parietes corruunt, dum oſſa tremiſcunt, dum vitæ ſpiritus fugiunt, membra concidunt, & genarum roſæ palleſcunt; dum pericula omni ex parte irrumpunt, cœlum deſuper tonat & tela fulminat, terra ſub pedibus tremendo infremit, inſidiæ verò ex omni parte proſiliunt; tum maximè Germanorum gnoma ſubſiſtit: Jeßt Vogl iß/ oder ſtirb. *Feri, vel peri. Vora, vel ora. Cede, vel ede. Vrge, vel turge. Bibe, vel abi.* Volucri libertatis amanti *pratum, vel fatum.* Ecquod manifeſtius eſſe poſſet homini periculum, quàm id, in quo hodierni Reguli Capharnaitani filius princeps verſabatur, correptus malignissimâ febri, paulò pòſt etiam præmaturâ morte corripiendus, quæ inſatiabili ſuâ voragine juvenes æquè ac ſenes *SORBET HIANS.* Erat periculum in morâ: feſtinanter ad Servatorem properabat Regulus. *Domine, deſcende, priusquàm moriatur filius meus.* Alioquin enim ſi moram traxeris, de filio actum eſt, nec erit, qui ullo medicamine poſſit erigere Æſculapius: acutiſſimâ criſi torquetur; niſi tu magne Curator adjuves, jam incipit mori. Quæſo, *Domine deſcende*; nec dedigneris domum ſervi tui ſubintrare, cum omni fiduciâ te rogantis & implorantis. O ſollicitam hujus Reguli pietatem, pro moribundo ſuo filio tam inſtanter ſupplicantis! Quid tam ſalubre morienti eſſe poteſt, quàm de Jesu cogitare, Jesum requirere, Jesum ad ſe invitare, & præſertim ſub auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento pro viatico ſacrâ Communione ſuſcipere? *Domine deſcende*, priusquàm anima mea egrediatur è corpore meo. De Matthæo Cardinale Albanenſi, eximiæ probitatis viro, refert Petrus Cluniacenſis, quòd mortis agonem aggreſſurus afferri ſibi rogaverit Corpus Dominicum; quo allato Fratribus inquit: [Audite confeſſionem meam, & fidei meæ hìc, & in æternum *Petrus Cluniac. l. 2. mirac. c. 11*

„num teſtes adeſtote. Confiteor,ait, „hoc ſacrum Salvatoris mei Corpus, „illud verè & eſſentialiter eſſe, quod „de S. Virgine ab ipſo ſumptum eſt, „quod pro mundi ſalute in Cruce „pependit, quod in ſepulchro poſi„tum eſt, quod tertiâ die à mortuis „reſurrexit, quod in cœlos aſcendit, „quod venturum eſt judicare vivos & „mortuos, & ſæculum per ignem. „Per ipſum credo incorporari ei, & „fieri unum cum ipſo, & habere „vitam æternam. Hoc dicens, refe„ctus coram fratribus *eodem ſalutari* „*Chriſti Corpore*, per carnem illam,quæ „dat vitam in æternum, *ad æterni*„*tatem futuram idoneus factus eſt.*] Magna & multiplex requiritur diſpoſitio, ad æternitatis momentum feliciter aggrediendum: à quo, licèt hodierni Reguli filius per Servatoris virtutem ſuæ valetudini reſtitutus aliquantiſper retardaretur, declinare tamen omnino haud potuit, quin denique eodem per inevitabilem mortem initiaretur. Nos ut bene & ſanctè diſpoſiti inveniamur, cùm hodie Chriſtus ad domeſticos *Lares* Reguli deſcendere ſit invitatus,non quidem à *Laribus*,ſed à *Laro* ad beatè moriendum inſtruamur. Dabit *Larus* in hac Concione & mortis ſpecimen, & morientis directionem: quam Auditores mei tantâ cum conſolatione de ore meo ſuſcipient, ut olim in die illa horroris & afflictionis benè,imò optimè, ſeſe habituri ſint, in nomine JESU.

506. Larus ſpecimen mortis, omnia abſorbentis: *Caſparus Schottus l. 9. mirab. c. 49.*

Larus, alijs Fulica, alijs Mergus, alijs Herodius, nonnullis etiam Gavia dictus, avis eſt palmipes, piſcivora; à roſtri acie ad alarum ferè finem duas ſpithamas longa; capite maximo & craſſo, ex albo & cinereo variegato; pectore ejusdem fermè coloris; roſtro craſſo luteſcente, in extremo nigricante, & inſigniter acuto; alis ex albo, cinereo, & ad caſtanearum colorem ſimul commiſtis tendente; caudâ cinereâ totâ, pedibus luteis; corpore leviſſimo, multisque ac denſis plumiveſtito. Viden! mortis ubique colorem, cineream, luteum, nigricantem. Ipſa vox *Lari* vanitatem rerum temporalium importat, quando communi adagio de ijs nec quidquam, niſi *Lari ſari*, dignoſcimus remanere. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Pſal. 75. v. 6. Nihil planè invenient in morte, niſi meriſſimum *Lari ſari.* Sed & illud certum eſt, quòd Larus ſit avis voraciſſima, veſcens lumbricis, cochleis (quas ſurſum raptas ad ſaxa demittit, atque confringit) locuſtis & phalangijs, delphinis etiam in litora ejectis, olivis & uvis, piſcibus & carnibus. Eſt hæc avis mirum in modum rapax, capax, & inſtar curculionis vorax; quæ cùm totam eſcam ore devoret, locum fecit Proverbio, *Larus hians.* Et quid in totâ rerum naturâ voracius morte, quæ velut alta vorago humana *omnia ſorbet hians*? Hæc ſicut Pirata mille ſimulat excurſus ac receſſus, ut in incautas repentina invehatur; & occultos ſeſe colligit in ſinus, ut ſecurè ingreſſa ſubitò deprædetur deſidioſos. Hæc ſollicitos præterit, & ſecuros opprimit, ut noverit univerſa hominum poſteritas, neminem unquam ſatis à morte vivere ſecurum. Age, quis locus eſſe poſſit tam munitus ac vitalis, quæ ætas tam firma & vegeta, & quæ tam auguſta & ſplendida majeſtas, quibus mortis vorago non timeatur? Huic etiam genialis locus efficitur feralis, ut ubi anima jucundiſſimè trahitur, ibi miſerrimè exhaletur; & ubi voluptatis captantur aucupia, ibi mortis jacula delicioſis infligantur. Quæ domus contra voraciſſimum mortis hiatum diligentiùs clauſa & firmiùs eſſe poteſt munita, quàm domus convivij? quod cùm juxta nominis etymon à conſortio vivendi derivetur, omnem undique moriendi neceſſitudinem debet exterminare. Et nihilominus in hanc domum convivij, ſui tenax juris Larus hians, mors ſorbens irruit & irrumpit; quaſi nullibi poſſet ſaturari tàm luridè lardo, quàm in convivijs. Vnde Ægyptijs regibus cal-

vatia primum erat ferculum, & poſtremum: quamdiu alias inferebat & referebat dapes turba clientum, hoc ſemper in menſâ ferculum conſiſtebat, quod inter epulandi lætitiam, moriendi conſervabat memoriam. Sic Protoparentes ibi devorârunt mortem, ubi porrectam guſtârunt eſcam, comminante Domino: *In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* (Geneſ. 2. v. 17.) Natalitium convivium celebravit Pharao, ſed antequam abſolveret, piſtorum principem occidit, ne de convivio ſugeret, antequam ſepulchrum cogitaret. (Geneſ. 40. v. 22.) Splendidum convivium inſtruxerat Abſolon, ſed cùm menſa caleret mero, effuſo Amnonis ſanguine ſubitò redundavit, & inter convivantium æſtus morientis artus diriguerunt. (2. Reg. 13. v. 28.) Epulabantur Jobi filij in palatio fratris primogeniti, qui ſicut potentiâ & magnificentiâ cæteris fratribus præſtabat, ita lautius & lætius exhibebat convivium: ſed inter gaudia convivarum, ecce tibi cadavera mortuorum, miſerabili ruinâ omnes involuente. (Job. 1. v. 19.) *Quæ* quidem, Divo Chryſoſtomo teſte, *ipſis unâ eâdemque horâ, domus & ſepulchrum, & convivium & tumulus, feſtum & fletus facta eſt.* (S. Chryſoſt. hom. 1. in Job.) Sic & ſuos hoſtes inter nuptiales apparatus invaſerunt Jonathas & Simon, debacchantes Machabæorum duces; & fercula in vulnera, menſas in urnas, convivia in ſepulchra, epithalamia in epicœdia, cantus tranſtulerunt in planctus: ut ſcirent miſeri, à domo convivij, quibuscunque reſultet gaudijs, mortis violentam eſuriem non arceri. (1. Mach. 9. v. 40.) Feſtivo, quamvis honeſto, convivio Simon Machabæus ejuſque filij hilariter indulgebant; ecce tibi, Ptolomæus doloſâ & clandeſtinâ irruptione incautos aggreditur, opprimit & obtruncat: ita factum, ut convivij ſvavitas, acerbitate mortis miſceretur. (1. Mach. 16. v. 16.) Quid moror in Laro hiante; quando nobis manifeſtum exhibetur ſpecimen mortis, quæ juxta univerſale ſtatutum, nullo prorſus inter vivos relicto, ex ſua inſaturabili voracitate, velut alta vorago *omnia ſorbet hians.*

507\. Quantocyùs igitur à voraciſſima morte ad morientem digredior, quem in circumſpectâ ſuâ nidificatione *Larus* dirigit conſultiſſimè, ut ſuis agendis ſollicitus in hiſce rerum circumſtantijs inſiſtat. (Moriens de corpore & anima ſua benè diſponat.) Enimverò non in dumeto ut Parus, non in terrâ ut Alauda, non in arundineto ut ſturnus, nidificat Larus, ſed in ſublimiſſimis petris; ut ab inſidioſis prædonum aſſultibus ſecurus ſua ova excludat, & inſuper juxta tales petratum ſciſſuras, ubi limpidiſſimorum fontium ſcaturigines jucundiſſimo murmure jugiter defluunt, urgentem ſitim poſſit reſtinguere, & ſuis pullis amanter providere. (Schottus citatur.) Et quid magis agat moriens, quàm ut tempeſtivè valdè ſuis rebus in ſecuro ponendis conſulat, & in petris ſolidæ diſpoſitionis componat; ne diripiant alieni invaſores nidum ejus, & aurea ova tanquam propria excludant. Animam nempe ſuam immortalem DEO Conditori humillimâ ſubmiſſione in æternum conſignet, evolaturam ex valle miſeriarum ad thalamum deliciarum: corpus verò ſuum promptâ voluntate committat terræ hianti in pignus mortalitatis, & vermibus protuberantibus in eſcam ſaturitatis. De ijs verò, quæ poſt mortem ſuam fieri deſiderat, condito legitimo ac ſolenni teſtamento (ſi tamen ita fieri hic & nunc videbitur conſultum, & non potiùs temporis aut perſonarum neceſſariæ conditiones aliud ſvaſerint) ſuam voluntatem diſtinctè & ſanctè aperiat. Fortunas ſuas non ita ingratis relinquat hæredibus, ut de ijs animæ nullum poſt mortem ſentiat emolumentum: quin potiùs per pia legata, Eccleſijs, Altaribus & pauperibus deputata, per Miſſæ Sacrificia immediatè, vel anniverſariâ obligatione perſolvenda, ſibi & ſuis conſanguineis DEUM reddat propitium, & miſericordem. Tum verò quando

do deficientibus paulíſper languentis corporis viribus ſuam incipiunt acrimoniam exerere dolores, & valido incurſu omnes artus ac ſenſus perſtringere; ubi nidulum Infirmitatis ſuæ ac languorum ponat firmiùs, quàm in foraminibus petræ, in gratioſis vulneribus Salvatoris noſtri Jesu Christi? Cum cujus doloroſâ Paſſione & morte uniat, & conjungat hanc qualemcunque ſuam miſeriam & infirmitatem, ad ſupplendum paſſiones in corpore ſuo, quas Chriſtus pro ſalute totius mundi in Cruce ſufficienter quidem cœleſti Patri ſuo exſolvit, ſed nobis efficaciter applicandas reliquit ad ſalutem per intenſos amoris aliarúmque virtutum actus. Recogitet deinde in amaritudine animæ ſuæ dies, quos vixit; horas & momenta, quæ perdidit; delicta, quæ commiſit; bona plurima, quæ negligenter omiſit; gratias divinas, quas vel omnino excuſſit, vel ſegniter applicavit. Dicat præ pœnitudine & amaritudine animæ ſuæ: *quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontem lachrymarum?* Plorabo & rugiam cum gemitu cordis mei, quia malum coram Deo perpetravi, & iniquitas contra me militat ſemper. Ad te cordialis effundo verba doloris, abyſſum miſericordiæ tuæ implorans, ut opus tuum vivifices, quod eſt miſereri ſemper & parcere; ut tollas peccata mea, quæ ſunt maxima miſeria mea. Ne deſpicias, ô clementiſſime Jesu, ſingultus & balatus ovis perditæ, qui non lætaris in perditione morientium: ad tuam pietatem ſuſcipe filium prodigum, de longinquâ regione redeuntem, qui, ut ego non morerer, mortem pro me dignatus es ſuſtinere. Miſericordiam tuam imploro & veniam poſtulo cum inviolabili propoſito deinceps non peccandi, & ſtudio virtutum ſedulò incumbendi, te mihi vires ſubminiſtrante, qui non deſeris ſperantes in te. Hos inter doloris & contritionis actus ſincerâ exomologeſi corâ Sacerdote fideliter & integrè factâ, ſe totum in vitâ & morte Divinæ Providentiæ heroicâ reſolutione committat & reſignet.

Jerem. 9. v. 1.

Interim Larus, dum conſors ejus in nido ovis incubat, toto incubationis tempore circa nidum vicinus volat ad omnem loci partem, & indefeſſo clamore ſuum partum tranſeunti viatori manifeſtat; ita ut de clamoroſis ſuorum negotiorum geſtoribus in Proverbium ceſſerit: *Larus parturit.* Clamor autem ipſius germanâ voce quemlibet audientem rogat, jubétque: *affer Panem:* Hollbrodt / Hollbrodt. Et quid moriens, dum aſſiduè parturit ova immortalitatis non multò poſt excludenda, vel clamet inſtantiùs, vel roget humiliùs, vel devotiùs ac religioſiùs jubeat, quàm *affer, affer Panem?* Non Panem doloris, aut lachrymarũ cum Pſalmiſta; non Panem ſervitutis cum Eccleſiaſtico; non Panem ſudoris cum Protoparente: ſed Hollbrodt / *affer Panem Angelorum*, Sacratiſſimum ſcilicet Chriſti Corpus ſub Venerabilis Euchariſtiæ Sacramento: quod nos quidem ſub ſpecierum ſenſibilium ſurfure ſacramentaliter, illi verò comedunt ſpiritualiter; quatenus humanitatis ipſius excellentiam, gratiarum affluentiam, gloriæ ſublimitatem, unionem perſonalem, poteſtatem traditam, & capitis prærogativam contemplando mirantur, & diligendo fruuntur. *Affer Panem Beatitudinis*, qui continet illum ipſum Deum, quo in beatitudine æternùm ſaturabimur. *Affer Panem Benedictionis* exquiſitiſſimæ, qui iis ſolùm debet porrigi, qui per Fidem & Charitatem ejus digni facti ſunt atque capaces. Panem cœleſtem, vitam Univerſi. Panem vivum, qui de cœlo deſcendit. Panem concordiæ, quem qui ſumunt, non litigant. O Panis, cor hominis confirmans, ne vitam amittat ſpiritualem! Panis pinguis, præbens delicias regibus, & frugum terræ uberrimus! Panis ſubſtantialis, ad totius hominis vitam ſalutémque proficiens! Panis ſanctus vitæ æternæ, ex ſimilâ noſtræ humani-

508\. Moriens ſacrum Viaticum afferri ſibi religiosè petat.

S. Laurentius Iuſt. ferm. de Euchariſt. n. 17.

manitatis & rore Divinitatis confe-ctus. *Affer panem vivum*, qui de cœlo deſcendit. Et ubi advertit æger, à Sacerdote in ſuam cameram deportari omni reverentiâ Sacratiſſimum Viaticum, humanitate hodierni Reguli invitantis utatur: *Domine, deſcende ſub tectum meum, priusquàm moriatur ſervus tuus.* Perſentiſcunt eandem ſaluberrimam virtutem hujus panis Viatici omnes dignè ac ſanctè recipientes Fideles, quam Jacobus de Vitriaco refert percepiſſe B. Mariam Oegniacenſem. [Etſi præ deſiderio, inquit, æternæ fruitionis, præ amore viſionis Dei, & præ dilatione æternæ beatitudinis in hoc exilio langueret, unicum tamen & ſummum erat ei remedium, & ſingulare ſolatium, manna & Panis cœleſtis, donec veniret ad terram Promiſſionis. Ex ejus perceptione angor cordis, & deſiderium temperabatur, dolores omnes leniebantur, ſpiritus confirmabatur. Summo & hoc celſiſſimo Sacramento freta, omnes peregrinationis hujus ærumnas patienter tolerabat, omnéſque miſeræ hujus vitæ defectus hoc cibo vegetata parvipendebat. Panis ſanctus cor illius confirmabat, vinum ſanctum mentem ejus ſanctificans inebriabat, caro ſancta ſaginabat, ſanguis vivificans abluendo purificabat. Hoc uno ſolatio diu carere non potuit.] Juxta Guerricum Abbatem caro Chriſti fit nobis Viaticum & ſpiritûs vehiculum, dum interpretatur ſubmiſſa à Joſepho ad Jacobum patrem avehendum in Ægyptum ſumptus & vehicula. [*Ipſe eſt cibus*, inquit, *ipſe currus Iſraël, & auriga ejus. Cùm perveneris, tua ſunt optima quæque, non Ægypti, ſed cœli. In optimo loco regni, tunc Joſeph tibi requiem providit.*]

Jacobus de Vitriaco l. 2. c. 8. in vita B. Mar. Oegniac.

Guerricus ſerm. . de reſurrect. Chriſti.

509. Sed ad quid Panem cœli afferri ſibi rogat moriens? Larus amat hominum conſortium, & de eorum præſentiâ admodum gaudet: hinc quando lari vident piſcatores laxare retia ſua in capturam, turmatim advolant, & piſciculos ſibi projectos lepidè capiunt ac deglutiunt: ſaturati viam repetunt, & volucrum omnium pernici ſſimè natando ducem ſuum ſequuntur, quouſque littus appellant. Summè humano amicorum conſortio congaudebat moriens, cum quibus in aquis validis converſabatur, jucundus & conſolatus, ſubinde etiam modicos honorum, opum aut deliciarum piſciculos capiendo. Interim celerrimo motu fluentem vitæ gurgitem tranatat: *omnes* quippe, beneſvadæ illius Thecuititis oraculo, *morimur, & tanquam aqua dilabimur in terram, quæ non revertuntur*: uſque dum præeunte fideliſſimo duce firmū portum optatæ & beatæ æternitatis ingrediatur. Et quo meliore ac fideliore duce gaudeat viator, ex hac miſeriarum valle ad imortalem æternitatem properans, quàm Salvatore noſtro Jesu Christo, ſpeciebus Euchariſticis Induto? Quem & univerſa Eccleſia talem profitetur ducem, canens in hymnis & Canticis,

Moriendi Chriſto duce pergendum ad littus æternitatis.

2 Reg. 14. v. 14.

Tu dux ad aſtra, & ſemita,
Sis meta noſtris cordibus:
Sis lachrymarum gaudium,
Et dulce vitæ præmium.

S. Cyrillus eximiè applicans Chriſto columnam illam ignis, quæ Hebræos per deſertum fideliſſimè duxit in terram Promiſſionis, ita ut ſtante columnâ etiam quieſcerent caſtra, movente ſe columnâ etiam ſeſe moverent Exercitus: tandem in calce capitis poſt longam ad Chriſtum aptationem omnium, quæ intra tabernaculum claudebantur, quia columna ſuper tabernaculum, ex quo ſemel erectum fuit, conſpiciebatur, eandem directionem tabernaculo præſignanti tribuit, & ſic concludit. [Tendebatur autem tabernaculum, omniaque continebat, ut unum omni, non multa eſſe viderentur. Unus enim, quamvis multifariam in nobis intelligitur, Chriſtus eſt. Tabernaculum quidem, propter carnis tegumentum. Arca verò legem habens reconditam, ut Dei Patris Verbum. Menſa, ut cibus & vita. Candelabrum, ut lux ſpiritualis. Altare incenſi, ut odor ſvavitatis in ſanctificatione. Altare holocauſti, ut hoſtia pro totius mundi vitâ ad Crucem acta.

S. Cyrillus l. 11. in Joan. c. 28.

„acta. Omnia verò hæc ſanctificantur, quia quocunque modo Chriſtum intelligas, totus ſanctus eſt. „Tabernaculo igitur præcedente, „Hebræi ſequebantur: ſtante caſtra „metabantur: *ut nos diſcamus, nullum „alium datum nobis eſſe ducem ad ſalutem, „quàm Verbum DEI hominem factum.*] En Tabernaculum Divini fœderis, quod populum Iſraël ad terram Promiſſionis per potentem fluvium Jordanis ſecurè traduxit! Omnino homini morienti transfretandum eſt per Erydanum doloris, tentationis, anguſtiarum & agonis, usque dum ad Elyſios campos deveniatur. E dextrâ quidem parte conſurgunt aquæ, amariſſima ſcilicet memoria terribiliſſimæ mortis; à ſiniſtrâ defluit & exſiccatur temporis concrediti labilis valor. Securo tamen negotio pertranſibimus, ſi dignâ linguâ receperimus, & corde ſancto portaverimus Arcam fœderis, ſacratiſſimum Euchariſtiæ Viaticum; certiſſimè credendo, *nullum alium datum nobis eſſe ducem ad ſalutem, quàm Verbum DEI hominem factum:* quem ſub ſpeciebus Euchariſticis ardentiſſimâ Religionis ac devotionis orexi moribundus *ſorbet hians.*

510. Crux Chriſti molle pulvinar agonizantis. Volant *Lari* præcipites, & faciles, utpote leves; habent enim pennas nervoſas, quibus fortiùs poſſint corpus per aërem levare. Illud verò mirabile referunt Ornithologi; quòd pennæ Larorum marinorum, ſimul atque mare intumeſcit, in pulvinatibus erigantur, & decumbentem ſublevent; detumeſcente verò mari etiam pennæ remittant tumorem, & decumbens magis ſubſideat in pulvinaribus. Dixit Salvator ſuis diſcipulis in horto ſomnolentis: *Dormite jam, & requieſcite.* [Matth. 26. v. 45.] Et ubi quietiùs requieſcat moribundus, quàm ſuper culcitram illam transverſam Crucis, in quâ Chriſtus moriens ſuâ morte triumphavit mortem? Arripiat agonizans ſalutiferum Crucis ſignum, oſculetur affectuoſam Crucifixi JESU imaginem, ponat ſuper cor, ſuper brachia hoc fidei & amoris ſignaculum, *in pace in idipſum dormiat, & requieſcat:* projiciat ſe nunc ad pedes, nunc ad manus, nunc ſeſe in latere abſcondat ſui cœleſtis Sponſi, & tumeſcente infirmitatis mari elevetur animus ſuper merita Crucis. Hæc tota noſtra debet eſſe conſolatio, peccatorum noſtrorum refrigerium, tota noſtra exultatio & deliciæ, nec non omnis ſpei noſtræ dulce pulvinar & fundamentum, quòd Chriſtus ipſemet pro nobis pati, pro nobis mori non recuſàrit. Profuſis in horto Gethſemani precibus, & ſanguineo ſudore ſub agonia, diſcipulos ſuos acceſſit ſanctiſſimus Redemptor, & ut ſomnum ac quietem caperent, paternâ ſvadelâ conſuluit: *Dormite jam, & requieſcite.* Quaſi diceret: non diſplicet, imò ſvadeo vobis, ut ſomno nunc indulgeatis, & dulci ac tranquillâ fruamini quiete: tametſi enim nunc mare Paſſionis meæ incipiat intumeſcere, ſævire Judæorum rabies, furor Phariſæorum agitari, vincula, flagra, ſpinas & cruces fabricare Sacerdotum invidia; tametſi etiam *Filius hominis* proximè *tradetur in manus peccatorum*, ad flagellandum & crucifigendum; nihilominus tamen *Dormite jam, & requieſcite.* Quando periculum adhuc erat procul, voluit eos vigilare, & orationi incumbere; unde & apertè reprehendit dormientes: at verò ubi nunc diſcrimen inſidiatur à tergo, eos quieſcere jubet atque dormire. Omninò, inquit S. Hilarius, id opportunè factum: priùs enim laboraverat, ut æterni Patris mentem ad conciliandam cum hominibus pacem diſponeret, ideóque dormiendi tunc non ſuppetebat tempus: nunc verò [S. Hilarius c. 31. in Matth.] cùm terrificam agoniam jam eſſet paſſus, & ſanguineum ſudorem liberaliter profudiſſet, oblatam Paſſionis diriſſimæ Crucem acceptâſſet, ac pro humani generis ſalute ſubire mortem ſanctiſſimè determinâſſet; hinc eos jubet ſecurè dormire, *eò quòd ſecuritas & quies reſtituenda eſſet. Dormite jam, & requieſcite*; ſolatium laſſati admittite; componantur veſtra pectora tranquillitate; quia pax jam concluſa eſt, & in intentione ſalutis

veſtræ negotium jam pertractavl. Quòd ſi tunc diſcipulos ſuos juſſit dormire adhuc in fide debiles & infirmatos, an non longè ſecuriùs dormiat infirmus ſuper merita Chriſti per Crucem & mortem cœleſti Patri pro ſalute totius humani generis jam exhibita & perſoluta? Lectulus Chriſto crux fuit, ubi mortuus eſt, & Phœnicis inſtar multiplicavit dies ſuos, ac ſobolem. Heu! horridum pulvinar! Ex ſpinis Halcyones nidum conſtruunt: Crux, ſpinæ, clavi pulvinar præſtant Servatori noſtro. Et quidem *lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt*; Judæi, ſatellites Romani, Proſelyti, & ex omni ſub cœlo natione viri: non ad arcendas vigilias & inſomnia, ſed ſomnum & quietem; non ad ſoporem conciliandum, ſed mortem. Hìc jam non præſepij fœnum, non funes, non deſerti rupem arripit, ubi caput reclinet; ſed trabem pro lodice, ſpinas pro cervicali, clavos pro pulvillis, pro ſtragulis purpureum cruorem, pro cantilenis blaſphemias, fel & acetum pro ſoporiferâ potione adhibet: quæ omnia non jam quietem illi, ſed dolores, non conſanguineum lethi ſoporem, ſed lethum ipſum & mortem conciliant. Vos verò agonizantes infirmi, ubi turbulentum mortis mare tempeſtuosè attollitur, in ſpe firmiſſimâ ſuper pulvinar meritorum Crucis Chriſti dulciter *dormite*, & ſecurè *requieſcite*.

Cant. 3. v. 7.

511. Illud inſuper *Laro* pro ſua conditione glorioſum, & pro ſuâ naturâ delicioſum; fortiſſimè ſcilicet & invictè ventis, tempeſtatibus & procellis reſiſtere. Non quietatur ejus virtus; nunc contra turbines volat; nunc lætus pluvias, & imbres excipit; nunc impetuoſis fluctibus reſiſtit; nunc contra torrentem movet; & quidquid adverſi periculi ingruit, connaturali ſuâ reſiſtentiâ perrumpere tentat. Laro proprium eſt, adverſis reſiſtere. Et quæ lucta periculoſior unquam obtingere poſsit infirmo, quàm extrema Agonis luctæ? Ubi & anteactæ vitæ terrorem, & præſentis ſummè dilectæ privationem affert mors illa pavenda: quæ, dum per feneſtras & externos ſenſus profundiùs ſemper ſeſe immittit, interim omnem elapſi perperam temporis periodum confundit, ac totius vanitatis punctum *Sorbet hians*. *O anima mea*, exclamat S. Bernardus inter profunda pavidi cordis ſuſpiria, *quis erit ille pavor, cùm dimiſſis omnibus, quorum præſentia tibi eſt tam jucunda, ſola ingredieris ignotam tibi penitus regionem, ubi occurrentia catervatim teterrima monſtra videbis! Quis tibi in die tantæ neceſſitatis ſuccurret? quis conſolabitur? quis te deducet?* Ingens utique tunc torpor & horror invadit ægrotos, ex infirmo & debili rationis ortus judicio: dum ſecundùm varias conſiderationes nunc in hanc, nunc in illam fluctuant rationem perplexi, & dubij, quid potiſsimùm eligant, à *terribilium omnium terribiliſſimo* ad omnem „anguſtiæ differentiâ jactantur. [Creſcit pavor, inquit S. Gregorius Papa, „vicinâ retributione Juſtitiæ, & urgente ſolutione carnis: quantò magis diſtrictum judicium jam jámque „quaſi tangitur, tantò vehementiùs „formidatur. Et ſi ea, quæ ſciunt „nunquam prætermiſiſſe, meminerint, formidant tamen ea, quæ neſciunt: quia videlicet ſemetipſos dijudicare, & comprehendere omnino „non poſſunt; atque urgente exitu, „ſubtiliori metu terrentur. Adeò ut „cum Propheta dicant: non intres in „judicium cum ſervo tuo Domine, „quia non juſtificabitur in conſpectu „tuo omnis vivens.] Inſuper tunc maximè urgent tentationes dæmonis, qui calcaneo hominis inſidiatur, & exitum ejus potiſsimùm obſervat: tunc enim vel maximè ad hominem *deſcendit, habens iram magnam, ſciens quia modicum tempus habet*. Hinc etiam viri ſancti eo temporis articulo maximè timuerunt, & omnes animi ſui vires redintegrârunt, ut fortiter contra hoſtem poſſent confligere. Certè S. Pater noſter Franciſcus ſub id tempus ita loquebatur: *Fratres, uſque nunc parum profecimus; incipiamus ſervire DEO, redeamus ad humilitatis & novitatis primordia.* Ad tam periculoſum con-

Agonizans ungendos extremâ Unctione.

S. Bernardus lib. de conſid.

S. Gregorius l. 24. moral. c. 17.

Apoc. 12. v. 12.

conflictum, ſicut Larus aliquoties ſe intingit in undas, ita moriens ſuâ ſenſoria per manus inducti Sacerdotis ungat oleo ſalutis; donetur extremæ Vnctionis Sacramento, ut inſidiantis dæmonis invaſionibus reſiſtat fortiùs, & ad pavendum conflictum generoſiùs animetur. Oleum in mare fuſum ſedare tempeſtates, Pierij emblemata tradunt: at longè veriùs Sacrum Oleū ſedat fluctus tentationis à dæmone excitatos in agone mortis, ubi maxima ſævit tempeſtas. Sanè Chriſtianorum Vnctionem odio & horrori eſſe dæmonibus, demonſtrat illa antiquorum Sacrificulorum, oracula dæmonis captantium, proclamatio: *Procul hinc ſit lotus & unctus.* Quòd nimirum dæmones præſentibus Chriſtianis impedirentur à ſuis oraculis, & deluſionibus. Nec ſuis effectibus caret ſaluberrima hæc Vnctio, quando Concilium Tridentinum eos ſequenti ordine ex Sacra Scriptura enumerat. [*Res etenim hæc gratia eſt Spiritûs Sancti, cujus Vnctio delicta, ſi qua ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit; & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo Divinæ miſericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidianti, faciliùs reſiſtit; & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.*]

Tridentinum ſeſſ. 14. c. 2. de extrema Vnct.

512. Denique priuſquàm *Larus* noſter deformetur in *Larvam*, & moriens omnino ſuam animam recommendet in gratiam Creatoris, in manus Salvatoris, dignâ exaggeratione reprobandū eſt novæ pietatis genus: quo ad perfectam Chriſti in morte derelictionem exprimendam, non tantùm ab hominibus ſed etiam à cœleſti Patre factam, aliqui tanquam excellentis perfectionis actum tentarent invehere abjectionem cujusvis humani præſidij; ita ut neque Sacerdos confortans advocetur, neque Sacra Vnctio poſcatur, etiam pœnitentiæ circa materiam non neceſſariam, & Euchariſtiæ Sacramento abſtineatur: & hoc, ut liceat pertingere ad expreſſionem ſtatûs Chriſti Domini, quem omnia in morte defecerunt, & à Patre propriè derelictum eſſe verba in Cruce prolata teſtantur. Quid enim, inquiunt, Chriſtiano poſſit optabilius accidere, quàm ſi ipſius vita Chriſti vitam exprimat, & mors ejus cum Chriſti morte conformetur? Certè ſi complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, juxta Apoſtolum, ſimul & reſurrectionis erimus. Hinc ex talium Hypermyſticorum ſenſu, ſi quis ad extrema deductus Euchariſtiā in cubiculo aſſervatam renuat ſumere, piè & ſanctè facit, ut eo præſidio in morte munitus, à Chriſti in morte derelictâ ſimilitudine non diſcedat. Verumenimverò non eſt hæc Pietatis imitatio, ſed deteſtanda abominatio, qua Sathanas per cuniculos exitium animabus in extremo diſcrimine poſitis inferre molitur. Quid enim moribundis exitioſius excogitari potuit, quā eos in tanto ſalutis periculo nudare omnibus præſidijs, non tantùm humanis, ſed & divinitus ad id inſtitutis? In eo mortis articulo Sathanas omni facultate connititur, ut evertat animam, deſperatione frangat, aut in laqueum perditionis conijciat: tunc vigor animi deficit, & vires corporis acciſæ infirmitatem quoq; refundunt in animum: agitur ſalus hominis, nec, ſi in hoc puncto res malè cedat, ſperanda eſt regreſſio. Quæ ergo (prô tantum malum!) in ſeipſum eſt immanitas, nudatum ſe velle, & omnibus telis expoſitum in tanta neceſſitate! Rectè ſummâ crudelitate flagrâſſe arguuntur Novatiani, quòd ne in morte quidem beneficium Eccleſiaſticarum clavium, & Communionem reſtitui lapſis vellent: Eccleſia autem econtrario, licèt pro criminum atrocitate arcuerit quandoque peccatores à S. Communione; tamen neque à pœnitentiâ, ſi verè reſipiſcerent, eos amovit unquam, neq; Communionem in morte niſi in valdè extraordinarijs eventibus voluit negatam. Novit enim ſancta Mater Eccleſia, tantorum præſidiorum in eo articulo ſummam neceſſitatem. Quàm ſtulta igitur & inſana mentis everſio, hoc ſibi apprecari, quod

Gravis impietas eſt, in morte ſe Sacramentis deſtituere, ad imitandam derelictionem Chriſti.

Rom. 6. v. 5.

Theoph. Raynaudus in Heteroclit. ſpiritualibus ſect. 1. punct. 12.

Eccle-

Eccleſia vix ulli quantumvis enormiter noxio audet infligere, & quod qui circa deteſtabiles peccatores ſervari voluerunt, facti ſunt ab Eccleſiâ extorres! In eandem maniacam pietatem conclamat S. Ambroſius: *Sunt, qui arbitrentur hanc eſſe pœnitentiam, ſi abſtineant à Sacramentis cæleſtibus. Hi ſeveriores in ſe judices ſunt, qui pœnam præſcribunt ſibi, declinant remedium, quos vel pœnam ſuam convenicbat dolere, quia cæleſti fraudarentur gratiâ.* Et tametſi uſus pœnitentiæ (ſi deſit materia ejus neceſſaria) ſicut & extremæ Vnctionis ſuſceptio liberè adhibeantur; attamen Euchariſtiæ in articulo mortis ſuſceptio, juxta veriſimillimam graviſſimorum Doctorum ſententiam, eſt à Chriſto præſcripta; itáque conformis ſenſui Eccleſiæ atque piorum omnium, ut qui ſecus fecerit, magnum utique foret concitaturus ſcandalum. Vnde tanta ſollicitudo Paſtorum & piorum Fidelium, ne quis abſque iſto verè Viatico excedat, etiamſi jejunus non ſit. Hoc enim eſt Viaticum illud de ovibus & frumento & torculari, quod præbendum eſſe ſervo, cùm adveniente ſeptimo anno dimittebatur liber, ſancitur in Deuteronomio, prout interpretatur S. Cyrillus. Practicârunt hoc ſanctiſſimi Dei amici, qui mortis anguſtijs præventi, cùm ſacram Synaxin ampliùs haud poſſent realiter in ſtomachum deglutire, ardentiſſimo tamen veræ Communionis deſiderio tenebantur. Quod deſiderium Altiſſimo ita placuit, ut frequenter miraculo præſtiterit, quod à naturæ viribus erat alienum. Ad ſacrâ Communione reficiendum S. Ambroſium Epiſcopum Mediolanenſem miſit Honorium Epiſcopum Vercellenſem, tertiò in ſomnis admonitum. Seraphico Doctori Bonaventuræ particulam de majori Hoſtiâ conſecratâ ab Angelo per apertum ejus latus mandavit inferri. B. Stanislaus Koska Soc. Jesu agonizans S. Euchariſtiam à SS. Angelis in comitatu D. Barbaræ Virginis & Martyris accepit. S. Dionyſius Areopagita in carcere à Chriſto ipſo hoc Viatico reficiebatur. S. Lucia Virgo jam gutture confoſſo mori haud poterat, priusquàm Diviniſſimo Sacramento ſaturaretur. Si tantùm remuneratur à Deo ardens deſiderium communicandi in mortis articulo, quis piè & religioſè ab hoc cœleſti præſidio ſibi interdicat? Apage igitur tam deteſtandam, tam homini intutam, tam periculoſam praxin, affectandæ ſuimetipſius derelictionis in tanto diſcrimine, à quo pendet æternitas.

S. Ambroſius l. 1. de pœnit. c. 9.

Deuteron. 15.

S. Cyrillus l. 7. de adorat.

Accepiſtis, Auditores, à *Laro* & mortis ſpecimen & morientis directionem. Qui ergo inevitabili fato mancipati, ſingulis horis & momentis magè ſemper & magè appropinquatis ad portas mortis; ut tam ſalutaribus muniti præſidijs, ex hac mortali ad vitam tranſeatis æternam, cum hodierno Regulo Dominum ſalutis & gratiæ invitate ſuppliciter: *Domine, deſcende in tectum meum, priusquàm moriatur* famulus tuus; & requieſcat in pace. Amen.

DO-

POST PENTECOSTEN.

TROCHILUS REGIUS.

Das Königliche Zaunſchlipfferlein.

LEMMA.

Dominum cognoſcite veſtrum. Ovid. Metamorph. 3.

THEMA.

Simile eſt regnum cœlorum homini Regi. Matth. 18. v. 23.

SYNOPSIS CONCIONIS LV.

Chriſti Regis gloria, veſtis, corona, ſceptrum, thronus, menſa, divitiæ, fabricæ, apparatus, remuneratio omnes Fideles ad ſerviendum Deo incomparabiliter meliùs & ſecuriùs invitant, quàm ulla larvata terreſtris Aulæ lenocinatio aut impoſtura.

Trochilus rex volucrum proclamatur.

S. Gregorius Naz. ad Nicobolum Epiſt. 209.

513. INgenioſo apologo Aves quondam univerſæ de Regno ac regia dignitate auſpicandis diſceptârunt; quem partim ex Gregorio Nazianzeno, partim ex alijs Æſopi mantiſſis in præſentem adduco frontem, ut omnibus appareat, quâ ratione hodie de *Rege* potiùs quàm de *Regulo* occurrat ſermocinatio. Vix dies celebrandis comitijs fuerat deſignatus, cùm ecce! continuò ingentem volucrum cœtum ſuis excivit ſedibus, brevíque campum, quantus oculis proſpectum eriperet, candidatis implevit. Licuiſſet tum videre roſtratas *Ciconiarum* acies in ordine circumſtare, cuneato agmine ſubire *Grues*, properare raucas *Anſerum* phalanges. Nec hiſ ſegniores advolant è turtibus *Columba*, ex ariſtis *Alauda*, & *Luſcinia* ex frutetis. His corpore proceriores ſe inſervere Ardeæ, & Aquilæ. Quos inter Regni competitores etiam comparuerunt peregrini litoris accolæ; ut advena de Phaſide *Gallus*, ex India *Pſittacus*, ex Græcia *Pavo*, ex Africa *Struthio*, ex Miſia *Cygnus*, & unicus ex Syria *Phœnix*. In hoc magnifico congreſſu pro regiæ dignitatis inauguratione digr.m jactabat *Struthio* vaſtiſſimi corporis molē, niveum candorem *Cygnus*, oculeatum ſytma *Pavus*, variegatum tegimen *Pſittacus*. Sed & pro eâdem coronâ commendabat *Luſciniam* nativa muſica, vigilia *Gruem*, ſenecta *Phœnicem*, loquacitas *Anſerem*, alij alia & ſua cuique ptoptia extollebant: dum tandem unanimi conſenſu placuit Majeſtatem regni in volatu conſtituere. Hanc nempe unam eſſe gentis gloriam, hæreditario jure acceptam, ſupra terram cœlúmque volatu ſe attolere, proximéque ad cœli viciniam aſcendere; eam profectò rem eſſe propriam volucrum, ac Regio diademati decoram. Signum igitur volandi datum, unà omnes cum ingenti alatum plauſu ab humo ſeſe attollere, certatímque per auras evadere, ac pari dein conatu, ſed impari conſtantiâ eventúque, ad usque nubium caligi-

nes,& ipſa cœli confinia rendere. At verò paulatim ut ventum eſt *ad ardua*, multorum calor ita intepuit, ut defluentibus pennis plerique fatigati deſiſterent, ac labori penitus ſuccumberent. Viſæ ſunt ante omnes delicatæ *Luſciniæ* in celſis arborum frondibus interquieſcere, Hirundines ad domeſticos lares redire, *Ciconiæ* in mœnium faſtigijs ſubſiſtere; *Corvi* inter rupium cavernas, *Graculi* inter montium cacumina reſpirare. Pertinacior ac pernicior cæteris ſolius *Aquila* videbatur eſſe conatus, per invia quæque altiùs adhuc atque altiùs eluctantis. Hæc igitur ut infra ſe omnes deſpexit, ter in gyros glorioſè circumacta, editóque ter clangore, ventum ad metam, quo nemo pertingere valebat, pronuntiavit, ſibi Regni Inſignia jamjam appropriaturus. Tum ecce! *Trochilus*, qui hactenus ſub toto certamine clàm ſub Aquilæ alis hærens ſe abſconderat, ſubitò prodit, & omnis defatigationis expers altùm ſuper Aquilam evolat, alacríque volatu Regij nominis ſibi jura adjudicat, magnificè clamando: *Me, me! Ego Rex volucrum! DOMINVM COGNOSCITE VESTRVM.* Suſpecta Aliquum Comitijs victoria videbatur: hinc novâ conventione ſubitò pictum, ut ei Regia dignitas in bravium cederet, quæ devolando è ſublimi, & pectore in terram impingendo, in profundiore ſcrobe ſubſideret. Magno impetu, velut grando, univerſa volucrum congregatio in terram delapſa eſt, & quivis candidatorum tantò certiùs Regiam eminentiam ſibi arrogabat, quantò graviori corporis mole tellurem labendo excavabat. At verò iterùm citra omnium expectationem Trochilus palmam præripuit: hic enim ſeſe demittendo talpæ foramen profundè ſubintrat, atque inde velociter revertens, alacri clamore ex ore foraminis de Regia dignitate ſibi denuò gratulatur: *Me, me! Ego REX Volucrum! Dominum cognoſcite veſtrum.* Ex eo tempore Trochilus, tanquam Rex, *ſublimi* Altilium *regnat in aulâ*. *Simile eſt Regnum cælorum Homini Regi*; cujus tanta ſit Majeſtatis eminentia, ut omnes Reges terræ ſuperet, cujus & ipſimet miniſtri in Reges evadant; ita ut nihil poſſit homini contingere felicius, quàm huic Regi regni cœlorum à ſervitijs aſſiſtere; ſicut è contra duriſſimum eſt, Regi terreno ſua obſequia præſtare. Hoc in præſenti ſelectiſſimum proſequar inſtitutum, ubi vos Auditores devotè invito ad benignum auditum, in nomine Regis æterni, ac Domini Dominantium.

Simile eſt Regnum cælorum Homini Regi. Vbi ſine ambagum flexibus Venerabilis Beda ait: *Quis* ſub homine rege *meliùs quàm Redemptor noſter intelligitur, de quo Pſalmiſta: DEVS judicium tuum Regi da?* CHRISTUS enim, juxta Euthymium, [Rex gloriæ dicitur, & Dominus gloriæ, veluti qui ſummam aſſecutus eſt gloriam, & qui eam alijs præſtat, & qui aliorum omnium, qui gloriam aſſecuti ſunt, Rex eſt & Dominus.] Et hujus quidem gloriæ prærogativam per Crucem & Paſſionem ſuam obtinuit: nam D. Hieronymo teſte, *gloria Salvatoris, patibulum eſt triumphantis.* Non quòd priùs gloriam non haberet, cùm fuerit glorificatus ante mundi conſtitutionem tanquã DEUS; nunc verò glorificatus eſt per Crucem, patientiæ ferens coronam, ſuffragante Tertulliano. [Favos poſt fella guſtavit, nec antè Rex gloriæ à cœleſtibus eſt ſalutatus, quàm Rex Judæorum proſcriptus in Crucem; minoratus primò à Patre modicum quid citra Angelos, & ita gloriâ & honore coronatus.] Sed & aliâ ratione S. Ambroſius, tractans illud Thren. 2. *Vrbs perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ*, coronam gloriæ fore Judæam præfatus, ſi in Chriſtum crederet, ſubdit, [Quæ eſt autem corona gloriæ, niſi Eccleſia, quæ caput ſuum Chriſtum coronat? Quæ jucunditas univerſæ terræ, niſi domus populi Chriſtiani, aula Sanctorũ? Ergo quia corona gloriæ eſt Eccleſia, ideò dicitur in Canticis: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem*

514. Chriſtus eſt Rex gloriæ.

S. Euthymius in Pſal. 23.

D. Hieronym. q. 7. ad Hedibiam.

Tertullian. lib. de corona militis.

S. Ambroſius ſerm. 15 in Pſal. 118.

monem in corona, quâ coronavit eum mater ejus, in die ſponſaliũ ejus, & in die jucunditatis cordis ejus.] Quæ eſt corona, quâ coronatur Chriſtus, niſi corona gloriæ? Joſeph habuit coronam caſtitatis, Petrus fidei, Paulus juſtitiæ; ſingularum virtutum coronæ ſunt: ſolus Chriſtus portat coronam gloriæ, quâ eum coronavit Eccleſia. In hac corona omnes coronæ ſunt, quia gloria non eſt portio unius coronæ, ſed præmium omnium coronarum. Itaque Chriſtus Rex gloriæ deſcendens in inferiores partes terræ, & aſcendens ſuper omnes cœlos, ſuper Cherubinorum & Seraphinorum Ordines, meritò poteſt cum Trochilo exclamare: *Me, me. Ego REX Volucrum. Dominum cognoſcite veſtrum.*

313. Veſtimentum, corona, ſceptrum & thronus Chriſti Regis exhibentur.

Jam gloriam Regis exactiùs intueamur, & petamus à domeſtico Regis ac Regiæ familiæ ſplendore: hoc eſt, à regio cultu, qui indumenta regia, coronam, ſceptrum & thronum comprehendit; itémq; à multitudine & nobilitate regiorum domeſticorum, miniſtrorúmq;, ac Principum Provinciarũ & Præfectorum, regiæ poteſtatis cum ſubordinatione participum; à gazis item & theſauris, ac im̃enſis opibus, & operibus publicis, munificentiam & magnificentiam regiam teſtantibus: quæ omnia in glorioſiſſimo Salomonis regnô ita admirata fuiſſe dicitur Regina Saba, ut non haberet ultrà ſpiritum. Et quidem magnificentiſſimũ Chriſti Regis gloriæ veſtimentum ſæpè expreſſit Pſaltes, nunc indutum exhibens decore & fortitudine, nunc confeſſione & decore, nunc lumine amictũ ſicut veſtimento, nunc deaurato paludamento ſpectandum. Suſpexerit antiquitas in Antiocho Epiphane auro texta & animantium imaginibus pictutata paludamenta, auro textili confertas in Alexandro chlamides, gem̃atas tunicas in Heliogabalo, coccineum & byſſinum apparatum in Aſſvero, pretioſum imperatoriæ veſtis pondus in Honorio: ſordent hæc ornamenta reſpectu veſtis regiæ Chriſti, quæ non unâ aliquâ, ſed valde multis hiſtorijs utriusque Teſtamenti eſt picturata. Videbis hic nuptias Galilææ, & hydrias; paralyticum lectum bajulantem; cæcum, qui luto curatur; mulierem, quæ ſanguinis profluvio laborabat, fimbriam prehendentem; peccatricem ad pedes Jesu accidentem; Lazarum è ſepulchro redivivum. Videbis eximios virtutum omnium actus, quibus gratioſiſſimè redolent opera Sanctorum, velut odores boni à veſtimento Regis. Nec Regium diadema deſideratur. Plectentes coronam de ſpinis milites impoſuerunt capiti ejus, & coràm genuflectentes dixerunt: *Ave Rex.* Quid enim refert, etiamſi ſpineam? Omnis Rex à militibus appellatur: oportebat & Jesum à militibus typicè coronari. Sed cur ſpinis? Nempe ſicut clari ac celebres victores hoc ipſum telum aut inſtrumentum, cujus ope victoriam ſunt conſecuti, in triumphum geſtant; ita Chriſtus, *confidite*, inquit, *ego vici mundum*, veterem generi veſtro pulchritudinem reddidi, & maledictionis, quæ ſegetem terræ in ſpinas convertit, robur in ipſa naturâ delevi. Poterat eſſe ſymbolum Regiæ Chriſti coronæ, hæc ſpinea ſic propoſita. Sed verò *videte regem in diademate.* Juxta Bleſenſem corona eſt circulus aureus, quo utuntur reges in minoribus ſolennitatibus:

3. Reg. 10.

Petrus Bleſ. ſerm. 19 de Advent.

Diadema verò eſt duplex corona, cùm ipſi coronæ alius quaſi circulus gemmis ſuperpoſitus ſuperadditur. Addit Bleſenſis, diadema Chriſti eſſe dona naturalia & ſupernaturalia, quibus Chriſtus in ſua Conceptione in Matris utero eſt exornatus. Sed verò diadema Chriſti eſt duplicis regiæ dignitatis ſymbolum: nam Chriſtus & temporaliter (ſed ſupernaturali titulo) & ſpiritualiter rex eſt. Rex & Sacerdos ſimul ſummus, multò potiore gradu, quàm ejus typus Melchiſedech, qui rex ſimul & ſacerdos fuit. At Chriſtus non utcunque fuit Sacerdos, ſed eminentiſſimè & regiè; ita ut non merè adminiſtrantis ſacra, vel Pontificatûs Vicarium obeuntis, ſed verè Regis Sacrorum, & ſupremi

inſtitutoris novi cultûs Religioſi, partes ſuſtinuerit: ideóque cidarim & diadema regium Sacerdotale ſibi depoſcit, præter coronam regiæ ejus poteſtati, quæ ex objecto temporalis eſt, reſpondentem. Nihil ad hoc Chriſti diadema ejúſque ſplendorem quarumcunque coronarum ſæculi gloria, utcunque hac in parte impotens olim inſaniverit luxuria. In triumpho Pom-
Plinius l. 17. c. 2. peij, quem meritò Plinius *triumphum luxuriæ* nominavit, præter alia portentoſæ opulentiæ in eo transvecta, ut alveum gemmeum latum pedes tres, longum pedes quatuor, lectos tricliniares aureos tres, lunam auream pondo triginta, vaſa abacorum ex auro & gemmis novem, montem aureum cum cervis & leonibus ac pomis omnis generis, muſæum ex margaritis, & alia planè monſtroſa expilationis variarum Provinciarum argumenta, coronæ ex margaritis triginta tres univerſi pretij ſunt productæ. Vario lapidum diſtinctas igne
Claudianus l. 1. de laud. Stilic. Athenæus l. 5. coronas celebrat Claudianus, & Athenæus coronas bicubitales Ptolomæo poſitas refert, imò unam ſexdecim cubitorum. Sed quid hæ futiles coronæ ad pretium coronæ Chriſti, & diadematis regni ejus? Cui accedit Sceptrum regium, non ex Ebeno ut quorundem Regum Indorum, non ex Ebure ut Tarquinij, non ex haſtato ferro ut Quiritum; ſed virga æquitatis & directionis, in virgâ Aaronis & Moyſis aptiſſimè adumbrata: Crux, inquam, ſalutifera, per quam omnibus beneficia ſua impertivit Salvator. Hoc ſceptrum inenarrabilis utique virtutis eſt opus, quo contraria per contraria reſtituit, per Paſſionem impaſſibilitatem conceſſit, & per mortem immortalitatem donavit: idcirco rectè *virga virtutis* dicitur, quia de dæmonum cohorte triumphum egit; & *virga directionis*, quia orbem terrarum ad interitûs præcipitium ruentem reparavit. Pars quoque Regij cultûs, in quo hactenus verſamur, eſt thronus ac ſedes regia: at verò thronum Chriſti ſive dicas eſſe Eccleſiam ſanctam, ut multi tradunt; ſive animam quamcunque ex Eccleſiæ corpore, ſanctam & piam, juxta illud, *Anima juſti ſedes eſt Sapientiæ*; ſive Deiparam, quæ ſpeciali jure thronus Dei à pleriſque Patribus nominatur, & in Scripturis quoque luculenter inſinuatur: utrumque horum piè ac religiosè dixeris, certè regius Pſaltes thronum Chriſto regi ſplendidiſſimum aſſignat, dum illis adumbrat imaginibus, quæ nobis ſunt omnium illuſtriſſimæ. *Thronus ejus*, inquit, *ſicut* *Pſal. 88. v. 38.*
Sol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum: & teſtis in cœlo fidelis. Non aurea Perſarum Regum aulæa, non vix eorum ſmaragdis, carbunculis & gemmis ſtratæ, non Sinenſis Regni eburneum ſolium gemmarum ſplendoribus noctem illuſtrans, non denique magnificentiſſima Salomonis ſedes, cui ſimile opus *non factum eſt in univerſis regnis*, in comparatione cum regio Chriſti throno magis ſubſiſtent, quàm ſcintilla ad ſolem, ad cœlum arena.

Porro quæ ad externum Regis 516.
Chriſti cultum pertinent, ex menſa, *Menſa, divitiæ & ædificia Regis Chriſti adſtruuntur.* gazis, atque ædificijs colliguntur. Cibi menſæ Regis noſtri tales ſunt, ut Regnum Dei, *quod non eſt eſca & potus*, maximè deceant, & ad magnificum ejus ſplendorem ſummopere faciant: quia enim de explendis & ſatiandis ſpiritibus, non corporibus, agitur, nec Fideles ſint ultrò caro & fœnum, ut fœno paſci debeant, ſed nati ex ſpiritu ſunt ſpiritus; ideóque cibo ſpirituali ſunt paſcendi. Vnde & Chriſtus Rex menſam ſuam, verè menſam Potentis, duplici inſtruit cibo ſpirituali, nempe Corpore & Sanguine ſuo, ac Verbo Dei. Vterque eſt cibus regius, non corporibus ſed ſpiritibus ſaginandis idoneus, qui ſedentibus, ut comedant cum Principe, perpetuò exhibetur in Chriſti Eccleſia. Ad quas regales epulas ne conferri quidem debent vel Aſſueri convivia, vel Cleopatræ libamenta, vel quæcunque Apiciorum fercula; ſive pretioſitatem & dulcedinem, ac bonum ciborum ſuccum ſpectes, ſive convivantium multitudinem, quantum

tùm eſt ex Regis voluntate, & ciborum apparatorum ubertate: quippe in utroque Regis noſtri epulo læti haurimus & ſanam inſaniam, & ſobriam Spiritûs ebrietatem, usque ad ſaturitatem animæ. De divitijs, opibus, & gazis Regis noſtri valida abundantia omnem ſuperat admirationem: *gloria* enim *& divitiæ*, quæ *in domo ejus* ſunt, non ad externas opes auri & argenti, terræ, inquam, flavæ & albæ acervos, ſed ad ſpirituales opes pertinent virtutum & donorum, quorum fuit in Chriſto ſenſus ampliſſimus, propèque immenſus. Propero ad extremum gloriæ Regis cujuſpiam argumentum, quod ſuppeditant eximia opera & ædificia civitatis, templi, palatij. Talibus namque operibus, ſupra communem & vulgarem uſum editis, plurimi Regum ſuam prodiderunt gloriam: Semiramis ædificatione Ninives, Salomon templi & palatij ſtructurâ, Alcionus hortorum ad terreſtris paradiſi imitationem expreſſorum culturâ, Mydas roſeti roſis centenarijs curâ. Et civitatis, & templi, & Baſilicæ, & horti, & vineæ, & ruris cultiſſimi decora omnia, in uno Regis noſtri opere notare facillimum erit. Eccleſiam dico, cum totaliter & adæquatè, tum partialiter & inadæquatè ſpectatam; cui in Scripturis omnia illa nomina tribui videmus. Ipſa enim juxta Pſalten, eſt *civitas Regis magni*, conſtructa ex omnibus gentibus tanquam lapidibus communibus, & Chriſto lapide angulari fundamentatio, ſimulque etiam in ſumma parietum compage locato ad omnia nectenda. Ipſa eſt *tabernaculum Domini, & templum ſanctum ejus*, in quo invocatur nomen ejus. Ipſa *domus DEI*, quam decet ſanctitudo in longitudinem dierum; in cuius comparatione regia quæque palatia videntur eſſe niduli Trochilorum. Ipſa *hortus concluſus*, hoc eſt, Evangelii vomere, orbe toto diffuſâ culturâ, clauſus ſtimulis diſciplinæ, ab omni peſſimo gramine Apoſtolicis laboribus expurgatus, Fidelium plantatiis, liliis Virginum, roſis Martyrum, Confeſſorum viriditate amœnus, fragrans floribus ſempiternis. Ipſa *vinea Domini Sabaoth, vinea electa, omne ſemen verum*: quam vineam diligens Agricola fodere, rigare, tondere conſvevit; ruderatisque terrenæ molis aggeribus, nunc ſole torrere, nunc imbre perfundere, nunc extirpate agrum ſolitus, ne à ſentibus gemma lædatur, ne luxuriet umbra foliorum, verborúmque infructuoſa jactantia virtutibus obumbrando maturitatem indolis naturalis impediat. Ipſa *Piſcina in Heſebon*, in porta filiæ multitudinis: ubi libertas evadendi & expatiandi rationalibus piſcibus adempta, ne inquirant in profundo hujus ſæculi pelago temporalia, quæ tanquam ſemitæ in mari tam citò evaneſcunt & intereunt, quàm rurſus aqua confunditur, poſtquam tranſeuntibus locum dederit, vel navibus, vel quibuscunque ambulantibus, aut natantibus. Vt meritò ex his omnibus fontibus Chriſtum Regem tanti operis auctorem, & exornatorem juvet concelebrare.

Theoph. Raynaudus in atrio ſacr. Chriſto ſ. 233.

Pſal. 47. v. 3.

517. Attoniti ſpectâſtis, Auditores, Regis noſtri majeſtatem in apparatu, in diademate gloriam, magnificentiam in rerum temporalium cultu: nunc ad aulæ ſplendorem, comitatûs amplitudinem & obſequij frequentiam ac ſanctitatem ſpectant, quæ ſumus pro veſtra exhortatione dicturi. Et Regum quidem cæterorum comitatus, quò plenior & amplior eſt, eò majoris indigentiæ eſt argumentum. Nec frequentiùs quidquam contingit in aulis, quàm ut pro numeroſitate famulitij abundent ſcelera. *Quid* enim *aliud eſt*, inquit Salvianus, *vita curialium, quàm iniquitas*! Aulam certè Chilperici Regis ijs Sidonius depingit coloribus, præ quibus videri „poſſent Æthiopes albeſcere. [Nul„lum illis, inquit, genus hominum, „ordinum, temporum cordi eſt. In „foro Scythæ, in cubiculo viperæ, in „convivio ſcurræ, in exactionibus „harpyiæ, in collationibus ſtatuæ, in „quæſtionibus beſtiæ, in tractatibus „cochleæ, in contractibus trapezitæ:

Curialium ſæculi vita, iniquitas, & juge martyrium.

Salvianus l. 5. de Prov.

Sidonius l. 1. Ep. 7.

„ad intelligendum ſaxei, ad judican-„dum lignei, ad ſuccenſendum flam-„mei, ad ignoſcendum ferrei, ad „amicitias pardi, ad facetias urſi, ad „fallendum vulpes, ad ſuperbiendum „tauri, ad conſumendum minotauri.] Relatus nempe Sidonius ſuo experimento doctus, vir eruditione, genere, obitis muneribus & ſanctitate præſtans, noverat Aulicos Chilperici eâ eſſe morum corruptelâ depravatos, ut nullæ ſint in Lybicis arenis dipſades, nulli uſpiam colubri veneno præſentiore inſtructiores, præ quibus in lacum leonum conjici cum Daniele, vel in anguium foſſam cum S. Thecla, mitè ac leve poſſet videri. Et tamen cū ijs neceſſariò vivendum eſt homini aulico, cum ijs diu noctúque converſandum. Eosdem verò inſuper aulicos prolixè deſcribit multis internis torroribus vexatos, & ignaviâ pariter ac conſcientiâ trepidantes. Omnis porro illa nigerrimorum morum fuligo eò planè refertur, ut dejectis aliis creſcant alii, & unius ruinâ gradum alteri ad ſuperiorem faciat. Quæ per fas nefáſque ſcandendi cura, ac juſtus metus, ne ijs irretiantur pedicis, quas aliis nectunt, juge & immane tormentum eſt. Vt inexperientiæ inſimulari non poſſit Petri Bleſenſis ſuffragium, qui in aulico pulvere bonam ætatis partem contrivit. Sic autem canit.

Bleſenſis autem de lacta curia et ſpi-ritu.

Deſerta palatia: nam Curia
Curis, imòcrucibus & mortibus
Semper eſt obnoxia.

Experientiâ à pluribus fuit comprobatum, quòd cùm Trochili in veruculo, præſertim virgâ corylaceâ, igni apponuntur aſſandi, ſi unâ ex parte caloris efficaciam ſatis bene conceperint, ſponte convertantur cum veru, ut etiam ex alterâ parte torreantur. Credo, hanc curialium eſſe diſciplinam, ut ultrò citróque ſe ingerant & convertant ad calores, ad confixiones, ad uſtulationes, ad tædia & improbos labores, ad ſordes in cibo & potu, ad hoſpitiorum & mappalium faſtidia, & univerſas aulæ ærumnas: ad quas ſpes regiæ liberalitatis frequenter exhilarat, dum quandoque in multos magnificè ſe effundit. Sperat autem unusquisque ſibi eventurum, quod pluribus alijs eveniſſe videt. Sub iſtius expectationis, dulcis & incertæ, ſolatio tædioſa delectant, gravia leviganiur, amara dulceſcunt: exinde labores, quamvis infirmi, maximos ſuſtinent hi mundi Profeſſores; expenſas etiam ingentes, quamvis avari, non ſentiunt hi Curiæ Diſcipuli; ſtipendia minima, quantumvis emeriti, ingentia reputant hi milites Herinini. Et ſicut juſti per multas tribulationes intrant in regnum cœlorum, ita hi curiales genij per multas tribulationes promerentur infernum: quorum omnia perierunt ſervitia, ſi vel ſemel non rectè exſpuerint. Nihil neceſſe eſt morari, quomodo plerique in hoc ordine ludibrium fortunæ debeant, & poſt crepantes adulationum bullas interdum usque ad inimicorum dolorem devenuſtentur; atque à rebus humanis velut vomitu Fortunæ nauſeantis, cum Ablavio, Cyro Panoplita, Seiano, Plautiano, Petro Vinea, aliiſque eluſis Aulæ favoritis expuantur. Hæc & innumera alia curialis vitæ cruciamenta, ex tam inani causâ tolerata, ad quæ ſola aurea vel ferrea clavis viam facit, Bleſenſem redegerunt ad exclamabundam deprecationem. *Domine JESV Chriſte, ſi ſic vivitur, & in talibus vita ſpiritûs eorum, qui curiam ſequuntur, nunquam quæſo in curiam regrediar. Jactura ſiquidem annorum, quos circa curiam in nugis conſumpſi, æſtimationem non recipit.*

Bleſenſis Epiſt. 14.

518. Vbi econtrà Chriſti Regis gloriæ Aula in omni ſanctitate & Juſtitiâ degit: nullæ eam aulicorum turpitudines deformant, nulla probra dehoneſtant. Comitatum Regis noſtri longè ampliſſimum & ſplendidiſſimum, pro tanti Regis dignitate & Majeſtate, ſæpè exhibet David: & apertiſſimè Joannes, qui in Apocalypſi numerum ſtipantium Agnum,

Hierarchia Eccleſiaſtica ex varijs ſtatibus conſurgens.

Apoc. 5. & 7. *cui honor, & gloria &, poteſtas data eſt*, ait eſſe *millia millium* : rurſusq; ſtantium ante thronum, & in conſpectu Agni, ſervientium ei die ac nocte, numerum exhibet propè infinitum, ex omnibus Angelis ſtructum, & ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis concinnatum; multitudinem magnam, quam dinumerare nemo poterat. Grandes & Magnates hos dices, ſi olim in cœleſti apparatu admirabundos elevabis oculos : nunc autem in mortali carne ſuſpice gloriam Regis Chriſti ex multitudine & dignitate Miniſtrorum ſeu Præfectorum, quibus plenæ poteſtatis Regiæ ſtillicidia, participationes, & exiguæ imperij imagines conceduntur. Viden Miniſtrorum Chriſti, & diſpenſatorum myſteriorum Dei ſubordinatam multiplicitatem : quæ ad inſtar cœleſtis Hierarchiæ in terris conſtituta, *S. Hieronym. l. 1. contra Iovinianum.* à D. Hieronymo appellata eſt *Hierarchia Eccleſiaſtica*. Quàm ſpecioſi in Sion lapides, qui per ordinem ſtrati mirabilem planè concinnitatem, ex ea varietate probè ordinatâ exiſtentem, objiciunt ſpectanti ? Ea concinnatio ex ſummis, medijs, & infimis ordinibus divinitus facta, longè præſtantiorem conciliat har- *S. Auguſtin. l. 2. de civit. c. 21.* moniam, quàm olim Sanctus Auguſtinus ex Tullij opere de Republica collegit concentum ex diſſimillimarum vocum moderatione. Hujus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ varios Ordines, tanquam Præfectorum in regno Chriſti varios gradus, recen- *1. Corinth. 12. Epheſ. 4.* ſet Apoſtolus ad Corinthios & Epheſios: ubi in primo ordine collocat eminentiſſimam dignitatem & primatum Apoſtolorum, deinde gradatim deſcendit ad Paſtores & Doctores, proviſos à Deo ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti. Quas verò Apoſtolus priore loco vocat *Opitulationes*, quaſi ſubſidiarias copias; eæ complectuntur quoscunque ſacros Prælatorum Adjutores, etiamſi ad ſæcularem Clerum non ſpectent; ut mirum ſit, etiam hodie exſibilare mangones contra Religioſos Ordines, & quosvis non Clericos ſæculares ſequeſtrare ab Hierarchia, eóque nomine bellum implacabile Regularibus indicere; in quo jam dudum pro divinitùs ſubmiſſis BB. Dominici & Franciſci aciebus contra Guilielmum de S Amore, & Gyraldum de Abbatis Villa, præclariſſima Eccleſiæ lumina, Angelicus Thomas & Seraphicus Bonaventura triumphârunt. Neque eſt in Eccleſiâ Chriſti Sponsâ abſurda varietas, cùm ipſa in Pſalmis *circumamicta varietatibus* *Pſal. 44. v. 10. & 14.* deſcribatur; & ea varietas non minùs cauſa ſit uniformitatis, ac in cythara ex varietate chordarum reſultat uniformis modulatio concentuum. Ornatur Eccleſia varietate, quia auro Apoſtolorum, argento Prophetarum, gemmis Virginum, cocco Martyrum, purpurâ pœnitentium. Hinc rectè Haymo varietatem veſtis ſpectat in varijs gradibus, & ſtatibus Clericorum, ac conjugatorum. Quis non miretur varietatem Religioſorum Ordinum in Eccleſiâ, & ex ea varietate atque ſapienti ordinatione pulchritudinem Eccleſiæ ? ubi ſtella differt à ſtella in claritate, & alia promicat claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum. Pro- *Proſper. in Ep. ad Demetriadem.* ſper Aquitanicus, Epiſcopus Regienſis in Gallia, qui fuit S. Hilarij æqualis, & floruit circa annum 445. variegaturam veſtis Eccleſiæ ſic declarat. [Cùm Eccleſia Dei, quæ eſt corpus Chriſti, ita ſit multimodâ varietate contexta, ut in unum decorem, etiam quæ non ſunt paria, concurrant; & de omni genere hominum, & de omni gradu officiorum, de omni menſurâ operum, de omni qualitate virtutum fiat totius ædificationis inſeparabilis connexio, & indifferens pulchritudo: nec deſit ſoliditati, quod non defuerit portioni: tantáque ibi ſit pax, tantáque concordia, ut nō poſſit eſſe niſi omniū, quod eſt etiam ſingulorū; indubitanter apparet, copulatricē quandā eſſe virtutē, qua ſibi cōfœderatur & concinit multiplex Sanctorū unitas & ſpecioſa di-

„verſi-

„verſitas. Hæc autem virtus vera humilitas eſt, quæ inter quoslibet meritorum gradus nunquam ſui poteſt „eſſe diſſimilis.] Ex quibus omnibus conſtat, quo decore & apparatu ſervi & miniſtri fideles ſuo Regi Chriſto obſequantur.

519. *Servitus magna Aulicorum.* Porro ad emolumenta illa veniamus, quæ ſibi lucrifaciunt ſervientes Aulæ, ac Regi temporali: quorum ſors tantò videtur eſſe infelicior, quantò juxta Theodoretum beatior ſtatus mancipij aut ſervi ſupra Dominum.

Lucius Marinæus l. 8. rerum Hiſpan. in fine. Piè admodùm & luculenter Lucius Marinæus, ex ore Joannis Regis Aragonum in vitæ metâ conſtituti producit verba, ad compleċtendam ſummam mancipatæ Vanitatis penetrantiſſima. Sic autem moriens regiam ſuam ſortem ingemiſcebat Joannes. *O vanas hominum cogitationes! ô miſeros omnes, qui ad Principatus aſpirant! qui divitias, opes, & nimios honores affectant! O felicem pauperum conditionem, & illorum ſecuram vitam atque beatam, qui panem comedunt cum ſudore ſui vultûs, qui vivunt labore manuum ſuarum! Nam mihi miſero quid regnum, quid honores, quid obſequia plurimorum contulerunt? Quid? Labores ſcilicet magnos, & multa corporis ac animæ pericula, nec unquam ætate tam longâ potui mihi dies aliquos videre bonos. O me miſerum & infelicem, qui tam ſerò fallacem mundum cognoſco; qui vitam certè vixiſſem multò meliorem; ſi non Rex, ſed pauperis agri cultor fuiſſem!* Et hæc quidem magno cum animi dolore proferebat; utique recordatus, & ſecutus exemplum Alphonſi Fratris, qui olim Neapoli moriens, eadem protuliſſe verba memoratur. Quòd ſi tot ac tantæ ipſorum Regum & Principum moleſtiæ, ac curarum aggeres tam immenſi, proindéque tot amaritudinibus inſperſa vita; quantò infelicior eorum ſervitus, qui iſtis proximi, honoribus duntaxat inferioribus, & à ſuperioris nutu, ac plerumque impotentis animi æſtu ſubito & merâ libidine pendentibus, corruſcant! *Ecce gigantes* potentes *gemunt ſub aquis* in curâ populorum; *& qui habitant cum eis* aulici, ejuſdem ſunt conditionis. *Iob. 26. v. 5.* Vbi egregium locum D. Gregorius adducit ſuper gigantes gementes ſub aquis, qui elati, dum in hâc vitâ aſſequi honorum celſitudinem cupiunt, ſub ponderibus populorum gemiſcunt. *S. Gregorius l. 17. moral. c. 31.* Certè Adrianus VI. Pontifex Belga ingenuè affirmabat, magnas dignitates eſſe magnas ſervitutes: quam ſententiam ex Seneca videtur hauſiſſe, ſic Polybium conſolante. *Seneca ad Polyb. conſol. c. 26.* *Magna ſervitus eſt ex magnâ fortunâ, omnium ſomnos vigilia Principis defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* S. Ludovicus, Ordinis Seraphici vernans gemma, & Epiſcopus Toloſanus, Caroli Siciliæ Regis filius, terrenam Aulam nuncupabat ſplendidam ſervitutem, & honeſtum ergaſtulum. Ipſorum denique aulicorum concors ſententia in hoc conclamat, Magnatum & Principum conditionem ſervituti, quàm dominationi eſſe propinquiorem. Bonus Princeps, aiebat Tiberius, omnibus ſervire debet, Senatui, Populo, ſingulis. Senatui quidem, ejus conſilijs acquieſcendo; Populo, ejus commodis ſtudendo; unicuique, jus reddendo. Servus ergo eſt omnium, ideóq; caput diademate obligatū geſtat, ut oſtendat, ideo mancipia de vulgo manibus vincula, vel pedibus geſtare compedes; quia manuum, pedū, cæterorúmque membrorum officio Dominis ſuis ſerviunt; Reges verò in capite eſſe diademate obligatos, quia caput & animum ad commoda populorum debent habere intentum, ſi rectè regnare velint. Proinde *magna ſervitus ex magnâ fortunâ.*

520. *Reges ſunt ſervi Chriſti.* Ex ſervili profanorum Aulicorum conditione declino ad beatiſſimam ſervorum Regis Chriſti ſortem liberrimam, ac maximè ingenuam. Sed quid dico ſolùm, ingenuam? quando Regi noſtro non deeſt ex hac parte ornamentum illud, quod Rex Aſſyriorum iniquè ſibi & impudenter arrogabat, dicens: *Nunquid non Principes mei, ſimul reges ſunt?* *Iſa. 10. v. 8.* Principes, inquam, regni Chriſti, quos adſcivit in regiminis partem (non ex neceſſitate,

ut

ut Reges temporales aſſumunt præfectos; ſed ex benignitáte, & ad regni majeſtatem ac decorem ampliorem) ſimul Reges ſunt; eóque nomine donantur in Pſalmis, ubi poſt deſcriptam Columbam deargentatam, ſive Eccleſiæ regnum, addit David: *Dum diſcernit cœleſtis Reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon.* D. Auguſtinus appoſitiſſimè hic commentatur. [Ille, inquit, ſupercœleſtis, ille qui aſcendit ſuper omnes cœlos ut adimpleret omnia, dum diſcernit Reges ſuper eam, id eſt, ſuper eandem Columbam deargentatam; ſequitur eam Apoſtolus, ac dicit: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, quoſdam verò Evangeliſtas, quoſdam autem Paſtores & Doctores.* Nam quid eſt aliud, reges diſcernere ſuper eam, niſi in opus miniſterij, in ædificationem Corporis Chriſti, quandoquidem ipſa eſt Corpus Chriſti? Dicuntur autem illi Reges utique à regendo. Et quid magis, quàm carnis concupiſcentias, ne regnet peccatum in eorum mortali corpore ad obediendum deſiderijs ejus, ne exhibeant membra ſua arma iniquitatis peccato, ſed exhibeant ſe DEO, tanquam ex mortuis viventes, & membra ſua arma juſtitiæ DEO? Sic enim erant Reges primitus diſcreti ab alienigenis, quia non erant jugum ducentes cum infidelibus, deinde diſcreti concorditer inter ſe muneribus proprijs. Non enim omnes Apoſtoli, aut omnes Prophetæ, aut omnes Doctores, aut omnes dona habent curationum, aut omnes linguis loquuntur, aut omnes interpretantur. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique, prout vult, quem dando ille ſupercœleſtis diſcernit Reges ſuper columbam deargentatam.] Quanta diſparitas inter regnum mundi, & regnum Chriſti! Regnare in mundo, ſervire eſt; at verò ſervire DEO, regnare eſt. Nam ut dicit Philo, *Servire DEO maxima eſt gloriatio, non modò libertate major, ſed & divitijs, & principatu, & omnibus rebus, quas mortales miramur, pretioſior.* Rationem attingit Caſſiodorus, qui ait: Tibi, ô Domine, melius eſt ſervire, quàm mundi regna capeſſere, meritò, quando ex ſervis filij, ex impijs pij, de captivis reddimur abſoluti. Hinc S. Agatha Tyranno exprobranti paupertatem & ignobilitatem Chriſtianorum, ſapienter & generosè reſpondit: *Multò pretioſior eſt Chriſtiana humilitas & ſervitus, regum opibus & ſuperbiâ.* Tyranni ſunt, qui nos ſervos & curvas in terram animas volunt. Chriſtus nos ex ſervitute paternâ & maternâ ereptos in libertatem aſſeruit, & non modò famulorum aut clientum, ſed fratrum ac filiorum nomine dignatur. Servi quidem Chriſti ſumus; & Paulus cæterique Apoſtoli haud libentiùs ullum titulum uſurpant, quàm ſervi JESU Chriſti: ſed verò *ſervire DEO, regnare eſt.* Nec ipſe Nabuchodonoſor Danielem & ſocios in fornace triumphantes, nobiliori elogio donare potuit, quàm ſic eos compellando, *Servi DEI excelſi.* Vbi Chryſoſtomus. *Non ſi eos vocaſſet Reges, non ſi Dominos orbis terræ, non tantâ eos affeciſſet voluptate, quantâ cùm dixit eis, ſervi DEI excelſi. Et quid miraris? Ad magnam enim urbem, quæ orbis terræ obtinebat dominatum, & cui authoritas magnos faciebat ſpiritus, Paulus ſcribens hoc poſuit, ut quod dignitati ex æquilibrio reſponderet, imò verò & conſulatu, & regno & orbis terræ imperio longè majus, atque adeò incomparabiliter majus eſſet, Paulus ſervus IESV Chriſti.*

Pſal. 67. v.15.

S. Auguſtin. ſuper Pſal. eod.

Philo lib. de Cherubim.

Caſſiodorus.

Dan. 3. v.93.

S. Chryſoſtom. in Ep. Ephef. hom. 8. in mor.

Rom. 1. v.1.

Quæ cùm ita ſint, quanta mentis abalienatio innumeros agit mortales, ut abjecto Rege gloriæ, immenſam ſuis reponente gloriam, truculentiſſimo tyranno, ſola rependere ſupplicia ſcienti Mundo, per ſummos conſcientiæ angores ſervire præeligant? Vos, ô vos Chriſti Fideles, ſub dulci jugo & ſuavi onere Regis veſtri vivite beati, ſperando æternæ vitæ retributionem, & aſpirando ad illud *regnum cælorum*, in quo cum Chriſto exultant omnes Angeli: interim verò in hoc mortali corpore, omni obſequiorum genere, pietatis affectu, religionis exercitio, amoris ac devotionis ſtudio CHRISTUM Regem, Patrem ac *Dominum cognoſcite veſtrum.* Amen.

POST PENTECOSTEN.

HIRUNDO GARRULA.

Die vilſchwätzige Schwalb.

LEMMA.

. . *Digito compeſce labellum.* Iuvenal. Satyr. 10.

THEMA.

Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, ut caperent IESUM in ſermone. Matth. 22. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS LVI.

Sicut moderata Taciturnitas pernices præbet virtuti alas, ut ad lauros, ad cœleſtis præmij palmas, ad humanam divinámque evolet felicitatem: ita immoderata Loquacitas perniciofas addit pennas vitio, ut infauſtè & inconſtanter procedat in omnibus vijs ſuis.

521. *Hirundinis & garrulitatis grave incommodum.* QVis non objurget Hirundinem, ſomnos matutinos avertentem, ſuóque importuno cantu excitantem dormientes? De illis loquor, qui odioſâ garrulitate rationis inopiam præſeferre ſatis arguunt: ut meritò Progne abſciſsâ linguâ in Hirundinem garritu nimio inſignem mutata, eos ſignificet, qui ſapientiæ parum, loquentiæ multum profundunt. Et ſanè uſuvenire ſolet, ut loquaciores ferè ſint, quibus eſt rationis defectus, quàm qui prudentiâ, & ingenij viribus anteſtant: quandoquidem apud graves & ſapientes quosque viros ſilentium commendatiſſimum, verborúmque parſimonia ſit gratiſſima. Quò præceptum ſpectat Pythagoricum: *Hirundinem ſub eodem tecto ne patiaris*; non tam ob ſordium, quàm garrituum importunitatem. Sed & Clementis accedit perſvaſio. *Clemens l. Strom. 1.* Svadet, inquit, *Samius, domi non habere Hirundinem. Hoc eſt, loquacem & ſuſurronem, & effrenata lingua hominem, qui non poteſt continere, nec capere ea, quæ illi fuerint communicata. Hirundo enim & turtur, paſſeres agri, noverunt tempora ſuorum ingreſſuum, inquit Scriptura, nec oportet unquam ſimul habitare cum nugis.* Nicoſtrati etiam ſententia accedit. *Nicoſtrat.*

Loqui ſi indeſinenter, multáque & velociter,
Prudentiam indicaret, utique Hirundines
Fortaſſe quàm nos ſapere dicantur magis.

Eam ob rem facilè eſt conijcere, cur quos ingeniorum vertex Homerus ſapientiſſimos effinxerit, eosdem & ſilentes ferè, aut certè pauciloquos eſſe voluerit. Noverat enim, ſilentium, & ſobrium parcúmque orationis uſum, ſpecimen gerere gravitatis; contráque apud Sapientes maximè, garrulitatem eſſe ſtultitiæ indicem. Neque enim alio nomine Therſiten morionem arguit vituperatione dignum, quàm quòd loquax eſſet, obſtreperus, importunè garrulus, ſeditioſus:

tioſus: ubi econtra Neſtori, conſultiſſimo ſeni, orationem tribuit melle dulcius ab ore fluentem; Menelao argutam illam quidem, & nunquam à ſcopo declinantem breviloquentiam; Vlyſſem grandem & vehementem, ſed diu tamen cogitabundum facit, antequam incipiat loqui. Rectiſſimè à quodam Veterum Philoſophorum dictum eſt, loquendi magiſtros nos homines habere, tacendi verò Deos. *Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, ut caperent JESVM in ſermone.* Quaſi nempe ſermo inconſideratus, aut dubius, aptiſſima foret occaſio Chriſtum cavillandi, eique mortem machinandi; cùm juxta Lyrani gloſſam, homo faciliùs capiatur in verbis, quàm in factis. Itaq; conſilium inierunt, quomodo ex cornutâ interrogatione eum inducerent ad reſpondendum aliquid ex præcipitatâ garrulitate, unde poſſent morti tradere; quia vi & potentiâ non audebant, ob plebem. At verò Chriſtus Verbum, in Verbo aut ſermone errare non poteſt, hinc gravi oratione ad interrogationem de tributo dando reſpondit: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt DEI, DEO.* Paucis complexus eſt plurima, dolum eluſit, veritatem dixit, pro Deo & Cæſare ſtetit, nocendi laqueos evaſit. Vſque adeò ſobria prodeſt oratio, & opportuna ſilentij obſervatio. Notum eſt Græcorum adagium: *Tutum ſilentij præmium.* Et illud Simonidis: *Locutum fuiſſe, pœnituit; tacuiſſe verò, nunquam.* Si vis addiſcere artem, ne capiaris in ſermone; *DIGITO COMPESCE LABELLVM*, parcè, graviter & ſobriè loquere, aut omnino ſilentium tene. Magna ſunt bona, & eximia emolumenta, quæ vel ex moderato, vel ex compreſſo linguæ uſu reſultant; detrimenta verò frequenter irreparabilia, quæ ex garrulâ multiloquentiâ generantur. De utriſque dum in præſentiarum tracto, magnâ animi attentione quieſcite, & ſilete: cùm juxta Senecam, *Nihil æquè proderit, quàm quieſcere; & minimum cum alijs loqui plurimum ſecum.*

A'Astu Em. hyp. 11. — *Salmeron ſuper Matth.* — *Matth. 22. v. 21.* — *Senec. Ep. 105.*

Quando Hirundines ex Samio & Pythagora adversùs garrulum adduxi, adducenda eſt etiam ex Sapiente Chriſtiano fabella ad garrulum caſtigandum, quã D. Gregorius Nazianzenus in quadam ad CelenſiumEpiſtola ſallito lepôre producit. [Quoniam, inquit, mihi ſilentium & ruſticitatem objicis, ô vir honeſte & urbane, age, tibi etiam fabulam nihil à muſis abhorrentem recenſebo; ſi quo modo hâc te queam dehortari, ut in poſterum à nugis abſtineas. Hirundines conviciabantur Cygnis, quòd nollent cum hominibus converſari, neque muſicen publicare, ſed circa paludes degerent, & fluvios, ſolitudinémque complecterentur: ad hæc, paucula quædam canerent, & ea quidem intra ſeipſos, quaſi muſices puderet. Noſtræ autem, dixerunt, ſunt urbes, hominésq; & Penates: hominibus loquimur, & noſtra ipſis percenſemus; hæc utique, hæc vetera & Attica, Pandionem, Athenas, Tereá, Thraciam, peregrinationem, gloriam, ignominiam, linguæ exciſionem, literas, atque ad hæc omnia Itym, atque quo pacto ex hominibus factæ ſumus aves. Illi verò, olores videlicet, vix ſermone quidem ipſas dignati, garrulitatis oſores, hunc in modum reſponderunt. Nos quidem, ô Hirundines, ſi quis ad ſolitudinem venerit muſices audiendæ gratiâ, cùm alas Zephyro permittimus, dulce quid & concinnum ſpirare videmur. Quare ſi non multa & in mutis canimus, certè idipſum pulcherrimũ eſt in nobis, quòd menſurâ cantũ moderamur, nec muſicen ſtrepitibus permiſcemus. Vos autem etiam inhabitantes homines ægrè ferunt, & canentes averſantur, & maximè accuſant. Præterea ne privatæ quidem, linguâ ſilentium agere poteſtis, ſed ipſe taciturnitatem deploratis, & affectum veſtrum. Deinde loquaciores eſtis quodam non felici linguá præditæ & muſico.] Apodoſin ſubjicit Gregorius, converſâ ad Celeuſium garrulum oratione, & in eum converſâ fabellâ. Intelligis, quid velim, & 522.

Hirundinum cum oloribus de taciturnitate controverſia. — *S. Gregorius Nazianz. Ep. 14. ad Celeuſium.*

nempe vel optimam meam taciturnitatem tuæ præſtare eloquentiæ. Deſine igitur nugis mihi ſilentium obijcere, aut tibi afferam parœmiam, veriſſimam quidem illam, ſed maximè compendioſam: nempe *quòd tunc olores canunt, quando ſilent graculi.* Rectè quidem: præſtat enim cum oloribus taciturnâ gravitate meditari profunda myſteriorũ, quàm cum Hirundinibus ineptâ garrulitate propalare ſecreta cordium. Vnde veriſſimè canit Latinus, pariter ac Germanicus Poëta:

Moleſtat aures inſolens
Hirundo cantilando:
Inepta clamat, impudens
Et blaterat triſando.
Cum Sole ſurgit ocyùs,
Fallit diem loquendo:
Sole cadente preſſiùs
Humùtque garriendo.

Die gſchwätzig Schwalb macht alle voll/
Vnd plodert hin vnd her:
Früh hat ſie Kiſtn vnd Käſten voll/
Spatt iſt es le/le/lär.
Zu Morgens ehe die Sonn auffgeht/
Fangt ſie zu ſchwätzen an:
Zu Abends wann ſie nidergeht/
Noch nit auffhören kan.

523. *Moderatio linguæ ad quæ primò conducat.* Jam ſi de reſecandis incommodis, & advocandis bonis agatur, hujuſce rei apud Sacros & Prophanos *moderatio linguæ* commendatiſſimum extitit remedium. Inprimis enim tanquam inſtrumentum colligendæ mentis, & eundem vitæ tenorem ſervandi, eximiè obſervatur. Omnis namque inſtitutionis ratio eò refertur, ut & à rebus externis, & à brutis ſuis affectionibus, & à corpore ad ſeipſum revocetur animus; ad hoc, ut ſuo more, eodémque perpetuo tenore vivat. Quam ad rem ſilentium plurimum confert: hinc merito ſilentij virtus ab Antiocho, *ſapientiſſimarum cogitationum mater;* & à Gregorio Neocæſarienſi, *continentia & caſtitatis genitrix* deprædicatur; ab alijs verò parens orationis, liberatio à captivitate, ardoris Divini cuſtodia, cogitationum obſervatio, ſpeculator hoſtium, amor lachrymarum, aſſiduæ mortis memoriæ effector, ſuppliciorum æternorum pictor, curioſus Judicis obſervator, ſalutaris triſtitiæ miniſter, nimiæ confidentiæ hoſtis, religioſæ quietis conjux, ambitioſæ doctrinæ oppugnator, ſcientiæ argumentum, contemplationis magiſter, occultus in virtutibus profectus, arcanus in DEUM aſcenſus, & ſimilibus encomijs liberaliter proclamatur. Deinde ut ab alijs gravioribus malis multiloquium non fœdaretur, illud ſaltem moderato ſilentio cavetur, cui vix aliâ ratione occurrere liceat. Nimirum proſpicitur inanitati ſermonum, quam agnoverunt Philoſophi devitandam ſapienti. Perſvaſerat id egregiè Pythagoras, qui aptandis ad Philoſophicam ſationem tyronum ingenijs, arctum indixit ſilentium; & novitios Philoſophos pro æſtimato ſolertiæ captu, prolixiori aut breviori tempore conticeſcere juſſit in ſchola: & hoc ſilentium toto quinquennio ſervare debebant tyrones, ut avelli à rebus ſenſibilibus conſveſcerent, Deúmque nudâ mente contemplarentur. De hoc ſilentio ſequentia narrat Apuleius, lectiſſimis documentis referta. [Pythagoras, inquit, tot Doctoribus eruditus, tot támque multijugis fomitibus diſciplinarum toto orbe hauſtis, vir præſertim ingenio ingenti, ac profectò ſupra captum hominis; animo auguſtior, primus Philoſophiæ nuncupator & conditor, *nihil priùs diſcipulos ſuos docuit quàm tacere:* primáque apud eum meditatio ſapienti futuro, linguam omnem coërcere, verbáque, quæ volantia Poëtæ appellant, detractis pinnis, intra murum *candentium dentium* premere. Prorſus, inquam, hoc erat primum Sapientiæ rudimentum, meditari condiſcere, loquitari dediſcere. Non in totum tamen vocem deſveſcebant. Nec omnes pari tempore elingues Magiſtrum ſectabantur: ſed gravioribus viris, brevi ſpatio ſatis videbatur taciturnitas modificata. Loquaciores enimverò fermè in quinquennium, velut in exi-

Antiochus hom. 103. Gregor. Neocæſar. hom. 1. de Annunt.

Climacus grad. 11.

Apuleius l. 1. Flor. in fin.

exilium vocis pnniebantur.] Quod idem de diſpari ſilentij termino, pro Auditorum varietate per Pythagoram præſcripto, annotat quoque Jamblicus in ejus vitâ, ubi de Pythagorâ ſequentia tradit. *Iamblicus in vita Pythag.* Docebat varijs vijs, juxta cujusque naturam & aptitudinem portiones dans. Teſtis eſt Abaris Sacerdos Apollinis, quem relictis tentamentis & ſilentio, ſtatim ad intima rerum dogmata traxit, de Dijs, de natura inſtruens. Sed & præfatus Apuleius, in hoc puncto Platonem dicit totaliter Pythagoriſare, ac ſimili diſciplinâ ſuos tyrones imbuere; tandémque addit: *Vtrumque meditationibus Academicis didici, & cùm dicto eſt opus, impigrè dicere; & cùm tacito opus eſt, libenter tacere.*

524\. *Silentij virtus, potentia & ſecuritas, variâ authoritate adſtruitur.* Vtut verò ſe habuerit Pythagoricum iſtud ſilentium, graves Patres tradunt, ejusce uſum ex ſacris Litteris fuiſſe deprомptum. Nunc enim Juſtitiæ illud tribuit Iſaias, *Cultus Iuſtitiæ ſilentium*: nunc Patientiæ Eccleſiaſticus, *Pauper autem læſus tacebit*: nunc Sapientiæ Patriarcha, *Pater verò tacitus rem conſiderabat*: nunc contemplationi lamentans Jeremias, *ſedebit ſolitarius & tacebit*: nunc reverentiæ iterùm Eccleſiaſticus, *Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi gratia*: nunc condeſcenſioni Paulus, *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus*: nunc denique etiam Prudentiæ ſilentium adjudicat Sapiens, *Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur.* Si enim ferè non diſtinguitur imperitus à docto, à circumſpecto prudentíque homine imprudens, ſi linguam cohibuerit, juxta illud Anthologiæ,

Iſa. 30. v. 17. Eccli. 11 v. 4. Geneſ. 37. v. 11. Thren. 3. v. 28. Eccli. 32. v. 9. 1. Corinth. 3. v. 1. Proverb. 17. v. 28.

Dum tacet indoctus, poterit cordatus haberi;
Is morbos animi namque tacendo tegit.

Anthologia Græcorum 1.

Sed verò his omnibus Sacræ Scripturæ gnomis celebrior eſt illa Proverbiorum. *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.* *Proverb. 13. v. 3.* Quotquot hujus nltimi textûs ſcrutor Interpretes, malum aggravant. Nam Arabs legit: *trepidare faciet animam ſuam.* Septuaginta: *terrebit ſeipſum*; ſæpe enim videbit, verba emiſſa ſibi nocuiſſe. Theodotius: *confuſio imminet illi.* Syrus: *facit contritionem animæ ſuæ*; ubi per animam Vatablus intelligit vitam. Sæpè enim verba temerè prolata corporis ſoſpitati officiunt; & ut eleganter ait Plinius, *ſæpè vox temerè emiſſa redit per jugulum.* Sic nempe in Scripturis ſacris ſæpè inculcatur oris & linguæ cuſtodia, eò quòd non minùs ſit cuſtienda lingua, quàm urbs hoſtibus undequaque cincta: nnde D. Chryſoſtomo teſtante, *Ideo DEVS linguam velut muro duplici voluit circumdari: nam dentium tegmine & labiorum cuſtodiâ continetur, ne verba improvidâ garrulitate proferantur.* *S. Chryſoſtom. in Catech.* Adcóque ſicut urbs munitur muris, portis & ſeris; ſic Deus & natura muniverunt linguam palato, dentibus ac labijs. Et ſicut in portis urbium excubat vigil, ne quà hoſtis irrumpat vel irrepat; ſic ſupra portas oris excubat mens & ratio, ne quid ex ore exeat, vel introeat, quod homini malum creet. *O validum ſcutum*, exclamat S. Ambroſius, *circumſpectæ munitionis ſilentium! ô fidiſſimum ſtabilitatis fundamentum, in quo ſi quis potuerit ſtare, lubricum verbi timere non poſſit! Multi enim ſtabili corde firmati, incauti tamen, ſermonis fluctuantis errore ſæpè ceciderunt.* *S. Ambroſius in Pſal. 38. v. 2.* Vtrumque conſultum eſt, & maturè loqui, & tempeſtivè ſilere. Illud quidem potentiam ſapit, hoc ſecuritatem. Vnde Phocylides dicebat, Deum dediſſe homini arma, ferro potentiora, & penetrabiliora chalybe, ſcilicet moderatum & ſobrium ſermonem: quem quidem taurorum comparabat cornibus, aculeis apum, fortitudini leonnm, & avium celeritati; atque inſuper vocabat defenſaculum hominum. Sed verò docet experientia, nihil eſſe ſecurius ſilentio: ſiquidem & Romani tunc urbem ſuam credebant eſſe tutiſſimam, dum ſilentio cuſtodiretur, neque alterum Romæ nomen, nempe Valentia, hoſtibus indicaretur. Hinc Angeronæ Deæ ſacrificabant ad duodecimum diem Calendas *Plinius l. 3. c. 5.* Januarij, ejúsque ſimulacrum ore ob-

ligato obſignatóque colebant; quaſi omnes ſui cultores tacitâ hortatione moneret, *digito compeſce labellum.*

525. Silentij religioſi & clauſtralis violati periculum.

Poſſunt tam præclara moderatæ linguæ emolumenta viros ſapientes atque admodum Religioſos in tantum excolendi ſilentij abripere affectum, ut tunc videantur potentiſſimè loqui, cùm tranquilliſſimè attendunt tacendo. Sanctus Petrus Damiani, cùm plura expoſuiſſet ad coërcendum linguæ pruritum ſingulis conducentia, præſertim Religioſis per cætera ferè ſecuris à ſolâ garrulitate periculum damnationis metuendum præcavet. Verba ipſius terrore trepidant. *Fateor*, inquit, *fratres mei, nil ferè in monaſteryś agitur, unde mens mea terribilius ſuper Monachos imminere DEI judicium ſuſpicetur: nam continuo meatûs impulſu, quaſi torrens per decliva devexa, procedens eorum lingua decurrit: & cùm tintinnabulum ſonat, ſic illis eſt, tanquam ſi de repentino protinus ictu eorum caput illidat.* Periculi gravitatem proinde Authalopi & Cancri caſibus expendit Damiani.

S. Petrus Damianus l. 2. Ep. 18. ad Cardinal.

Nam Authalopus cùm exclamat, ad ſuum ignarus interitum gladios venatoris invitat; qui donec obticuit, perſequentis induſtriam fugacis curſûs opinione deluſit. Aliâ ratione, quod Cancer oſtreo, facit plerunque Monacho diabolus. Cancer enim ſolerter explorat, ſi quando oſtreum ſe contra Solis radios aperiat; tunc ergo lapillum clandeſtinus incuſſator immittit, ſicque hiantia clauſtra reperiens, viſcera oſtrei interna decerpit. Oſtreum ſignificat Religioſum, qui nimirum ſecurus vivit, dum ſub ſilentij cenſurâ concluditur; perit autem, cùm ad loquendum immoderatiùs aperitur. Quid enim deſignat calculus, qui oſtreo, ne recludatur, injicitur, niſi duritia conſvetudinis, qua quisque, ne ſeſe ad pœnitentiam emolliat, induratur. Nam quaſi quidam lapillus pravæ conſvetudinis obſtat, ne is, qui fabularum vacat ineptijs, à ſua ſe vanitate recludat. Cancer, qui poſt ſe naturaliter graditur, eſt apoſtata Spiritus, qui poſtquam ſemel à Conditore receſſit, in poſteriora relabi nunquam deſijt. Pari ſententiâ Sanctus Laurentius Juſtinianus contra inanes linguæ religioſæ exceſſus conS. Laur. Iuſt. l. de diſciplin. monaſt. c. 15. crepat. *Nihil*, ait, *ita incongruum homini DEO famulanti, & ad perfectionem tendenti reperitur, ſicut effrænata lingua, nullo conſiderationis moderamine religata, qua omnem mentis unitatem diſſipat & occidit.* Et ut conſtet, per ſilentium recludi cor, ne poſſit intus penetrare diabolus, addit. *Eſt namq; lingua janua, per quam ſæpè diabolus ingreditur cor, & per quam patet omnis interioris hominis ſtatus.* Per linguam immoderatam tanquam per januam ſuos tentator immittit cuniculos, excitat iras, patat inſidias, fomentat concupiſcentias, multiplicat peccata. Novit hoc periculum Abbas Agatho, qui lapillo ori impoſito tacere didicit, & hoc ſilentium per tres, ſicut S. Romualdus per ſeptem annos, continuavit: novit Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui toto aliquando quadrageſimæ tempore ſilentium ſibi indixit: novit Theona domunculæ incluſus, qui ultra quinquennium Pythagoricum longè egreſſus, per triginta annos tacuit, cum ſolo DEO locutus: novit S. Joannes Silentiarius, qui per quadraginta ſeptem annos, usq; ad ætatis ſuæ annum centeſimum quartum ſiluit; hoc eſt, januam clauſit, *per quam ſæpè diabolus ingreditur cor, & per quam patet omnis hominis interioris ſtatus.*

526. Silentium Deo laus in Sion.

Totus mihi videor ſilentij amore obmuteſcere; & cum Doctore Angelico vellem hiſce meis ſpectatiſſimis Auditoribus *Bos mutus* appellitari, ſi ita obmuteſcerem, ut ſilentium meum vel maximè in Eccleſijs, in quibus ſæpenumero Hirundines Altaria fœdant, & importunis ſuis garritibus Religionis exercitia interturbant, acutiſſimè erudiret. Audio Regium Pſalten intonantem: *Te decet* Pſal. 64. v. 1. *Hymnus DEUS in Sion.* (Intelligant hoc Muſici Chorales, qui ſtipendio conducti horas Canonicas, Pſalmos & Hymnos in Choris ſtatuto quidem tem-

tempore perſolvunt, ſed ſubinde tam præcipitanter, tam properanter, tam truncatè & dimidiatè, ut Hirundines crederes ſua triſagia alternare.) *Te decet hymnus DEUS in Sion.* Decet, inquam, Divinas laudes in Choro perſolvi honeſtâ corporis modeſtia, & vultûs atque oculorum conformatione; decet moderato vocis ſono, bene articulato, & non nimis præcipiti; decet internâ mentis veneratione, atque religioſâ admiratione: decet in ſilentio ſancto, divinos Hymnos non interrumpendo confabulatione, riſu, nugis. Quid hoc, in ſilentio? quid ſilentio cum Cantico laudis? Juxta Hebraicam phraſin S. Hieronymus ſic vertit: *Tibi ſilentium laus, DEUS in Sion.* Hoc ipſum Chaldæus interpretatur; quaſi laus noſtra non eſſet ſatis digna & proportionata Divinæ gloriæ, quando etiam laudes Angelorum pro nihilo reputantur apud Deum. Sic enim vertit: *Coram te reputatur ſicut ſilentium, laus Angelorum, ò DEUS, cujus majeſtas reſidet in Sion.* Aut certè laudandus eſt Deus ſilentio venerationis pleno: eſt enim ſilentium res Divina, juxta Kempenſem devotionis nutrimentum, juxta Ægyptiorum idolum Ichthon primum intelligens, & intelligibile primum. Et in hoc ſilentio ceſſat omnis laus Dei vocalis, dum mens in admirationem tantæ majeſtatis abrepta, & in ejus contemplatione ſuſpenſa, videt non poſſe ſe verbis exprimere illi debitam laudem; ſed ſuæ imbecillitatis conſcia, nihil dignum Deo ſuo arbitratur, in eujus comparatione omnes creaturæ ſunt velut guttula roris anteculani. Vnde S. Dionyſius hoc ſilentium abſtractis terminis complectitur. [Neque, ait, ea quæ ratione ,,intelliguntur, ab ijs quæ ſub ſenſum ,,cadunt, comprehendi cernique ,,poſſunt; nec ab ijs, quæ ficta & figu,,rata ſunt, ſimplicia & non figurata; ,,neque ab ijs, qui corporeis figuris ,,efficta ſunt, eorum quæ corpore va,,cant, formæ vacuitas, quæ nec tra,,ctari nec ligari poteſt. Sic & eſſentias ,,vincit ac ſuperat, quæ termino caret ,,immenſitas; & mentes, quæ mente ,,ſuperior eſt unitas: *Et bonum, quod ,,orationem vincit, nullâ oratione exprimi ,,poteſt.*] Et hoc ſilentium, quo ſilet mens in Deum abſorpta, nullâſque voces in ejus efformat laudem, Deo glorioſum eſt, cùmque fatetur eſſe ineffabilem. Sonora & decora hæc ſilentij vox eſt, quæ inter Pſalmos & Hymnos cœlum penetrat, atque ad aures Altiſſimi aſcendit; qui datâ quavis temporis dilatione, pro dignitate Canticis exprimi nequaquam poteſt.

S. Dionyſius 1. de div. nom.

Sed & aliâ ratione *tibi ſilentium laus DEUS in Sion*; quo ſcilicet in templo inter orandum abſtinetur à jocis, facetijs, verbis inutilibus atque profanis, res terrenas & caducas ſpectantibus; inter hæc enim non poteſt Deo beneplacere decora oratio, vel jucunda laudatio. Omnino ſilentium ſervandum eſt in Sion, in templo, ſub Sacro, ſub concione, ſub precibus cæteriſque Divinis myſterijs. Eſt, qui res domeſticas tecum velit metiri, qui ineptias ordiri, qui aucupari amores vel amicitias, qui expectorare ſuas afflictiones, qui vulgi fabulas aut detractiones referre, qui recenſendis litibus cauſas attexere, qui protractâ novaliium chartâ otium mitigare, & bellicos tumultus rememorari; *digito compeſce labellum*: neque enim hæc omnia decent laudem Dei in Sion, quando ſupplex in oratione Fidelis deberet ſeſe admiſcere Seraphinis Iſaiæ laudantibus Deum, & præ veneratione faciem atque os obvelantibus. Vnde myſterio non vacat, quòd mutus Pater Joannem genuit, qui Vox clamantis fuit in deſerto: ſemper enim meliùs vox in ſilentio generatur, & ſpiritualis otij quiete ſapientia foris proferenda percipitur. An quidquam eſt indignius, quàm oracula divina circumſtrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur: circumſonare Sacramenta confuſis vocibus, ut impediatur oratio pro ſalute omnium deprompta; cùm Gentiles idolis ſuis reverentiam tacendo deferunt? Vnde eximio proditur

527. Silentium ſub ſacro Officio in templo omnino ſervandum.

Iſaiæ 6.

tur exemplo; Alexandro Macedonum Rege ſacrificante puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepiſſe ignem brachio, atque aduſto corpore manſiſſe immobilem, nec dolorem prodidiſſe gemitu, nec tacito pœnam indicâſſe fletu. Tanta ſcilicet in barbaro puero viguit reverentiæ diſciplina, ut naturam vinceret, potiúsque timeret Regē, quàm fictitios illos Deos, qui, ſi idem ignis eos contigiſſet, pariter arſiſſent. Quid, quòd quidam in convivio patris adoleſcens jubetur, ne meretricios amores inſolentibus indicijs prodat: & tu in Dei miniſterio ab importunis gemitibus, excreationibus, tuſſe, cachinnis, oculorū divagationibus, verborum diſſolutionibus abſtinere non poſſis? Cujuscunque conditionis ſis homo, vocis prima ſignetur authoritas, claudat ora pudor, debilitatem excludat religio, inſtituat conſvetudo naturam: Chriſti fidelem mihi priùs tua nuntiet gravitas, pudore obvio, gradu ſobrio, vultu modeſto, & prænuntiæ perfectionis anteeant ſigna virtutis. Frequenter narratur, cùm plurima *ranarum murmura* religioſæ auribus plebis obſtreperent, Sacerdotem Dei præcepiſſe, ut conticerent, ac reverentiam ſacræ deferrent orationi; tunc ſubitò circumfuſos ſtrepitus quieviſſe. *Silent igitur paludes, homines non ſilebunt?* Et irrationale animal recognoſcit per reverentiam, quod ignorat per naturam: hominum verò tanta ſit immodeſtia, ut plerique deferre neſciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati? Epicteto teſte, in Gentilium templis religioni fuit expuere, aut naſum emungere. Turcarum in ſuis Moſchæis mundities, religio, taciturnitas, cultus, ſplendor, attentio, Chriſtianorum admirationem longè ſuperant; ſed & tantam reverentiam Mahometi traditionibus & ſtatutis præſtant, ut non tantùm Deum non blaſphement, ſed ſchedam quomodocunque ſcriptam in terrâ jacentem ſi repererint, erectam & ſæpiùs deoſculatam in rimam aliquam parietis poſitam obſtruant;

S. Ambroſius de Virg.

Epictet. c. 11.

dicunt enim, peccatum eſſe, ſi literæ, quibus Dei nomen, & lex Mahometi deſcribuntur, pedibus conculcentur. Nemo audet Chriſtiano, aut alterius ſectæ homini vendere Alcoranū, aut alia eorum ſcripta, ne pedibus conculcentur, vel immundis manibus contrectentur. Hæc gentes faciunt ſuis ſeductitijs Idolis, pſeudoprophetis, erronibus; homines, qui ranarum more in cœno voluptatum victitant, tanto ſilentij cultu ſuas proſequuntur ſuperſtitiones: & Chriſti Fideles ſub Sacris officijs in tam execrabiles garrituum, atque nugarum diffundantur diſſolutiones? *Silent igitur paludes, homines non ſilebunt?*

Georgiradi Peregrinus in opis de morib. Turcarum. pag. 20.

Tanti refert, in humanâ converſatione opportuno ſilentio uti; quod in ſobriâ linguâ, velut aureo ergaſtulo, continetur. Ægyptiorum rex cùm Pittaco victimam miſiſſet, juſſiſétque optimam & peſſimam partem eximere, linguam exemptam remiſit; quaſi linguam tam malorum, quàm bonorum, maximum eſſe inſtrumentum, diceret. Bonam partem de moderatæ linguæ emolumentis excepimus, quod reliquum eſt, de effrænatæ & immodicæ linguæ incommodis diſſeramus, ad videndum, quàm varia culparum monſtra ex hoc ſermonum frivolorum profluvio dimanent. „[Quis ſanè numeret, ait S. Bernardus, quantas modicum linguæ „membrum contrahat ſordes, quàm „multiplex in labijs incircumciſis im„munditia coaguletur, quàm ſit gra„vis pernicies oris incircumſpecti? „Eſt enim lingua diſſoluta in ſermo„nibus otioſis, eſt lingua impudica, „eſt & magniloqua; quarum prima la„ſciviæ, ſecunda arrogantiæ famula„tur. Eſt etiam lingua doloſa, & item „lingua maledica; quarum altera in „falſiloquam & adulatoriam ſubdivi„ditur, altera verò nunc in facie con„tumelias irrogat, nunc detrahit in „occulto, &c. *Quàm vera ſententia, „fratres, in multiloquio non effugiendum „peccatum!*] Inde eſt, quòd etiam Zeno de frivolis garrientem corripuerit, niſi linguâ in mentem intinctâ diſſe-

518. Multiloquium valde perniciosum.

S. Bernardus ſerm. de tripl. cuſtodia.

tueris, multò ampliùs dicendo delinques. Græci dicunt, quòd cornix rejecta ſit à Pallade, id eſt, garrulitas à meditatione & ſapientiâ. Lycon vocabat garrulos Hirundines, quæ perpetuo garritu familiaritatis perdunt voluptatem. Ranis loquacibus eos comparabat Carbo; utribus & veſicis inflatis, ac mox detumeſcentibus, Rex Alphonſus; jaculis, & viperis à proprio fœtu diſruptis, Plutarchus; ebrijs & inſanis amatoribus Seneca; tibijs inflatore carentibus Demades; ſomniantibus denique Salomon, dum ait: *Multas curas ſequantur ſomnia, & in multis ſermonibus invenitur ſtultitia.* Hæc tam populoſa culparum & nævorum agmina ex animâ excludere, variarum eſt virtutum munus; earum nimirum, quæ honeſtatem prolapſionibus illis oppoſitam ex officio curant, & univerſaliter deſignatæ ſunt nomine timoris Domini à Sancto Ambroſio, cùm ad illud Pſalmi, *ſuper divitias peccatorum multas*, ita concludit. *Timor, diſciplina ſapientiæ eſt: Loquacitas, innocentiæ virtutiſque naufragium, atque incentivum prolapſionis & culpæ.* Vt jam haud ampliùs inveſtigandum eſſe judicem, cur Phariſæi tam implicato problemate adorti ſint hodie Salvatorem, *ut caperent eum in ſermone*; vel nimis multum vel nimis parum reſpondendo, aut quidpiam hallucinabile effutiendo: *nam loquacitas innocentiæ virtutiſque naufragium, atq; incentivum prolapſionis & culpæ.*

Eccleſ. 5. v. 2.

S. Ambroſius in Pſal. 36.

519. S. Jacobus in ſuæ Epiſtolæ Canonicæ capite tertio laborioſam linguæ malæ & bonæ adducit deſcriptionem: de bona quidem illud duntaxat meminit, *quòd in ipsâ benedicimus DEUM & Patrem*: de malâ linguâ cùm plurima attuliſſent mala, ea omnia complecti videtur hâc gnomâ: *Et lingua ignis eſt, Univerſitas iniquitatis.* Quid hoc? Ergòne linguæ totus hic mundus ſylva ſit iniquitatis & injuſtitiæ, quem infernali ſuæ petulantiæ igne ſuccendat? aut certè ab Apoſtolo nova quædam erigatur Academia & *Univerſitas*, in qua omnis *iniquitatis* doceatur inventio? In qua quidem Univerſitate *Sapientia*, quæ diſputatur, *non eſt deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis & diabolica*: nec alteri auſcultatur Magiſtro aut ſupremo Cancellario, quàm diabolo, mendaciorum omnium patri. *Univerſitas iniquitatis*, in qua, Salmerone teſte, per omnes Alphabeti literas docetur omnium vitiorum congeries; utpote adulatio, blaſphemia, calumnia, detractio, excuſatio in peccatis, fallacia, gloriatio, hæreſis & hypocriſis, irriſio, lamentatio, mendacium, nugæ, otioſa verba, perjurium, querimonia, rixa, ſuſurratio & ſecreti revelatio, taciturnitas noxia, vituperatio, zelus amarus. *Univerſitas iniquitatis*, ubi diabolus prima ponit *Principia*, aperiendo labia ad conferentias periculoſas, quibus incircumſpecta Eva inducitur ad committendũ peccatum grave, vel ipſis poſteris fatale: periclitatur civitas de traditione, ubi præliminaria fiunt de accordo: exardeſcit concupiſcentia, ubi lenocinia ſcintillant amoris: iracundia tandem in rixas & cædes deſævit, dum contentiones & improperia præmiſit. *Univerſitas iniquitatis*, ubi *Rudimenta* aperiuntur obſcœni turpiloquij, quibus à linguæ petulantiâ non rarò infertur damnum caſtimoniæ, ut conſtat ex ijs, qui juxta S. Chryſoſtomi eriſin verborum obſcœnitate linguas ſuas in cloacam, & latrinas convertunt. Non approbat huius ſcholæ frequentationem præfatus Chryſoſtomus, vel ab ipsâ aureâ ſvadâ toti Eccleſiæ celebratiſſimus, qui fœdarum auditionum rudimenta & turpitudinem graviſſimè inſectatur. [Quaſi ſtercus, inquit, auribus „veſtris immittunt hujusmodi colloquia. Quod Barbarus ille minabatur, dicens, comederis ſtercus veſtrũ; „id nunc multi, non verbo ſed re in „vobis faciũt, imò verò etiã multò pejùs ac fœdiùs: nã fornicatorij cantus „multò magis, quàm ſtercora, ſunt abominabiles. Quódq; ægriùs ferendũ „eſt, non ſolùm nullam audientes moleſtiam capitis, verùm etiam ridetis „atq; lætamini. Cùmq; vitare iſta abo-

Lingua mala eſt Academia Iniquitatis.

Jacob. 3. v. 6.

S. Chryſoſtom. ſerm. 44. in 1. Corinth.

S. Chryſoſt. hom. 38. in Matth.

„minarique deberetis, ſuſcipitis ac „laudatis.] *Univerſitas iniquitatis*, ubi diabolica *Grammatica* & nomina declinat & caſus, nec quempiam inoffenſo pede ſinit tranſire; ſed convitijs diaboli, ſtulti, trifurciferi, aſini, mœchi, ſagi, & quidquid hujuſmodi centonibus adijci poteſt, crudeliter proſcindit. *Univerſitas iniquitatis*, ubi dura *Syntaxis* ſuas poſt ſe trahit Appendices mendaciorum, pejerationum, aſperitatum, moleſtiarum, & grandinationum, quibus proximi tranquillitas graviter inquietatur, turbatúrque. Hic larvata *Poëſis* docet vera pro falſis oſtendere, & falſa pro veris demonſtrare, & nihil non larvatis coloribus ſpecioſum reddere. Hic malè ſvada *Rhetorica* cincinnatâ oratione decipulas ponit incautis, & fucatas eſcas avidis Auditoribus; ut decipiat Chriſtum, cum hodie de veracitate commendat: *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam DEI in veritate doces.* Hic Sophiſtica *Logica* cornutos producit ſyllogiſmos ad circumventionem Sanctorum; & *ut capiat JESUM in ſermone*, hoc doloſo dilemate aggreditur: *aut licet tributum dare Cæſari, aut non licet?* Enimverò ſi dixerit, *licet*, tenebitur reus tanquam Hebraicæ libertatis deſtructor; ſolutio enim cenſûs, ſervitij ſignum eſt: ſi dixerit, *non licet*, reus erit læſæ Majeſtatis. Hic humanæ *Philoſophia* panduntur ſecreta in grave tertij præjudicium, atque inde arcani commiſſi non rarò exiſtit vulgatio, fideique de non evulgando datæ violatio, damni item inde cauſatio ſecuti; quod ingens ſæpè malum eſt, in ijs præſertim negotijs, quæ Advocatus & Magiſtratus ad certam ſilentij formam & negotiorum materiam adſtringunt. Hic depravata *Me-*
Iacob. 3. v. 6. *dices conſtituitur in membris noſtris*, & calumniarum atque detractionum buſtulis *maculat totum corpus*; nec ponit alexipharmaca peccatis, ſed ſuæ improbitatis pocula paſſim ægris li-
Ib. v. 8. bat, *plena veneno mortifero*: ut proinde major ſit malitioſæ linguæ affectus ad nocendum, quàm eius, qui hauſit venenum, ad evomendum; quàm muſti bullientis & diffringentis lagenas, quàm mulieris gravidæ ad pariendum, quàm graviter ſauciati ad eximendam ſagittam. Hic *Iuris Prudentia* tam infantos injuriarum & contumeliarum plicat replicátque proceſſus, ut ipſa Tribunalia, quæ magnæ Themidis habentur aſyla, non jam reſplendeant juſtis ſententijs, ſed evertantur à contentioſis Advocatis, clamoroſis Procuratoribus, litigantium partium ſpecioſis cortuptelis. Hic nova *Theologia* gradum confert doctoralem blaſphemis & maledicis, dum lingua irreligioſa & impia DEUM omnéſque ſanctos probris afficit, Verbum DEI corrumpit, ſalutis unica remedia Sacramenta cum ſtellarum multitudine replicat, auditorum mentes excæcat, voluntates ad quidvis audendum accendit, fidem exterminat, ſpem in præſumptionem convertit, Charitatem extinguit, humanitatem tollit, ſeditiones bellorúmque faces accendit, corpora commaculat, & animas in tartarum demergit. An non ergo lingua mala, ſit *Univerſitas iniquitatis?* quando per eam omnes iniquitates & ſcelera perficiuntur, ſvadentur, docentur, explicantur, defenduntur & excuſantur. Tu, ne evadas immatriculatus huius Academiæ ſcholaris, *digito compeſce labellum*, & cave, ne facilè labaris in lingua; nam *loquacitas innocentiæ virtutiſque naufragium, atque incentivum prolapſionis & culpæ.*

Vellem ego in tam lubrico periculoſæ linguæ theatro cum Regio Pſalte cuſtodire vias meas, *ut non delinquam in linguâ meâ*: vellem cum Sapiente obſervare *tempus loquendi, & tempus tacendi*, ut nemo me cum hodiernis Scribis tentaret *capere in ſermone*: vellem cum afflicta Eſthere ponere *ſermonem com-* Eſther. 14. v. 13.
poſitum in ore meo, ut invenirem gratiã in conſpectu audientium me: vellem cum S. Ephrem, antequam loquar, pro S. Ephrem de Paſſion. animo.
moderandâ linguâ exorare Altiſſimum. *Digitus gratiæ tuæ Domine ſemper moveat linguam meam, tanquam nervum citharæ ad gloriam tuam. Concede mihi Salvator petitionem cordis mei, ſitque lingua mea velut cithara ad reſonandum jugiter laudes tuas.* Amen.

DO-

POST PENTECOSTEN.

TINNUNCULUS SOCIALIS.

Der zugeſellige Wannweher.

LEMMA.

Vires acquirit eundo. Virg. 4. Æneid.

THEMA.

Exijt fama hæc in univerſam terram illam. Matth. 9. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS LVII.

Bona fama, cùm & pretioſit incomparabilis, & ſocialitate delectabilis, cautè & providè per eximios virtutum actus eſt tuenda, ne prodigaliter proſtituta, vires deperdat eundo.

530. Famæ ingenioſa deſcriptio. OHi me! quàm rara; quàm chara & ſocialis Avis hodie meas eluſit decipulas! evolavit, *exijt*, dum capere volui! Multi, dum inſidiantur ei, nec tinnitum audiunt, nec ullam ejus deprehendunt plumam: ego, dum retia tetendi, ſubintrantem perdidi. Inſidiante me, ſed non advertente, evolavit, *exijt*. Ohi me! ſi ejus naturam & proprietates velitis, Virgilio reſte, in luctuosâ illâ Gigantum & terræ filiorum cum Jove ſupremo clade excluſa eſt hæc Avis: cùm enim percita nimio dolore terra, ſibi adversùs tam potentes hoſtes deeſſe videret arma, & tamen quâcunque viâ illatam ſibi injuriam cogitaret ulciſci, coacta utero hanc Avem, ad Superûm ſcelera per univerſum orbem divulganda, (Virgil. 4. Æneid.)

Progenuit pedibus celerem & pernicibus
alis.

Nemo non miratur, ſi quis hunc terræ partum attentioribus oculis conſideraverit, & penitiùs aſpexerit fœtum,

- - Cui, quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu!)
Tot linguæ: totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.
Nocte volat cæli medio, terraq́ per umbram,
Stridens; nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis: & magnas territat urbes;
Tam ficti pravique tenax, quàm nuncia veri.

Volatus ejus celerrimus Pegaſum, alatum illum equum ſuperat; & velut fulmen per immenſa terrarum ſpatia ſuam diffundit vocem, non hinniendo ſed tinniendo; quippe, quæ

Mobilitate viget, viréſque acquirit eundo:
Parva metu primò, mox ſeſe attollit in auras;
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.

Sed & nidum ejus in ſublimi loco poſitum,

ſitum,& ex ære ſonante compoſitum, unde in univerſum orbem quaquaverſum pateat aſpectus, eleganti carmine deſcribit Ovidius.

Ovidius 12. Metam.

Orbe locus medio eſt, inter terráſque fretúmque,
Cæleſtéſque plagas, triplicis confinia mundi.
Vnde quod eſt usquam, quamvis regionibus abſit,
Inſpicitur, penetrátque cavas vox omnis ad aures.
Hunc noſtra Ales - *o tenet, ſummáque domum ſibi legit in arce,*
Innumeróſque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit,& nullis incluſit limina portis.
Nocte diéque patet, tota eſt ex ære ſonanti,
Tota fremit, vocéſque refert, iterátque quod audit, &c.
Ipſa quid in cælo rerum, pelagóque geratur,
Et tellure videt, totúmque inquirit in orbem.

Tinnunculum ſocialem fortè in hoc nido ſuſpicitis, Auditores, & ſub Tinnunculo famam celebratis, quæ *vires acquirit eundo*? Rectè quidem. Quid enim Germanis Tinnunculus aliud ſignificat, quàm ein Wannwecher / hoc eſt, *excitator rumorum*. Et hic hodie paratos evaſit laqueos, evolavit, *exijt*, quando impatiens concludi intra Ornitrophij cancellos *Exijt fama hæc in univerſam terram illam.* Scilicet poſt curatam à fluxu ſanguinis fœminam, poſt reſuſcitatam à morte Principis filiam ita celebratum eſt nomen Thaumaturgi Christi, ut dimanârit fama utriusque miraculi in univerſam Galilæam, omnibus certarim magnáque contentione tantum miraculum prædicantibus & divulgantibus, quamvis ipſe occultari juſſiſſet. Inde dum *exijt Fama*, advolavit quoddam genus avium, in ſuperioris Gothiæ ac Sveciæ ſcopulis valde frequens: quod tempore æſtivo nunquam intermiſsâ voce clamitat *Alle, alle*, hoc eſt, *omnes, omnes*; ut meritò ab incolis hæ aves appellentur Alle/alle. Advolavit, inquam, hoc avium genus, quando *omnes*, & planè *omnes* communi famâ laudaverunt & glorificaverunt Meſſiam, qui magna & mirabilia fecit in Iſraël. Itaque nobis hodie ſummè curandum eſt de bona fama, ut & à nobis propter eximios virturum actus VIRES ACQVIRAT EVNDO; & benè parta haud ampliùs prodigatur, ſed providè cautéque ſervetur, tanquam immenſi pretij bonum. Aures ſurrigite Auditores Tinnunculo, ut tinniant, famámque latè penetrantem recipiant in nomine gelebratiſſimi Servatoris.

Lucas Borgeſis.

Caſparus Schottus l. 9. mirab. c. 19.

An non ſocialis & charus Tinnunculus, qui tam intenſo amore ſuam proſequitur conſortem, ut ab eius conſpectu nunquam velit ſeparari, tanquam individnus Achates? Hinc ſi contingat fœmellam ab eo longiùs deficere, in tantùm affligitur præ amoris paſſione Tinnunculus, ut continuo clamore atque tinnitu quærat dilectam, novásque ſocietatis *vires acquirat eundo.* Longè conſtantior eſt famæ ſocietas, quæ non tantùm virtutem amicabili comitatur obſequio, nec vivis duntaxat ſuas marmore aut ære æternat panegyres, ſed etiam vitâ functis comes adeſt ſemper: & cùm nihil aliorum externorum bonorum ex hac efferamus vitâ, nudíque, quales advenimus, revertamur ad omnium matrem terram; Famam tamen bonam exercitæ virtutis perpetuam ſuſtinemus conſortem, quæ vel abſentes ac dudum cineribus abolitos ſuo clamore inceſſanter inveſtiget, propalet, reſuſcitet, proſequatur, novásque immortalis memoriæ *vires acquirat eundo.* Quod inſigni monito optimè tradidit divinus Plato. [Minimè, inquit, futurum, ut cùm mortui fuerimus, homines de nobis conticeſcant: ac proinde minimè committendum eſt, ut eorum, quæ de nobis dicturi ſint poſteri, curam abijciamus. Futuri enim temporis cura neceſſariò ſanè gerenda eſt. Omnino naturæ quadam depravatione ignaviſſimi quidam, & profligatiſſimi ingenij homines, nullam „illius

531. *Fama bona ſocialis virtuti, etiam poſt mortem.*

Ælianus & Geſnerus.

Plato Ep. 1.

„illius curam ad ſe pertinere cen„ſent. Optimus autem & graviſſi„mus quiſque ita omnem ſuam vitam „inſtituit, ut felicem laudabilémque „ſui memoriam ad poſteros trans„mittat. Vnde ego certo argumento „colligo, in ipſis etiam mortuis re„rum noſtrarum ſenſum quendam „ineſſe. Optimi enim animi, rem „ita ſe habere, divinâ quadam vi „præſagiunt: improbiſſimi, neque„quam. Firmiora autem ſunt & ef„ficaciora divinorum hominum,quã „cæterorum præſagia. Ita autem con„ſtituo: ſi priſcis illis hominibus vi„tam liceret emendare, futurum, ut „in eam rem operâ & ſtudio incum„berent, quò melior commodiórque „fama,quàm nunc,de ipſis circumfer„retur. Huius rei efficiendæ facultas „nunc nobis Dei beneficio tribuitur, „ut ſi quid anteactæ vitæ temporeà „nobis fuerit peccatum,illud&re ipſâ, „& verbis emendemus.] Hæc quidem Plato copioſo complexus eſt calamo: ſed verò Eccleſiaſticus ad brevecompendium redigit, quod jugem comitatum famæ luculenter declarat. Eccl. 41. v. 15. *Curam*, inquit, *habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretioſi & magni.* Et ut manifeſtior evadat hæc permanentia, Syrus vertit: *Reflecte ſuper nomen tuum, quia ipſum comitabitur te* (ſicut Tinnunculus ſuam conſortem) *plusquam millia theſaurorum fraudis.* Quaſi diceret: Inſiſte bonis ac heroicis virtutum actibus, ut per eos acquiras bonũ nomen apud Deum, Angelos, & viros probos, quin & apud improbos: improbi enim, etſi improbè vivant, in alijs tamen amant & admirantur probitatem atq; virtutem. Tanta eſt virtutis amabilitas, & claritas. Rationem ſubdit, cur nomen bonum diutiùs maneat, quàm mille theſauri malè parti, fraudulenter acquiſiti: quia theſauri homini pereunt cum vitâ, fama bona autem eum ſequitur poſt vitam per multa ævi ſæcula: ſed & theſauri à furibus, latronibus & hoſtibus viventi & invito eripi poſſunt, ac ſæpè eripiuntur, fama autem invito eripi nequit; quia quàm diu voles ſtudere virtuti, tam diu apud omnes bene audies. *Reflecte ſuper nomen bonum, quia ipſum comitabitur te.* Et quod mox addit Eccleſiaſticus: *Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum.* Eccli. 41. v. 16.

532. Hæc de ſociabili conſtantiâ bonæ famæ: jam quid de pretio & charitate? Tam chara & pretioſa res eſt bona fama, ut meritò quemvis debeat ſtimulare ad ſtudium virtutis. Fama pretium incomparabile. Nihil enim famæ bonæ opulentiam æquat, ac ne ipſi quidem Crœſi theſauri cum eâ conferri queunt, judice Iſidoro Peluſiota, qui id confirmat ex dicto Sapientis: *Melius eſt bonum nomen, quàm divitiæ multæ. Super aurum & argentum, gratia bona.* Iſidorus Peluſiota l. 3. Ep. 147. Proverb. 22. v. 1. Et ut ſincerius conſtet, de quo bono nomine loquatur Parœmiaſtes, expreſſiùs legit Vatablus: *Fama præferenda eſt magnis opibus, & gratia auro & argento melior eſt.* Non tanti æſtimavit Ninus prælia, quæ commiſit, nec Semiramis magnifica ædificia, quæ erexit, nec Myſſen Græcus immenſa maria, quæ enavigavit, nec Alexander Magnus regiones, quas peragrando ſuæ poteſtati ſubjecit, nec Hercules Thebanus columnas, quas ſuorum laborum terminos poſuit, nec Julius Cæſar graviſſima prælia, quæ quinquagies bis victor decertavit, nec Cyrus rex Perſarum utramque Aſiam, quam victricibus armis occupavit, nec Hannibal Carthaginenſis contumax bellum, quod Romanis inconcuſsâ potentiâ intulit, nec Pyrrhus Epirotarum Rex clades, quas in exterminium Italiæ concitavit, nec Attila Hunnorum tyrannus incomparabiles prædas, quas ex devaſtatâ universâ Europâ cumulavit: non, inquam, hi omnes famelici mundi Domitores tanti æſtimârunt vel opes, quas poſſederunt, vel terras & urbes quas occupârunt, vel populos quos ſubegerunt, vel opera quæ patrârunt, quàm immortalem Famam virtute, aut tyrannide partam: quibus tamen melius fuiſſet ſine ullâ unquam vi-

xiſſe famâ, quàm cum maximâ, poſtquam fuerint, ſic interiiſſe. Quale enim illis nunc contingere poteſt ſolarium, ſupra terram clarere *famâ*, & infra terram ardere *flammâ?* Præſtantiſſima utique eſt fama, virtutibus aut cœleſtibus meritis acquiſita; quam *ſplendentem fulgidámque carrucam* nominaret Philoſtratus, rem propè divinam pronuntiaret Æſchines, beatificam portionem diceret Pindarus, illuſtriſſimam coronam Rabbi Simeon proclamaret. Quos omnes ſecutus

Iſocrates ad Nicoclem. Iſocrates, familiarem ſuum Nicoclem „ſic hortatur. [Magis expetendum „ducito, ut liberis tuis honeſtam fa„mam, quàm opes magnas relin„quas: nam hæ mortales ſunt, illa „immortalis; pecuniæ acquiri poſ„ſunt, fama pecuniis emi non poteſt. „Opes etiam improbis contingunt, „gloriam verò parare non poſſunt, „niſi virtute præſtantiſſimi.] Nam ut

Cicero. 2. Tuſcul. & 2. de invent. ait Cicero, *Gloria eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute.* Quidquòd

c. non ſunt audiendi 11. q. 3. L. ſi in duabus ff. de reg. jur. bona fama, ex utriusque Juris titulis, nunc plùs ſit cuſtodienda quàm oculi: nunc præponderet emolumento pecuniario: nunc cum vitâ ipsâ pari paſſu ambulet. Quid? quòd juxta D.

S. Hieronymus Ep. 14. ad Celantiam. Hieronymum pronuntietur *Beatus, qui tam ſanctè támque graviter diſpoſuit vitam ſuam, ut de eo ſiniſtri aliquid ne fingi quidem poſſit: dum adversùs obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo; nec fingere quiſquam auſus eſt, quod à nullo putat eſſe credendum?* An non bona fama magno ſemper in pretio habenda eſt, cùm & opibus, & deliciis, & honoribus antecellat; parémque cum vitâ, & beatitudine ſortem obtineat? Sic *fama præferenda eſt magnis opibus.*

533.

Fama ſervanda, proximo ad exemplum ædificationis.

Hæc de pretio, hæc de ſociabilitate bonæ Famæ. Quanta ergo hujus habenda ſit cura ſervandæ? Dicunt, ſi in columbarii angulo ſervetur Tinnunculus ollæ novæ gipſo oblitæ incluſus, columbas ita amare & frequentare eum locum, ut eum Impo-

Geſnerus ex Democrito et Columella ſterum non deſerant; ſed tametſi egrediantur pabulatum in agros, amore tamen occultæ illius virtutis ex olla prodeuntis, revertantur ad columbarium. Majora longè ſunt miracula famæ, quæ & inquilinos cum exteris, & notos cum ignotis, & veteranos cum proſelytis in ſui amorem ac proſecutionem trahit: ſervat nitidiſſimas virtutum columbas in affectu, & allicit alienas, ut ad ſuum divertant columbarium. Quare cum obſerato Tinnunculo arctiſſimè ſervanda eſt fama. S. Juſtus, Abbas Ciſtercienſis, *S. Iuſtus ad Ord. Reform.*

Ordinis ſui Reformatos ita alloquitur. [Non eſt vobis incognitum, duas res eſſe, quas negligere non debemus, *Famam & conſcientiam*: conſcientiam mihi, famam proximo; conſcientiam ad meritum, famam ad exemplum.] Hoc dum quoslibet indifferenter concernit, maximè verò viros Religioſos & Eccleſiaſticos, & quidem ſuper candelabrum Eccleſiæ poſitos condecet, ut famam ſervent integram in puritate, & conſcientiam puram in integritate. D. Hieronymus *S. Hieronym. ſuper Matth. 4.*

ſuper illa verba Matthæi, *Abijt opinio ejus*, notabilem adducit ſententiã, qua viros Eccleſiaſticos hortatur, ut famã non negligant ad exemplum, ſed eum bono opere conjungant ad ædificationem. *Opera ſalutis*, inquit, *ſine famâ boni odoris non ſatis relucent Auditoribus, nec fama ſine opere proficit, ſine quibus forma veri Sacerdotis non commendatur.* Nempe ipſa fragrantia paſcit, & odor bonæ famæ cibi gratiam ſupplet. Hoc odore bonis operibus, & virtuoſis exemplis patto refectus, ſuſpicio Doctorem gentium Paulum, qui in ſecunda ad Corinthios Epiſtola innumeras recenſet converſiones, quas DEUS per Collegium Apoſtolicum effecit in Provinciis, ſacrilego errore excæcatis, diabolicâ ſuperſtitione pollutis, & ferali immanitate cruentatis. Unde ipſe attonitus ob eximias victorias cum à ſe, tum à Collegis Evangelio reportaras, non putavit eas poſſe pro merito explicari, niſi invictæ fortitudinis trophæa, & glorioſæ Religionis triumphos appellaret. *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto IESU, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco.* *2. Corinth. 2. v. 14.*

Jam verò cui tam illuſtres de indomitis gentibus victorias reportatas adſcribi exiſtimatis? Num cœleſtium Dogmatum Divinitati, quæ prædicavit Apoſtolus? aut certè Epiſtolarum eloquentiæ, quas ornatiſſimo ſtylo direxit ad gentes? Num admirabili miraculorum virtuti, quæ ſuper ægros & malè habentes patrabat? aut certè rigidis catenis, quas pro nomine Jesu perferebat fortiter? Num incomparabili Charitati, quâ flagrans perverſos Deo peccatores, & fugitiva herls mancipia reconciliavit? aut certè cœleſtium arcanorum intelligentiæ, quam raptus è tertio cœlo ſecum reportavit? Num fortè auri ſacræ fami converſionis gentium attribuenda vis eſt, quod à Fidelibus collectum liberaliter inter indigentes profudit? Hæ quidem dotes ſive conjunctim, ſive diſparatim ſumptæ poterant emollire potentiam Romanorum, orbi dominantium, & inflectere faſtum Græcorum, in Academijs præſidentium: neutri tamen illarum adſcribit Paulus obſequium Fidei, dimidiam mundi partem ſibi devincientis; ſed potiùs magnæ exiſtimationi in plures Provincias diffuſæ, & venerationi, quam apud plebem vitæ ſuæ auſteritate, apud nobiles verò judiciorum æquitate promerebatur. Ita ut ſi quis triumphalem arcum velit erigere Paulo, & per eum adductas Chriſto, Jovíque ademptas Aſiæ & Europæ traducere Provincias, Macedoniam, Dalmatiam, Arabiam; Illyricum, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Ipſámque Romam; tanto apparatui in ducem aſſignare debeat bonum nomen ſeu famam Apoſtoli, cum veneratione à populis ſuſceptam. *DEO autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto IESV, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus in ijs, qui ſalvi fiunt.* De Tinnunculis ſcribit Plinius, quòd olim pro literarum bajulis fideliſſimis fuerint adhibiti; præſertim verò ex ſuſtentatâ obſidione Decimi Bruti, dum ab Antonio in civitate Mutinenſi coanguſtaretur, in caſtra Conſulum literas tranſtulerint, pro ferendis quantocyùs ſuppetijs flagitatorias. *Plin.* Non indigebant primi S. Evangelij Præcones hujusmodi Tinnunculis, quando præviâ ſanctiſſimâ famâ ingrediebantur civitates Idolorum cultui addictas, ut eas ab adorandis lapidum ſtatuis ad Chriſtum Dei Filium adducerent. Tunc enim in ijs ſpectabant populi conformem juſtitiæ vitam, fræno modeſtiæ compeſcitam linguam, mentem ſupernis operationibus ſublimem, manus ab omni ſuſpecto lucro alienas, pectus ſitiens plagarum & ærumnarum pro veritate ſuſcipiendarum, cor denique ſibi incommodum, alijs verò commodum concupiſcens: affirmabant exinde ejusmodi virum, cui necdum ſimilis inter mortales eſſet viſus, ideò dignum omninò, quem agnoſcerent Dei adminiſtrum, cœli Legatum; Provinciarum arbitrum, Nationum ducem, univerſi orbis Legiſlatorem, tandémque acclamarent Mercurium, aut quempiam Deorum ſibi ignotum, & Lyſtris elevarent vocem ſuam, *Lycaonicè dicentes: Dij ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos.* Act. 14. v. 10. Tantum poteſt etiam apud veritatis hoſtes comparata virtutis fama, & opinio immaculatæ vitæ, vitijs non inquinatæ. Plùs perficit odor vitæ ſanctiſſimæ, eximijs virtutum operibus illuſtratæ, quàm vis ulla eloquentiæ, aut miraculorum claritas; quia *opera ſalutis ſine famâ boni odoris non ſatis relucent Auditoribus: nec fama ſine opere proficit, ſine quibus forma veri Sacerdotis* (aut Prælati) *non commendatur.*

514. Sed verò dum ex Juſti Abbatis ſententiâ duas res negligere non debeamus, *famam & conſcientiam; conſcientiam mihi ad meritum, famam proximo ad exemplum*: non tantùm conſervandæ famæ, ſed etiam conſcientiæ non gravandæ conſulendum, ut utraque in ſuo vigore illæſa perſiſtat. Proinde diſſolvendum occurrit dubium, an conſcientiæ conſulat, qui famam prodigit. Excurro inter extrinſeca proprietatis humani dominij objecta, & inter ea Famæ atque honori non ultimam deberi ſtationem adverto:

Fama propria poteſt prodigi ſine injuriâ communitatis, imò ſine omni culpâ aliquando.

quæ

quæ duo ità paſſim ſecernuntur, ut *Fama* ſit judicium multorum & exiſtimatio de concepto aliquo alterius bono, ſive verè id bonum habeat, ſive non habeat: *Honor* verò ſit externa exhibitio noſtræ exiſtimationis, velut in teſtimonium boni excellentis, quod in alio agnoſcimus. Non aſſero, honorem eſſe exhibitionem reverentiæ, quia ſuperiores, qui inferioribus reverentiam non deferunt, honorem tamen ijsdem ſæpè exhibent: & ipſe Deus, quem repugnat propriam reverentiam ſuis deferre amicis, eis tamen defert honorem. Vnde licèt omnis reverentia exteriùs delata ſit honor, non tamen vice verſâ omnis honor eſt reverentia: quia nomine reverentiæ connotatur ſubmiſſio ad alium, cui reverentia defertur, ejúsque agnitio tanquam majoris: quod non eſt neceſſe, in quolibet honore habere locum. Vtrique familiaris eſt *Laus*, quæ honoris rationem ſortitur, cùm exhibetur alicui præſenti in recognitionem excellentiæ, quæ in eo agnoſcitur; cùm autem ordinatur duntaxat ad diffuſionem bonæ de aliquo notitiæ, rationem famæ vel gloriæ obtinet, ſi ea diffuſio fiat apud multos, & quoad objectum inſigne. Id enim duntaxat addit gloria ad decus famæ, quòd ſit *clara alicujus cum laude notitia*. Itaque recepta eſt omnibus ſententia, unumquemque famæ ſuæ & honoris eſſe dominum; ita ut qui graviter contra propriam charitatem delinquit, famam improvidè prodigendo, nôn tamen peccet contra juſtitiam ullâ ex parte violando jus alterius, ac ne Reipublicæ quidem per propriæ famæ prodigalitatem: cùm ſic diſponat de re ſua, & perdendo famam perdat quod ſuum eſt; eſto fama illius poſſit eſſe Reipublicæ commoda, aut neceſſaria. Nam etiam bona externa privatorum poſſunt eſſe neceſſaria communitati, neque tamen cum injuriâ communitatis ab ipſis privatis, talium bonorum dominio potientibus prodiguntur. Nimirum jus, quod Reſpublica habet, ut ingruente gravi diſcrimine bona privatorum uſurpet, non ſufficit, ut is, penes quem unum ſunt bona tanquam ejus poſſeſſio, & res eius propria, cenſeatur juſtitiam violaſſe, cùm de bonis illis diſpoſuit tranquillis Reipublicæ temporibus. Idem ergo eſt de eo, qui famam & honorem, in Reipublicæ uſus ceſſura, malè & improvidè decoquit. Vnde cùm fama alicujus læſa eſt, honórque violatus, ſi illi ſoli fiat ſatis, vel ipſe gratis condonet noxam, non expectatur alia illius injuriæ remiſſio à Republica, quam utique oportuit, in eo facto nullam alicuius ſui juris imminutionem ſubijſſe. Quid quòd plerunque homo non modò honorem ſuum ac famam non tantùm ſine ullâ negligit culpâ, ſed etiam interdum conculcare ea, & proſcindere teneatur? ut ſi per calumniam violaverit alterius non admodum diſparis famam, nec poſſit niſi cum retractatione in probrum ſuum cedente maculam alteri immiſſam eluere, omnino debet cum probro ſuo alterum præſtare indemnem. Imò non pauci ſine ullâ obligatione jus ad famam & honorem cum laude abjecerunt, cùm ad firmandam mentem ſaburrâ humilitatis ac deſpicientiæ ſui ipſorum, ſcelera, quæ facilè poterant premere, orbi univerſo publica eſſe voluerunt. Quod æternâ cum laude & cœleſtis meriti proventu, à ſanctis viris & magnis Eccleſię luminibus pręſtitum, nemo ignorat. Alij item, Eccleſiâ annuente, juri ſuæ famæ renunciant: & S. Ambroſius cum famæ abjectione meretrices domum adduci curavit, ne in Epiſcopum eligeretur.

Ariſtoteles 9. Ethic. c. 3.

Theoph. Raynaud. in Viro, l. 3. ſect. 3. c. 5. n. 130.

Baronius anno 374.

535. Verùm enim verò hæc non intelligenda ſubintuli de eo, qui ſuam famám, vel honorem alijs obligatum tenet, ita ut cum honore ipſius & famâ, honor quoque communitatis & fama implicetur; ut ſæpè accidit in Religioſorũ conventibus, in Canonicorum capitulis, in Conſiliariorum dicaſterijs: talis enim, ſi famâ ſuam abijciat, juſtitiam utique violat, quatenus alienam famam ſuæ innexam, & jus ad

Fama Magnatibus, præſulibus & prædicatoribus ſine gravi peccato non prodigenda.

ad alienum honorem cum ſuo conjunctum, injuriâ affecit. In qua quidem prodigâ famæ diſſipatione culpam admitti poſſe non modicam; nec benè obtendi interdum à quibusdam, ſufficere ſibi innocentiam ſuam in oculis Dei, optimè omninò docuit Sanctus Augustinus, his præter cætera; quibus eam *non modò* (ut vocat) *imprudentem, ſed etiam crudelem famæ contemptionem* inſectatur. *Quisquis*, inquit, *à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benè facit: quisquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra. Et utique etiam, quod alijs miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat utilitatem.* In cujus rei gratiam fortaſſis alludebat myſtica illa oculorum multitudo in quatuor Sanctis Animalibus, divini currûs Aurigis, apparentia eorum corpora vel conſtituentium, vel ex omni parte aperientium. *Et totum corpus plenum oculis, in circuitu ipſorum quatuor.* Iſtæ ſunt ſtellares gemmæ ducentium gentes in triumphante Eccleſiæ curru: oculi pulcherrimi, quales nec cauda pavonum ex lucis ac coloris reflexione objicit conſiderantibus. Sed animadvertite, tot illos oculos non eſſe converſos ad ſpectatores admonendos; neque ad aſſeclas Divinitatis in illâ machinâ conſtitutæ plectendos: ſed attendere ſingulos ad ſacrorum corporum cuſtodiam; ne ex rotarum commotione inquinarentur luto, néve pulverem contraherent in vijs militaribus ſuſcitatum. Vellem hic attentos eſſe magnos Eccleſiæ Præſules, juratos animarum Paſtores, ad ea, quæ Sanctus Gregorius in beatis illis Animalibus conſiderando, ad oculatam paſtoralis curæ vigilantiam reducit. Singula, ſcribit Doctor, contemplantur ſeipſa; ut deprehendant, an ob Throni viciniam & vix difficultatem; dicto vel facto leviſſimam ſordem contraxerint; quâ Famæ integritas & boni Nominis ſplendor poſſint contaminari; quanquam ſuprema præcipientis auctoritas eam poſſet ſubditorum cenſuræ ſubtrahere; vel adulatio eam contenderet rectiſſimæ gubernantium menti occultare. *Sancti viri ſolerter ſe aſpiciunt, in quibus ab alijs judicari poſſunt; qui in ſe nec ea, quæ latere poterunt, ignorant.* Erratis graviter magni viri, regendis populis ſive in Eccleſiaſtico, ſive in Civili foro præſidentes; ſi muneris veſtri cardinem in eo præcisè agi putatis, ut attentiſſimi vivatis ad alienas culpas caſtigandas, ad obſequentium animos excipiendos, ad diſciplinam Chriſtiano ritu conſervandam, ad communem tranquillitatem fovendam, ad coërcendos verſipelles, & abigendos iniquos invaſores. Cherubini Ezechielis duos duntaxat frontis oculos impendebant ad obſervandas Politici regiminis noxas; innumerabiles verò alios oculos, quibus ſingula membra propemodum erant teſſelata, in ſeipſos convertebant; & ad propriorum nævorum, ſi quos contraxiſſent, purgationem dirigebant; ne fortè ab alijs arguerentur maculæ, & boni hominis nitor ab obſervatoribus incuſaretur. Sciebant inſuper, ſi ſe ſubditis ſiſterent omnis labis immunes, nullâve maculâ contaminatos, facili periodo ijs perſvaſuros invocationem Divinitatis, in ſublimi illo curru promittantis. *Sancti viri ſolerter ſe aſpiciunt, in quibus ab alijs judicari poſſunt*, & Famæ ſuæ Eclipſin ſubire, quæ tamen in Eccleſiæ, aut Diœceſeos horizonte plenis radiantium ſplendorum luminibus illuſtrata, à gloriæ ſuæ circuitu & benignitatis illapſu nunquam debet deficere: cùm nobis *neceſſaria ſit vita noſtra, alijs fama noſtra.*

S. Auguſtin. lib. de bono vidui. c. 22.

Ezech. 1. v. 18.

S. Gregorius hom. 7. in Ezech.

536. Ob eandem cauſam Doctor Angelicus demonſtrat, abſque diſpendio non tantùm Juſtitiæ, ſed etiam perfectionis, Religioſos, cùm ſpes eſt profectûs, & ita poſcit utilitas publica, licitè reſiſtere ijs; qui in ipſorum invo-

An & quomodo famæ diſpendium diſſimulandum.

involant famam, cámque diſſeminatis falſis rumoribus perdere allaborant. Quod nequiter frugiperdæ quidam per ea tempora inficiabantur; & quod in ſimili Julianus Apoſtata, referente Nazianzeno, circa Chriſtianas cavillabatur, hoc illi circa Religioſos obtendebant. Nimirum debere eos ſicut agnos coram tondentibus, vel etiam deglubentibus, obmuteſcere, & famæ contritionem non morari. Pari ſtylo armatus S. Bonaventura vim illatam Religioni Minorum à nonnullis ſui temporis gannionibus, in authores acriter rejecit; & famam ſanctitatis iniquiſſimè ab ijs denigratam, validiſſimis atque modeſtiſſimis rationibus reſtituit. Quanquam alia ſubinde poſſit occurrere ratio, ob quam & Religioſi, & Eccleſiæ Prælati, & etiam populorum Moderatores aliquod ſuæ famæ diſpendium diſſimulent. Certè S. Auguſtinus loco ſupra allegato mox ſubjecit, poſſe ſubinde ſolatium aliquod ex innocentiâ mentis, & culpæ immunitate coram Deo, uſui cedere. *Sed quoniam*, inquit, *quantâlibet humanâ cautelâ ſuſpiciones malevolentiſſimas non poteſt omni ex parte vitare, ubi pro exiſtimatione noſtra, quidquid rectè poſſumus, fecerimus, ſi aliqui de nobis vel malè fingendo, vel malè credendo, famam noſtram decolorare conantur, adſit conſcientia ſolatium; planéque etiam gaudium, quòd merces noſtra magna eſt in cælis, etiam cùm dicunt homines mala multa de nobis, piè tamen juſtéque viventibus.* Quod ſuomet exemplo idem Auguſtinus confirmavit, quando Secundino hæretico, falsò jactanti, Auguſtinum ſpe bonorum temporalium ad Catholicam Eccleſiam acceſſiſſe, reſpondit: *Senti de Auguſtino, quod voles; ſola me in DEI oculis conſcientia non accuſet.* Videtis, quantâ conſolatione perfundatur Hipponenſis Præſul in tam acerbis ſuæ famæ jactationibus, ut *integer vitæ ſceleriſque purus*, Innocentiæ ſuæ ac ſecuræ conſcientiæ innitatur tranquillus; nec patiatur ſe ab iniquo detractore mente deijci, ubi Innocentia fortiſſimam ſupponit manum.

Nazianz. orat. 3. n. 64.

S. Auguſtin. citatus.

S. Auguſtin. l. contra Secund. c. 1.

Conſtantiſſimum Jobum imitatur Auguſtinus: is enim graviter anguſtiatus partim ab internis diaboli ſuggeſtionibus, partim ab externis amicorum perſvaſionibus, ut tandem publicè & ſincerè profiteretur coram Deo iniquitates ſuas, tametſi aliqualem ſuæ bonæ exiſtimationis pateretur jacturam. Ut quid enim, amice Jobe, tantas Deus tibi immiſit ærumnas, purulentas corpori plagas, animo terrores pannicos, & deſolationes irreparabiles, deſpectum à propinquis, à diabolis peſſimas immiſſiones? utique in caſtigationem tuorum præcedentium exceſſuũ. At verò Jobus innocens bonâ conſcientiâ fretus, *donec deficiam*, inquit, *non recedam ab innocentiâ meâ.* Juro etiam, quàm diu vixi, me ſanctè & religiosè inter mortales converſatum, quàm diu vixero ſanctè & innocenter victurum; neque aut de mea innocentiâ, aut de Dei bonitate, ulli unquam mendacio aſſenſurum. Quid enim ego injutius in eum velim agere, cujus beneficio hunc ſpiritum vitalem traho; cujus gratia ad ſuſtinendos tot labores me corroborat? Quamvis ergo cruciatus, & pœnæ tam inſolitæ contra me producantur, nihil meâ virtute vel famâ indignum loquar, nec quidquam animo concipiam; ſed usque ad extremum ſpiritum peccato repugnabo. Neque veſtræ calumniæ me vobis efficient ſimilem: quippe nunquam fatebor iniquitatem, quam vos mihi per mendacium imponitis. *Donec deficiam, non recedam ab innocentiâ meâ.* Abſit, ut me contaminem ſtultâ & iniquâ vulgi opinione, qui externis tantùm vel ærumnis, vel bonis animi ſanctitatem metitur: quem vos profectò imitamini, ſolo calamitatis teſtimonio meam vitam ſceleris condemnantes. Nunquam ego meæ conſcientiæ fidem polluam; nec de juſtorum præmio, nec de impiorum ſupplicio vobiscum conſentiam. Prodigerẽ profectò meam innocentiam, ſi alia loquerer, atque ſentiam.

Joannes di Pineda ſupra Job.

Job. 27. v. 5

tiam. Quare neque aliud vitæ conſilium nunc inſtituam, ſed priſtinos meos mores proſequar, neque deſiſtam ab innocentiâ meâ tuendâ. *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vitâ meâ.* Sanctitatem atque juſtitiam arctè ſum complexus, & pietati à primis annis adhæſi, nec dimittam, illâ vel animi ſegnitie, vel corporis mollitudine depravatus. Cùm enim animum meum nullius unquam ſceleris conſcientia carpſerit, laborabo ſtrenuè, ut nunquam deinceps gravioris culpæ labe me polluam: & cùm nec cogitatione quidem DEUM ullius injuſtitiæ inſimulaverim, aut illi extiterim contumelioſus, indignum profectò foret, ſi nunc adversùs DEUM maledicus aut convitiator evaderem. Quare *donec deficiam, non recedam ab innocentia meâ.* Ita patientiſſimus Jobus, ita æquanimis Auguſtinus, ita viri omnes cordati in falſis rumoribus ac iniquis famæ diminutionibus innocentiam pro ſolatio retinent; & in quâcunque obtrectatorum calumniâ alacri animo ſe tuentur, hortando ſe modeſtè contra injurium detractorem: *Senti de Fortunato, ſenti de Adamo, quod voles; ſola me in DEI oculis conſcientia non accuſet.* Itaque talis tenenda eſt regula, ut in tam variâ denigrantium occurrentiâ neque famæ ſolius, neque ſolius conſcientiæ habeatur ratio, ſed utrique cùm res fert, conſulatur, præſertim tamen conſcientiæ: quod nihil derogat de pretioſitate famæ, cùm illæsâ honeſtate ac conſcientiâ ſervari poteſt. *Conſcientia mihi, fama proximo: conſcientia ad meritum, fama ad exemplum.*

537. Peccatum famam perdit. Quod reliquum eſt, à famæ ſplendore ad denigrationem, & à boni nominis claritate ad obſcurationem nos reflectamus. Ad minij ſimilitudinem rubentia, & ſublimè colorata ova ponit Tinnunculus, & ex his Tinnunculum excludit colore ſubobſcurum. Fama, quocunque peccato fuerit laceſſita, ruborem in facie ponit, minio ſublimiorem; fuliginem in ſeipsâ recipit, avernο ſquallidiorem. Non poteſt obſcuratio famæ in peccatore conformiùs explicari, quàm per obſcuritatem coloris in pretioſis Ephod ac Rationalis lapidibus, cùm populus Iſraël peccaverat. Prout Sanctus Epiphanius ex Joſepho Flavio accuratè obſervat, dum & candidi, & rubicundi, & nigri colorum ſignificationes in lapidibus illis variatorum expendit. [Sacerdos, inquit, per Ephod voluntatem DEI aliquando cernebat. Quòd ſi in peccato deprehenderentur, ſi in præceptis, quæ dederat DEUS, non ambulâſſent: mutabatur, ut ferunt, color lapidis, & fiebat niger. Hinc agnoſcebant, quòd Dominus mortem eſſet miſſurus. Cùm verò eos gladio perdere vellet, efficiebatur ſanguinei coloris. Quòd ſi ut nix ſplenderet, agnoſcebant, ſe non peccâſſe; & tunc feſtum celebrabant.] Itaque nigredinem & fuliginem inducit peccatum, ac ſplendorem famæ obſcurat: & Nazaræi priùs *candidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo*, fiunt ut nigredo ollæ, ut fuligo ſathaux. Et quia de rubro ovo loquimur, non Vitellum ſed Vitellium adducamus. Vitellius Imperator, quàm diu ſobrietati ſtuduit, viribus & virtutibus celebratus eſt apud omnes: ubi gulæ, luxui & ebrietati ſe dedit, *factus eſt opprobrium vicinis ſuis*, ſummâque à militibus ſuis ignominiâ affectus, ut refert Dio Caſſius de militibus. Vitellium vinctum in forum perducunt, ubi concionatus erat: ibi quidam ei colaphos impingunt, alij barbam vellunt; illudunt omnes, & contumelioſè maledicunt, eique exprobrant comeſſationes: nam ventre obeſo erat. Cùm rubore ſuffuſus capite demiſſo terram intueretur, milites ſub mento illum pungebant, ut caput extolleret invitus, altùmque cerneret. Id quidam Germanus videns, & miſericordiâ motus, ait: Ego tibi, qua in re potero, opem feram. Atque illum percuſſit: deinde ſibi manus intulit. Neque tamen ex eo vulnere mortuus eſt Vitellius, ſed tractus in carce-

S. Epiphanius to. 2. de gemmis pag. 231.

Dio Caſſius l. 66. pag. 741.

rem cum ſuis ſtatuis, quibus ridicula multa & turpia exprobrabantur. Hic Vitellus ſummo dolore affectus, dicebat: Ego quidem aliquando Imperator veſter fui. Ideò irati milites ad ſcalas Gemonias eum traxerunt, ibíque obtruncârunt, & caput per totam urbem geſtaverunt. Similes contumeliás ſibi illatas Andronicus Imperator ſuſtinere à militibus debuit, quia vitijs varijs ſe dando famam perdidit. Plebei detractores & contumelioſi parvos ſæpè imitantur ſcorpios, qui cùm ſeparati nocere non poſſint, conjuncti catenâ venenatâ pungunt & interimunt. Hinc Lybies lectum ſuſpendunt; ſed ſcorpius è tecto ſe demittit, & aculeum exerit, cui alter adhæret, donec *factâ lethali catenâ* dormientem pungat ultimus: qui deinde aſcendit ad tectum per alios, & ſic deinceps. Puſilli ſæpè ſunt procaces ac petulantes diffamatores, & nocere ſoli non poſſunt; at ubi aculeum exeruerint, eandem calumniam alter amplectitur, atque per varia ora circumlata plurimùm nocet. Quódque luctuoſius eſt, ſæpè magis nocet vicinis, amicis, affinibus & parentibus, quàm extraneis: quemadmodum ſcorpij in Cariæ Latmo indigenas mortiferâ percuſſione interimunt, alienigenas verò leniter mordent. Vtrumque peſſimum eſt, & denigrari ab infamiâ, & lethaliter ſauciari.

Nicetas Chomiata fol. 40. col. 4.

Ælianus l. 8. hiſt. animal. c. 41.

Vos Auditores, quibus ſua Fama auro, gemmis, vitâ pretioſior amatur; ita proinde virtuti navate operam, ut de ſanctâ veſtrâ converſatione optima omnibus generetur æſtimatio; & Fama veſtra catenatas *vires acquirat eundo*, bonúmque Nomen permaneat usque in æternum. Amen.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

AQUILA ALBA.

Der weiſſe Adler.

LEMMA.

Quæq; latent, meliora puta. Ovid. met. I.

THEMA.

Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ. Matth. 24. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS LVIII.

Mirabili ſimul ac pretioſâ gemmarum venatione ab Aquilis exhibetur, quâ devotione, religione & ſanctitate Corpus Chriſti in Sacroſancta Euchariſtiâ à Fidelibus, ſive Sacerdotibus ſive Laicis, ſit communicandum.

538. *Adventus Chriſti ſecundus qualis ſit futurus.*

NOn eſt, quòd credatis erronibus, aſſerentibus, Chriſtum Salvatorem olim futurum Judicem in locis deſertis, aut templi penetralibus occultandum: quia cùm ipſe in ſuo ſecundo Adventu progreſſurus eſt ad judicium, ut Sanctos beet, impios condemnet, non occultè ſed publicè, toti mundo glorioſus, ut Judex omnium, velut fulgur apparebit, ſubitus in momento, inexpectatus à ſæculo, omnibus in ſumma Majeſtate mani-

manifeſtus, in gloriâ ſublimis: quâ omnium oculos perſtringet; & in ſe convertet, ut nemo de eo, quin verus ſit Meſſias, & Chriſtus Mundi Salvator, dubitare tunc ampliùs poſſit. Et ſicut Aquilæ ſuam prædam, ſive corpus quod prædantur; illicò ex alto conſpiciunt, inque illud involant etiam remotiſſimum: ſic pariter glorioſus Chriſti in mundum ad judicium Adventus & reditus, non erit occultus, ſed omnibus manifeſtus. *Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquila.* Quaſi diceret Chriſtus, de illa terribili die prænuntians multas circumſtantias & prodigia: Tunc Fideles & juſti, velut Aquilæ acutiſſimi viſûs, & velut vultures ſagaciſſimi odoratûs, divinâ virtute me odorabuntur ac præſentient; imò oculis cernent, & ad me advolabunt, ut me meâque gloriâ feliciſſimè reficiantur, paſcantur, ac beentur in æternum: ac proinde tunc nullâ inquiſitione opus erit, ubi ſit Chriſtus, utpote cujus Adventus erit glorioſus, totique mundo conſpicuus. D. Hilarius ſimilem poſuit Gloſſam. [*Sanctos*, ait, *de volatu ſpiritualis corporis; Aquilas nominavit, quorum, congregantibus Angelis, conventum futurum in loco Paſſionis oſtendit; & dignè illic claritatis Adventus expectabitur; ubi nobis gloriam æternitatis Paſſione corporea humilitatis operatus eſt.* Nempe D. Hilarius ex thematis textu colligit, judicium Chriſti univerſale futurum eo loco, ubi Chriſti cadaver pependit in cruce, ac ſepultum eſt; puta prope Jeruſalem in valle Joſaphat. Sic & S. Hieronymus, *Aquila*, ait, *ſunt Sancti, qui aſſumunt pennas, ut ad Chriſti veniant Paſſionem.* Quia congruum eſt, ut ibi Chriſtus judicet omnes, ubi pro omnibus ipſe iniquè judicatus, ibique conſpiciatur ejus Majeſtas, ubi antea viſa eſt ejus abjectio & humilitas; atque ibi deſcendat de cœlo, ubi ad cœlum aſcendit: & ſic totum opus ſalutis noſtræ eodem loco, quo incœptum & provectum eſt, compleatur & terminetur. *Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquila.* Dimitto abominationem deſolationis, tam horrificè

S. Hilarius ſuper Lucam.

S. Hieronym. ſuper Matth. 24. v. 28.

hodie à Chriſto prænuntiatam; & quia in hodierno Evangelio congregandæ dicuntur Aquilę, cum iis & ego vos optarem hodie ad Corpus Chriſti convolare: non ad Corpus Chriſti myſticum; quod eſt Eccleſia; neque ad glorioſum, quod eſt in cœlis; ſed ad Euchariſticum, quod eſt in Venerabili Sacramento: ubi *QVÆQVE LATENT, MELIORA PUTA*; ubi

Sub diverſis ſpeciebus
Signis tantùm, & non rebus,
Latent res eximia.

Et quidem Aquilas vos eſſe vellem, non Chryſaëtos auricomo colore regios; non Hallaëtos, marinâ piſcatione celebres; non Melanaëtos, præſtanti robore pullos; non Morphnos, anatibus inſidioſos; non Percnopteros, querulâ murmuratione imbelles; non Criſtatos nec Barbatos, ſolâ plumarum venuſtate inſignes; nec tandem Pygargos, ſolâ caudâ albicantes: ſed quod rarum eſt, Aquilas albas vos eſſe optarem, quarum pretium *procul & de ultimis finibus* petatur; & quæ corporis objectu ad adamantum & gemmarum venationes emittantur. Hanc proinde gemmarum venationem ab albis Aquilis inſtituendam tunc admirabimini, quando præſenti oratione demonſtrabo, quàm pretioſi fructus ex dignâ Euchariſtici Chriſti Corporis Communione à Fidelibus, ſive Laicis, ſive Sacerdotibus percipiantur. Auſpicatæ gemmarum venationi nunc velut Aquilæ attendite, in nomine Domini.

Non videat vobis, Auditores, paradoxum aliquod irrationabile protuliſſe de quadam rariſſimâ adamantis ac gemmarum venatione; quandò plures Authores, naturalium rerum veracitate pollentes, eam mutuato calamo deſcripſerunt. Eorum anteſignanus in hac gemmatione Marcus Paulus Venetus narrat, quòd in quibusdam montibus & vallibus regni Murſili, per mille milliaria ultra Malabar diſtantis, inveniantur adamantes, qui magna copiâ ab habitatoribus colligantur hac venandi pe- 539.

Gemmarum venatio mirabilis per Aquilas.

riodo. Morari videlicet in illis montibus Aquilas albas, quæ ſerpentibus magnis ibi copioſè repertis veſcantur. Et cùm pluit, egredi homines ad rivos aquarum de montibus deſcendentium, & in arenâ latentes adamantes legere: æſtatis quoque tempore aſcendere montes cum magnâ difficultate, propter ferventem calorem undique æſtuantem, & propter terribiles ſerpentes ibi fœtantes. Dum ergo in declivibus & retruſis montium jugis quærunt, contingere ſubinde, ut gemmas in magnâ copiâ reperiant; idque in hunc modum. Alliciuntur in montibus illis Aquilæ albæ, quæ memoratis communiter paſcuntur ſerpentibus: homines autem, qui per montes diſcurrendo ob prærupta ſaxa & montium præcipitia ad convalles pervenire non poſſunt, in illas videntibus Aquilis recentium carnium fruſta projiciunt: porrò hæ carnes ab Aquilis accurato impetu ſublatæ, nonnullos retinent adhærentes adamantes, quos deinde homines tali ingenio venantur. Advertunt, quò Aquila ſublatam portet carnis portionem, & accurrentes Aquilam abigunt, lapillóſq; carni adhærentes colligunt. Huic ſimilem venationem gemmarum recenſet Anaſtaſius Nicænus ex D. Chryſoſtomo apud Nierenbergium ſic: Hyacinthus eſt quidem ſubrutilus, invenitur autem in interiore Scythiæ Barbariâ. Scythiam autem ſoliti ſunt vocare veteres omnem regionem Borealem, ubi ſunt Gothi & Dani. Illic ergo intrinſecus in magnæ Scythiæ ſolitudine eſt barathrum, ſeu foſſa profundiſſima, ad quam non patet aditus hominibus, & rupibus omni ex parte circumdata: adeò ut quiſpiam ſupernè ex ſummis montibus tanquam ex mœnibus deſpiciens, non poſſit foſſæ fundum conſpicere, ſed ob profunditatem ſit veluti quoddam profundum chaos. In hac ſunt, qui à propinquis regionibus condemnati & coacti mittuntur. Cùm autem agnos ſacrificaverint & excoriaverint, deſuper eos

Nierenbergius l. 10 hiſt. nat c. 79. Caſp. Schottus l. 9. mirab. p. 6.

jaciunt ex rupibus in chaos foſſæ; ad illas autem carnes agglutinantur lapides, quos Aquilæ in rupibus pe-trarum habitantes, & ad odorem carnium deſcendentes, ſurſum ferunt cum agnis, quorum carnibus adhæreſcunt. Devoratis autem carnibus, lapides remanent in vertice montis. Cùm autem venatores conſpexerint, quò ab Aquilis delatæ ſint carnes, illicò accurrunt, gemmas auferunt, & pretioſâ prædâ ditati ad ſuos revertuntur. Hucuſque gemmarum venatio per Aquilas facta. Quis huic Eſcæ ab Aquilis ſublatæ, & gemmisconditæ non ſubſcribat: *Quæque latent, meliora puta.*

Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ. À naturalibus ad Divina, ab Aquilis ad Fideles, à corpore cruento ad incruentum, à gemmis ad chariſmata, à venatione ad Communionem conceptæ orationis ſe reflectit periodus. Iſidorus Peluſiota rogatus, quid eſſet, *congregari Aquilas ad corpus?* Reſpondit, ſenſum eſſe, quòd Chriſtus nos reducturus ſit, ubi eſt corpus ejus propter nos mortuũ & occiſum, hoc eſt, in paradiſum. Vbi *corpus*, Græcè σῶμα, à caſu & clade denominari obſervat; cujuſmodi caſus Corpori Chriſti in Paſſione obtigit, & in Euchariſtiâ exhibetur. Agnovit hoc S. Leo, ut quidem refert Turrecremata, de Euchariſtia ſic ſeribens. „[Aſſiſtunt Altari immolationis horâ „ſancti Angeli Dei, Diviniſſimum hoc „Sacramentum omni devotionis cul„tu venerantes. Vnde ſuper illud „Matthæi, *Vbicunque fuerit corpus, con„gregabuntur & Aquilæ*, ait Leo Papa. „Circa corpus Domini Aquilæ ſunt, „quæ ſpiritualibus alis circumvolant. „Hinc Sancti Angeli munditiã aman„tes, mundum Corpus Domini vene„rantes ſunt, & fideles præſentes por„tegentes.] Similis locus invenitur apud S. Ambroſium, qui de Altaris Sacramento hanc moralitatem adducit. *Bona Aquila circa altare: ubi enim corpus, ibi & Aquila: Corpus Chriſti in altari, aquila vos eſtis.* Et ut tam *Corporis*, quàm *Aquilarum* ratio exactiùs pateat, D. Chry-

540. Aquilæ fideles ad Corpus Chriſti congregantur.

Peluſiota l. 2. Ep. 281.

Turrecremata tract. de Euch. c. 5.

S. Ambroſius l. 4. de Sacram. c. 2.

S. Chryſoſt. hom. 24. in 1. Corinth.

D. Chryſoſtomi locus egregius hic „meritò adſcribendus. [Curam „geramus fratrum. Ad hoc enim „nos inducit Sacrificium illud for„midandum & admirabile, quod ju„bet nobis, ut cum concordiâ & cha„ritate maximâ ad ſe accedamus; & „Aquilæ in hâc vitâ facti, ad ipſum „cœlum evolemus, vel potiùs ſupra „cœlum. *Ubi enim cadaver*, inquit, *il„lic & aquila. Cadaver*, Domini Corpus „propter mortem: niſi enim ille ceci„diſſet, nos non reſurrexiſſemus. *Aqui„las* autem appellat, ut oſtendat, ad „alta eum oportere contendere, qui „ad hoc Corpus accedit, & nihil cum „terrâ debere ei eſſe commune, neq; „ad inferiora trahi & repere; ſed ad „ſuperiora ſemper volare, & in So„lem Juſtitiæ intueri, mentiſque ocu„lum acutiſſimum habere. *Aquila„rum enim, non graculorum, hæc menſa „eſt.*] Magna inter utroſque differentia: Aquilæ in altis ponunt nidũ ſuum, graculi in cavernis ruinarum: Aquilæ generoſo & nervoſo ſpiritu pollent, graculi cum imbellibus pabulantur: Aquilæ ſublimè volant, ac ſuper nubes aſcendunt, graculi parum altè ſe elevant: Aquilæ irretortis oculis contemplantur ſolis aciem, graculi communem lucem, non radios immediatè à fonte reſultantes, ſuſcipiunt: Aquilæ magnarum ſunt alarum, ac ſolæ volant; graculi modico robore præditi gregatim exeunt: Aquilæ roſtris, unguibus & pennis armatæ, graculi imbelles & imbecilles. *Aquilarum, non graculorum, hæc menſa eſt.*

541. Euchariſtia gemmæ pretioſiſſimæ & Margaritæ comparatur.

Novimus modò, quid ſit *corpus*, & quid *aquila*: Corpus Chriſti in Euchariſtia, Aquilæ Fideles: Corpus in altari, Aquilæ in ſacrâ Communione. Sed verò in venatione noſtrâ gemmæ deſiderantur. Proijciatur agnus excoriatus de rupibus in profundum, adamantum gemmæ pretioſiſſimæ ei adhærebunt agglutinatæ. Et ſic inveſtigare juvat ſub hâc Aquilinâ eſcâ, ſub pane conſecrato, ſub vero & reali Chriſti Corpore, quid gemmarum lateat? *Latent res eximia.* Plurimi Patres hoc Myſterium paſſim appellant *Margaritam immaculatam Corporis Chriſti.* Et Fortunatus, exornans carmine turriculam auream Felicis Bituricenſis ſtructam ad excipiendam Euchariſtiam, ait, condendum in eâ *Margaritum ingens, ſacrati corporis Agni.* Liturgia Sancti Chryſoſtomi ſimiliter Euchariſtiam Margaritæ nomine donat. [Ingreditur Sacerdos in protheſin, & quod in ſacro Calice remanſerat, attentè & reverenter abſumit, lavátque ſacrum Calicem ter proſpicítque, ne, quod dicitur *Margarita*, remaneat.] Idem ferunt illa S. Germani Epiſcopi verba. [Sancta menſa eſt pro menſa Chriſti cum myſtis, & qui in ea ſunt Margariti, divina dogmata doctrinæ Chriſti Patris ad diſcipulos exhibent.] Itaque nomine *Margaritæ* comprehendi poſſunt quælibet gemmæ, & quæcunque gemmarum myſteria, annotante S. Ephremo, optimè ad Euchariſtiã accommodari. Huc faciunt delapſæ interdum in ſacrificantium Calices gemmæ, quod S. Lupo Epiſcopo Senonenſi accidiſſe, ſcribit Sigebertus in Chronico: cui etiam Romanum Martyrologium conteſtatur Kalendis Septembris. *Apud Senonas B. Lupi Epiſcopi & Confeſſoris, de quo refertur, quòd quadam die, dum præſente Clero ſacris Altaribus adſtaret, lapſa eſt cœlitus gemma in ejus Calicem ſanctum.* Sed & Gregorius Nyſſenus ſtatuens, reddendos eſſe Cõmunioni eos, qui à cœno peccatorum emerſerant, ait, juſtũ non eſſe, ut qui porci eſſe deſierant, & in homines evaſerant, diutiùs priventur *pretioſa Margarita fruitione*; donans Euchariſtiam nomine pretioſæ Margaritæ, & ad eam accommodans illud Chriſti, *nolite projicere Margaritas ante porcos*: quod Methodius, apud Photium, exponit de Margaritis virtutum non abjiciendis in voluptates. Acta etiam S. Danielis Stylitæ; cujus columnam Cyrus exconſul Conſtantinopolitanus eleganti epigrammate illuſtravit, aiunt, eum percepiſſe *cœleſtem Margaritum*, id eſt, Divinam Euchariſtiam.

Fortunatus in Euch.

S. Chryſoſt. in Liturg.

S. Germanus.

S. Ephrem trad. de gem.

Sigebertus an. Chriſt. 616.

Martyrolog. Rom. 1. Sept.

S. Gregorius Nyſſenus in Ep. Can. c. 4.

Photius Cod. 231.

Deni-

Petrus Celleſis l. 3. Ep. 12. Denique Petrus Cellenſis Paſcha noſtrum, quod eſt Chriſtus in Euchariſtia, deſcribit ſymbolicè ſub imagine *pretioſa margarita* vilibus pannis in-
,,volutæ. [Moyſes, inquit, in illo qua-
,,dragenario jejunio, ubi à colloquio
,,divino cornutam faciem reportavit,
,,Paſcha illud in literis ſuis prænomi-
,,navit; & in illo Sacroſanctas reli-
,,quias religans; annuo recurſu ad
,,publicum noſtrum devolvendum.
,,conſtituens, diem certum præfixit.
,,Siquidem hic pannus, id eſt, Paſcha;
,,in exteriori facie plurimum nitoris
,,exhibet, ſed valde ampliora intrin-
,,ſecus continet; & cariora pignora.
,,Rubet igitur purpureo colore, pro-
,,pter Paſſionem: rutilat hyacinthinâ
,,ſpecie, propter reſurrectionem.:
,,ſubobſcurus eſt propter ſputorum;
,,& alaparum, & flagellorum, & cæte-
,,rarum injuriarum coacervationem:
,,albet unicâ nube, propter innocen-
,,tiæ integritatem, & peccati immuni-
,,tatem.] Hactenus quidem Cellenſis
colores varios hujus panni Paſchalis
ornatâ diſtributione expoſuit; ſed nec
ipſe contentus quieſcit, donec etiam
ampliora & cariora intrinſecus contenta
pignora manifeſtet. Unde paulò pòſt circa revelationem *latentium*
,,*rerum eximiarum* quærit. [Sed quæ
,,ſunt pignora tam cara pro pretio;
,,tam efficacia pro remedio; tam rara
,,pro numero, tam ſancta pro merito;
,,tam perpetua pro ævo; tam amabi-
,,lia pro beneficio? Pignora, fratres
,,mei, iſta ore pudico, timore debito
,,nominanda & amplectenda; ſunt
,,Caro & Sanguinis Agni incontami-
,,nati Jesu Christi, oſſa, nervi, me-
,,dullæ, cartilagines, cutis, corium, &
,,quæcunque membra in corpore Je-
,,ſu de ſacris ſuis viſceribus edidit Vir-
,,go Virginum.]

542. *In Euchariſtia tot gemmæ, quot myſteria.* Proinde cùm jam non in profundâ foſsâ corpus exanime pro eſcâ tollendum, ſed potiùs in profundiſſimo Myſterio aquilinis oculis conſiderandum ſit verum ac animatum Chriſti Corpus, cui tot pretioſiſſimæ conſertæ ſunt gemmæ, quot *mirabilia magna*, quæ Deus in hoc Diviniſſimo Sacramento velut pretioſiſſimas ſcintillas promicare facit: ſtupet profectò humanus animus, atque ad tales ſplendores totus contremiſcit; ubi Triophtalmus Trinitatis; ubi Opalus Humanitatis, ubi Adamas Divinitatis, ubi Carbunculus Charitatis, ubi Chryſolitus Sapientiæ, ubi cœleſtium deſideriorum Sapphirus, ſuas explicat ſtellas. Cùmque tam mirabilis Sacramenti cognitione intellectus latentium rerum. profunditatem ſcrutari avidè cupit; tantorum arcanorum magnitudine preſſus, in eo conatu ſuccumbens, quòd minùs perfectè intelligit, quàm maximè admiratur, dicens cum Propheta: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.* *Pſal. 110. v. 4.* Et profectò omnem admirationem excedit, omnia mirabilia pariter ac pretioſa ſuperat, quòd ſub modici panis & vini ſpecie verum Chriſti Corpus & Sanguis à Fidelibus communicando ſumatur: ut rectè olim ſapientiſſimus Seneca ſcripſerit; *Magni artificis eſt, clauſiſſe totum in exiguo.* *Seneca Ep. 6.* Quid magis totum, quàm Deus-Homo? Quid magis exiguum, quàm punctum.? Illud immenſum Totum circumſcribitur unius conſecrati panis puncto. Admirabile profectò fuit & præclarum, hanc mundi machinam tot cœlorum & elementorum ſphæris; tot diverſarum rerum varietate ornatam creare; ſolem diei, lunam ac ſtellas nocti præficere; diſtinguere tempora, cœlorum motus ac ſyderum curſus diſponere; innumerabilia deinde avium, piſcium terreſtriúmque animalium, arborum quoque ac fructuum, cæterarúmque rerum genera ad hominum uſum in hoc mundo producere; hominem denique ipſum à cæteris animantibus rationis, ac ſermonis dignitate ſecernere. Sed cùm ad hujus Corporis & Sanguinis Sacramentum convertimur, nihil nobis videtur mirabilius; nihil dignius veneratione, nihil ſanctius ac devotius pertractandum; in quo Creator creaturæ conjungitur, corruptibilis ſubſtantia in incorruptibilem tranſ-
ſun-

Digitized by Google

funditur, & ſub parvâ panis & vini ſpecie, rerum omnium Conditor, mirâ verborum prolatione ſupponitur. *Magni artificii eſt, clauſiſſe totum in exiguo.* In hoc ſiquidem Sacramento vis ac potentia naturæ ſuperatur, communis lex vincitur, divina maximè virtus oſtenditur; & aliud ſenſu percipimus, aliud fide credimus. Quid enim, quæſo tam naturæ contrarium, quàm accidentia per ſe ipſa ſine ſubjecto ſuſtentante exiſtere? & poſt Sacerdotis Conſecrationem adeſſe quantitatem, quæ nihil extendat, rotunditatem, quæ nihil circulare faciat, albedinem, quæ nihil omnino albificet? Quid magis noſtrum exuperet ſenſum, quàm quòd ſub qualibet tanti Sacramenti particulâ integer & totus lateat Chriſtus? Ille, inquam, & non alius, qui in utero natus eſt Virginali, qui in Cruce pependit, qui demum ad cœlos glorioſus aſcendit; ille, inquam, ad Sacerdotis vocem, Patris dexteram non deſerens, ſub panis tamen ac vini ſpecie continetur. *Magni artificii eſt, clauſiſſe totum in exiguo.* Tot gemmæ, quot gratiæ, quot myſteria divina, quæ omnem naturæ vim ſuperant, omnem humani ingenij potentiam excedunt, & non niſi piâ ac religioſâ mente, terrenis affectibus expurgatâ, poſſunt comprehendi.

543. Communio digna requirit bonam conſcientiam.

Jam verò ubi *Aquilarum hæc menſa eſt, non graculorum*, vellem ego ad corpus hoc Euchariſticum advolare, non graculos, ſed Aquilas: & quidem nec Aquilas, vel peccati ſquallore fuliginoſas, vel prædarum cruore terribiles, vel auri improbitate fulvas, vel unguium rapacitate crudeles, vel roſtrorum voracitata temulentas; ſed Aquilas plumarum candore nitidas, atque innocentiæ nitore candentes. Nempe candor mentis, & immunis ab omni peccato conſcientia, plumæ illæ ſunt firmiſſimæ, quibus fidelium animæ ſublevatæ convolant, *ubicunque fuerit Corpus* Chriſti, à Sacerdote in Altari conſecratum, ut de illo ſpirituali refectione ſaturentur, & unà gemmas myſteriorum ac gratiarum Margaritas tollant, quæ cum Venerabili Euchariſtiâ ſunt connexâ. Petrus Cellenſis in eadem Epiſtola, quam ſuprà recenſuimus, mirè videtur eſſe occupatus in diſquirendis illis gemmis, ſub panno Paſchali involutis; & quaſi ad albas Aquilas alluderet, „dignos ſcilicet Fideles, [Revolevre „autem, inquit, illas pretioſas Margaritas, quæ ſigillantur in ſigillo iſto „aureo & argenteo, quis accedet, niſi „mundas habuerit manus? niſi oculos columbinos? niſi labia purgata? niſi abluto toto homine interiori & exteriori, ſacro Jordanici „fluminis baptiſmate? Quia ergo vobis ſunt manus tornatiles per obedientiam, oculi clari per pudicitiam, labia ſtillantia myrrham primam per accuſationem reatuum veſtrorum, & adſcurrilia æternam clauſuram: applicate pannum Paſchalem, & expendite theſaurum abſconditum, ut exinde captivus mutuet redemptionem, mortuus reſurrectionem, peccator juſtificationem, „afflictus conſolationem, religatus ſolutionē, anathematizatus abſolutionem.] Et cùm Tridentinum dicat, quòd Chriſtus in hoc Sacramento divitias ſui amoris erga hominem veluti effuderit, & cum eo pretioſiſſima bona nobis donâtit: nónne habes hìc bona omnia, quando Corpus Jesu accipis, in quo continentur omnia? Ipſe tibi erit ſitienti fons, eſurienti panis, ægrotanti medicina, ambulanti via, peregrinanti patria, ignoranti ſcientia, laboranti quies, operanti merces, currenti bravium, deficienti robur, mœrenti ſolatium, pugnanti corona, vincenti gloria, morienti vita, & ſalus pereunti. Cùm igitur unus Jesus ſit omnia unicuique, ſuæ gloriæ divitias exhibens beatis in cœlo, ſuæ gratiæ gemas dividens devotis in terrâ, quid ſupereſt? quàm ut conſulente D. Paulino, *Chriſtum amemus, quem amare, debitum eſt: illum oſculemur, quem oſculari, caſtitas eſt: illi copulemur, cui nubere, virginitas eſt: illi ſubjiciamur, ſub quo jacere, eminentia eſt: propter illum dejiciamur, cui cadere, reſurrectio eſt.*

Petrus Cellenſis Ep. cit.

S. Paulinus Ep. 5. ad Sever.

544. Corpus Chriſti debet communicari ab exiſtente in gratiâ.

Petrus Bleſenſis Ep. 86.

Quàm officioſus fuit Petrus Cellenſis in deſcribendo nitore illius panni Paſchalis, continentis in ſe pretioſas Margaritas; tam laborioſè Petrus Bleſenſis connititur, ut Corpus Chriſti ſyndone mundâ, hoc eſt, mente „purâ & candidâ ſuſcipiatur. [Non „ponendus eſt, inqnit, Chriſtus, niſi „in ſyndone mundâ, & in monumen„to novo: quia panis vitæ non eſt „recipiendus niſi conſcientiâ mundâ, „& corde ſincero. Hoſtia enim in„dignè accepta ſuſcipientem da„mnat, non ſalvat; inquinant, non „emundat. Propheta enim dicit: *quid „eſt, quòd dilectus meus fecit ſcelera multa „in domo mea? Nunquid carnes ſancta „auferent malitias ejus, in quibus gloriatus „eſt?* Et alibi. *Tu, qui mundaris per hoſtias, „ſcito, quòd non mundaberis; ſed ampliùs „pollueris.*] Eo ipſo autem, quòd conſtitutum eſt, exigi ſanctitatem ad dignè communicandum; concluditur quoque neceſſitas abſentiæ peccati mortalis. Neque enim ullâ vi cum peccato mortali gratia ſanctificans poteſt cohærere! atque adeò quisquis lethali peccato ſordens accedit ad Euchariſtiæ perceptionem, admittit immane ſacrilegium, ſtatuitque ſe reum corporis & ſanguinis Domini,

1. Corinth. 11.

ut dixit Apoſtolus ad Corinthios; etiam illud addens, talem ſibi manducare & bibere judicium quia non dijudicat corpus & ſanguinem Domini: hoc eſt, ingentes pœnas illum manere, quia graviſſimè delinquit, eò quòd Sacrum Panem videatur habere pro communi. Vt planè tractabant profani illi Longo-

Stephanus 2. Ep. 4.

bardi, de quibus conqueritur Stephanus Papa ad Pipinum Regem Francorum: *Munera ſancta, id eſt, corpus D. N. IESV Chriſti, in ſuis contaminatis vaſibus, quos folles vocant, miſerunt, & cibo carnium copioſo ſaturati, comedebant eadem munera.* Habebant ergo profani illi Euchariſtiam pro cibo communi. Nec ſecus de eâ cenſere videntur, qui indignè communicant, cùm tamen ſit ipſum corpus Domini Jesu, ſpecierum tegumentis opertum, quod venerari & honorificè excipere oportuerat, non tantâ afficere injuriâ, quantam irrogat acceptio Panis Divini pro pane communi, & appoſitio impedimenti, ne Sacramentum fructificet in homine. Neque enim poteſt effectum ſuum producere in homine, qui gravi peccato ſordet. Sic igitur ſumere Divinum Panem, perinde ac ſi eſſet cibus communis, & obſtare ejus efficacitati circa productionem gratiæ, eſt *non dijudicare Corpus Domini*, & fieri corporis & ſanguinis Domini reum, ut Apoſtolus pronuntiavit. In quem finem conſpiratum eſſe video à varijs Patribus, hortantibus communicaturos, ut priùs aſſumant pennas Aquilæ candidæ deargentatas, *volent & non deficiant*; hoc eſt, eluant animum à peccato, ſintque puri ac nitentes. Produco ex plurimis S. Auguſtinum, invitantem ſuos ad Communicandum

S. Auguſtin. ſerm. 1. de temp.

„in die Natalis Domini. [Rogo & mo„neo, ut quantùm poſſumus, cum Dei „adjutorio laboremus, ut in illo die „cum ſynceræ & purâ conſcientiâ, & „mundo corde, & caſto corpore, ad „Altare Domini poſſimus accedere; & „corpus & ſanguinem ejus, non ad „judicium, ſed ad remedium animæ „noſtræ mereamur accipere. In Chri„ſti enim corpore vita noſtra conſi„ſtit, ſicut ipſe dixit: *Niſi manducaveritis „carnem filij hominis, & biberitis ejus ſan„guinem, non habebitis vitam in vobis.* Mu„tet ergo vitam, qui vult accipere vi„tam. Nam ſi non mutet vitam, ad ju„dicium accipiet vitam; & magis ex „ipſa corrumpitur, quàm ſanetur, ma„gis occiditur quàm vivificetur. Sic „enim dicit Apoſtolus: *Qui manducat „corpus Domini, & bibit ſanguinem ejus „indignè, judicium ſibi manducat & bibit.*] Ita Bleſenſis, ita S. Auguſtinus, ita S. Scriptura, ita alij Sancti Patres, ita communis Eccleſiæ ſenſus loquuntur de ſacrilegâ Communione.

545. Communio ſacrilega quantum ſit peccatum.

Hæret hìc animus, & rei gravitate permotus, exhorreſcit ad illam D. Pauli cenſuram, quòd is *judicium ſibi manducet & bibat*, qui indignè communicat; hoc eſt, qui conſcius ſibi peccati mortalis, ad participationẽ Domi-

nici

Digitized by Google

nici Corporis ſacrilegus accedit. Tremenda cenſura, qualem nec Judæ traditio, nec Herodis crudelitas, nec crucifigentium im̃anitas videntur obtinuiſſe. Quid? Ergóne his omnibus funeſtiſſimis malis iniquior ſit ſacrilega Communio? Communio ſacra, cujus nomine ipſum interdum Euchariſtiæ Sacramentum appellatur, quid eſt, niſi Communis unio ſeu conjunctio Fidelium, qui edendo idem Corpus Chriſti verum, unum corpus ejus myſticum efficiuntur, juxta illud Pauli: *Panis, quem frangimus, nónne participatio Corporis Domini eſt.* [1. Corinth. 10. v. 16.] Gaudet nimirum hoc ſanctum Myſterium Communi unione, animorúmque concordiâ, ut non aliter ipſe Chriſtus ſacramentaliter acceptus vocari velit, quàm Communio. Ita unionem animorum amat, ut hoc nomine per antonomaſiam vocari velit, ob fructum ex eâ percipi ſolitum. Primaria nimirum eſt intentio Chriſti in hoc ſanctiſſimo Sacramento, ut membra membris, & membra Capiti unita velit. Quod expreſſit Concilium Tridentinum, [Tridentin. ſeſſ. 13. c. 8.] hoc Sacramentum appellans *ſignum unitatis, vinculum charitatis, pacis & concordiæ ſymbolum.* Ideò Chriſtus ex tritico panem confici voluit, ut ex multis granis quantumvis ſeparatis, una farina, unus panis fieret; atque adeò communicantium una cum Deo conjunctio, & animorũ concordia, & omnium Chriſti Fideliũ unio. Tanta ſcilicet eſt Corporis Chriſti religio! Conſequenter *judicium ſibi manducat & bibit*, qui ſacrilegè & indignè Corpus Dominicum communicat. Nolo eſſe tantæ temeritatis, ut abſolutè pronuntiem, ſacrilegam Communionem eſſe peccatum omnium teterrimum, quod ſuâ malignitate & cruentam Herodis ſitim, & nefariam Proditoris ſynaxin, & crudeliſſimam Crucifigentiũ ſuperet immanitatem. Eorum enim peccata utique fuerunt longè atrociora ob revelatam Chriſti faciem, & acriorem contumeliam: tunc enim Chriſtus in propriâ ſpecie violatus ſuſtinebat injurias, plagas, cædem; hìc autem omnis actio inimica terminatur ad alienas ſpecies, ſub quibus Chriſtus ſacramentaliter eſt incluſus. Interim tamen Sancti Patres, ſecundùm quandam proportionem ad imitationem loquentes, æquipatant ſacrilegæ Communionis peccatum cum prædictis Chriſti perſecutoribus. Et quidem S. Chryſoſtomus [S. Chryſoſtom. hom. 7. in Matth.] cum Herodis, Chriſtum infantem ad necem quærentis, crudelitate ſacrilegam Com̃unionem pari paſſu currere, imò impari malo præcurrere arbitratur, dum ſic loquitur. [Cave, ne Herodi efficiaris ſimilis, & dicas, ut & ego veniens adorem eum; cúmque veneris, interimere coneris. Hujus etenim ſimiles ſunt, qui indignè abutuntur Communione myſterij. *Reus eſt enim*, inquit, *iſte Corporis & Sanguinis Domini.* Qui enim ejuſmodi ſunt, habent in ſe Tyrannum, & regno Chriſti jugiter invidentem, longè ſanè Herode illo nequiorem, mammonam ſcilicet. Hic enim in homines tenere imperium geſtit, ſuóſque cultores ſimulat, & mittit ad Chriſtum, ut ſpecie quidem adorare videantur: quantùm verò in ipſis eſt, interimunt eum, quem adorare ſe ſimulant.] Utique Herodis erga Chriſtum viſibilem, imitatione: at Herodem ob eam in Chriſtum Infamem ſævitiam, nemo non arguit extraordinariæ truculentiæ. Nihil etiam apud Patres ſolennius occurrit aut frequentius, quàm collatio peccati, quod in Chriſti indignâ perceptione admittatur, cum peccato, quo Chriſtus à Judâ prodebatur. Pulchrè præter cæteros Venerabilis Beda [Beda in Lucam ſuo c. 91.] in Lucam, tractans illud, *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur.* [Sed & hodie quoque, inquit, & in ſempiternum, væ illi homini, qui ad menſam Domini malignus accedit: qui inſidijs mente conditis, qui præcordijs aliquo ſcelere pollutis, Myſteriorum Chriſti ſecretis participare non metuit. Et ille enim in exemplum Judæ Filium hominis tradit, non quidem

„Judæis peccatoribus; ſed tamen peccatoribus membris, videlicet ſuis, „quibus illud inæſtimabile & inviolabile Domini Corpus violare præſumit. Ille Dominum vendit, qui „ejus amore ac timore neglecto, terrena & caduca, imò etiam criminoſa plùs amare & curare convincitur. Væ, inquam, illi homini, de „quo Jesus, qui Altaribus Sacroſanctis „inter immolandum utpote propoſita „conſecraturus adeſſe non dubitatur, „adſtantibus ſibi Miniſtris cœleſtibus „queri cogitur: *Ecce manus tradentis me, „mecum eſt in menſa.*] Similiter S. Baſilius poſt longam diſſertationem de malitiâ ſacrilegæ Communionis inſtitutam, tandem horrorem concipit de enormitate crucifigentium, & auditores ſuos hortatur. *Mundemus itaque nos ab omni inquinamento, atque ita ad ſancta accedamus, ut judicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus.* Et quid putatis, intercurrat ſceleris, ſi non tantùm ſacrilegè ſuſcipiatur Communio, ſed etiam nefariè & ſarcaſticè adminiſtretur? Vnum, & alterum caſum ab Acatholicis perpetratum notate. In Superiori Palatinatu, dum Calviniſmus communiter pro Religione coleretur, erat non nemo Nobilis, qui paſſim ob *caudam vulpinam* trahebatur in fabulam, & lepidè divexabatur. Contigit, ut is Nobilis cum ſuo Paſtore Calviniſtico odioſâ controverſiâ diſceptaret; quam tamen Paſtor lepido quidem, ſed ſuis Fidei principijs indecoro aſtu eludebat. Solebant tunc Cœnam Domini conferre in pane azimo (juxta morem Catholicorum) candido & tenui: ita tamen, ut figuram Crucifixi, aut Sanctiſſimi Nominis Jesu in hoc pane, ad exercitium communionis benedicto, omnino execrarentur; ſed, venerabilibus hiſce imaginibus ſemotis, figuras quadrupedum & volucrum in hoc pane exprimerent. Itaque Paſtor ſuas hoſtias, rotundâ figurâ exciſas ita diſpoſuit in Ciborio, ut una aliqua, cui juſtè *cauda vulpina* inſerta erat, jaceret in Ciborio ad latus, tunc attollenda, quando ſub diſpenſatione panis ad Nobilem ordo deveniſſet. Ergo Paſtor diſtribuit communicantibus Calviniſticam cœnam, dicens ſingulis; *accipe & manduca panem benedictum, hoc eſt enim Corpus Chriſti.* At verò cùm ventum eſſet ad illum Nobilem, ſubitò producit Paſtor profanam hoſtiam cum *caudâ vulpinâ*, & ait expreſſâ voce: *Accipe & manduca CAUDAM VULPINAM, hoc eſt enim Corpus Chriſti.* Tum ecce! tota illa religioſiſſima cœna in publicos converſa eſt cachinos, & Nobilis tam vafrè deluſus publicis diris Paſtorem rixosè devenit: qui mirè ſibi in ſuâ *vulpinâ cœnâ* complacens, pro nihilo reputabat, in Diviniſſimi ſui Sacramenti momento tam improbè & ſarcaſticè fuiſſe nugatum. Cui non diſſimile eſt, quòd cùm alius quidam Paſtor Acatholicus modicam particulam panis benedictam haberet pro communicando infirmo, & caſu hanc ipſam particulam avicula domeſtica abſumeret; protinus zelo accenſus aviculam illam cœperit, & (ne ſacra profanarentur) deplumatam aviculam veru bene ad ignem aſſaverit, aſſatam verò & in particulas conciſam porrexerit ægrotanti, dicens: *Accipe, crede & manduca, hæc eſt enim avis novi & antiqui teſtamenti.* Itaque conſtat, quòd peccatum indignè communicantis non ſit abſolutè omnium teterrimum, ſit tamen valdè grave, & quo nunc communiter vix admittatur gravius. Et ut loquitur Laurentius Juſtinianus, *Scelus hoc grande eſt, & nefas peſſimum.*

S. Baſilius ſerm. 1. de Bapt. c. 3.

Refert aliâ in Cancellaria Regimini Ambergenſi.

Laurent. Juſtin. ſerm. de Euch.

546\. Confeſſio peccati mortalis neceſſariò eſt præmittenda Communioni.

Suſcipio paternam S. Baſilij admonitionem, mox allatam, ut *mundemus nos ab omni inquinamento.* Et quia res agitur de Aquilis, gemmas venantibus cum corpore, cui agglutinantur: nō eſt hæc venatio fuliginoſis aut maculoſis Aquilis familiaris, ſed plumatum candore niteſcentibus. Certè S. Cyrillus refert, S. Euthimium Magnum Abbatem vidiſſe aliquos ex Communione denigrari ſuper carbones, alios verò candido ſplendore eniteſcere

S. Cyrill. in actis Euthym.

ſuper

ſuper adamantes. Si quis advertit ſibi pennas quasdam nigras ſuccreviſſe, eas protinus evellat, ut albeſcat: ut cum albis Aquilis poſſit gemmiferum Corpus ex profundiſſimo Altaris Myſterio tollere, ac ſibi usque ad refectionem ſpiritûs & medullarum applicare. Nempe hoc eſt, quod tantâ verborum gravitate Doctor gentium expoſuit, tentans fideles ab immani ſacrilegij ſcelere avertere, conteſtánsque, ut niſi teterrimo ſcelere ſe vellent contaminare, probarent ſeipſos, an candidi eſſent, judiciũ alioquin manducaturi ac bibituri. „[Verbum Apoſtoli eſt, inquit Pe„trus Bleſenſis: *Probet autem ſeipſum „homo, & ſic de pane illo edat, & de ca„lice bibat.* O quàm felix, qui proba„tus inventus eſt! *Proba me Domine, & „tenta me, ure renes meos, & cor meum,* „ut tanto Sacramento dignus inve„niar. Terribile enim eſt, quod ſe„quitur: *Qui manducat meam carnem, „& bibit meum ſanguinem indignè, judi„cium ſibi manducat & bibit.* Domine „Jesu Chriſte, Sacramentum Corpo„ris & Sanguinis tui, quaſi pignus & „obſidem cœleſtis gratiæ dimiſiſti: in „eo conſtituiſti nobis non mortem, „ſed vitam; non judicium, ſed ſalu„tem. *Quàm perditus ergo eſt, qui re„demptionem in perditionem, qui ſacrifi„cium in ſacrilegium, qui myſterium in „paricidium, qui vitam convertit in „mortem.*] Porro probationem ſui ipſius ab Apoſtolo indictam, ſine qua vita convertitur in mortem, Eccleſia intellexit de neceſſitate Confeſſionis Sacramentalis, ſi copia adſit Confeſſarij, & homo lethali ſit labe contaminatus. Eámque neceſſitatem inijci divino præcepto, docemur ex Concilio Tridentino, præſertim in Canone, 11. ubi poſt præmiſſam anathematis fulminationem, *ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment, habitâ copiâ confeſſarij, neceſſariò præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem.* Idipſum Tridentina Synodus in præcedenti capite 7. de Euchariſtia luculentiùs declaravit. An verò hoc præceptum ſit divinum, an duntaxat Apoſtolicum, Concilium non ſatis declaravit, unde nec Doctores graviſſimi bene conveniunt: quorum nonnulli cenſent, eſſe præceptum purè Apoſtolicum & diſpenſabile ab Eccleſiâ, ſalvâ ſemper neceſſitate præcepti divini naturalis, adhibendæ ſaltem contritionis, ad mundandam & aptandam Chriſto hoſpiti animam: alij econtra cum Svario, Vaſquezio & Bonacina ſecuriùs negant, hoc præceptum eſſe purè Apoſtolicum, affirmántque eſſe præceptum divinum. Cujuscunque verò ſit hujusmodi præceptum, Synodus Tridentina declaravit, ex hoc præcepto ſemper in Eccleſiâ Dei neceſſariam fuiſſe Confeſſionem Sacramentalem, ijs qui peccati mortalis ſibi conſcij eſſent, antequam ad Sacram Communionem accederent, quamdiu adeſſet Confeſſarij copia. *Declaravit*, inquam, quia non tulit novum præceptum; quod utique non vigeret in locis, in quibus Concilium non eſt receptum. Ita ſemper tulit praxis piorum, ac doctrina Sanctorum: quia *Aquilarum, non graculorum, hæc menſa eſt.* Certè de ſerpente obſervat S. Ambroſius, quòd cùm venerit ad bibendam aquam, priusquàm bibat, extra fontem evomat venenum ſuum, & poſteà bibat. Peccata gravia, ſunt animarum venena. Si quis captus fuerit ab odio & injuriæ acceptæ recordatione, ſi quis ab invidiâ, irâ vel ſuperbiâ ſtimulatus, ſi quis maledicto, aut turpi ſermone, aut improbâ cupiditate, aut ſimili vitio fuerit depravatus, ne priùs accedat, quàm per pœnitentiam à ſcelere fuerit expiatus. Evomendum eſt Chriſtiano venenum, priusquàm ad ſacrum Fontem domui Jacob patentẽ accedat. *Quàm perditus ergo eſt, qui Redemptionem in perditionem, qui ſacrificium in ſacrilegium, qui myſterium in paricidium, qui*

Bleſenſis Ep. 123.
1. Corinth. 11. v. 28.
Trident. ſeſſ. 13. c. 7. & can. 11.
Suarez. t. 3. 3. p. d. 66. ſ. 1. Vaſquez. 3 p. d. 107 c. 4. Bonacina. q. 6. de Euch. p. 1. n. 35.
S. Ambroſius ſerm. 11.

vitam convertis in mortem! Exclamatio eſt Petri Bleſenſis ſuprà exhortantis.

Sat datum gemmatum venationi! ſat Corpori Euchariſtico, eximia munera conferenti. Sint impoſterum Fideles velut candidæ Aquilæ (*rara avis in terris*) ad hoc Venerabile Chriſti Corpus cum ardentiſſimo deſiderio, ac eximio pietatis atque Religionis affectu convolantes. Omni ſtudio ſatagant, ut memores magnorum & pretioſorum munerum, quæ de Altari accipiunt, vitam deinceps exigant eo Cibo Euchariſtico dignam; & Deo paſti, ejúsque gratiarum Adamantibus ditati, vitam vivant Divinam, cœleſti eſcæ congruentem: ne alioquin duplex incurrant judicium, & quòd præter fas vitam malè egerint, & quòd poſt tantam Dei largitatem ingrati apparuerint. Amen.

Omnia ad Majorem DEI, ac Deiparæ, omniúmque Cælituum Gloriam.

IN-

INDEX
Locorum Sacræ Scripturæ.

Numerus marginalem ſignificat.

Geneſis.

CAp. 1. v. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* num. 307.

V. 2. & 3. *Terra erat inanis,&c.Dixitque Deus fiat lux,* 323.

V. 11. *Germinet terra herbam virentem,* 119.

Cap. 2. v. 17. *Ex quocunque die comederis ex eo, morte morieris,* 506.

Cap. 3. v. 17. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* 83. 143.

Cap. 4. v. 8. *Egrediamur foras,* 57.

V. 13. *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* 421.

Cap. 15. v. 11. *Deſcenderunt volucres ſuper cadavera,& abigebat eas Abraham.* 133.

Cap. 16. v. 12. *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.* 464.

Cap. 18. v. 16. *Abraham ſimul gradiebatur, deducens eos.* 152.

Cap. 27. v. 41. *Venient dies luctûs patris mei, & occidam fratrem meum.* 57.

Cap. 30. v. 1. *Da mihi liberos, alioquin moriar,* 55.

Cap. 37. v. 11. *Pater verò tacitus rem conſiderabat,* 324.

Cap. 46. v. 32. *Fratres mei, & domus patris mei,qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me; & ſunt viri paſtores ovium,curámque habent alendorum gregum.* 37.

Cap. 47. v. 9. *Dies peregrinationis meæ centum triginta anni,parvi & mali,* 276.

Cap. 48. v. 22. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu,* 187.

Exodus.

Cap. 4. v. 17. *Virgam quoque hanc ſume in manu tua.* 177.

Cap. 7. v. 1. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit Propheta tuus,* 182.

Cap. 8. v. 24. *Venit muſca graviſſima in domos Pharaonis,&c. corruptaque eſt terra,&c.* 122.

Cap. 18 v. 21. *Provide autem viros potentes,& timentes Deum, in quibus ſit veritas,* 175.

Cap. 22. v. 8. *Si latet fur, dominus domûs applicabitur ad Deos.* 182.

Cap. 25. v. 18. *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex utraque parte,* 179.

Cap. 32. v. 6. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere,* 122.

Leviticus.

Cap. 2. v. 13. *Quicquid obtuleris ſacrificij, ſale condies.* 429.

Cap. 19. v. 26. *Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia,* 386.

Cap. 20. v. 6. *Anima quæ declinaverit ad magos, & ariolos, ponam faciem meam contra eam,&c.* 395.

Cap. 24. v. 16. *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur,&c.* 493.

Deuteronomium.

Cap. 1. v. 16. & 17. *Quod juſtum eſt, judicate: ſive civis ſit ille, ſive peregrinus, &c.* 161.

Cap. 5. v. 9. *Ego ſum Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum ſuper filios,&c.* 465.

Cap. 8. v. 10. *Poſtquam comederis, & ſaturatus fueris, benedicas Domino Deo tuo,* 389.

Cap. 16. v. 18. & 19. *Iudices & magiſtratus conſtitues in omnibus portis tuis,&c.* 147.

Cap. 22. v. 10. *Non arabis in bove ſimul, & aſino,* 82.

Cap. 32. v. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans,* 289.

Liber Judicum.

Cap. 16. v. 5. *Venerunt ad eam Principes,&c. atque dixerunt,decipe eum, &c.* 143.

Ruth.

Cap. 3. v. 11. *Scit omnis populus,&c. mulierem te eſſe virtutis.* 84.

Regum I.

Cap. 15. v. 32. *Siccine ſeparat amara mors?* 408.

Regum II.

Cap. 14. v. 14. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram.* 509.

V. 17. & 20. *Tu autem domine mi rex, es ſicut Angelus Dei,qui nec benedictione, nec maledictione movetur,* 176.

Cap. 16. v. 3. *Remanſit in Ieruſalem,&c. Ait Rex Sibæ: tua ſint omnia, quæ fuerunt Mephiboſeth,* 150.

Regum III.

Cap. 2. v. 20. *Neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam.* 59.

V. 8. *Maledixit maledictione peſſima.* 373.

C. 3. v. 7. & ſeq. *Ego ſum puer parvulus,& ignorans egreſſum & introitum meum,&c. Et ſervus tuus eſt in medio populi tui,&c. Dabis ergo ſervo tuo cor docile,&c.* 182.

Cap. 14. v. 15. *Sicut moveri ſolet arundo in aqua.* 25.

Cap. 17. v. 6. *Corvi deferebant ei panem & carnes mane, ſimiliter panem & carnes veſperi.&c.* 301.

Cap. 20. v. 28. *Deus montium eſt Dominus, & non eſt Deus vallium.* 498.

Para.

Paralipomenon II.

Cap. 18. v. 33. *Accidit autem, ut unus è populo ſagittam in incertum jaceret, &c.* 105.

Cap. 19. v. 6. *Videte, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, &c.* 103.

Tobias.

Cap. 2. v. 11. *Contigit, ut ex nido hirundinum calida ſtercora, &c. fieretque cæcus.* 261.

Cap. 4. v. 17. *Panem tuum cum eſurientibus & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege.* 381.

V. 23. *Pauperem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, &c.* 142.

Cap. 6. v. 5. *Exentera hunc piſcem, & cor ejus, & fel, & jecur repone tibi: ſunt enim, &c.* 264. & 265.

Judith.

Cap. 9. v. 16. *Nec enim ſuperbi ab initio placuerunt tibi: ſed humilium, &c. deprecatio.* 181.

Cap. 14. v. 12. *Egreſſi mures de cavernis ſuis.* 48.

Eſther.

Cap. 5. v. 13. *Nihil habere me puto, quamdiu videro Mardochæum in palatio.* 165.

Job.

Cap. 1. v. 21. *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum.* 242.

Cap. 3. v. 8. *Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati ſunt, &c.* 477.

Cap. 5. v. 7. *Homo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum.* 109.

Cap. 7. v. 1. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* 128. 138.

Cap. 11. v. 2. *Nunquid qui multa loquitur non audiet, aut vir verboſus juſtificabitur.* 277.

V. 12. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & quaſi pullum onagri ſe liberum natum putat.* 245.

Cap. 12. v. 7. *Interroga volatilia cœli, & indicabunt tibi.* 1. & ſeq.

Cap. 14. v. 2. *Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* 22. 23.

Cap. 15. v. 21. & 24. *Sonitus terroris ſemper in auribus ejus, &c.* 75.

V. 34. *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* 158.

Cap. 16. v. 13. *Tenuit cervicem meam, & confregit me.* 276.

Cap. 17. v. 3. *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* 207.

Cap. 19. v. 2. *Vſquequò affligitis animam meam, & atteritis me ſermonibus.* 376.

V. 25. *Scio, quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum.* 221.

Cap. 20. v. 17. *Non videant rivulos fluminis, torrentes mellis & butyri.* 345.

Cap. 21. v. 13. *In puncto ad inferna deſcendunt.* 418.

V. 31. *Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit, &c.* 390.

Cap. 24. v. 15. *Oculus adulteri obſervat caliginem, dicens: non me videbit oculus: & operiet vultum ſuum.* 326.

V. 17. *In tenebris quaſi in luce ambulant.* 47.

Cap. 26. v. 5. *Ecce gigantes gemunt ſub aquis; & qui habitant cum eis.* 519.

V. 7. *Qui appendit terram ſuper nihilum.* 366.

Cap. 27. v. 5. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.* 536.

Cap. 28. v. 7. *Semitam ignoravit avis.* 6.

Cap. 29. v. 18. *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* 320.

V. 24. *Lux vultûs mei non cadebat in terram.* 322.

Cap. 31. v. 12. *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* 467.

Cap. 33. v. 20. *Abominabilis ei fit in vita ſua panis, & animæ ejus cibus antè deſiderabilis.* 400.

Cap. 38. v. 12. *Nunquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo? &c.* 172.

V. 24. *Per quam viam ſpargitur lux, dividitur æſtus ſuper terram?* 327.

V. 36. *Quis dedit gallo intelligentiam? &c.* 149.

V. 41. *Quis præparat corvo eſcam ſuam, quando pulli ejus clamant vagientes?* 100.

Cap. 39. v. 13. *Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodij, & accipitris.* 290.

V. 26. *Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, &c.* 413.

V. 27. *Ponet in arduis nidum ſibi.* 219.

Cap. 40. v. 21. *Nunquid ponet circulum in naribus ejus, & armillâ perforabis maxillam ejus.* 43.

Cap. 41. v. 13. *Faciem ejus præcedit egeſtas.* 355.

Liber Pſalmorum.

Pſalmo 2. v. 10. *Erudimini, qui judicatis terram.* 179.

Pſal. 6. v. 3. *Miſerere mei, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine.* 409.

Pſal. 7. v. 5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, &c.* 373.

Pſal. 10. v. 5. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt.* 167.

Pſal. 11. v. 2. & 3. *Diminutæ ſunt veritates à filijs hominum: vana locuti ſunt, &c.* 301.

Pſal. 13. v. 3. *Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognoverunt.* 315.

Pſal. 14. v. 1. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? &c.* 158.

V. 5. *Qui munera ſuper innocentem non accepit.* 158.

Pſal. 16. v. 2. *De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates.* 274.

Pſal. 23. v. 3. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?* 158.

Pſal. 26. v. 10. *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me.* 100.

Pſal. 29. v. 12. *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi.* 227.

Pſal. 33. v. 2. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo*, 491.
V. 16. *Oculi Domini ſuper juſtos: & aures ejus in preces eorum.* 101.
V. 22. *Mors peccatorum peſſima.* 412.
Pſal. 34. v. 18. *In populo gravi laudabo te*, 26.
Pſal. 37. v. 6. *Cicatrices meæ corruptæ ſunt à facie inſipientiæ meæ.* 73.
V. 14. *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.* 154.
Pſal. 38. v. 7. *In imagine pertranſit homo: ſed & fruſtra conturbatur.* 169.
V. 13. *Advena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* 269.
Pſal. 44. v. 5. *Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam.* 193.
Pſal. 47. v. 3. *Civitas Regis magni.* 516.
Pſal. 48. v. 18. *Quoniam dives cùm interierit, non ſumet omnia.* 261.
Pſal. 49. v. 3. *Et in circuitu ejus tempeſtas valida*, 17.
V. 10. *Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſilvarum, &c.* 105.
V. 21. *Exiſtimaſti iniquè, quòd ero tui ſimilis: arguam te, &c.* 401.
Pſal. 54. v. 8. *Ecce elongavi fugiens: & manſi in ſolitudine.* 279.
Pſal. 55. v. 8. *Pro nihilo ſalvos facies illos.* 364.
Pſal. 61. v. 11. *Nolite ſperare in iniquitate, &c. Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* 264.
Pſal. 64. v. 1. *Te decet hymnus Deus in Sion.* 526.
Pſal. 67. v. 15. *Dum diſcernit cœleſtis reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon.* 520.
V. 31. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati ſunt argento.* 26.
Pſal. 68. v. 4. *Raucæ factæ ſunt fauces meæ.* 353.
V. 27. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* 374.
Pſal. 72. v. 7. *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum: tranſierunt in affectum cordis.* 164.
V. 22. *Ad nihilum redactus ſum, & neſcivi.* 366.
Pſal. 74. v. 3. Cùm accepero tempus, *ego juſtitias judicabo.* 157.
Pſal. 75. v. 6. *Dormierunt ſomnum ſuum: & nihil invenerunt, &c.* 364. & 506.
Pſal. 76. v. 6. *Cogitavi dies antiquos: & annos æternos in mente habui.* 121. & 460.
Pſal. 77. v. 63. *Iuvenes eorum comedit ignis.* 467.
Pſal. 79. v. 14. *Singularis ferus.* 31.
Pſal. 81. v. 1. *Deus ſtetit in ſynagoga deorum: in medio autem deos dijudicat.* 182.
V. 4. *Eripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate.* 178.
Pſal. 88. v. 38. *Et thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo, &c. & teſtis in cœlo fidelis.* 516.
V. 49. *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem, &c.* 462.
Pſal. 89. v. 4. *Tanquam dies heſterna, quæ præterijt.* 276.
V. 5. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* 364.
Pſal. 101. v. 7. *Sicut Nycticorax in domicilio*, 17.
V. 7. *Similis factus ſum pellicano ſolitudinis*, 341.
V. 8. *Vigilavi, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* 279.
V. 27. *Omnes ſicut veſtimentum, veteraſcent*, 247.
Pſal. 106. v. 4. *Erraverunt in ſolitudine in inaquoſo.* 477.
Pſal. 107. v. 3. *Exurge gloria mea, exurge Pſalterium & cythara.* 333.
Pſal. 109. v. 7. *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.* 383.
Pſal. 114. v. 3. *Circumdederunt me dolores mortis, &c.* 408.
Pſal. 115. v. 12. *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* 347.
Pſal. 117. v. 12. *Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* 90.
Pſal. 118. v. 134. *Redime me à calumnijs hominum.* 371.
Pſal. 127. v. 3. *Filij tui ſicut novellæ olivarum, in circuitu menſæ tuæ, &c.* 55.
Pſal. 139. v. 4. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis, &c.* 302.
Pſal. 140. v. 5. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum, &c.* 436.
Pſal. 142. v. 2. *Non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur, &c.* 19. & 403.
Pſal. 146. v. 9. *Dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum, &c.* 100.

Proverbia.

Cap. 2. v. 13. *Relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas.* 47.
Cap. 4. v. 14. & 15. *Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum via.* 468.
V. 18. *Iuſtorum autem ſemita quaſi lux ſplendens procedens, & creſcit uſque ad perfectum diem.* 325.
V. 27. *Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram: averte pedem tuum à malo.* 445.
Cap. 5. v. 22. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* 75.
Cap. 7. v. 9. *Graditur in obſcuro adveſperante die, in noctis tenebris, & caligine.* 395.
Cap. 8. v. 14. *Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, &c.* 105.
Cap. 9. v. 5. *Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.* 352.
Cap. 10. v. 19. *In multiloquio non deerit peccatum.* 299.
Cap. 11. v. 22. *Mulier pulchra & fatua.* 88.
Cap. 13. v. 3. *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.* 524.
Cap. 14. v. 1. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam; inſipiens extructam quoque manibus deſtruet.* 143.
V. 12. *Quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad mortem.* 439.

Cap. 16. v. 2. *Spirituum ponderatur Dominus.* 18.

V. 24. *Favus mellis, compoſita verba, &c.* 424. 432.

V. 27. *Vir iniquus lactat amicum ſuum: & ducit eum per viam non bonam.* 439.

Cap. 17. v. 23. *Munera de ſinu impius accipit, ut pervertat ſemitas judicij.* 158.

Cap. 18. v. 3. *Impius, cùm in profundum venerit, contemnit.* 109.

V. 22. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, &c.* 84.

Cap. 20. v. 8. *Rex, qui ſedet in ſolio judicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* 174.

Cap. 23. v. 29. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis.* 47.

C. 24. v. 28. *Ne lactes quemquam labijs tuis.* 48.

V. 30. *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineã ſtulti: & ecce totum repleverant urticæ, &c.* 110.

Cap. 30. v. 18. 19. *Tria ſunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro, &c.* 287.

Cap. 31. v. 14. *Quaſi navis inſtitoris, de longè portans panem ſuum.* 80.

V. 23. *Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum ſenatoribus terræ.* 31.

Eccleſiaſtes.

Cap. 1. v. 10. *Nihil ſub ſole novum, nec valet quiſquam dicere: ecce hoc recens eſt.* 245. 248.

V. 15. *Stultorum infinitus eſt numerus.* 415.

Cap. 3. v. 16. & 17. *Vidi ſub ſole in loco judicij impietatem, &c. Et dixi in corde meo: juſtum & impium judicabit Deus, &c.* 144.

Cap. 5. v. 2. *Multas curas ſequuntur ſomnia.* 528.

Cap. 7. v. 14. *Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.* 254.

V. 29. *Virum unum de mille reperi.* 302.

Cap. 10. v. 1. *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* 126.

V. 3. *Stultus in via ambulans, cùm ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat.* 165.

Cap. 11. v. 8. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, &c. vanitatis arguentur præterita.* 460.

Cap. 12. v. 13. *Deum time, &c. & cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato.* 403

Cantica Canticorum.

Cap. 1. v. 1. *Meliora ſunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* 47.

V. 7. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos.* 34.

Cap. 2. v. 14. *Veni columba mea, in foraminibus petræ.* 313.

Cap. 3. v. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt.* 510.

V. 11. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* 43.

V. 3. *Sicut vitta coccinea, labia tua; & eloquium tuum dulce.* 424.

Cap. 4. v. 5. *Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs.* 47.

V. 16. *Surge Aquilo, & veni Auſter.* 216.

Cap. 5. v. 11. *Comæ ejus ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi corvus.* 281.

V. 12. *Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, &c.* 310.

V. 15. *Species ejus ut Libani, electus ut cedri.* 230.

Cap. 8. v. 6. *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* 481.

Liber Sapientiæ.

Cap. 1. v. 1. *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram.* 174.

Cap. 2. v. 15. *Gravis eſt nobis ad videndum; quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius.* 172.

V. 24. *Cujus invidiâ mors introivit in orbem terrarum.* 477.

Cap. 4. v. 11. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, &c.* 463.

Cap. 5. v. 6. & 7. *Ergo erravimus à via veritatis, &c. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus.* 33. & 441.

V. 8. *Quid nobis profuit ſuperbia, &c.* 365. 420.

V. 11. *Tanquam avis, quæ tranſvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris.* 454.

V. 18. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum contra inſenſatos.* 464.

Cap. 6. v. 4. 5. 6. 7. *Vobis data eſt à Domino, &c. Potentes potenter tormenta patientur.* 157. & 183.

V. 8. *Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus.* 239.

Cap. 7. v. 6. *Unus omnium eſt introitus ad vitam, & ſimilis exitus.* 422.

V. 8. *Divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.* 367.

Cap. 8. v. 1. *A fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* 98.

V. 7. *Sobrietatem, & prudentiam, &c. quibus in vita hominibus utilius eſt nihil.* 366.

V. 16. *Neque enim habet amaritudinem converſatio illius, &c. ſed lætitiam, & gaudium.* 326.

Cap. 10. v. 10. *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei.* 446.

Eccleſiaſticus.

Cap. 4. v. 12. *Sapientia filijs ſuis vitam inſpirat.* 341.

V. 23. *Fili, conſerva tempus.* 458.

V. 33. *Pro juſtitia agonizare, &c. & uſque ad mortem certa pro juſtitia.* 178.

Cap. 6. v. 10. *Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.* 438.

Cap. 7. v. 6. *Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.* 176.

V. 12. *Non irrideas hominem in amaritudine animæ.* 376.

V. 29. & 30. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris, &c.* 58.

Cap. 9. v. 10. *Omnis mulier fornicaria, quaſi ſtercus in via.* 259. & 394.

Cap. 10. v. 7. *Odibilis coram Deo eſt, & hominibus ſuperbia.* 417.

C. 11.

C.11.v.2.*Neſpernas hominem in viſu ſuo, &c.* 236.

V. 3. *Brevis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus ejus.* 499.

V.29. *In fine hominis denudatio operum ejus.* 397.

C.13.v.1. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: qui communicaverit ſuperbo, induet ſuperbiam.* 266

V. 4. *Pauper autem læſus tacebit.* 524.

Cap.15. v. 14. *Reliquit Deus hominem in manu conſilij ſui.* 249.

Cap. 18. v. 30. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere.* 164.

Cap. 19 v. 4. *Qui citò credit, levis & corde* 411.

V.27. *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo.* 417.

Cap. 20. v. 31. *Xenia & dona excæcant oculos ſapientum, & quaſi mutus, &c.* 154.

Cap. 21. v. 6. *Muſica in luctu, importuna narratio.* 122.

V. 24. *Pungens oculum deducit lacbrymas; & qui pungit, profert ſenſum.* 370.

Cap. 23. v. 17. *Indiſciplinatæ loquelæ non aſſveſcat os tuum: eſt enim in illa verbum peccati.* 297.

V. 37. *Nihil melius eſt, quàm timor Dei; & nihil dulcius, quàm attendere mandatis Domini.* 366.

Cap. 24. v. 22. *Rami mei honoris & gratiæ* 249.

Cap. 25. v. 2. *Vir & mulier benè ſibi conſentientes, in his beneplacitum eſt Spiritui meo* 80.

V. 15. *Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei: qui tenet illum, cui aſſimilabitur?* 316.

Cap. 26. v. 19. *Gratia ſuper gratiam, mulier ſancta & pudorata.* 84.

Cap. 27. v. 17. *Qui denudat arcana amici, perdit fidem, &c.* 304.

Cap. 28. v. 15. *Suſurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes.* 305.

V. 29. & 30. *Verbis tuis facito ſtateram; & attende, ne fortè labaris in lingua.* 299.

Cap. 32. v. 9. *Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia.* 524.

Cap 33. v. 15. *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita. &c.* 92.

V. 28. *Mitte illum in operationem, ne vacet.* 119.

Cap. 34. v. 5. *Divinatio erroris, & auguria mendacia, & ſomnia malè facientium, vanitas eſt.* 86.

C. 37. v. 34. *Propter crapulā multi perierunt.* 382.

C. 41. v. 15. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni.* 531.

V. 16. *Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum.* 531.

Cap. 42. v. 16. *Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloriâ Domini plenum eſt opus ejus.* 327.

Cap. 50. v. 6. *Quaſi ſtella matutina, &c. ſic ille effulſit in templo Dei.* 225.

Iſaias.

Cap. 1. v. 4. *Væ genti peccatrici, &c. blaſphemaverunt ſanctum Iſraël.* 491.

V. 9. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus.* 439.

V. 15. *Cùm multiplicaveritis orationes, non exaudiam: quia manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine.* 281.

V. 23. *Principes tui infideles, ſocij furum; omnes diligunt munera, ſequuntur retributionem.* 157.

Cap. 3. v. 16. *Pro eo, quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, &c.* 231.

C. 5. v. 11. *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperā, &c.* 179.

V. 23. *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo, &c.* 157.

Cap. 6. v. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus, &c.* 334.

Cap. 8. v. 14. *Erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali, duabus domibus Iſraël in laqueum, &c.* 46.

Cap. 11. v. 2. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini; ſpiritus Sapientiæ, & intellectûs, &c.* 309.

Cap. 14. v. 11. *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, &c. Et operimentum tuum erunt vermes.* 291.

Cap. 30. v. 15. *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.* 277.

V. 21. *Hæc eſt via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* 445.

Cap. 32. v. 17. *Cultus juſtitiæ ſilentium.* 524.

Cap 34. v. 9. *Convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in ſulphur, &c.* 266.

C 35. v 7. *Orietur vobis viror calami & junci.* 25

V. 8. *Et hæc erit vobis directa via, ita ut ſtulti non errent per eam.* 272. 273.

Cap. 36. v. 6. *Confidis ſuper baculum arundineum confractum illum, ſuper Ægyptum.* 24.

Cap. 40. v. 17. *Et quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.* 364.

V. 31. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, &c.* 223. 293.

Cap. 41. v. 24. *Ecce vos eſtis ex nihilo, &c.* 365.

Cap. 54. v. 16. *Ecce ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas, &c.* 355.

Cap. 56. v. 10. *Speculatores ejus cæci omnes, canes muti non valentes latrare.* 154. 425. 426.

Cap. 59. v. 14. *Converſum eſt retrorſum judicium, & juſtitia longè ſtetit, &c.* 146.

Cap. 61. v. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, &c.* 322.

Cap. 65. v. 11. *Vos qui reliquiſtis Dominum, &c. numerabo vos in gladio, &c.* 102.

Cap. 66. v. 15. *Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ ejus.* 17.

Jeremias.

Cap. 2. v. 37. *Contrivit Deus confidentiam tuam, & nihil habebis proſperum.* 365.

C. 3. v. 1. *Fornicata es cum amatoribus multis.* 401.

C. 8. v. 7. *Milvus in cælo cognovit tempus ſuum: turtur & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus adventûs ſui: populus autē meus non cognovit, &c.* 4.

Cap. 9. v. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis, &c. & plorabo die ac nocte.* 216. 507.

V. 4. *Unuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, &c.* 413. 436. & 437. 439.

Cap. 12. v. 1. *Quare via impiorum proſperatur, &c.* 88.

Cap. 15. v. 10. *Væ mihi, mater mea: quare me genuiſti, virum rixæ, &c.* 52.

C. 18. v. 18. *Venite, percutiamus eum linguâ.* 376.

Cap. 20. v. 9. *Factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans* 280.

Cap. 31. v. 3. *Charitate perpetuâ dilexi te, ideo attraxi te miſerans.* 249.

V. 22. *Quia creavit Dominus novum ſuper terram: fœmina circumdabit virum.* 244.

Cap. 51. v. 6. *Fugite de medio Babylonis, & ſalvet unusquisque animam ſuam.* 277.

V. 39. *Inebriabo eos, ut ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum.* 260. & 294.

Threni.

Cap. 1. v. 2. *Plorans plorabat in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus.* 218.

Cap. 3. v. 12. *Poſuerunt me ſicut ſignum ad ſagittam.* 492.

V. 22. *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti.* 419.

V. 28. *Sedebit ſolitarius & tacebit, quia levavit ſuper ſe.* 279. & 524.

Cap. 4. v. 5. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* 47.

V. 8. *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* 282.

Baruch.

Cap. 3. v. 16. *Vbi ſunt principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias? qui in avibus cœli ludunt, &c.* 455.

Ezechiel.

Cap. 1. v. 18. *Et totum corpus plenum oculis, in circuitu ipſorum quatuor.* 535.

Cap. 3. v. 1. & ſeq. *Fili hominis, comede volumen iſtud, &c.* 432.

V. 9. *Vt adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam: ne timeas eos.* 429.

Cap. 6. v. 11. *Percute manum tuam, & allide pedem tuum.* 141.

Cap. 13. v. 6. *Vident vana, & divinant mendacium.* 59.

V. 18. *Qui conſuunt pulvillos ſub omni cubitu manus, &c.* 436.

Cap. 16. v. 48. & ſeq. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma ſoror tua, &c.* 112.

Cap. 17. v. 3. *Aquila grandis, &c. venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* 288.

Cap. 18. v. 3. *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* 465.

Cap. 37. v. 12. *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, &c.* 221.

Daniel.

Cap. 4. v. 27. *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* 31.

Cap. 7. v. 2. *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* 165.

Cap. 12. v. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti.* 225.

V. 9. *Et ego audivi, & non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit poſt hæc? Et ait: vade Daniel, quia clauſi ſunt, &c.* 14.

V. 12. *Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque.* 15.

Oſee.

Cap. 4. v. 19. *Ligavit eum ſpiritus in alis ſuis.* 290.

Cap. 13. v. 9. *Perditio tua Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum.* 156.

Joel.

Cap. 2. v. 22. *Germinaverunt ſpecioſa deſerti; ficus, & vinea dederunt virtutem ſuam.* 279.

Amos.

Cap. 3. v. 5. & 6. *Nunquid cadet avis in laqueum terræ absque aucupe? &c.* 105.

Cap. 6. v. 13. *Convertiſtis in amaritudinem judicium, ac fructum juſtitiæ in abſynthium, &c.* 173.

V. 14. *Væ, qui lætamini in nihilo, &c.* 365.

Michæas.

Cap. 6. v. 8. *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, &c. Vtique facere judicium, & diligere miſericordiam.* 287.

Nahum.

Cap. 2. v. 10. *Facies eorum, ſicut nigredo ollæ.* 282.

Cap. 3. v. 5. *Revelabo pudenda tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, &c.* 351.

Habacuc.

Cap. 1. v. 13. *Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes? &c.* 88.

V. 16. *Hi ſcilicet immolant ſagenæ ſuæ, & ſacrificant reti ſuo, &c.* 207.

Cap. 3. v. 2. *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud: in medio annorum notum facies.* 12.

Zacharias.

Cap. 5. v. 9. *Duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebant alas quaſi alas milvi.* 259.

Malachias.

Cap. 4. v. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol juſtitiæ.* 272. 320.

Liber I. Machabæorum.

Cap. 2. v. 7. *Væ mihi, ut quid natus ſum videre contritionem populi mei?* 52.

Matthæus.

Cap. 4. v. 5. *Statuit eum ſuper pinnaculum templi.* 144. & ſeq.

Cap. 5. v. 13. *Vos eſtis ſal terræ.* 429.

V. 22. *Qui dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio, &c.* 368. & ſeq.

Cap. 6. v. 6. *Cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum, &c.* 279.

V. 26. *Reſpicite volatilia cœli.* 451. & ſeq.

V. 27. *Quis enim veſtrùm cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* 239.

Cap. 7. v. 13. & 14. *Multi ſunt, qui intrant per eam, &c. Et pauci ſunt, qui intrant per eam.* 271.

V. 14. *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam.* 446.

V. 15. *Attendite à falſis Prophetis.* 386. & ſeq.

V. 29. *Erat docens eos ſicut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.* 453.

Cap. 8. v. 9. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, &c.* 72.

V. 12. *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* 71. & ſeq.

V. 24.

V. 24. *Ecce motus magnus factus eſt.* 79. & ſeq.
V. 25. *Domine, ſalva nos, perimus.* 80.
Cap. 9. v. 3. *Ecce quidam de ſcribis dixerunt intra ſe: hic blaſphemat.* 488. & ſeq.
V. 13. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* 250.
V. 26. *Exijt fama hæc in univerſam terram illam.* 530. & ſeq.
Cap. 10. v. 30. & 31. *Unus paſſer non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro, &c.* 105.
V. 36. *Inimici hominis domeſtici ejus.* 413. & 437.
Cap. 11. v. 7. *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?* 20. & ſeq.
V. 17. *Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis.* 142.
V. 25. *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis.* 137.
V. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, &c.* 250. & 352.
V. 29. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* 186.
Cap. 12. v. 31. *Ideo dico vobis, omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: Spiritûs autem blaſphemia non remittetur.* 490.
Cap. 13. v. 25. *Venit inimicus homo, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici.* 88. & ſeq.
V. 32. *Granum ſinapis fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus.* 98. & ſeq.
V. 43. *Fulgebunt juſti, ſicut ſol in conſpectu Dei.* 225.
V. 45. *Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori.* 483.
Cap. 15. v. 14. *Cæci ſunt, & duces cæcorum.* 47.
V. 26. *Non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & dare canibus.* 381.
Cap. 16. v. 17. *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, &c.* 346
Cap. 17. v. 5. *Ecce nubes lucida obumbravit eos.* 153. & ſeq.
Cap. 18. v. 7 *Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala.* 91.
V. 7. & 8. *Væ mundo à ſcandalis! Veruntamen væ homini illi, &c.* 92.
V. 23. *Simile eſt regnum cœlorum homini Regi.* 513. & ſeq.
V. 35. *Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis, &c.* 173.
Cap. 19. v. 10. *Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere.* 68.
V. 28. *In regeneratione cùm ſederit filius hominis, &c. ſedebitis & vos, &c.* 220.
Cap. 20. v. 6. *Quid hic ſtatis totâ die otioſi.* 109. & ſeq.
V. 16. *Erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi.* 443.
Cap. 21. v. 2. *Tunc miſit IESVS duos, &c. Solvite, & adducite mihi.* 190.
V. 5. *Ecce, Rex tuus venit tibi manſuetus.* 185.
V. 12. *Intravit IESVS in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo.* 190.
Cap. 22. v. 4. *Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, &c.* 496. & ſeq.
V. 15. *Abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt, ut caperent IESVM in ſermone.* 521. & ſeq.
V. 21. *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* 521. & 197.
V. 40. *In his duobus univerſa lex pendet & Prophetæ.* 479. & ſeq.
Cap. 23. v. 37. *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis, &c. quoties volui congregare, &c. & noluiſti?* 219.
Cap. 24. v. 5. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, &c.* 91.
V. 28. *Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* 538. & ſeq.
V. 32. *Ab arbore autem fici diſcite parabolam, &c.* 15.
V. 36. *De die illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater.* 10.
Cap. 26. v. 45. *Dormite jam, & requieſcite.* 510.
V. 74. *Et continuò gallus cantavit.* 206. & ſeq.
Cap. 27. v. 14. *Et non reſpondit ei ad ullum verbum.* 374.
V. 17. *Quem vultis vobis dimitti: Barabbam, an IESVM?* 200.
V. 24. *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus.* 200.
V. 29. *Dederunt arundinem in dextera ejus.* 29.
V. 40. & 41. *Si Filius Dei es, deſcende de cruce, & credimus tibi.* 57.
V. 46. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* 374.
V. 54. *Verè Filius Dei erat iſte.* 57. & 197.
Cap. 28. v. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* 329. & ſeq.

Marcus.

Cap. 7. v. 35. *Solutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.* 424. & ſeq.
Cap. 8. v. 8. *Manducaverunt, & ſaturati ſunt.* 377. & ſeq.
V. 24. *Video homines velut arbores ambulantes.* 461.
Cap. 14. v. 71. *Cœpit deteſtari, & anathematizare, & jurare, quia neſcio hominem iſtum, quem vos dicitis.* 209. 211.
Cap. 16. v. 6. *Surrexit* 219. & ſeq.
V. 19. *Dominus quidem IESVS, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum.* 487. & ſeq.

Lucas.

Cap. 2. v. 34. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur.* 45. & ſeq.
V. 48. *Fili, quid feciſti nobis ſic?* 54. & ſeq.
Cap. 3. v. 3. *Venit in omnem regionem Iordanis.* 39. & ſeq.
V. 9. *Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.* 461.
V. 23. *Et ipſe IESVS erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioſeph, qui fuit Heli, &c.* 43.

Cap. 5. v. 5. *Per totam noctem laborantes nihil cæpimus.* 359. & ſeq.

V. 39. *Nemo vinum habens vetus, ſtatim vult novum, dicit enim vetus melius eſt.* 142.

Cap. 7. v. 12. *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ.* 461. & ſeq.

Cap. 8. v. 5. *Conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.* 122. & ſeq.

Cap. 10. v. 25. *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* 414. & ſeq.

V. 29. *Quis eſt meus proximus?* 434. & ſeq.

Cap. 11. v. 19. *Si in Beelzebub ejicio dæmonia, filij veſtri in quo ejiciunt? ideo ipſi judices veſtri erunt.* 159. & ſeq.

V. 41. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam.* 381.

Cap. 12. v. 20. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?* 352. & 387. & 410.

V. 24. *Conſiderate corvos, quia non ſeminant, neque metunt, &c.* 99.

Cap. 14. v. 1. *Et ipſi obſervabant eum.* 469. & ſeq.

Cap. 15. v. 4. *Si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam.* 349. & ſeq.

V. 7. *De uno peccatore pœnitentiam agente, &c. quam ſuper nonaginta novem juſtis.* 218.

V. 22. *Date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedibus ejus.* 42.

Cap. 16. v. 2. *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ.* 396. & ſeq.

V. 22. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* 421.

Cap. 17. v. 11. *Dum iret in Ieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam.* 443. & ſeq.

Cap. 18. v. 1. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* 285.

V. 11. *Non ſum ſicuti cæteri hominum.* 414. & ſeq.

V. 35. *Secus viam.* 134. & ſeq.

Cap. 19. v. 14. *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* 18.

V. 43. *CIRCVMdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te undique, & ad terram proſternent te.* 404. & ſeq.

Cap. 21. v. 27. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna & majeſtate.* 9. & ſeq.

Cap. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* 497.

V. 35. *Quando miſi vos ſine ſacculo & pera, nunquid aliquid defuit vobis? Dicunt ei: nihil.* 366.

V. 57. 60. 61. *Mulier, neſcio quid dicis. O homo non ſum. Adhuc eo loquente cantavit gallus. Et converſus Dominus reſpexit Petrum.* 213.

Cap. 23. v. 2. *Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram.* 197.

V. 24. *Adjudicavit fieri petitionem eorum.* 201.

V. 40. *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es.* 19.

V. 43. *Hodie mecum eris in paradiſo.* 251.

Cap. 24. v. 17. *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem?* 229. & ſeq.

Ioannes.

Cap. 1. v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* 364.

V. 19. *Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?* 30. & ſeq.

Cap. 2. v. 1. *Nuptiæ factæ ſunt* in Cana Galileæ. 63. & ſeq.

Cap. 3. v. 16. *Sic DEVS dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* 345.

V. 19. *Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* 47. & 318. & ſeq.

V. 20. *Qui malè agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus.* 395.

Cap. 4. v. 49. *Domine, deſcende, priuſquàm moriatur filius meus.* 505. & ſeq.

Cap. 6. v. 5. *Cùm ſublevaſſet ergo oculos IESVS, & vidiſſet.* 167. & ſeq.

V. 56. *Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus.* 339. & ſeq.

V. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* 497.

V. 70. *Nos credidimus, & cognovimus: quia tu es Chriſtus Filius Dei.* 211.

Cap. 7. v. 51. *Nunquid lex noſtra judicat hominem, niſi priùs audierit ab ipſo, &c.* 177.

Cap. 8. v. 15. *Vos ſecundùm carnem judicatis.* 165.

V. 44. *Homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit. &c.* 349.

V. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* 175. & ſeq.

V. 50. *Ego autem non quæro gloriam meam: eſt qui quærat.* 180. 181. 184.

Cap. 9. v. 31. *DEVS peccatores non audit.* 281.

Cap. 10. v. 10. *Fur autem non venit, niſi ut furetur, & mactet.* 349.

V. 16. *Illas oportet me adducere, & vocem meam audient.* 249. & ſeq.

Cap. 12. v. 31. *Nunc judicium eſt mundi.* 194. & ſeq.

V. 35. *Qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat.* 324.

Cap. 13. v. 35. *In hoc cognoſcent omnes, &c. ſi dilectionem habueritis ad invicem.* 486.

Cap. 14. v. 5. *Domine neſcimus, quò vadis: & quomodo poſſumus viam ſcire?* 272.

V. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me.* 223.

V. 23. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* 307. & ſeq.

Cap. 16. v. 1. *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.* 297. & ſeq.

V. 5. *Vado ad eum, qui miſit me; & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?* 268. & ſeq.

V. 20. *Mundus autem gaudebit.* 257. & ſeq.

V. 23. *Amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* 278. & ſeq.

Cap. 18. v. 38. *Quid eſt veritas?* 201.

Cap. 19. v. 4. *Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoſcatis, quia nullam in eo cauſam invenio.* 200.

V. 6. *Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri, clamabant: Crucifige.* 172.

Actus Apoſtolorum.

Cap. 4. v. 27. *Convenerunt enim verè in civitate iſta Ieruſalem, &c.* 194.

V. 32. *Credentium erat cor unum, & anima una.* 93.

Cap. 9. v. 3. *Circumfulſit eum lux de cœlo.* 216.

V. 6. *Domine, quid me vis facere?* 216.

Cap. 13. v. 22. *Inveni David filium Ieſſe, virum ſecundùm cor meum, &c.* 150.

Cap. 14. v. 10. *Dij ſimiles hominibus deſcenderunt ad nos.* 533.

Cap. 20. v. 34. *Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, &c. miniſtraverunt manus iſtæ.* 110.

Epiſtola ad Romanos.

Cap. 1. v. 1. *Paulus ſervus IESV Chriſti.* 117.

V. 22. *Dicentes ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* 418.

Cap. 6. v. 4. *Ita & nos in novitate ſpiritûs ambulemus.* 241.

V. 21. *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis.* 392.

Cap. 7. v. 20. *Si quod nolo, illud facio, &c. ſed quod habitat in me peccatum.* 292.

V. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* 220.

Cap. 8. v. 5. *Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ ſunt carnis, faciunt.* 48.

V. 28. *Scimus, quoniam diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum.* 324.

V. 32. *Proprio Filio ſuo non pepercit DEVS.* 357.

V. 35. *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? tribulatio, &c.* 347.

Cap. 9. v. 21. *Aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* 105.

Cap. 10. v. 15. *Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona?* 140.

Cap. 12. v. 2. *Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſûs veſtri.* 241.

Cap. 14. v. 17. *Non eſt regnum DEI eſca & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* 385.

Ad Corinthios I.

Cap. 1. v. 5. *In omnibus divites facti eſtis, ita ut nihil vobis deſit.* 366.

Cap. 2. v. 8. *Si cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* 491.

V. 9. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, &c. quanta præparaverit DEVS diligentibus ſe.* 324.

Cap. 3. v. 1. *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus.* 524.

V. 18. *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens.* 441.

Cap. 6. v. 17. *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.* 484.

Cap. 7. v. 27. *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem, &c.* 66.

Cap. 9. v. 22. *Omnibus omnia factus eſt, ut omnes ſalvos faceret.* 349.

Cap. 10. v. 4. *Petra autem erat Chriſtus.* 313.

V. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt.* 545.

Cap. 11. v. 19. *Oportet & hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant in vobis.* 26. 91. 92.

V. 23. *Dominus IESVS, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit.* 342.

V. 28. & 29. *Probet autem ſeipſum homo; & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, &c.* 546.

Cap. 13. v. 3. *Nihil mihi prodeſt.* 482.

Cap. 14. v. 34. *Mulieres in Eccleſijs taceant.* 299.

Cap. 15. v. 10. *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit.* 251.

V. 41. & 42. *Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, &c. ſic & reſurrectio mortuorum.* 225.

V. 55. *Vbi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?* 190. 223.

Ad Corinthios II.

Cap. 1. v. 12. *Gloria noſtra eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, &c. converſati ſumus in hoc mundo.* 326.

V. 14. *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto IESV, &c.* 533.

Cap. 2. v. 17. *Non ſumus ſicut plurimi, adulterantes Verbum Dei.* 433.

Cap. 5. v. 17. *Ecce facta ſunt omnia nova.* 244.

Cap. 6. v. 4. & 7. *Exhibeamus nos ſicut DEI miniſtros, &c. per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris.* 449.

V. 10. *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.* 367.

V. 14. *Quæ ſocietas luci ad tenebras?* 318.

Cap. 7. v. 5. *Foris pugnæ, intus timores.* 138.

Cap. 10. v. 12. *Non audemus inſerere, aut comparare nos quibusdam, qui ſe ipſos commendant, ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis.* 312.

Cap. 11. v. 20. *Si quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit.* 140.

Ad Galatas.

Cap. 4. v. 27. *Lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis.* 55.

Cap. 5. v. 12. *Abſcindantur, qui vos conturbant.* 89.

V. 17. *Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus adversùs carnem.* 138

V. 26. *Invicem provocantes, invicem invidentes.* 138.

Cap. 6. v. 10. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* 392. & 458.

Ad

Ad Epheſios.

Cap. 2. v. 2. *Ambulaſtis ſecundùm ſæculum mundi hujus, &c. facientes voluntatem carnis, &c.* 258.

Cap. 4. v. 22. *Deponere vos ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem.* 241.

Cap. 5. v. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, &c.* 328.

Ad Philippenſes.

Cap. 2. v. 8. *Factus obediens uſque ad mortem.* 57.

Cap. 3. v. 8. *Arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* 257.

Cap. 4. v. 12. *Scio & humiliari, & abundare, & penuriam pati.* 21. & 449.

V. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* 313.

Ad Coloſſenſes.

Cap. 3. v. 5. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* 448.

V. 14. *Super omnia Charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* 487.

V. 18. *Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino.* 143.

Cap. 4. v. 6. *Sermo eorum ſemper in gratia ſit ſale conditus.* 424.

Ad Theſſalonicenſes I.

Cap. 4. v. 8. *Qui ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum.* 331.

Cap. 5. v. 2. *Sicut fur in nocte, ita veniet dies Domini.* 15.

Ad Theſſalonicenſes II.

Cap. 3. v. 11. *Audivimus inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes.* 365.

Ad Timotheum I.

Cap. 1. v. 20. *Tradidi Sathanæ, ut diſcant non blaſphemare.* 495.

Cap. 2. v. 4. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 250.

Cap. 6. v. 8. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* 377.

V. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt, &c. quæ mergunt hominem in interitum.* 436.

Ad Timotheum II.

Cap. 2. v. 5. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit.* 140.

V. 16. *Profana autem & vaniloquia devita: multùm enim proficiunt ad impietatem, &c.* 91.

Ad Titum.

Cap. 3. v. 2. *Omnem oſtendentes manſvetudinem ad omnes homines.* 315.

V. 4. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* 345.

V. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs ſancti.* 220.

Ad Hebræos.

Cap. 2. v. 16. *Non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* 40.

Cap. 4. v. 13. *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus.* 17.

V. 16. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur.* 500.

Cap. 8. v. 12. *Quod antiquatur & ſeneſcit, propè interitum eſt.* 244.

Cap. 9. v. 27. *Statutum eſt, omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc judicium.* 397.

Cap. 10. v. 31. *Horrendum eſt incidere in manus Domini.* 402.

Cap. 11. v. 34. *Extinxerunt impetum ignis.* 73.

Cap. 13. v. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* 275.

Epiſtola B. Jacobi.

Cap. 1. v. 15. *Concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* 390. & 392.

V. 17. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* 28.

Cap. 2. v. 13. *Miſericordia ſuperexaltat judicium.* 192.

Cap. 3. v. 2. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* 302.

V. 6. *Et lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis.* 529.

V. 8. *Plena veneno mortifero: In ipſa benedicimus Deum & Patrem.* 529.

Cap. 4. v. 1. *Unde bella & lites in vobis? nónne hinc? ex concupiſcentijs veſtris, &c.* 125.

V. 12. *Unus eſt legiſlator, & judex.* 182.

V. 13. & 15. *Hodie, aut craſtino ibimus in illam civitatem, &c. Et quæ eſt vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* 387.

Cap. 5. v. 1. & 3. & ſeq. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſerijs veſtris, quæ advenient vobis, &c. Aurum & argentum veſtrum, &c.* 402.

S. Petri I.

Cap. 1. v. 13. *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrij, &c.* 140.

Cap. 2. v. 2. *Quaſi modò geniti infantes rationabile, ſine dolo lac concupiſcite.* 241. & ſeq.

V. 23. *Qui cùm malediceretur, non maledicebat.* 315.

V. 24. *Cujus livore ſanati ſumus.* 341.

S. Joannis. I.

Cap. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habebimus; ipſi nos ſeducimus.* 487.

Cap. 2. v. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm.* 502.

V. 11. *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, &c.* 173.

V. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, &c.* 389.

Cap. 3. v. 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen, &c.* 487.

V. 15. *Omnis autem, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* 124.

Cap. 4.

Cap. 4. v. 7. & 8. *Omnis qui diligit, ex DEO natus eſt, &c. qui non diligit, non novit Deum.* 487.

S. Ioannis II.

Cap. 1. v. 7. *Quoniam multi ſeductores, &c. Qui non confitentur IESVM Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt ſeductor.* 91.

Apocalypſis.

Cap. 2. v. 28. *Qui vicerit, dabo illi ſtellam matutinam.* 225.

Cap. 3. v. 5. *Qui vicerit, hic veſtietur veſtimentis albis*, &c. 225.

Cap. 4. v. 3. *Et iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* 187.

Cap. 6. v. 9. 10. 11. *Vidi ſubtus altare, &c. Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, &c.* 224.

Cap. 8. v. 1. *Factum eſt ſilentium in cœlo quaſi mediâ horâ.* 224.

Cap. 12. v. 12. *Quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet.* 511.

Cap. 13. v. 16. *Et faciet omnes habere characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis, &c.* 11.

Cap. 14. v. 4. *Sequuntur Agnum, quocunque ierit, &c.* 216.

Cap. 21. v. 4. *Tunc abſterget DEVS omnem lacrymam ab oculis eorum.* 226.

INDEX
RERVM NATVRALIVM, HISTORIALIVM ET MORALIVM,
Contentarum in Prima Parte Ornithologiæ Moralis.

Numeri denotant numeros marginales; a. *verò primam partem citati numeri*; b. *ſecundam*, & c. *tertiam*; t. *autem totum numerum, in quo præallegata materia reperienda eſt.*

A.

AAron auro inductus ad fundendum vitulum aureum. 255. b. c.

Abſolutio animæ peccatricis per aſinam alligatam & ſolutam ſymbolizata. 190. c.

Academia iniquitatis per omnes Scholas eſt lingua mala. 529. t.

Acanthis avicula, qualis. 63. a. alligata cruculæ conjugij moleſtias & cruces ſymbolizat. 63. t. & ſeq. Vide *Carduelis*.

Acceptatio. Vide *Perſonarum acceptatio.*

Accipiter mortem ſymbolizat. 404. t. 406. t. accipitres varij vexillis mortis inſerti, ad ſymbolizandas ejus validas in hominem irruptiones. 408. a. accipitrum variæ ſpecies dæmonibus applicatæ. 410. a. 411. t.

Aceto maceratum ovum moraliter applicatur. 227. b. c.

Acies militaris deſcripta. 405. a. etiam à falconibus & corvis prodigioſè confligentibus inſtructa. 405. t. Vide *Exercitus*.

Actiones duæ Chriſti in ingreſſu Jeroſolymitano appoſitè ventilantur. 190. b. c. actio & contemplatio ſunt duæ alæ volandi in cœlum. 295. c.

Adamas figurat Magnates. 178. b. c. adamantis & ſilicis comparatio, & connexio. 178. b. c. 429. b. c. adamas eſt fortitudinis & patientiæ ſymbolum, 429. c. adamantes venatione mirabili acquiruntur. 539. t.

Adamus ſtaturâ procerus. 230. a. cenſetur fuiſſe inter gigantes maximus. 230. a. non tamen fuit ille Adam, qui in libro Joſue dicitur maximus, &c. 238. b. Adam ubinam creatus? 83. b. an ipſi præferenda Eva; & cur non? 83. b. Adami poſteritas ab avibus docetur. 1. c.

Adoleſcens. Vide *Iuvenis*.

Adventus Chriſti ſecundus, qualis ſit futurus, 538. a. b. Vide *Iudicium extremum*.

Adverſa. In adverſis tolerantiam docet nos Cocatoauchlus 5. c.

Adulatores ſunt artifices ad captandos ſuperiores. 305. c. adulatores non admittendi. 436. a. b.

Adulterium palumbes ſeverè vindicant. 81. b. c. idem faciunt turtures & columbæ. 81. c.

Adulti, quibus fides necdum prædicata eſt, adhuc ſufficientia habent auxilia ſalutis 253. t. adultis libertas ad ſalutem competit. 256. t.

Ægyptij. Innobilium Ægyptiorum exequijs mos accuſandi ventrem. 378. b. c. Ægyptijs regibus Calvaria erat primum & ultimum ferculum. 506. b.

Æliano ſtudium de avibus jucundiſſimum. 8. b.

Æmulatio bona & mala eſſe poteſt, non ſic invidia. 472. c.

Æquanimitatis ſymbolum Botaurus. 20. c. æquanimitas noſtra Deo conformanda. 28. t. æquanimitatis mediocritas optima. 449. b. c.

Æſtimatio inepta ſui ridetur. 51. t.

Affabilitatem ſturni, picæ, aliæque plures aviculæ habent. 5. c.

Affectu partiali perſonarum æquitas judicij depravatur. 159. & ſeq. affectio inordinata quantùm obſit Tribunalibus. 163. t. extorſit iniquam ſententiam mortis contra innocentem. 161. c. agit ſolertem pictorem, quomodo? 164. t. affectus cordis, quidquid videt, longè amplius vero eſt. 165. a. b. affectus cordis quibus turbinibus agitetur contra juſtitiam? 165 b c. ſolet quadruplici affectione mentali à recto mutari. 165. c.

S. Agatha generosè Tyranno, ignobilitatem Chriſtianorum exprobtanti, reſpondet. 520. b.

Agathoclis regis menſa humilis. 37. b.

Ageſilaus, quoties ſaltando hoſtem aggreſſus eſt, ſemper eundem proſtravit. 142. a.

Agilitas Beatorum in cœlis. 213. t.

Agni Paſchalis carnes cur non niſi aſſæ igni fuerint comedendæ. 347. c.

Agonizantis anguſtiæ à dæmonum inſultibus. 410. t. ejus imago lepus à canibus anguſtiatus. 410. b c. tentationes dæmonum in ſpecie, agonizanti objectæ. 411. t. agonis anguſtiæ malis intoletabiles, bonis mellificatæ. 412. t. agonizantis molle pulvinar Crux & Paſſio Chriſti. 510. t. Vide *Moribundus*.

Alæ. Sine alis non volandum. 290. a. applicatur moraliter. 290. t. ala ad volandum non ſufficit una, moraliter. 292. b. c. ad volandum ſurſum in DEUM, quænam ſint hæ duæ alæ? 292. b. 294. t. ſex alæ Seraphim tum cuilibet fideli, tum Prælatis aſſignatæ, quæ? 293. a. alæ Charitatis præſtantiſſimæ volandi in cœlum. 294. t. alæ non ſunt ſarcina. 294. b. variæ adhuc alæ volandi in cœlum exponuntur. 295. t. alis aſſumptis volandum eſt in cœlum. 296. t. alæ Charitatis duæ. 481. b. c.

Alatum cor, quid ſymbolizet? 479. b. alatus homo quid faceret, aut facere deberet? 480. t.

Alauda docet Religionis actus. 5. b. cibum ſumens imitanda. 379. c.

Alcedo prunas diligit, & canendo ſtridet. 71. t. ejus cantilena moraliter expoſita. 73. t. alcedo comparatur malæ conſcientiæ. 71. c. & ſeq. Vide *Alcyon*.

Alcedonia, quid? 229. a. eorum moralis applicatio. 229. b.

Alcyonis nidus miræ magnitudinis. 229. a. b. ova, Alcyonis ingentia ib. Vide *Alcedo*.

Aldus Manutius temporis optimè impendendi ſtudioſiſſimus. 458. c.

Alexandro Magno mortem præſagierunt corvi. 103. b. poſt mortem ponebatur ipſi thronus vacuus, quaſi in eo ſuorum deliberationibus præſideret. 182. b. ejus miſericordia ab ipſomet Dario prædicatur. 189. a. fuit corpore brevis. 234 b appellatur infelix ob ſuperbiam. 418. a. ejus ſuperbia per mortis propoſitionem reprimitur. 422. b cupiens terreſtrem paradiſum videre, mirè à ſene quodam detinetur. 412. c. erat invidiæ ſclavus 477. b c.

Alexander Imperator, ſeveriſſimus in caſtigandis judicibus per munera corruptis. 157. c.

Alexander Spierineus à quodam ad DEI tribunal vocatus, comparet. 183. c.

Allectoriæ natura, & proprietates. 153. t. per allectorias ſub linguis judicum poſitas fit Tribunalium transfiguratio, ac juſtitiæ obumbratio 153. & ſeq.

Alphonſus decimus, Hiſpaniarum Rex, in creatione mundi multa meliùs ſe diſpoſiturum fuiſſe jactans. 489. b.

Altare thymiamatis, ſub quo animæ interfectorum pro Chriſto viſæ ſunt, quid? 224. a.

Amadæo Sabaudiæ Duci emblema appictum. 213. a.

S. Ambroſius in tectè loquendo liberrimus. 428. t. Theodoſij Imperatoris animum ſuâ conſtantiâ fregit. 428. a. b. & Adriano Imperatori fortiter reſtitit. 478. b.

Amicitiæ humanæ inconſtantia. 24. c. amicitiæ legibus judex renuntiare debet. 159. a. b.

Amicorum in morte importunitas, & circumſtantia. 413. t.

Amorem parentum in liberos inſigni exemplo docent ciconiæ. 5. b. 54. a. amoris conjugalis præclarum argumentum in palumbe. 82. a. & tinnunculo. 5. b. 531. a. amore judicia humana Tribunalium corrumpuntur, quomodo? 144. c. 165. c. 170. t. amoris affectione ſolet affectus noſter à recto mutari. 165. c. amori Auſter, ventus, comparatus. 216. b. c. amor & timor ſunt duæ alæ volandi in cœlum. 295. a. amor rectus & non rectus, quis? 485. b. c. Vide *Charitas*, *Dilectio*. Amor Chriſti. Vide *Chriſtus*, *Euchariſtia*.

Anabaptiſtarum ſecta, unde, & à quo orta? 51. c.

Anachoretæ olim inertiæ inenſati. 116. a. eorum otioſitas ſolitaria defenditur. 116. t. Anachoreta à cœleſti porta ab Angelo repulſus. 140. b. Vide *Monachus. Religioſus*.

Angeronæ, Deæ Sacrificia. 524. c.

Angeli timent munera, ne ab ijs corrumpantur. 152. t. Angelis comparantur, qui habent judicandi poteſtatem. 176. c. per Angelos facta glorificatio Sanctiſſimæ Triadis. 334. t. Sanctus Angelus Cuſtos aſſiſtens pio Clienti agonizanti. 412. c.

Animæ potentiæ regno & reginæ comparatæ. 72. a. b. ad ejus imperium obſequuntur. potentiæ. 72 t. Anima fidelis quomodo pulchra, & fatua? 88. b. Animæ peccatricis abſolutionem ſymbolizat aſina alligata, & ſoluta. 190. c. animæ inclinatio ad beatitudinem ex pulli in ovo maturitate oſtenditur. 212. t. motiva, ut ad æternam illam beatitudinem aſpirare debeat. 221. b. c. Animæ hoſtes tribus medijs opportunè ſuperantur, quibus? 277. t. Anima eſt eremita, Corpus cella, juxta S. P. N. Franciſcum. 279. c. Anima ſanctificata phœnici ſimilis. 322. t. Animæ ceu ovis perditæ pericula, ratio, & reparatio. 356. t. Animam perditam quanto amore & ſtudio Chriſtus reducat. 357. t. de ea reperta gaudium Paſtoris. 358. t. Anima poſt mortem, quomodo deducatur ad Chriſti tribunal. 399. a. b. quænam animæ tunc ſubeant judicium diſcuſſionis, & quænam non? 399. c.

S. Annonis Epiſcopi erga Judices pecuniâ corruptos formidabilis executio. 157. c. B. Annon repreheſus ob omiſſam præ celeritate per ſuum Diaconum in fine Pſalmorum Filij glorificationem. 332. a

S. Anſelmus leporem, tanquam morientis imaginem,

gincm à canibus cum lachrymis liberat. 410. b. c.

Anſeres clamore ſuo ſervant Capitolium. 7. c. 212. c. 425. a. anſer aſſatus, ut clamet. 424. a. b. Anſeres à Romanis honorati, & ſacri habiti. 425. b. anſer Placidi Philoſophi. 425. b. anſeres Taurum montem ſupervolaturi roſtris lapides imponunt, cur? 426. t.

Antichriſti character, quis? 13. t. numerus nominis ejus, quis? ib. quamdiu is regnaturus ſit? 15. b. occidendus putatur finitis Bacchanalibus, die Cinerum. 15. c. inter mortem Antichriſti, & finem mundi, quantum tempus intercedet? 15. t.

Antipelargiam ſerva, Proverbium. 54. b.

Annulus Verbi Incarnati typus. 42. t. in annulo horologium. 42. c. in annulis inſculpta S. Meletij imago. 42. c. annulus in flumen projectus, recuperatur in ſignum remiſſionis peccatorum. 42. c. annulum ſponſalitium nupturis monſtrat palumbes. 80. a. 81. a. de annulo paſtorali per corvum Abbsti ablato, lepidus caſus. 103. a.

Anni usque ad diem judicij reſtantes, cur modicum tempus dicantur? 424. c. trecenti anni Monacho aviculæ cantu demulſo paucæ horæ viſi. 224. c. annis plurimis poteſt dies unus æquivalere. 459. b.

Aper. Poſt deguſtatum mel pedes ſuos lambentes apri, quibus ſimiles? 107. b.

Apes norunt Geometriam. 3. b. c. tenent Politicam, & Monarchiam. 5. a. docent fidelitatem in Regem. 5. c. apum architecturam fruſtra curioſus quidam Philoſophus inveſtigat. 33. c. apis dum pungit, moritur. 371. t. non ſimus apes omni ex parte. ib. apes ſunt ſymbolum Palponum. 371. b. Apis Euchariſtica, qua probi Sacerdotes alliciuntur ad frequenter celebrandum. 499. b.

Apicius delicatus & ſtudioſus gurgulio, & quantus? 384. c.

Apodes uolucres mundanos homines adumbrant. 388. a. ſeipſos perdunt, dū ſemper volant, cur? 450. a.

Apodidraſcinda moraliter explicata. 434. t. & ſeq.

Aquilæ S. Stanislai Martyris corpus à devoratione defendunt. 6. c. & S. Medardum à pluvijs. 6. c. aquilæ comparantur Beati in cœlis. 223. b. c. item Chriſtus 287. t. Aquila grandis magnarum alarum, quid ſignificet. 288. t. pullos ad ſolem explorare dicitur. 288. c. eóſque ad volandum provocat. 289. a. Aquila varijs proſpera præſagiebat. 293. b. ejus velociſſimus volatus, & unde proveniat? 293. b. ſub Aquilis Cherubini & Sancti intelliguntur. 293. b. earum variæ ſpecies recenſentur. 538. c. Aquilæ albæ mirabiliter gemmas venantur. 539. t. per aquilas Fideles ſignificantur. 538. b. 540. t. Aquilarum, & graculorum diſparitas. 540. c.

Aquilo, ventus, dolori comparatus. 216. b. c.

Araneæ tela, lex. 162. c. 361. a. araneæ tela & opus explicatur. 360. t. aranearum ars, dolus, & venatio. 359. b. c. 360. t. eis comparantur Exleges, Hæretici, hypocritæ, & maligni. 361. t. omnes araneæ in Vrbe collectæ, quot? 362. a. quot habeant oculos? 362. a. earum induſtria quò tendat, ib.

Arbor repræſentat hominem. 461. b. arbor Timonis. 473. b.

Archimedes, quando occiſus? 33. a.

Architecturæ inventrices ſunt hirundines. 3. c.

Arcus noſter ad Deum quodammodo vincendum, eſt miſericordia Dei. 187. b. c.

Ardea oſtreum deglutit integrum. 383. a. Vide *Botaurus*.

Areopagus. In eo ducentorum, & duodecim Deorum ſimulacra, cur? 181. c.

Aries, quomodo in ſua domo ſit paterfamilias. 135. b. c.

Ariſtoteli ſtudium de avibus jucundiſſimum. 8. b.

Armillæ aſſimilatur Verbum Incarnatum. 43. t.

Ars ſaltatoria à Socrate exercita, & inter graves diſciplinas numerata. 142. a.

S. Arſenius cœlitus admonitus, fugit tumultus Aulæ. 279. b.

Artaxerxis inſigne factum, & dictum. 166. a.

Arundinis & Cypreſſi certamen, conſtantiæ & inconſtantiæ applicatum. 21. b. arundo humanæ inconſtantiæ ſymbolum. 20. t. 21. b. Arundinis feræ, quæ, & quomodo increpandæ? 26. t. arundo in manu Chriſti. 29. t.

Aſcenſio Chriſti viæ aquilæ in cœlo comparatur. 287. a. b. eſt admirabilis, cur? ib.

Aſina alligata & ſoluta, abſolutionem animæ peccatricis ſymbolizat. 190. c.

Aſſentatio cavenda. 305. t. ab ea rarò ſeparatur ſuſurratio. 305. b.

Aſſentatores & ſuſurrones Picæ ſimiles. 305. a.

Aſtrologiam optimè norunt aves. 4. a.

Aſtrologi judiciarij redarguntur. 107. a.

Athenarum florentiſſima civitas ob datum improperium igne ferróque delera. 372. c.

S. Attilanus annulum à ſe in flumen projectum recuperat, in ſignum remiſſionis peccatorum. 42. c.

Avaritia eſt gehenna præſens. 78. a. contra avaritiæ cæcitatem opportunum remedium. 264. t. avaritia eſt velut ignis. 265. a. c. remedium contra ipſam. 265. c.

Avarus infernum pectore gerit. 78. t. avariſſimi Ruffini ſupplicium. 157. b. avarus hirundini comparatur. 262. b. c. quem fructum ex divitijs habeat? 261. a. avari terrenorum concupiſcentiâ excæcantur. 261. a. avarus eſt ſimilis avibus habentibus ſub alis ignem, &c. 265. a. b. avari & rapaces in cœlum non evolant. 291. b. c. avari Cygnum imitantur. ib.

Aueha, avis miræ magnitudinis. 369. a.

Aucupium auguſtiſſimum. 1. a. aucupij varij modi. 249. a. aucupium Chriſti & Diaboli. 249. t. aucupium mundi. 257. a. in prædam aucupij Nihil cedit. 359. t. aucupij immoderantia caſtigata à Deo. 451. a. aucupijs aſſimilatur Mundi vanitas. 455. t. à acupio dediti quidam Monarchæ recenſentur. ib.

Auguriorum vanitas, & mendacium. 386. t.

Auguſtanæ Confeſſionis propagines, & effectus 52. t.

S. Auguſtinus ex mortis ſpectaculo converſus. 423. b. c.

AuguſtusCæſar filiabus ſuis maledicens,omnes extinxit 466. c.

Avis, Earum ingens multitudo capta, & triumphus exinde habitus. 1. a. avium diverſæ naturæ. 1. b, ſpecies & numerus. 2. a. b. ſunt noſtri pædagogi. 1. c. 3. a. ad laudem Dei nos provocant. 2. b. c. Avium inſula, quæ 3 & ingens ibidem avium multitudo. 3. b. docent nos varias artes liberales. 3. c. ab ipſis derivatur Orthographia. 3. a. item Muſica, Architectura, & ars Nautica. 3. b. c. etiam ſublimiores callent ſcientias, ut Phyſicam, Aſtrologiam, Medicinam, &c. 4. t. virtutes morales & omnes Ethicæ partes norunt. 5. t. virtutes inſuper Theologicas videntur exercere. 6. t. ſymbolizant Charitatem Dei erga nos. 6. a. b. earum Charitatis erga homines elicitæ exempla varia. 6. b. c. earum utilitates variæ. 7. t. proſunt nobis vel maximè in cibum. 7. a. ita ut ob penuriam victûs humani alicubi permittantur ſe manibus capi. 7. a. conducunt ad veſtitum & ornatum. 7. b. ad conſervationem ſanitatis, &c. 7. b. & Petro Caniſio ægrotanti avicula in cibum advolat. 6. c. muſcarum, vermium, ranarum, murium, ſerpentum &c. multiplicatione nem impediunt. 7. c. vigilant pro nobis. 7. c. jucunditas ex avibus hauſta, varia. 8. t. ſtudium & cognitio de avibus jucundiſſima. 8. b. omnes aves ſuavitate ſuperat Cencontlatollus. 9. b. avium Ethica, & quomodo eam homines imitentur. 10. b. avium ſponſalia & nuptiæ. 79. t. quo die celebrentur. 79. a. ex avibus ſapientia & providentia Dei mira relucet. 99. t. nullæ aves ſic inſtimantur cum ſuis pullis, ſicut gallina. 219. a. b. unius aviculæ cantu demulſus Monachus, trecentos annos paucas horas arbitratur. 224. c. aves, quêis ignis ſub alis apponebatur, domos ſuccendebant, unde integræ civitates captæ. 265. b. c. aves domeſticæ tempore obſidionis necatæ, cur? 265. b. c. variæ avium voces proprijs terminis expreſſæ. 316. a. aves quædam exoricæ magnitudinis in Æthiopia, integrum bovem apportantes. 369. a. aves docent nos poſt captum cibum Deo gratias agere. 383. c. aves fallaces variæ mundi vanitatem adumbrant. 387. t. 388. t. avibus quibuſdam natura brevem & temporarium cantum commodavit. 426. a. avium Capitularis Diæta congruè inſtruitur. 451. t. aves quàm mirè cognoſcant tempora? 452. c. 460. a. avis transvolans velocitatem temporis figurat. 454. c. inter eas capitulariter officia Religioſa diſtribuuntur. 457. t. ingenioſus apologus de avium comitijs in ordine ad eligendum regem. 513. t.

Aulæ graphica delineatio. 24. t. 125. a. ad ſuperandas aulæ moleſtias ſilentium utile. 277. a. aulæ mores depravati vel optimis facilè inhærent. 207. a. aulæ pericula Religioſis cavenda. 207. c. aulicorum mores, & machinationes ad longum expoſitæ. 24. t. 125. a. eorum maledicentia & detractio. 127. t. eorum vita & juge martyrium. 517. t. aulicorum ſervitus magna. 519. t.

Aura, avis, quæ? 266. b. ſuperbiam adumbrat. 266. t.

Aurelij Imperatoris de mundo ſententia. 258. c.

Aurelij pictoris prototypon 164. c.

Aurum fortius vino, Rege, muliere & veritate. 158. b. eſt potentius ferro. 158. c.

Auſtro vento amor comparatur, Aquiloni dolor. 216. b. c.

B.

Bacchanalibus finitis putatur occidendus Antichriſtus. 15. c. diebus Bacchanalibus varij luſus inſtituuntur; v. g. gallicidium, & hujus ad debacchantes applicatio. 134. a. b. pugnæ, ac ejus moralis expoſitio. 134. c. & ſeq. & choreæ, ac hujus applicatio moralis ad conjugatos. 134. c. 141. & ſeq.

Baptiſmus. Regeneratio hominis in Baptiſmo facta, ovo Paſchali comparatur. 210. b.

Bartholomæus Saluthius, quis? 328. b. ejus ardentiſſima concio. 328. b. c.

Baſiliſcus peſtilentiſſimus, ejúſque ortus. 469. a. b. Baſiliſcus Romæ ſummè pernicioſus, ſolemni ſupplicatione extinguitur 470. a.

S. Baſilij in exilium ejiciendi optimum reſponſum. 269. c.

Bavariæ laus. 94. c.

Beati in cœlis erunt agiliſſimi, & omni dote ornati. 223. t. non ſemper ſedebunt. 123. a. b. aquilæ comparantur. 223. b. c. etiam ante reſurrectionem corporum Deum in cœlo ſemper vident. 224. t. Beatorum diverſa claritas juxta diverſitatem meritorum. 225. t. comparantur ſtellis. 225. b. c. eorum fælicitas pura, & malis impermixta. 226. t. *ſequuntur Agnum quocunque ierit*, quod declaratur exemplo gallinæ pullos ſuos unitim ſequentes ducentis. 226. c.

Beatitudo animæ. Inclinatio ad beatitudinem pulli in ovo maturitate aſtruitur. 222. t. motiva, cur anima ad eam aſpirare debeat. 222. b. c. beatitudinis cœleſtis firma perpetuitas. 227. t. explicatur firmitate ovi. 227. t. ſuſpirium ad cœleſtem beatitudinem. 277. c.

Beliſarius Romanorum decus ab invidia obſcuratus. 474. c.

Benedictus Papa undecimus matrem non niſi humiliter veſtitam agnoſcit. 37. b.

S. Benedictus venenatum panem commendat corvis deferendum in deſertum locum. 101. a. ejus corpus fuit altum. 230. c.

Beneficij accepti memoria exemplo Niſi. 56. c.

Benomotapæ Regis rara inſignia. 182. c.

Bias quempiam damnaturus ad mortem, lachrymabatur, cur? 191. c.

Blaſphemia raro miraculo punita. 160. c. ob blaſ-

blaſphemiam Cornix, cæteroquin virtuoſa, improba dicitur. 488. t. blaſphemiæ improbitas in quo conſiſtat? 489. t. earum quædam in ſpecie enumerantur. ib. per blaſphemiam in Spiritum S. quid intelligatur? 490. a. b. blaſphemia io Spiritum S. oon remittetur, cur? 490. t. an peccatum blaſphemiæ ſit maximum peccatum? 490. a. eſt gravius crimeo ipsâmet actuali Chriſti Crucifixione. 491. t. ac deterior ipsâ idololatriâ. 494. b. blaſphemia lege Divinâ morte punitur. 493. t. blaſphemus jocus hæreticorum circa cultum Spiritûs S. 495. b. c.

Blaſphemus deterior eſt Judæis Chriſtum occidentibus. 491. t. eſt filius diaboli. 492. t. blaſphemantibus Deum Chriſtus graviter ſauciatus apparuit. 492. c. blaſphemi legibus Canonicis & civilibus plectuntur ſeveriſſimè. 494. t. eos S. Ludovicus Rex Galliæ candenti ferro ſtigmatizari in fronte præcepit. 494. c. traduntur diabolo ad ſupplicium. 495. t. horrendum cujusdam blaſphemi ſupplicium per Sathanam illatum. 495. b. blaſphemus puerulus quinquennis à diabolo abreptus. 495. a.

Bombardis ſimiles ſunt hypocritæ. 439. a.

Bonum extrinſecum vitæ humanæ triplex. 123. a. impetitur, & fœdatur à varijs muſcis. 121. & ſeq. bonum converſationis tranquillæ deſtruitur à contentioſis. 123. t. 124. t. 125. t. bonum famæ impetitur à detractoribus & maledicis. 126. t. præſertim io Aulis. 127. t. imò & io Cœnobijs. 128. t. ac io plebe. 129. t. bonum integritatis corporis à muſcis luxurioſis corrumpitur. 130. t. & ſeq. bona terræ ſemper malis permixta. 225. a.

Botaurus, quid, & unde ſic dictus? 20. a. ejus mira conſtantia inter arundines 20. t. atque à nobis imitanda. 27. a. ejus proprietates. 20. a. eſt fortitudinis & æquanimitatis ſymbolum. 20. c.

Brachia Imperatoris ſunt miſericordia & juſtitia. 188. a.

Bruta in donis naturalibus nos ſuperant. 32. t. ac per hoc noſtram confundunt præſumptionem. ib.

Bubo portendit diem Extremi judicij. 9. t. ejus clamor portentoſus. 9. t. 19. c.

Bucephalum Alexandri quandoque imitamur, quomodo. 35. a

Bufo impietatis vindex. 62. t.

C.

Cæcorum tria genera. 149. a. quinam ſinguli moraliter ſint? ib. cæci, qui ducuntur à cane, ſunt judices, quales? 149. a. b.

Calamitæ, ranæ efficiunt canem mutum. 154. b.

Caligulæ invidia immanis. 474. b. exaggeratur ampliùs. 477. a.

Calor io corde ob ſanguinis copiam vel inopiam interdum minor efficitur. 448. a.

Calvaria Ægyptijs regibus erat primum & ultimum ferculum. 506. b.

Calvinus, quo patre oriundus? 49. c.

Calumniarum dura & perennis caſtigatio. 373. t. à calumnijs hominum cur David redimi expetiverit? 373. a. b. contra calumnias Legum pœnæ. 376. b. Vide *Punctura*.

Cambyſes judicem auro corruptum vivum decoriari juſſit. 157. c.

Campana è turri decidens, puerum incolumem ſervat. 506. a.

Canadenſis Inſula avibus plena. a. b.

Cancer. Per cancrum oſtrio inſidiantem ſymbolizatur periculum violati ſilentij Religioſi. 525. b.

Canis. A cane ducti cæci, quinam? 149. a. b. canis quomodo mutus efficiatur? 154. b. canis à Romania in crucem actus. 425. b. canes muti non valentes latrare, qui? 425. c. 426. b. 427. a. canes muti, id eſt, rabidi. 426. b.

Canticum vetus, & canticum novum Domino, quid? atque utriusque diſcrimen. 40. c.

Cantus galli unde proveniat? 145. t.

Capitolium Romanorum ab irruptione gallorum anſeres ſervant. 7. c. 212. c. 485. a.

Capitularis avium Diæta congruè inſtruitur. 451. t. Capitulum ſturnorum à S. P. N. Franciſco celebratum. 451. b. c. capitularis officiorum Religioſorum diſtributio inter volucres. 457. t.

Caprimulgi natura. 47. a. ejus conjunctio cum veſpertilionibus. ib. per caprimulgos declaratur uſurpatio mala S. Scripturæ. 47. t. eis hæretici ſimiles. 47. c.

Carduelis. Ex capitellis carduelium pellicium ſuffultum. 7. b. Vide *Acanthis*.

Cariolani obedientia erga matrem præclariſſima. 58. t.

Carnis tribulatio inter conjuges expenditur. 66. t. carnis martyrium. 66. a. caro Meduſæ monſtro ſimilis. 448. b. c. concupiſcentia carnis fœda ut ſtercus. 259. t. remedium ad edomandum deſiderium carnalium appetituum. 260. c.

Carolomanus ovem perditam & inventam humeris imponit. 358. a.

Carolſtadius. Andreas Carolſtadius pater diverſarum ſectarum. 58. c.

Caſſiæ aves docent amicitiam. 5. c.

Caſtitas palumbis. 81. t. eſt caſtitatis conjugalis exemplum. ib. & caſtitatis vidualis præclarum argumentum. 81. a. Vide *Luxuria*.

Caſtra Religioſorum. 138. c. ſtatuuntur ornatè. 139. t. pulchrè comparantur caſtris filiorum Iſraël. 139. t.

Caſus apud Philoſophos, quid? 503. a. lepidum ejus exemplum. ib.

Catena lethalis ſcorpionum. 537. t.

Catholicorum defectiones non difficiles. 25. b.

Cato inſidiâ & odio ſummè exagitatus. 478. b.

Cavillator occiſus. 372. c.

Cenconclatollus omnes aves cantu ſuperat. 3. b.

Centrum. A centro triplex convertitur bonum. 574. b. ad centrum, à centro, & circa centrū quænam moveantur? 292. a.

Cervus. Exemplo cervorum alter alterius onera portet. 274. c.

Charadrius ſuo intuitu icteritium morbum curat. 442. a. ejus ſtupiditas. 442. a. b. eo duce mediocritas virtutis aperitur. 442. t.

Charitatem Dei erga nos aves ſymbolizant. 6.a.b. Chatitatē erga homines exereent aves;& varia hujus exempla.6.b.c.Charitatis ſymbolū eſt oleum& caſſia. 115.c.Charitatis emolumentum. 280. b.c.Charitatis alæ præſtantiſſimæ volandi incœlum. 294.t.Charitas eſt via ad metam cœleſtē.434.t.436. & ſeq.Charitatis duæ alæ ignis.481.b.c. ſine eharirate quomodo nulla virtus ſubſiſtere poſſit? 482. t. Charitatis pretium omnia facit pretioſa. 483. t. opera noſtra per charitatem ad Deum elevanda. 484. t. Charitas Dei & proximi eſt una virtus. 485. t. Vide *Amor. Dilectia.*

Chatybdis & Scylla extremitates periculoſas in omni facultate ſignificant.450. a. b.

Cherubin,non vero Seraphinos,cur Deus poſuetit ex utrâque parte Oraculi. 179. b.

Chirurgum imitetur Prælatus in medendis animi vulneribus. 315. c.

Chorearum ſymphoniæ variæ. 141. b. choreizando milites olim hoſtem aggreſſi. 142. a. ad ehoream ſecuriſſimam & ſanctam invitamur. 143. c. chorea vitæ inter conjuges ritè perficienda, & quomodo? 143. t.

Chriſtiani ob otium olim ab ethnicis vituperati. 111. b. eorum ſaginata otioſitas perniencioſa, 111. t. eorum mendica otioſitas corrigitur. 115.t.ab ethnicis vocabantur *Chriſtempari*, cur? 115. b. c. Chriſtianorum pugna multiplex. 118. t. 140. t. & ab ipſis fortiter ſuſtinenda. ib. fortia pati, Chriſtianum eſt. 140.b.

S. Chriſtophorus fuit elegans ſtaturâ. 230. c. altitudo gigantæa cur ipſi appingatur? ib.

Chriſtus, avis in S. Scriptura appellatus. 6.b. ejus adventus ad extremum judicium. 17.t. Vide *Iudicium extremum.* Chriſti typus eſt annulus. 41. t. Chriſtus quomodo poſitus ſit in ſignum, cui contradicetur: & quot, quantiſque modis ipſi contradicatur? 45. & ſeq. contradictiones in ipſum ingentes enumerantur. 46.t. contradicitur ipſi perſequendo juſtos, 46. c. depravando Scripturam Sacram. 47.t. per hæreſes, 48. & ſeq. Chriſti erga parentes obedientia. 57. a. obedientia ipſius uſque ad mortem prodigioſa. 57. t. cur ad petitionem Judæorum non deſcenderit da Cruce? 57. c. Chriſti ſervitute quis clarior. 117. c. in Chriſto quid notet elevatio oculorum? 167. a. 174. a. ex aſpectu Chriſti acuebatur odium Judæorum. 172. t. duæ actiones Chriſti in ingreſſu Jeroſolymitano appoſitè ventilantur. 190. b. c. Paſſionis Chriſti epitome. 196. t. & ſeq. Chriſtus in tribus à Judæis accuſatus; & quænam illa? 196. c. accuſationes iſtæ contra Chriſtum fortiter refutantur. 197. t. oſtenditur eſſe Filius Dei. 197. c. teſtimonium latronis pro Chriſto adducitur. 198. t. innocentia Chriſti iniquiſſimè condemnatur. 199. t. pro liberando Chriſto ficti conatus Pilati. 200. t. in eo nullam cauſam invenit Pilatus. 200. b.c. condemnatur tamen à Pilato pro poteſtate, non pro æquitate. 201. t. Chriſtus traditur voluntati Judæorum. 201.c. ſententia contra Chriſtum lata, quæ? 201. c. errores graves, & variorum Jurium violatio in condemnatione Chriſti à Pilato facta. 202. t. 203. t. Chriſti tunicâ indutus Pilatus placat Tiberium iratum. 205. b. Pilati & Pontificum Chriſtum occidentium mors deſperata. 205. t. Chriſtum ſequi à longè, quàm periculoſum. 207. t. juxta Chriſtum eſſe, ſecurum. 207. t. Chriſti Domini Petrum reſpicientis mira potentia. 213. t. Chriſtus gallinæ comparatur. 219. t. ſoli Chriſto reſurgenti mortuorum reſurrectio tribuenda. 228. t. Chriſtus fuit proceræ ſtaturæ. 230. b. c. vel potiùs mediocris. 238. c. per Chriſtum omnia nova facta. 244. t. ab eo omnis vetuſtas quàm longiſſimè abfuit. 244. b. eſt bonus Paſtor, & bonus Auceps. 249. a. b. Chriſti aucupium animas capientis. 249. t. Chriſtus in cœlum aſcenſurus ſuam migrationem diſcipulis inſinuat, cur? 268. b. c. Chriſtum Juſtitiæ ſolem ſequi oportet. 272. t. demonſtratur eſſe ſol. 272. b. c. non fuit cognitus à gentilibus Philoſophis. ib. Chriſtus eſt via peregrinationis noſtræ. 273. t. idque loquendo de multiplici via. 273. a. Chriſtum aſcendentem in cœlos quomodo ſequi debeamus? 287. t. & ſeq. Chriſtus aquilæ comparatur. 287. t. eſt aquila grandis magnarū alarum. 288. t. provocat nos ad ſui ſequelam, ſicut aquila pullos. 289 a. poſt Chriſtum mens ad cœleſtia erigenda. 289. t. poſt ipſum aſſumptis alis in cœlum volandum. 296. t. jugum Chriſti onus leve ſimile pennis avium. 296. b. ſolenni proteſtatione contra loquacitatem excipit. 297. b. in Chriſto quomodo nobis manifeſtentur dona Spiritûs Sancti. 309. t. Chriſtus eſt petra. 313. b. c. Chriſtus, ejúſque reſurrectio à Phœnice ſymbolizatur. 320. t. quomodo ſit Pſalterium, & chodea Patris cœleſtis. 333. a. Chriſti amor erga Fideles à Pelicano ſymbolizatur. 339. b. c. & ſeq. multâ ratione eſt Pelicano ſimilis. 341. t. quomodo fuerit Pelicanus ſolitudinis 341. a. amor Chriſti incomparabilis in Euchariſtia. 342. t. Vide *Euchariſtia.* Chriſti dulcis dilectio in Incarnatione. 345. t. an major amoris dulcedo ab ipſo exhibeatur in Incarnatione, quàm in Euchariſtia? 345. t. 346. t. Chriſtus varia officia ſubit, nunc leonis, nunc agni, &c. 349. t. præſertim paſtoris, & gallinæ. 349. b. c. perditos clamore ſuo revocat. 353. t. ejus clamor, qualis? 353. b. c. tanquam bonus paſtor requirit ovem perditam. 356. b. c. quanto amore & ſtudio reducat animam perditam? 357. t. eâdem Charitate, qua mortuus eſt pro omnibus, mortuus eſt pro ſingulis. 357. b. c. ejus gaudium de ove perdita reperta. 358. t. Chriſto dignum hoſpitium ac cœnaculum præparatur ſuper humilitatis fundamentum. 366. c. graviùs ſenſit puncturas Judæorum, quàm vulnera. 374. t. actus judiciariæ poteſtatis Chriſti eſt judicium particulare. 397. t. probatur id à varijs etiam viſionibus ac revelationibus. 398. t. quomodo is ad uniuſcujuſq; obitum adſit judex? 399. a. b. ad ejus tribunal, quomodo deducantur animæ poſt mortem? ib. Chriſtus medium ſemper dilexit, hujúſque declaratio. 442. c. 443. c. quibuſdam Deum blaſphemantibus graviter ſauciatus apparuit. 492. c. ejus lectulus crux. 510. c. Chriſtus eſt Rex gloriæ. 514. t. Chriſti Regis veſtimentum, corona ſceptrum & thronus exhibentur. 515. t. diadema Chriſti erat duplicis regiæ dignitatis ſymbolum. 515. b. erat Sacerdos, non utcunque, ſed eminenter & regiè. 515. b. Chriſti regis menſa, divitiæ, & ædificia. 516.

516. t ejúsq; aula & comitatus ſplendidiſſimus, quis? 518. t. ſervi ejus ſunt reges. 520. t. Chriſtus in Sacramento Eucbariſtiæ divitias ſui amoris erga nos effundit 543. c. Vide *Iudex. Iudicium extremum. Corpus Chriſti. Eucbariſtia.*

S. Chryſoſtomus in rectè loquendo libertimus. 428. a. c. invidorum ſtimulis plurimùm agitatur. 478. c.

Cibis quibusnam variæ gentes veſcantur? 243. a. ciborum varietas plurimorum vitiorum eſt fomentum. 378 t. cibus non præproperè ſumendus. 379. t. alauda cibum ſumens imitanda. 379. c. ciborum nimietas graviter taxatur. 382. b. c. in cibis eligendis nimia ſtudioſitas damnatur. 384. t. ciborum intemperantia plurima morborum genera inducit 407. t. Vide *Convivium. Gula. Menſa. Temulantia.*

Ciceroni mortem præſagierunt corvi. 103. b.

Ciconiæ docent nos pietatem erga ſeniculos parentes. 5. b 54. t. ſunt ſymbolum pietatis erga parentes. 56. a. inſigne dant exemplum amoris parentum erga liberos. 5. b. 54. a. exercent Chirurgicen. 4. c.

Circulus. Omnia videntur concludi circulo, quando? 39. c. circuli perfectiones Chriſto applicatæ. 41. t. circulus eſt virtuoſi hominis ſymbolum. 41. a. & omnibus alijs figuris pulchrior. 41. a. ejus figuram amat Sathanas. 41. a. & cur. ib. tres circuli viſi in Chriſti Nativitate circa ſolem, & eorum expoſitio. 41. c.

Circus, avis, ſymbolizat mortem. 404. t. utriusque ſymbolizatio exactior enumeratur. 406. t. Vide *Accipiter.*

Clamor Chriſti, qualis? 353. b. c.

Clepſydra alata velocitatis temporis ſymbolum. 452. b.

Claritas Beatorum in cœlis. 235. t.

Clauſtrium. Vide *Monaſterium.*

Clementiæ & manſvetudinis diſcrimen. 186. a. exemplificatur inſigni facto Conſtantini. 186. a. clementia docetur à Chriſto. 185. b. c. 186. t. ejus ſymbolum, Iris. 187. b. c. eſt anteponenda rigori. 192. c. clementia maximè exhibenda reo audiendo, & legitimè defendendo. 193. t. clementiæ ſymbolum, flumen in mare ſe exonerans. 193. b. c. lapſus Petri permiſſus, ut is clementiam erga alios exhibere noſſet. 210. c.

Cœlum versùs ducentæ milliones milliarium. 140. b. pro cœlo acquirendo fortiter pugnandum. 140. c. in cœlo nulli futuri puſilli. 233. c. ad cœleſtia mens poſt Chriſtum erigenda. 189. t. in cœlum hypocrita non evolat. 290. t. neque ſuperbi, neque luxurioſi, nec maledici, nec avari, nec rapaces in cœlum evolant. 291. t. ad evolandum in cœlum geminæ alæ requiruntur, nec ſufficit una. 292. b. duæ iſtæ alæ, quæ? 293. b. 294. t. variæ adhuc alæ volandi in cœlum exponuntur. 295. t. alia aſſumptis volandum eſt in cœlum. 296. t.

Cognitio ſui ipſius optima Philoſophia. 30. a. ad intimam ſui cognitionem pauci pertingunt. 30. a. b. cognitio ſui ipſius ſvadetur. 34. c. ipſa quàm efficax fuerit in S. Franciſco Borgia. 38. a.

Colloquia longa ob temporis jacturam vitanda. 458. c.

Colluctatio perpetua vitæ noſtræ peregrinatio eſt. 276. t.

Colores Iridis quid nobis figurent? 187. b. c.

Columbæ docent continentiam. 5. c. graviter vindicant adulterium. 81. c. columba Spiritum ſanctum ſymbolizat. 307. t. ſub ejus ſpecie Spiritus ſanctus ſæpè viſus eſt. 307. a. b. 317. t. varia hujus exempla. ib. columbæ & ignis ſpecies cur propriæ Spiritui S. 308. t. in columbæ ſpecie cur is deſcenderit ſuper Chriſtum baptizatum? ib. columba eſt ſymbolum reconciliationis mundi. 308. b. amat candida tecta, ſub quibus nidificet; moraliter. 308. c. ex columbæ perſpicacia quomodo reluceat Sapientiæ Donum. 310. t. habitare ſolet ſecus aquas, cur? 310. a. ejus comeſtio indicat Donum Intellectûs. 311. t. incubat etiam alienis ovis, &c. per quod Donum Conſilij explicatur. 312. t. nidificat in foraminibus petrarum, ad exprimendum Fortitudinis Donum. 313. t. quomodo Scientiæ Donum ex ea emicet. 314. t. item Donum Pietatis 315 t. ac Timoris DEI. 316. t. columba gemitibus gaudens, eſt ſymbolum timoratæ animæ. 316. a. b. in columbæ ſpecie Spiritus S. in varios Sanctos deſcendit, quales? 317. a. b. columba Mahometo impoſtori familiaris, quomodo? 317. b. c. in ſpecie columbæ quorundam Sanctorum animæ in cœlum evolarunt. 317. c. à columbarum grege funus S. Georgiæ honoratur. ib. columbas retinet in columbario tinnunculus obſeratus in olla. 533. a.

Columbus. Chriſtophorus Columbus novi Orbis inventionem non tam facilem fuiſſe, ovo in caput erecto demonſtrat. 228. a.

Communio Sacra nuptiæ cum Chriſto. 496. t. Communio digna requirit bonam conſcientiam. 543. t. 544. t. Communio ſacrilega quantum ſit peccatum. 545. t. cum Herodis infanticidio, Judæ proditione, & crucifigentium crudelitate comparatur. ib. jocus improbus in porrectione Communionis à Paſtore Calviniſtico commiſſus. 545. b. c. ei neceſſariò præmittenda eſt Confeſſio peccati mortalis. 546. t. ex Communione quidam viſi ſuper carbones denigrari, alij nimio ſplendore eniteſcere 546. a.

Communicare quando, quóve modo quis dignè poſſit? 366. c.

Concio eſt ſale diſcretionis condienda. 429. t. in ea quomodo peccata Prælatorum reprehendenda. 429 b. concio juxta Auditorij capacitatem accommodanda. 430. a. redoleat ſimplicitatem. 430. a. b. res difficiliores & quæſtiones in ea quomodo attingendæ? 430. b. juſto prolixior faſtidium cauſat. 430. b. c. neque ſemper docendum, neque ſemper movendum, &c. ſed olei & vini mixtura curanda. 430. c. quomodo in ea ſint corripienda vitia. 431. t. quale ſit peccatum, intermiſcere jocos & ſales. 433. b. c. Conciones velut Ornithoboſcium frequentantur. 453. t. Vide *Concionator.*

Concionatores inſtar galli priùs ſe quaſſu, quàm alios excitent cantu. 144. b. non taceant. 426. t. muti quàm nocivi ſint alijs 427. t. & comparantur canibus mutis. 426. b. 427. a quâ libertate loqui debeant. 428. t. quâ prudentiâ & diſcretione. 429. t. ſint ut adamas & ſilex, quomodo? 429. b. c. diſcretio quomodo

Digitized by Google

modo concionatori io particulari obſervanda ? 430. t. ejus judicium moderandum in correptionibus, & adhibenda cautela, 431. t. facundiæ ſuavitas concionatori competens. 432. t. loquatur ſuaviter, facundè, ornatè. 432. a. ejus officium eſt docere, delectare, & movere. 432. c. concionatoris facundia variè vitiatur, quomodo? 433. t. de eorum peccato, qui jocos & ſales inter prædicandum conſectantur, judicium Doctorum. 433. b. c. circa laudum delationem quomodo ſe ſervent? 433. c. concionatoribus fama ſine gravi peccato non prodigenda. 535. t.

Concordiæ ſymbolum, grex ſturnorum. 479. b.

Concupiſcentiæ abſurditas. 390. t. concupiſcentiæ motus primi & involuntarij non ſunt peccatum. 392. t. reijcitur ſententia cujusdam, hujusmodi motus eſſe peccatum veniale ſentientis. ib. contra concupiſcentiam remedia, 393. t. concupiſcentiæ ignis multorum vitam abbreviat. 467. t. quantùm noceat. ib. Vide *Caro, Luxuria*, Concupiſcentia oculorum. Vide *Oculi.*

Confabulationes longæ cum amicis, ſuaves pretioſiſſimæ rei deprædationes appellaræ. 458 c.

Confeſſio peccati mortalis neceſſariò eſt præmittenda Communioni. 546. t.

Conjugij tribuli, moleſtiæ & cruces enumerantur. 64. t. 65. t. & ſeq. conjugij moleſtias ſymbolizat acaothis. 63. t. & ſeq. conjugij bona ubique ſpinis mixta. 65. t. in eo conjuges acerbum trahunt martyrium. 64. c. 66. a. 67. a. 68. a. b. 69. b. c. tribulatio carnis inter Conjuges expenditur. 66. t. bonum conjugium, ſed tamen à jugo tractum. 67. c. conjugium navi fluctuanti comparatur. 80. t. Inſtitor ejus, & motus magnus ipſam impellens, explicatur. 80. b. c. conjugalis amoris ac fidei præclarum exemplum in palumbe. 81. t. & tinouncolo. 5. b. 531. a. conjugati mirabilem docentur galliardam. 141. t.

Conſanguinei carnales à Sanctis rejecti. 437. a.

Conſcientia mala alcedini ſtridenti comparata. 71. c. conſcientiæ remorſus per alcedinis cantilenam exprimitur. 73. t. 75. c. de mala conſcientia ſententiæ Ethnicorum. 74. t. 75. c. conſcientia mala eſt gravis torturà, & judicium domeſticum. 74. b. c. comparatur inferno. 76. t. eſt incorruptus teſtis, atque occultus vindex ſcelerum. 74 b. conſcientiæ natura egregiè deſcripta. 75. a. conſcientiæ teſtis & index, gratia. 326. t. conſcientiam & famam negligere non debemus. 533. a. conſcientia bona non curat detractores. 536. t.

Conſilij donum. Vide *Dona Spiritûs S.*

Conſtantiam docet Cozcacoauthlus. 5. c. eius ſymbolum eſt Botaurus. 20. t. conſtantiæ in rebus agendis commendatio. 27. t.

Conſtantini Imperatoris manſuetudo & clementia. 186. a.

Conſtantinopolis quo tempore & die à Turcis capta ſit. 332. a. b. ingens terræ motus ibidem ſedatus, quomodo? 334. b.

Conſtantij Imperatoris lepidus mos. 175. a.

Contemplatio & actio duæ ſunt alæ volandi in cælum. 295. c.

Contentiones muſcarum. 124. t. à contentioſis deſtruitur bonum converſationis tranquillæ hominum. 123. t. contentioſæ muſcæ in Aulis, caulis & Clauſtris. 125. t. contentionum origo. 125. b. c.

Continentiam columba, & porphyrio docet. 5. c.

Contrariorum miras conjunctiones natura ſæpiùs affectavit. 343. b. c.

Conturbatio impedit charitatem & juſtitiam. 169. c.

Convivia prodigaliter inſtructa quàm iniqua? 381. t. mira prodigalitas convivij cujusdam. 381. a. ſub convivio memoria mortis habita. 506. b. convivij locus à morte non ſecurus; & varia hujus exempla. 506. c. Vide *Cibus. Gula. Menſa. Temulentia.*

Cor à divitijs ſeparandum. 264. c. cordis nuntij & feneſtræ ſunt oculi. 168. t. cordis ardor cavendus, ne divitijs exuratur. 265. t. cordis cum oculis nobilis comparatio. 370. a. corde hominis vel modicum punctorato homo exſpirat. 370. b. cordis punctura quàm doloroſa. 369. c. 370. t. *qui pungit cor, profert ſenſum*, quomodo? ib. cor primum, quod in homine ſpirat, poſtremum quod exſpirat. 370. b. cor alatum grege ſturnorum circumdatum, eſt ſymbolum concordiæ Aulicorum cum ſuo Domino. 479. b. cor alatum dilectionem Dei & proximi ſymbolizat. ib. cor patris defuncti ſagittà configere nolens, pro filio ejus legitimo agnoſcitur. 492. a. b.

S. Corbiniani Epiſcopi rigor circa diſciplinam menſalem. 381. c.

Cornices horologij loco deſerviont. 4. b. cornix litteras quaquaverſum deferens. 454. b. 488. b. cornicis eximiæ proprietates. 488. a. b. cæteroquin virtuoſa dicitur improba propter blaſphemiam. 488. t. eſt rejecta à Pallade, cur? 528. b

Coronæ capiti primò nubentium cur imponantur? 87. a. coronâ ſymbolizatur Incarnationis Myſterium. 43. b. corona quomodo differat à diademate. 515. b. corona Chriſti cur ex ſpinis, & à militibus ſibi impoſita. 515. a. coronæ quædam pretioſiſſimæ. 515. b. c.

Corpus Myſticum, glorioſum & Euchariſticum. 538 c. ad Corpus Chriſti congregantur aquilæ, id eſt, Fideles. 538. b. 540 t. Vide *Euchariſtia* Corporis mortificatio cauta ſit totet copiam & inopiam. 448. t. Vide *Statura.*

Corvi Phyſicam mirabiliter exercent. 4. a. corvus S. Vincentij corpus à devoratione ferarum defendit. 6. c. pro corvis magnificatur arbor ſinapis. 98. t. corvus eſt præco Divinæ Providentiæ. 98 c. & ſeq. corvorum nidus jucunde tribuitur Divinæ Providentiæ. 100. t. eorum pulli neglecti à Parentibus, mirabiliter paſcuntur. 100. t. ſunt ſymbolum præclariſſimum Divinæ Providentiæ. 100. b. 101. b. ſunt ejusdem inſtrumenta. 101. t. paſcunt Eliam, Paulum Eremitam. 101. a. deferunt panem venenatum juſſu S. Benedicti in deſertum. 101. b. de corvo annulum Paſtoralem Abbati furante lepidus caſus. 103. a. corvus avis fatidica. 103. b. pluribus triſtia nuntiaverunt corvi. 103. b. c. corvorum cohortes ſuper exercitum Papirij apparentes fruſtra eum perterrent. 107. c. corvi hyeme quondam pullos eduxerunt. 280. a. corvi oriente diluculo voraotes non imitandi. 379. a. corvi cum falconibus in acie artificioſè inſtructâ prodigioſè militant, ſed vincuntur. 405. t.

Coſroe impia fatuitas in ponanda imagine Trinitatis. 336. c.

Cozcacoauthlus avis Indica, docet conſtantiam, & in adverſis tolerantiam. 5. c.

Crux pomo Imperatorio infixa quid ſignificet. 44. a. c. Crux Chriſti eſt molle pulvinar agonizantis. 510. t. Crux eſt ſceptrum Chriſti. 515. c.

Cubi-

Cubiculũ,quod oratuti intrare jubemur,quid? 279.c.

Cuculi Oeconomiam tenent. 5. a. cuculus eſt dæmonis imago. 395. a.Grammaticæ ſunt expertes. 3. b.

Cupiditate munerum humana iudicia Tribunalium pervertuntur. 144. c. cupiditas placendi ad vitioſas novitates impellit. 246. b.

Curiales, Vide *Aulici*.

Cygni Monaſticen colunt. 5. a. Cygnus S. Hugoni mirè amicabilis. 6. c. cygnum imitantur avari. 291. b. cygni fælicitas. 396. a. canit in morte. ib. Cygnus Niocues filius invulnerabilis. 402. a. cygnus prodigioſus in Rheno, moraliter applicatus. 403 c.

Cypreſſi & arundinis certamen, conſtantiæ & inconſtantiæ applicatum. 20. b.

D.

Dædalus artificum præſtantiſſimus, quænam invénerit inſtrumenta. 350. a.

Dæmon ſæpiſſimè pumilionis corpus ſibi finxit; 233. b. dæmonis aucupium animas capientis. 249. c. ſcripſit peccata garrientium in Eccleſia. 299. c. dæmoni perdicis fabula applicatur. 350. t. ſymbolizatur à Perdice. 351. a. 352. b. c. 354. a. ſub varijs formis eſt auctor omnis perditionis. 355. t. modò bos, draco, ſerpens, &c. modò leo, equus, nominatur: 355 a. b. Dæmonis imago cuculus. 395. a. anguſtiæ à Dæmonibus agonizanti injectæ. 410. t. eorundem tentationes agonizanti injectæ. 411. t. dæmonibus variæ accipitrum ſpecies applicatæ 410. a. 411. t. ſymbolizantur à Mergis. 435. a b. Dæmon tripudians cantat *magis & minus*, cur? 447. b. Dæmone deterior eſt invidus 477. c.

Damnatorũm corpora hærebunt fixa ſemper in eodem loco, non ſic Beatorum. 223. a. b. eorum gemitus. 355. c. nihil acerbiùs lugent, quàm vanè dilapidati temporis jacturam. 460. a.

David in adulterium prolapſus. 111. b. & muneribus ad iniquam ſententiam perductus. 150. b. c. fuit proceræ ſtaturæ. 230. b. ejus actio coram Achis Rege vultum ſuum immutantis, &c. pulchrè ad Chriſtum refertur. 344. t. David cur à calumnijs hominum redimi expetiverit. 373. a. b. ei fugitivo quinque doloriſſimas puncturas Semei improperavit, quas? 373. b. c.

Defectiones Catholicorum non difficiles. 25. b. variæ in Eccleſia Romana enumerantur. 25. t.

Defectus alienos propalantes, proprios verò occultantes, ſunt picis ſimiles. 303. a. b.

Democritus repudiat matrimonium, cur? 66. a.

Deſiderium ſciendi omnia alia extra ſe, periculoſum. 33. t. 34. a.

Deſperare. Deſperandum non eſſe graviter lapſis, exemplo Petri docetur. 220. c. inter deſperationem ac præſumptionem via media ad cælum quantùm conferat. 446. t.

Detractores muſcis comparantur, cur? 126. t. detractio Aulicorum. 127. t. & plebis ſcabioſa. 129. t. detractor ſcabioſo comparatur. 129. b. more belluino carnes devorat alienas. 129. c. detractores ſunt ſimiles quartæ beſtiæ terribili apud Danielem, & locuſtis in Apocalypſi. ib.

Deus circularis, juxta Zenonem. 41. c. cur olim terram inaratam cuncta ferre, nunc autem eam ab hominibus coli præceperit? 119. b. c. in manus Dei viventis incidere, horrendum. 146. c. Deus ſibi reſervat judicandam judiciorum corruptelam per munera. 157. a. judicabit juſtitias. 157. a. nihil ita odit, ut hominem ultionis avidum. 173. b. de vultu Dei Præſidum judicia promanent. 174. t. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum*, explicatur. 182. t. 183. t. Deorum nomine Judices intelliguntur. 182. a. b. Deus miſericordiam & juſtitiam ſemper conjungit. 187. t. declaratur hoc varijs exemplis. 188. t. cur galli cantu potiùs, quàm alio ſigno Petrum ad reſipiſcentiam excitarit. 212. t. ſolet ex rebus obvijs res maximas nobis declarare, ac animorum medicinam providere. 212. c. Dei ſapientia & artificium in parvis vel maximè elucet. 235. t. Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & quomodo? 250. t. & ſeq. à Deo auxilium noſtrum, à nobis verò perditio noſtra. 256. c. Dei imaginem in homine obſcuratam gratia reſtituit. 328. t. Deum quomodo glorificemus rebus externis? 336. t. Deus medium eligit locum tanquam digniorem. 443 c. quomodo puniat peccata parentum in filijs? 455. t. quoſdam pernicioſos homines è vivis tollit ad præpediendа eorum mala 464. b.

Diademate; & corona ſymbolizatur Incarnationis Myſterium. 43. t. diadema *diviſionem demens* ſignificat. 43. b. eſt idem quaſi *duo demens*. 43. c. diadema quomodo differat à corona? 515. b. diadema Chriſti quale? ib.

Dialectici muſcis comparati. 124. b.

Dibongad, quid. 371. b.

Dicero avis, juſtitiam colit. 5. a. ejus excrementa mortifera. 260. a. 394 b. ipſamet tamen eſt remedium exitiali malo, quod affert. 260. c. 394. c. eſt ſymbolum luxuriæ. 394 b. c.

Dies unus æquivalere poteſt plurimis annis. 459. b. c. *Amici, diem perdidi*, exclamabat quis, eò quòd nihil memorabile eo die egiſſet. 458. b.

Dignitates magnæ ſunt magnæ ſervitutes. 519. b. a.

Dilectio Dei & proximi à corde alato ſymbolizatur. 479. b. quidquid in Lege & Prophetis legitur, ad Dei & proximi dilectionem ordinatur quomodo? 479. c. præceptum affirmativum dilectionis Dei quando obliget? 484. c. dilectio proximi ſignum eſt Diſcipulorum Chriſti. 486. t. ex dilectione Chriſtianorum etiam Gentiles converſi, aut ædificati. 486. b. c. dilectio diſcernit Filios Dei. 487. t.

Diogenes, Philippi Regis caput inter oſſa diſquirens, Alexandri Magni ſuperbiam reprimit. 422. b.

Diſcipulorũ Chriſti ſignũ eſt dilectio proximi. 486 t.

Diſcretio, quid? 429. b. diſcretionis ſale omnia condienda. 429. t. quomodo illa concionatori ſervanda in particularibus. 430. t.

Diſtractionum muſcæ. 122. t. flabello abigendæ. 133. t. idque exemplo Abrahæ. 133. c.

Divites, velut ebrij ad omne malum proni. 263. a. divitum ſtulta & inſenſata ſuperbia. 421. t. divites pro proximo ſuo nõ gnathones, ſed pauperes habeant. 436. t. qui volunt fieri divites, merguntur in interitũ. 436. c.

Divitiæ ſtercoribus aſſimilantur. 261. t. quem fructum ex ipſis habeat avarus. 261. a. earum vilitas ulteriùs agitatur. 262. t. ſunt malorum omnium occaſio. 263. t. ſunt materia contumeliarum. 263. b. etiam Ethnicorum ſententiâ condemnantur. 263. b. nullum ſcelus eſt, quod non ob amorem pecuniarum perpetratur. 263. c. divitiæ tunc noſtræ fiunt, cùm dantur pauperibus. 264. a. b. contra cæcitatem mentis, quam inducunt, opportunum remedium. 264. t. à divitijs cor ſeparandum. 264. c cordis ardor cavendus, ne

divitijs exutatur. 265. t. divitiæ ſunt ſicut flamma comburens, 265. a. divitiæ mundanæ nihil. 364. b. divitiæ non appetendæ, neque mendicitas. 449. a. b. divitijs longè melius eſt nomen bonum. 531. c. 532. a.

Docti non agnoſcant filios hujus ſæculi pro proximis, ſed indoctos & ſimplices, 441. t.

Dolium Danaidum. 367. a.

Dolori Aquilo ventus comparatur, Auſter amori. 216. b. c. ex duobus doloribus ſimul infeſtantibus vehementior alterum obſcurat 374. a. doloris ratio & actio in corpus expenditur. 409. t. dolorum corporis ortus fabuloſus 409. b. circa eos S. Franciſci Borgiæ mens. ib. patienter tolerati plurimùm proſunt. 409. b. dolores mortis, quanti? 409. c.

S. Dominicus ſtellam in fronte gerere viſus. 225. c.

Dona ſpiritûs ſancti quomodo nobis manifeſtentur in Chriſto? 309. t. donum Sapientiæ quomodo reluceat ex columbæ perſpicacia? 310. t. donum Sapientiæ quid conferat homini? 300. b. c. donum Intellectûs, quid. 311. a. indicatur à columbæ comeſtione. 311. t. donum Conſilij explicatur, & in quo conſiſtat? 312. t. donum Fortitudinis in quo conſiſtat, quámque potens ſit? 313. t donum Scientiæ declaratur. 314. t. donum Pietatis, quomodo ſe habeat? 315. t. donum Timoris Dei explicatur. 316. t.

Dotes Beatorum in cælis. 223. t. & ſeq.

Duana raro ſtratagemate capta. 265. b.

Duflinum Hyberniæ oppidum miro ſtratagemate captum. 265. b.

E.

Ebrietas carpitur. 379. b. c. Vide *Gula.*

Ecce homo, cur ſic dictum à Pilato? 172. a.

Eccleſiæ Romanæ variæ defectiones ob inconſtantiam fidelium 25 t. S. Romanæ Eccleſiæ varia regna per bonas mulieres ſubjecta. 84. c. Eccleſia eſt civitas Regis magni, hortus concluſus. vinea Domini Sabaoth, piſcina in Heſebon. 516. b. c. eſt circumamicta varietatibus, quomodo? 518. b. c. Eccleſiaſtica Hierarchia ex varijs ſtatibus conſurgit. 518. t. in Eccleſijs tacendum. 299. b. c. hiſtoria de Dæmone ſcribente in charta peccata garrientium in Eccleſia. 299. c.

S. Eduardus ſub miſſa devotè audita, Chriſtum vidit ſibi benedicentem. 504. b.

Electis reprobi contrapoſiti illuſtriorem eorum reddunt nitorem. 92. c.

Eleemoſynarum duo genera, ſunt duæ alæ volandi in cælum. 295. a.

Elementa. In ijs mirabiles effectus Divinæ Providentiæ adſcripti. 106. t. elementa omnia, ſive phyſicè ſive moraliter ſpectentur, in hominis perniciem conſpirant. 468. t.

Elias paſcitur à coruo. 101. a.

Eliſeus munera reſpuens admirationẽ induxit 151. c.

Empedocles Sacrificium plauſûs obtulit, quomodo? 501. b.

Epaminondas filium ſecuri feriri juſſit, cur? 166. a.

Ephod lapides in varios colores mutati, quid portenderint Judæis? 537. a.

Epulæ. Vide *Cibi.*

Eremita. Vide *Anachoreta. Religioſus.*

Ethicæ, ſeu Philoſophiæ moralis, omnes partes nôrunt aves. 5. t. Ethica avium. 30. b.

Ethnicorum de conſcientia mala ſententiæ. 74. t. Ethnicorum Provinciæ. & regna quamplura ad fidem converſa per bonas mulieres. 84. c.

Eva nobiliori loco orta, cur tamen non præferatur Adamo? 83. b.

Euchariſtia. Amor Chriſti erga Fideles in Euchariſtia demonſtratur, & à Pelicano ſymbolizatur. 339. b. c. & ſeq. amor Chriſti incomparabilis in Euchariſtia. 342. t. dulcedinis & amaritudinis in Euchariſtia conſociatio admirabilis. 343. t. paſſio Chriſti in Euchariſtia dulciter anticipata. 344. t. amor Chriſti in Euchariſtia major, quàm in Incarnatione. 346. t. Euchariſtiæ encomia. 346. c. amor Chriſti in Euchariſtia reciprocandus. 347. t. amor S. P. N. Franciſci erga Euchariſtiæ Sacramentum ferventiſſimus. 347. c. gaudium ex amore Euchariſtiæ. 348. t. Sacrum Viaticum moriens afferri ſibi religioſè petat. 508. t. varia hujus panis Cæleſtis encomia, 508. b. erat unicum & ſingulare ſolatium B. Mariæ Oegniacenſi. 508. c. Euchariſtiæ perceptio in mortis articulo à Chriſto præcepta eſt, & omnino percipienda, 512. b. c. eſt pluribus Sanctis tunc miraculoſè allata. 512. c. *ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*, ad SS. Euchariſtiam relatum. 540. t. Euchariſtia pretioſiſſimæ gemmæ, & margaritæ comparatur. 541. t. ſæpiùs margaritæ nomine ſignificatur. 541. a. b. in Euchariſtia tot gemmæ, quot myſteria, 542. t. Vide *Communio. Miſſa. Sacrificium.*

Europæ miſerabilis metamorphoſis, & vaſtitas ab Hæreticis inducta. 50. b. c.

S. Euſebius Martyr diem mortis ſuæ præcognovit, quomodo? 296. a. b.

S. Euſebius Epiſcopus, in agone periculoſam ſuſtinuit pugnam cum dæmonibus. 421. a.

S. Euthymius ex Communione vidit quoſdam ſuper carbones denigrari, alios miro ſplendore eniteſcere. 546. a.

Exceſſus. Vide *defectus.*

Excommunicatione percuſſus corvus infirmatur; eâque ſolutâ redit ad ſanitatem. 103. a.

Exercitia ſpiritualia quàm utilia & conſulta. 34. t.

Exercitus inſtructus eſt homo, declaratur. 406. c. contra eum mors aciem inſtruit. 406. c. ipsúmque per ſtratagemata aggreditur. 407. t.

Exilium. S. Baſilij in exilium eijciendi generoſum reſponſum. 269. c.

Extremitas varijs experientijs reijcitur, mediocritas commendatur. 450. t. Vide *Medium.*

Ezechielis in fronte cur Deus adamantem, & ſilicem conjunxerit. 178. b.

F.

Facies humana inconſtantiam mentis prodit. 21. b.

Facundiæ ſuavitas concinnatori competit. 432. t. facundia Concionatoris variè vitiatur, quomodo 433. t.

Felicitas Beatorum. Vide *Beati. Beatitudo.*

Fæminæ comptæ otioſitati multùm deditæ. 112. b. corriguntur circa hoc. 112. b. c. in fæminis muſcæ pulchritudinis perſtringuntur. 132. t. ſuadetur ipſis, vultum alijs coloribus excolere, & quibus, 132. c. fæminæ in decoris laudem vertitur prædicatum maſculinum. 176. a. in ipſis procera ſtatura pulcherrima. 231. t. fæminas præcipuè cur S. Paulus in Eccleſijs tacere jubeat. 299. c. ſunt loquaciſſimæ. 298. t. tres præ loquacitate faciunt nundinas. 298. c. arcana quæque propalant. 304. b. c. quiſquis rem fæminæ commiſit, vulgari voluit. 304. c. fæminarum conſortium juvenibus periculoſum. 440. a. b. Vide *Mulier.*

Falco S.P.N.Franciſci excubitor.6.b. falcones cum tornis io acie exactè inſtructa prodigioſè pugnant, & vincunt. 405.t.

Famæ ingenioſa deſcriptio, 530. t. ejus ſymbolum tinnunculus. 530. b. c. fama bona ſocialis eſt virtuti, etiam poſt mortem. 531. t. diutiùs manet, quàm mille theſauri, quomodo? 531. c. famæ pretium incomparabile. 532. t. famoſi viri à ſæculo recenſentur, ib. fama ſervanda proximo ad exemplum ædificationis, 533. t. fama bona quantùm profuerit S. Paulo ad converſionem Gentium. 533.b.c. fama quomodo diſtinguatur ab honore & laude. 534. a. b. famam propriam prodigens non peccat contra juſtitiam violando jus alterius, ſed contra charitatem. 534. b. c. imò quandoque abijci poteſt ſine omni culpa. 534.c. fama Magnatibus, Præſulibus, & Prædicatoribus ſine gravi peccato non prodigenda. 535. t. an, & quomodo famæ diſpendium diſſimulandum? 536. t. famam perdit peccatum. 537.t.

Famulis judicium, quando liceat vel non liceat munera accipere? 156. b. Vide *Servus*.

Farneſius, Octavij Farneſij ſymbolum induſtriæ, ac fortitudinis ſuæ in hoſtes, 26. c.

Fatum apud Philoſophos, quid? 103.b. fatum quibusdam à corvis nuntiatum. 103, b, c. fatum & Providentia Dei, quomodo coincidant? 104.t. fati neceſſitas reijcitur 104. c. fato nihil tribuendum, ſed omnia Divinæ Providentiæ, 105.t.107.c.108.t.

Fatuum quempiã appellare quanta ſit injuria.376.b.

Feræ arundinis, quæ, & quomodo increpandæ? 26.t.

Ferus ſingularis appellatur ſuperbus, 31. a.b.

Fideles tempore perſecutionum, rebellionum, &c. dignoſcuntur ab infidelibus, 93. t. fideles per aquilas ſignificantur, 538.c.540.a.b. aquilæ fideles ad Corpus Chriſti congregantur, ib.

Fidelitatem apes docent. 5. c. fidelitatem ſuorum Reges dignoſcunt occaſione rebellionum, &c. 93. a.

Fidem aves habere videntur. 6.a. adulti, quibus fides necdum prædicata eſt, habent adhuc ſufficientia auxilia ſalutis. 253. t.

Filios obtemperantes habere, dulce eſt parentibus. 55. b. filiorum parentibus inobedientium vitam Deus abbreviat. 464. b. c & terribile circa hoc exemplum. 464 c. filij paternis malitijs inhærentes prematurè moriuntur 465. t. maledictio parentum filijs vitam abrumpit; & varia hujus exempla. 466. t. filius Patris defuncti cor ſagittâ traijcere renuens, pro legitimo agnoſcitur 492 a. b. Filij Dei quomodo diſcernantur à filijs diaboli? 487.t.492. a Vide *Liberi*.

Flabellum pro repellendis muſcis 134 t.

Fluminis ictus Proceſſui violento judicij comparatur. 193. b. flumen in mare ſe exonerans, eſt ſymbolum clementiæ. 193 b.c.

Fluvius ex minimo fonte promanans paulatim fit torrens. 237 c.

Fœderis ſymbolum iris. 187. b.c.

Fontes mirabiles, varij. 343. b.c.

Formica exoticæ magnitudinis. 229. b.

Fornicator in ſepulchris & ſtercore verſatur. 259. c. comparatur Pantheræ. ib. Vide *Luxuria*.

Fortitudinis donum. Vide *Dona Spiritûs ſancti*.

Fortitudinis in hoſtes ſymbolum. 26. c.

Fortius ſupra vinum, Regem, mulierem, & veritatem eſt aurum. 158. b.

Fortuitò nihil fit, quod non per Dei Providentiam diſponatur. 105. t.

Fortunæ nihil adſcribendum, ſed omnia Divinæ Providentiæ. 105.t. de fortunæ effectibus non curandum. 107.c.108.t. fortuna quot modis ab antiquis dicta? 102.a. cur, & quomodo ipſa pro Deo honoretur? 102. t. invocatur, laudatur, ſimúlque convitijs paſſim afficitur. 102.b.c. pro fortuna hebraicus textus ponit Gad, cur? 102. b. fortuna apud Philoſophos, quid. 103. a. Fortunæ inconſtantia; & varia hujus exempla. 438. b. c. Fortunæ mediocritas aurea 449. t. ejus mediocritatem S. Franciſcus ſuo hoſpiti apprecabatur, & impetravit. 449.b.

Fortunati inter proximos ſuos non numerent garrios, ſed infortunatos, 438.t. fortunatorum & infortunatorum proximitas. 438.b.c.

S.P.N.Franciſci excubitor falco fuit.6.b. voluit Fratres ſuos laborare. 120. c. appellat otioſos *Fratres muſcas*.ib. ejus pulcherrimum dictum. 248 c. ait, cellam eſſe corpus, eremitam verò animam. 279. c. ejus eximia devotio erga SS. Euchariſtiam 347.c. agnovit ſe peccatorem maximum, quomodò. 439. c. precabatur, ut hoſpitis ſui domui nec divitiæ nec paupertas darentur. 449. b. ejus memorabile dictum ſub mortis articulo. 571. b.

S.Franciſci Borgiæ humilitas. 38. a. dolores optabat. 409. b. ex Iſabellæ Auguſtæ demortuæ aſpectu converſus. 423.a.

Franciſci Folliani, è Societate Iesu, eximia pietas & religio erga SS. Trinitatem. 338. t. tantæque pietatis remuneratio. 338. c.

Friderici tertij Imperatoris ſchema ſuæ poteſtatis ad legum obſervantiam procurandam. 26. c. Friderici Imperatoris notabile dictum. 18 t. c. Fridericus Auguſtus ictu fluvij perditur. 193. b.

Fridlevus raro ſtratagemate Duſlinũ capit. 265.b.

Fuga pravarum occaſionum ad ſeparandos animæ hoſtes. 177.b.

G.

Galbali natura, & mores. 30. b. c. eius cantilena explicatur, & moraliter applicatur. 30. b. c. 31. a. b. & ſeq aliter, quàm galbalus, ſenſit de ſeipſo S. Joannes Baptiſta. 30. c.

Galliardam mirabilē docentur conjugati. 14 t. t.

Gallicidij luſus. 134. a. b. applicatur ad debacchantes in bacchanalibus. 134 c.

Gallina Perſpectivam novit, & Sciographiam 3. c. eius proprietates, & eximia circa pullos providentia, protectio, & amor. 119. a. b. eſt ſollicitudinis, ac ſedulitatis ſymbolum. 219. a. eidem Chriſtus comparatur. 219. t. Gallina pullos ſuos ducens & reducens, Beatorum gaudia ſymbolizat. 226. c.

Gallus mirè à Pythagora comendatur, & præfertur aquilis. 4. b. deſervit loco horologij ib. Galli pugna, & chorea 134. c. & ſeq. gallus ſuccinctus lumbos præſentatur. 135. t. gallus, in ſua domo quomodo ſit Paterfamilias, 135. b. c. gallus eſt pugnax avis. 137. t. 185. a. & pugnacitatis ſymbolum. 136.t. deſcribitur ejus pugna. 136.c concidit quandoque unus aut alter. 136. c. 137. a. gallus ad fortiter pugnandum excitat. 137.b. etiam ipſos Chriſtianos 140.a. gallorum compugnantium ſpectacula cur antiquitus instituta? 137. t. gallus ob pugnacitatem Martis pullus appellatus, & alijs modis honoratus. 137. b. ob vigilantiam & pugnacitatem ſuam ei acclamandum, *& vigil, & pugil*. 137. c. eſt intrepidi Equeſtris ſymbolum. 137. c.

galli inſolito clamore præſagiunt Thebanis victoriam.142. a. gallus tripudians.141.a. ſaltando benè graditur.141. a.& 143.a. docet admirabilem galliatdam conjugatos. 141.t.143.t. gallus ſupra pinnaculum templi varia exercet officia.144.t.eſt vigilantiæ ſymbolum.144.b.dum ſe quaſſat,alios excitat cantu.144 b. applicatur hoc ad Patresfamilias, Prælatos & Prædicatores.144.b. galli vigiliæ & cantus, unde, & ad quid? 145. t. *quis dedit gallo intelligentiam*, explicatur 145 t trino cantu,tanquam trinâ admonitione canonicâ excitat ad pœnitentiam, & ad juſtitiam adminiſtrandam. 145.c. gallus aſſatus inaudito miraculo redivivus. 160. a. b. aliud ſimile miraculum. 160. c. prioris hiſtoriæ circumſtantiæ expenduntur. 161. t. in gallo quid notet elevatio oculorum 167.t. ſuis gallinis menſam continuò parare allaborat 167. b. altero oculo plerumq; ſurſum aſpicit.ib. ſtans ad oppoſitum ſpeculum ſuam imaginem roſtro appetit. 169. c 175 a. gallus per omnia audax.175. a. formidoloſus tamen in hoc,ne caput in limine impingat. ib eum Germanicus Imperator nec audire poterat clamantem,nec intueri gradientem.184.c.galli victi ſilent,canunt victores 185.a. galli deplumatio de Pilato energicè applicatur.194.c. galli cantus honorificè ab omnibus Evangeliſtis relatus.206. a. ejus pulchra encomia.206.b. trino galli cantu laſcivus adoleſcens convertitur.206.c.& Petrus ad pœnitentiam excitatur. 206.c.& 211. t. & ſeq. galli canticum novum,quod nemo præter Petrum intellexit.212.a.cur potiùs galli cantu,quàm alio ſigno, Petrus ad reſipiſcentiam excitatus ſit. 212. t. gallus gallinaceus improbè Spiritus S appellatus.336. c gallus decrepitus Baſiliſcum generat. 469. a. b gallus aſſatus & diſſectus ad quorundam blaſphemiam caſtigandam redivivus proſilit. 489. b.

Garrulitatis ſymbolum,hirundo.521.a.garrulitatis & hirundinis grave incommodum. 521. t. 528.t.

Gaudium mundi laqueus, viſcus & ſtercus. 257. t.

Gemitus columbæ proprius. 316.a. gemitus damnatorum. 365. c.

Gemmarum venatio mirabilis per aquilas. 538. c. 539.t.gēmæ pretioſiſſimæ comparatur SS.Euchariſtia. 541.t. Gemma cœlitus lapſa in calicem B.Lupi 541.b.

Genealogiæ hominum quomodo progredi ſoleant? 437. b.

Geometriâ norunt hirundines,apes,& grues.3.b.c.

S. Georgiæ funus à columbarum grege honoratur. 317.c.

Germania per hæreſes devaſtata. 51.t. 52.t. Germania nunc ſibi in antiqua ſua religione diſſimilis. 94 t. invocatur ad reſipiſcentiam. 97.t.

Germanicus Imperator non poterat gallum audire,nec intueri. 184. c.

SS. Gervaſi; & Prothaſij corpora fuerunt mitæ magnitudinis. 230. c.

Gigantes ſeu magni,an ad virtutem & ſcientiam meliùs ſint diſpoſiti,quàm Nani ſeu parvi. 219. c. & ſeq. de ingenti quodam gigante exotica narratio. 240.b.c.gigantes gemunt ſub aquis, quomodo? 519. b. Vide *Homines*.

Gladius diſtrictus ſuper codicem apertum,ſymbolum Cæſareæ Majeſtatis, legum executionem tuentis.26. c.

Globus imperatorius. Vide *Imperatorius*.

Gloria, quid? 532. c.

Gloria Patri, &c. verſus probabiliter jam ab Apoſtolorum tempore introductus.335. a. invaluit rectè per totum mundum,cur? ib. hunc verſiculum Sathanas truncavit.335.b.alius error in eo pronuntiando commiſſus omittendo particulam corrigitur & ib. Pœna cujuſdam graviſſima ad verſum *Gloria Patri*, &c. non debitè ſe inclinantis. 335. c.

Goliathi proceritas monſtroſa. 232. a.

Graculorum ab aquilis differentia. 540. c.

Græci ob negationem Proceſſionis Spiritûs ſancti à Filio,captâ Conſtātinopoli manifeſtè puniti. 332.a b.

Grammaticæ expertæ ſunt Picæ, Pſittaci, corvi, etiam ſturni & graculi. 3.b.

Gratia ſufficiens eſt viſcus animatum. 249. b ejus ſufficientia oſtenditur varijs exemplis. 251. t. ejus pulcherrimum ſymbolum Sol. 251. a. etiam infantibus adeſt ſine Baptiſmo decedentibus. 252. t. atque adultis ſine fidei prædicatione.253.t & peccatoribus obſtinatiſſimis 254. t. de gratia ſufficienti pulchra S. Proſperi ſententia. 255.b. gratia ſanctificans Phœnicis renovatione ſymbolizatur. 321 t. ejus ratio formalis exponitur. 322. t. gratia & lux ſunt prima diſtinctiva. 323. t. gratia omnia opera dignificat. 324. t. cum peccato non conſiſtit. 325. t. eſt conſcientiæ teſtis & index. 326. t. ejus inſtantanea actio per lucem adumbrata.327. t reſtituit imaginem Dei in homine obſcuratam. 328. a.

Gratiarum actio poſt victoriam relatam. 501.c.

Gratitudinis inſigne exemplum in Niſo. 56. c. & filij erga parentes in Pelicano. 346. c. 347. a.

S. Gregorius Neocæſarienſis moriens noluit in peculiari ſepulchro poni. 269 b.

S. Gregorius Turonenſis ſtaturâ puſillus. 236. c. notabile factum inter ipſum & S. Gregorium Magnum. 236. c. S. Gregorius Thaumaturgus in ſpecie arboris a perſecutoribus videtur. 461. b.

Grues docent nos Orthographiam. 3. a. nôrunt Geometriam. 3. b.c. tenent Ariſtocratiam ac Militatem. 5. a. prudentiâ excellunt. 5. a. 268. a. b. earum prudentia in migrando.268.a.b. grues ſunt Politicæ gnaræ.268.a.gruum Politica docet rectam rationem inſtituendi vitam noſtram. 268.t. 270.a. 271. a. 274. a.275.a.276.a. 277.a. dicuntur Palamedis aves, cur? 271.a. ſequuntur ſolem in ſuis migrationibus.272.a. earum ordo,& ſolers viciſſitudo in migrando.268.a. 274.a. obtemperant ſuis ducibus. 275. a. earum ſomnus & vigilia. 268.b. 275. a. b. earum vigilantia à Principibus & Prælatis imitanda. 275. a. b. grues triplex contra ſuos hoſtes iminentes ſalutis remediū adhibent, quale? 276. a. quomodo in hoc ipſæ imitandæ? 277 t. exemplo gruū alter alterius onera portet. 274 c. ad ſervandā vigiliā lapidem pede tenent. 268. b. 275.a.b. 277.b. quomodo in hoc imitandæ? 277.b.

Gryphon, Caroli Martelli filius, turbulenti ingenij vir. 375.a.

Gryphum natura & conditio. 368. t. gryphum & & improperij feritas. 369. t. ſoli tigridi vim inferre nequeunt. 369. b.c. capiuntur igne,quomodo? 376.c.

S. Guido, ægrotans, cœleſti lumine in columbæ ſpecie decoratur. 317.b.

Gulæ pretioſitas & luxus damnoſus.377.t.gula ſine libidine monſtrum habetur. 378. a. guloſitatis totius ſiſtema. 384.a. Vide *Cibus, Convivia, Temulentia*.

Gulo,canis voraciſſimus. 382. a. gulo avis voraciſſima. ib.

Gu-

Guloſi acriter corripiuntur. 379 b.c.

Guſtavo, Adolpho Svecorum Regi, tormento proſternitur equus Ingolſtadium obſidenti. 105. c.

H.

Hading' raro ſtratagemate Duanã urbẽ eapit. 265. b.

Hæreſis peſſima mala quæ pariat? 50. t. præſertim in Europa. 50. b. c. *oportet & hæreſes eſſe*, eſt Maxima hæreticorum ad inferendas pravas conſequentias. 91. b. c. malum hæreſis permittit Deus, ut inde efficiat bona, 95. t. hæreſes ſunt puræ putæ novitates. 246. c.

Hæretici per feras arundinis intelliguntur. 26 a. quomodo increpandi? 16. b. c. hæretici caprimulgis ſimiles. 47. t. & veſpertilionibus. 48. t. plerumque natalibus obſcuri. 49. t. quamplures, & quiuam ex Lutheri doctrina prodeuntes. 51. b. c. hæreſes Germaniæ Mahumetiſmo affines, & ad ipſum inductivæ. 52. b. c. hæretici cum vanellis comparantur. 91. t. cur eos Deus toleret? 92. & ſeq. hæreticis terris antiquæ religionis monumenta conſideranda proponuntur. 94. t. hæretici non convertunt gentiles, ſed converſos à Catholicis duntaxat pervertunt. 95. a. 35 2. b. c. Sacræ Scripturæ doctrinis abutuntur. 352. c. comparantur araneis. 361. b. hæretici à noctua & nycticorace ſymbolizantur. 395. b. non ſunt candidæ columbæ, ſed oſſifragæ aquilæ. 311. c.

Harmonia SS. Triadis in ſeipſa reſonans. 333. t.

Haſe. Ægidij Haſe factum memorabile. 37. c.

Heliogabalus araneas in urbe colligi imperavit. 362. a.

S. Henrici pietas in recipiendo pomo Imperatorio. 44. a. donat id Monaſterio Cluniacenſi. 44 a. Henricus tertius Imperator devictis hoſtibus quomodo Deo gratias egerit. 501. c.

Herodes proprijs duobus filijs infenſus. 193. b. callidè eosdem in convocato judicum Concilio damnari procurat. 193. b. Herodis infanticidio comparatur Communio Sacrilega. 545. a. b.

Hierarchia Eccleſiaſtica ex varijs ſtatibus conſurgit. 518. t.

S. Hieronymus Sacrarum litterarum ſtudio temperabat inquieta deſideria. 120. b.

Hirundines nôrunt Geometriam. 3. b. ſunt architecturæ inventrices. 3. c. docent pœnitentiam, 5. c. inter hirundinem & turturem nuptiæ diſpares. 82. b. hirundinum nimia ſollicitudo in extruendis nidis. 261. b. earum ingratitudo. ib. ipſis comparantur avari 261. c. deferunt lapſura culmina. 261. b. in hoc à Sanctis & Religioſis imitandi. ib. hirundines ignem ſub alis geſtantes ſuccendebant domos; unde civitas obſeſſa capta. 265. b. earum grave incommodum. 521. a. hirundinum cum oloribus de taciturnitate controverſia. 522. t. eis exprobratur garrulitas. 522. b. c. ſymbolizant Muſicos Chorales. 526. a.

Homo in naturalibus ſuperatur à brutis. 32. t. ejus tenuitas, ib. cur ei libertas contradictionis relicta 53. t. quatuor hominum genera, quæ juxta Hæbreos ad judicium non citantur. 68. b. homines perverſos cur Deus permittat prodire, & vivere feliciter cum bonis? 92. & ſeq. homines garruli multipliciter impingunt. 114. a. cur Deus homini laborem præceperit? 119. b. c. pugna multiplex ipſius ſuper terram. 138. t. ea fortiter à Chriſtianis ſuſtinenda. 140. t. nihil ita odit Deus, ut hominem ultionis avidum. 173. b. homo in alios injurioſus per beſtiam deſignatur. 178. a. homo bis generatur, ac bis regeneratur. 210. b. c. homines magni an ad virtutem & ſcientiam magis ſint diſpoſiti, quàm parvi; ubi problematicè de præellentia hominum tum magnorum, tum parvorum fuſiùs diſputatur. 219. c. & ſeq. Vide *Statura*. Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & quomodo? 250. t. Vide *Gratia*. Homo eſt nihil. 364. a. b. homines non ſint ignavi, nec veſpæ, nec crabrones, neque omni ex parte apes. 371. a. homo eſt inſtructus exercitus; & quomodo mortis acies eum aggrediatur? 406. c 407. t. 408. t. homo eſt arbor inverſa. 461. b. homo allatus quid facere deberet? 408. t. homini dedit Deus arma ferro potentiora, ſcilicet moderatum ſermonem. 524. c. Vide *Vita noſtra*.

Honora patrem tuum &c. quid comprehendat? 59. a. 60. a.

Honor, quid, & quomodo differat à fama & laude? 534. a. b. honores mundani nihil. 564. b. honores inordinatè quæſiti, vel poſſeſſi, ad inſaniam inducunt. 420. t. honor parentibus debitus. Vide *pietas*, *Reverentia*.

Horologij loco cornices ſerviunt, & galli. 4. b. horologium in Caroli V. annulo. 42. c. horologij motus & ſonus eſt regula rectæ locutionis. 306. t.

Horrendum eſt, incidere in manus Dei viventis. 146. c. horrendæ ſententiæ S. Scripturæ erga judices malos. 157. a.

Hortus concluſus eſt Eccleſia. 516. c.

Hoſtis. Contra hoſtes triplex ſalutis remedium grues arripiunt, quale? 276. a. eorum inſtar hoſtes animæ tribus medijs opportunè ſuperantur, quibus? 277. t.

S. Hugoni cygnus mitè amicabilis. 6. c.

Humilitas quorundam Regum, Principum, & Pontificum 57. t. humilitas S. Franciſci Borgiæ. 58. a. humilitas ſvadetur. 32. c. per nigredinem indicatur. 281. a. requiritur ad orandum. 281. t. modus reddendi orationem humilem. 281. c. humilitas & patientia duæ alæ Sanctorum. 295. b. ſuper humilitatis nihilum acceptiſſimum Chriſto præparatur cœnaculũ. 366. c. humilitas eſt via ad paradiſum. 422. t.

Hypocrita in cœlum non evolat. 290. t. hypocritæ comparantur araneis. 361. c. eorum opera nihil ſunt. 365. a. ſunt bombardis ſimiles, quomodo? 439. a.

I.

S. Jacobi patrocinio innocens ſuſpenſus à morte liberatur gallo aſſato redivivo. 160. t. dictæ hiſtoriæ circumſtantiæ expenduntur. 161. t.

Jactantia cujusdam inepta. 31. b. c. jactantia redarguitur. 51. t. jactantia inepta minima auget, ut ſint maxima. 240. t.

Icteritius morbus charadrij aſpectu curatur. 442. a.

Ictus fluvij figurat violentum, & truculentiæ plenum proceſſum judicij. 193. b.

Jejunium & oratio ſunt duæ alæ volandi in cœlum. 295. c.

S. Ignatius in oratione totus radijs circumfuſus. 225. c. ſevera ejus erga quemdam caſtigatio. 290. a.

Ignis. Ab igne Petrus remedium quærit, ſed fruſtra, 208. a. b. ignis & columbæ ſpecies cur propria Spiritui ſancto? 308. t. cur is in ſpecie ignis deſcenderit ſu-

 pra

pra Apoſtolos. 308. a. b. multorum vitam abbreviat ignis concupiſcentiæ & iracundiæ. 467. t.

Ignorantia ſumma, ſeipſum non noſſe. 441. a.

Imagines SS. Trinitatis quænam admittendæ? 337. t. imago improba SS. Trinitatis à Coſroâ rege poſita. 336. c.

Imperatoris duo brachia ſunt miſericordia & juſtitia. 188. a.

Imperatorius globus quid indicet? 44. t. eo ſignificatur etiam Dominium Chriſti. 44. a. c. cur ipſi crux aurea inferta? 44. a. eum quis furatur ex ipſo Altari in conſecratione Caroli V. 44. b.

Impietas erga parentes exaggeratur. 61. t. graviſſimè punitur. 62. t. bufo impietatis vindex. 62 t.

Imprecatio parentum quantùm obſit filijs? 466. t.

Improperij feritas. 369. t. Vide *Punctura, Calumniæ, Cavillationes.*

Impudicus oculus impudici cordis nuntius. 168. c. Vide *Luxuria.*

Incarnationis Myſterium diademate & coronâ ſymbolizatur. 43 t in ea Chriſti dulcis dilectio exhibetur. 345. t. an major in Incarnatione exhibeatur amoris dulcedo, quàm in Eucbariſtia? 345. t. 346. t. Vide *Verbum Incarnatum.*

Inconſtantia humana pulchrè deſcribitur. 21. t. 22. t. 23. t. ejus ſymbolum, arundo. 20. b. 21. t. inconſtantiæ effigies in humana faeie reſidet. 22. t. mentis inconſtantiam prodit faeies humana. 23. t. ob inconſtantiam fidelium variæ defectiones in Eccleſia Romana. 25. t. inconſtantiæ noſtræ ſupplicium, arundo in manu Chriſti. 29. c.

Infans in cunis intumeſcente mari unàcum ſuâ ſalvatus. 106. a. b. infantes ſine baptiſmo decedentes ſufficientia habent ſalutis auxilia, quomodo? 252. t. Vide *Puer.*

Inferno comparatur conſcientia mala. 76. t. infernum avarus pectore gerit. 78. t.

Ingratitudo, quid? 491. a.

Injuriam non condonatam diu diſſimulare, eſt depravatæ mentis ſignum. 302. c.

Injurioſi punctores plùs ſibi nocent, quàm alijs. 37 t. b. ſunt apibus pungentibus ſimiles. 37 t. b. c.

Innocentia optimum ſolatium pro diffamatis. 536. a. c.

Inſignia Archiepiſcopi Moguntini. 37. b. inſignia rara cujusdâ Regis. 182 c. inſigniaPij PapæIV. 188. b.

Intellectûs Donum. Vide *Dona Spiritus Sancti.*

Invidia, peſtis ut Baſiliſcus. 569. t. eam in promptu nutrit ſuperbia. 469. b. eſt ubique fatalis, & mortifera. 470. t. ejus monſtroſus apparatus, & plurima mala. 471. t. occidit dimidiam partem natorum in mundo, quando. 471. c. eſt abjectum malum, cur? 472. t. ejus judicium corruptum 473. t. invidiæ aſpectus depravatiſſimus. 474. t. & perſpicilia magnifica. 474. a. b. nocuit plurimis, & varia hujus exempla. 474. b. c. eſt omnium malorum Pandora. 475. t. ac juſtiſſimum malum. 476. t. corpori magna creat incomoda. 475. c. 476. t. invidiæ ſolitudo propria eſt. 477. t. invidia Caligulæ & Alexandri Magni exaggeratur. 477. a. b. eſt virtutis & fortunæ comes. ib. ac varia hujus exempla. 478. b. c. Vide *Invidus.*

Invidus eſt diabolo deterior. 477. c. felices & beati, qui invidos patiuntur. 478. t. invidis aliena proſperitas adverſa, adverſitas proſpera, &c. 473. t.

S. Joannes Baptiſta Botauro comparatus. 20. b. c. & 25. c. non erat arundo vento agitata 20. c. 21. a. 25. c. ob humilem ſui æſtimationem longè diſſimilis galbalo. 30. c.

Joannes Parens, quondam judex, mirè in virum alterum converſus. 157. b.

Jocos & ſales interm iſcere ſub prædicando verbo Dei, an, & quale ſit peccatum? 433. b. c.

Ira impedit Charitatem, juſtitiam, & in agendia æquitatem. 169. c. quomodo plectatur? 376. a. b. iracundia multorum vitam abbreviat. 467. t. ejus initium & progreſſus. 467. c.

Iris figurat mixtionem juſtitiæ & miſericordiæ Dei. 187. a. eſt fœderis & elementiæ ſymbolū. 187. b. c. gerit ſpeciem arcûs adversùs cœlum intenti; quod exponitur moraliter. 187. b. c. iridis colores quid nobis figurent? 187. b. c. iride apparente *medijs pax fulget in armis.* 187. c.

Judæi confluunt ad Levi-Nathan tanquam ſuum Meſſiam. 13. a. Judæorum odium ex aſpectu Chriſti acuitur usque ad judicij crudelitatē. 172. t. Judæia Chriſtum crucifigentibus deterior eſt blaſphemus. 491. t. eorum peccato comparatur ſacrilegia Communio. 545. a. b.

Judas Iſcariotes ſtaturâ puſillus. 233. a. b. Judæ proditori comparaturCommunio ſacrilega. 545 a. b.

Judex Chriſtus, Eius adventus ad extremum judicium, in nube, igne, & turbine. 17. t. eius perſpicacia. 17. b. c. ipſius variæ conditiones, quibus cognoſcetur, & apparebit. 18. t. gloria, rhomphæa, manus, tribunal ipſius. 19. a. b. ſecundus adventus ipſius qualis ſit futurus. 538. a. b. Vide *Iudicium extremum. Iudicium particulare.*

Judex humanus. Munera excæcant oculos judicum. 147. t. 149. b. c. erga judices iniquos rigidiſſimus erat Lampridius. 147. c. Judices in porris cur olim ſedebant? 148. t. judices cæci à cane ducti, quinam? 149. a. b. etiam invictiſſimi muneribus vincuntur. 150. t. judex quatuor millibus cataphractis equitibus à ſententia juſtâ dimotus. 150. a. judicum amantium allectorias, ſeu munera affectus. 153. b. c. accepti: muneribus refrigeſcunt in zelo defenſionis juſtitiæ. 154. c. atque obmuteſcunt. 154. a. b. curioſa exempla talis obmuteſcentiæ judicum. 155. t. judiei in quibus liceat, vel non liceat, accipere munera. 156. t. erga judices malos horrendæ ſententiæ Scripturæ Sacræ. 157. a. 183. a. b. judicis cuiusdam mirabilis converſio. 157. b. judices per munera corruptos Deus ſibi reſervat judicandos. 157. a. etiam ſeverè à Principibus puniti ſunt; & varia huius exempla. 157. b. c. Judex judicaturus amicitiæ legibus renuntiare debet. 159. a. b. & ab alijs turbidis affectibus eſſe alienus. 169. c. 170. t. Judicum mores deſcripti. 162. b. c. in judice quid notet elevatio oculorum? 167. t. crebrò cœlum aſpiciant, quomodo? 174. c. contra judicem, ni odium deponat, excipiendum. 171. t. judicis oculus obliquus perſtringitur. 167. c. 168. c. 171. t. & ſeq. ut judices rectè judicent, illis ſit aſſiſtens juſtitia, quomodo? 174. a. excuſſo humano metu pro juſtitia viriliter agant. 175 & ſeq. nec timeant capiti ſuo. 175. t. judices ſint viri, & quidem viriles. 176. t. habentes judicandi poteſtatem Angelis comparantur. 176. c. ſint etiam potentes contra faciem cuiuscunque iniqui. 178. t. habeant ſufficien-

tem

rem legum ſcientiam, & experientiam, 179. t. partes judicis eſſentiales, quæ? 179. a. contra judicem legum ignorantem eſt excipiendum, 179. c. judex centoculus ſit. 180. a. quomodo inquirere in complices, infligere pœnas, examina inſtituere, &c. debeat. 180. t. indiget pro his prudentiâ practicâ. ib. ipſi timor DEI ſummè neceſſarius. 181. 1. 182. a. judicum Athenienſium circa hoc exemplum. 181. c. ab ipſis multi Chriſtiani judices condemnandi. 182. a. judices appellantur Dij. 182. a. b. eorū munus honorificum. 182. t. terribile & formidoloſum, 183 t. judices inveſtigent veritatem. 184 b. ad imitationem Chriſti clementiam, & manſvetudinem ſectentur. 185. c. 186. b. c. & ſeq. etiam juxta Sinenſes. 190 a. judici an plùs debeat eſſe cordi rei defenſio, quàm accuſatio; plùs abſolutio, quàm condemnatio; plùs miſericordiæ exhibitio, quàm juſtitiæ executio, &c. ventilatur. 191. t. 192. t. 193. t. & graves Sapientum ſententiæ circa utrumque. ib. Vide *Iudicium humanum.*

Judicium extremum noctua ſymbolizat. 9. t. 10. t. ejus adventum nemo ſcit. 10. c. variæ ſententiæ circa ejus adventum. 11. & ſeq. erit veriſimiliter in Paſchate. 15. c. ſigna præcedentia extremum judicium. 16. 1. erit horribile. 19. a. b. quatuor hominum genera juxta Hebræos ad judicium non citanda. 68. b. Vide *Iudex Chriſtus.*

Judicium particulare homini mortuo ſuſtinendum eſt. 397. t. probatur id à viſionibus ac revelationibus. 198. t. modus judicij particularis. 399. t. in eo quædam animæ ſubeunt judicium diſcuſſionis, quædam non. 399. c. eſt actus judiciariæ poteſtatis Chriſti. 397. t. judicij particularis momentum cum horrore deſcriptum. 400. t. ejus horribilis & diſtrictus proceſſus. 401. t. interrogatoria particularis judicij penetrantiſſimè inducta, per plurima puncta ſingillatim. 402. t. ratio tunc ab omnibus reddenda ſpecificè inculcatur. 403. t. ad judicium DEI imminens Sancti expaverunt, quales? 403. a judicium futurum eſt homini formidabile. 460. b.

Judicium humanum. In loco judicij impietas viſa. 144. c. judicium humanum in Tribunalibus quatuor modis pervertitur. 144. c. nimirum timore. 144. c. 181. a. cupiditate ſeu muneribus. 144. c. 147. t. odio & amore. 144 c. 165. c. 170. t. judiciorum perverſitas graphicè exponitur. 146. t. in ijs juſtitia depulſa, veritas oppreſſa. 146. b. judiciorum transfiguratio, ac juſtitiæ obumbratio per allectorias ſub linguis judicum poſitas adſtruitur. 153. & ſeq. In judicio cur ſedendo ferenda ſit ſententia? 159. 1. per affectus & reſpectus judiciorum æquitas corrumpitur. 159. & ſeq. quantùm ijs obſit inordinata affectio. 161. c. 163. t. 164. t. in judicio perſonarum acceptio rejecta. 161. c. 162. t. exempla inſignia non acceptantium perſonas in judicio. 166. t. ſecundùm carnem judicare, quid? 165. c. de vultu Dei judicia præſidum promanent. 174. t. prudentia practica adhibenda. 180. t. judicij proceſſum violentum. & truculentiæ plenum. Sapiens ictum fluvij nominat, cur? 193. b. Vide *Iudex humanus. Iuſtitia.*

Jugum Chriſti eſt onus leve, ad inſtar pennarum avis. 296. b.

Jus. Summum jus ſumma injuſtitia. 447. b. c.

Juſtitiam Diceros avis docet. 5. a. juſtitia à loco judicij repulſa. 146. b. c. juſtitiæ obumbratio fit per allectorias ſub linguis judicum poſitas. 153. & ſeq. juſtitias judicabit Deus. 157. b. qui operatur juſtitiam, dignus eſt habitare transfiguratus in monte Dei. 158. 1. viæ juſtitiæ *viæ Regiæ & Imperatoriæ.* 158. c. quibus turbinibus agitemur contra juſtitiam. 165. c. difficile eſt, juſtitiam rectâ lance tenere. 165. c. juſtitiæ ſtatua deſcripta, & moraliter expoſita. 169. t. eam impediunt ira & conturbatio. 169. c. juſtitia ſit judicibus aſſiſtens, quomodo? 174. a. de vultu Dei prodeat Regis juſtitia. 174. b. ad eam defendendam potentiâ & auctoritate opus eſt. 178. a. juſtitiam & miſericordiam Deus ſemper conjungit. 187. t. hæc mixtio figurabatur in iride thronum Dei cingente. 187. a b. juſtitiæ & miſericordiæ ſunt duo brachia imperatoris. 188. a. utriusque mixtio eſt Regibus decora & neceſſaria. 189. t. quænam alteri prævalere debeat. 191 t 192. t. juſtitia Lunæ, miſericordia Soli comparatur. 189. b. juſtitia quælibet extrema à ſe removet, quomodo? 447. t. Vide *Iudex humanus, Iudicium humanum.*

Juſtus. Juſtorum multiplex doctrina è lapſu Petri. 210. t. non confidant in ſua fortitudine. ib. ad hominem juſtum quomodo veniat, & manſionem apud eum faciat SS. Trinitas. 307. c. juſtorum nihilum pretioſum, & meritorium. 366. t. ipſis nihil deeſt. 366. a. Vide *Sanctus.*

Juvenes pro proximis ſuis non juvenes, ſed ſenes habeant. 440. t. eorum proclivitas ad laſciviam. 440. a. b. quomodo properent ad mortis metam, pulchrè declaratur. 440. c. juvenes æquè ac ſenes mors ſuccidit. 461. t. juvenes quandoque præmaturè moriuntur ex ſpeciali decreto prædeſtinationis, alioquin in provecta ætate perituri. 463. t. juvenibus lethalis eſt ignis concupiſcentiæ & iracundiæ. 467. t.

Juventutis pernicioſum otium. 462. b. & labor, qui. 462. b.

K.

S. Keiwinus. In ejus manibus merula depoſuit ova, & pullos excluſit. 178. a.

L.

Labor manuum commendatur ab exemplis. 120. t.

Lachrymæ Petri pœnitentis amaræ exponuntur. 206. c. & ſeq. dolor vehementiſſimus Petri succreſcente amore in lachrymas reſolvitur. 216 t. amaritudo harum lachrymarum expenditur. 217. t. lachrymæ Petri aquis Siloe comparatæ. 217. b item ſalſedini maris. 217. c. lachrymæ Petri nobis imitandæ. 218. 1. lachrymæ fœlices. 226. b. Vide *Pœnitentia.*

Lapides roſtris imponunt anſeres Taurum montem ſupervolaturi, cur. 426. c. lapides Rationalis & Ephod in varios colores mutati, quid portenderint Judæis? 137. a. Lapillus mirabilis mortem Alexandro ſymbolizans. 422. c.

Laquei nobis ubique parati, & retia. 257. a.

Larus avis, qualis. 506. a. eſt clamoroſus. 31. b. 508. a. eidem aſſimilantur ſeipſos nimium æſtimantes. 31. b. c. plura de ipſo. 507. a. 508. a 510. a. 511. a.

Laus quid, & quomodo differat à fama & honore? 534. a. b.

Lectio & diſcurſus menſalis ſuadetur. 385. t.

Lectulus Chriſti, Crux. 310. c.

Lenitate potiùs, quàm ſeveritate animi vulneribus medendum, exemplo boni chirurgi. 315. c.

Leo in ſuâ domo, quomodo ſit paterfamilias? 135. b. c
Lepus à canibus anguſtiatus, morientis imago. 410. b. c.

Lex, araneæ tela, cur? 162. c. 361. a. legum ſcientiam & experientiam habeat judex. 179. t. legum executioni mandandarum ſymbolum. 26. c.

Liberos habere nec ne, an meliùs ſit parentibus, problema 55. t. partis affirmativæ rationes. 55. a. partis negativæ. 55. b. c. moleſtiæ in educatione liberorum. 55. b. c. 69. t. amara eſt liberorum voluptas. 55. c. 69. t. triplex liberorum ergà parentes obligatio. 54 & ſeq. nimirum præſtandi illis obedientiam. 57. t. 58. t. reverentiam. 59. t. & pietatem. 60. t. & ſeq. liberorum ærumnæ parentibus maximæ 70. t. horrendum hujus exemplum. 70. t. Vide *Filius*.

Libertas contradictionis cur homini relicta? 53. t. liberè agit homo, non obſtante Divinâ Providentiâ ab æterno cuncta diſponente. 104. b. c. libertas in operando nullatenus tollenda. 107. t. libertas ad ſalutem omnibus adultis competit. 256. t. ſine libertate voluntatis humanæ non ita eminuiſſet Divina Bonitas. 256. a.

Libido ſine gula monſtrum haberetur. 378. a. Vide *Luxuria*, *Concupiſcentia*, *Adulterium*, *Fornicator*.

Linguæ continentia, difficilis. 502. t. labile membrum eſt lingua, & inquietum. 502. b. c. linguæ gratioſæ conditio. 424. t. linguæ moderatio ad quæ primò conducat? 523. t. lingua, ſicut urbs muris, portis & ſeris, munitur palato, dentibus & labijs. 524. b. lingua optima & peſſima pars. 528. a. lingua mala eſt Academia iniquitatis per omnes Scholas. 529. t. lingua eſt janua, per quam diabolus ſæpè ingreditur cor. 525. c.

Littera Pythagorica y. & cur? 271. a. ſymbolicè explicatur. 271. t. quatuor litteris, φ. ξ. χ. ϑ. ordo aciei deſignatur. 71. a. litterarum bajulus erat cornix. 455. b. 488. b. & tinnunculus. 533. t.

Locus quiſnam ſit cæteris dignior? 443. t. variæ circà hæc ſententiæ, ac mores gentium. ib.

Locuſtis, de quibus in Apocalypſi, detractores ſimiles. 129. c.

Loquacitas frivola per picam ſymbolizata. 197. t. contra ineptam loquacitatem Chriſtus ſolemni proteſtatione excipit. 297. b. loquaciſſimæ ſunt fæminæ. 298. t. etiam viri loquaces. 299. a. loquacitas ſubinde per aliquot dies cohibita, ſubitò quandoque rurſum prorumpit 302. b. loquacitas infamatoria deteſtabilis. 303. t. quidam ei deditus horribiliter punitur. 303. c. loquacitas aſſentationis ac ſuſurrij cavenda. 303. t. loquacitas revelans ſecreta deteſtabilis. 305. t. Vide *Secretum*. *Silentium*.

Loqui. Quibus circumſtantijs ſit loquendum. 299. t. quid, cui, qualiter, quando, & ubi loquendum? ib. loqui oportet ore & more Domini, quomodo? 300. t. locutio vana & otioſa plurimùm obeſt. 301. t. mala indeeminentia, quæ? 301. b. rectæ locutionis regula eſt motus & ſonus horologij. 306. t. pulchra utriuſque analogia. ib. loquendum rectè, hoc eſt, opportunè. 425. c. loquendi libertas neceſſaria eſt omnibus Verbi Dei præconibus. 428. c. *locutum fuiſſe, pœnituit; tacuiſſe verò nunquam*, Simonidis adagium. 521. c.

Ludovicus Caroli Magni filius cognomento Nihil, cur? 364. c.

Lunulæ in calceis nobilitatis ſignum apud Romanos. 437. c.

Luri, herbæ, mirabilis proprietas. 214. a. lemma ipſi ſubſcriptum. 114. b.

Lux. Ejus encomia. 323. a. lux & gratia ſunt primà diſtinctiva. 323. t. ejus præſtantia. 324. a. eſt plurimùm communicativa ſui. 324. b. utilitas ipſius. 325. a. 328. a. & pulchritudo. 326. a. ac inſtantanea actio. 327. a. confert animantium corporibus decorem & vigorem. 328. a.

Luxuriæ ſymbolum upupa. 390. t. ejus fœditas, damna, pernicies, mors. 391. t. eſt Pandoræ ſimilis. 391. c. ſapientiſſimos, fortiſſimos, &c. depravavit, &c. ib. luxuriæ fomenta communia, quomodo abigenda? 354. t. ad eam proclivitas juvenum. 440. a. b. Vide *Luxurioſi*. *Concupiſcentia*. *Libido*. *Adulterium*. *Fornicator*.

Luxurioſi muſcis comparati. 130. t. 131. t. luxurioſi in cælum evolare non poſſunt. 291. a. b. comparantur upupæ. 291. b.

M.

Magdalena. S. Maria Magdalena fuit corpore procera. 231. b. & hinc Turrita dicta. 231. b.

Maledici muſcis comparati. 126. t. in cælum non evolant. 291. a. comparantur apibus pungentibus. 371. b. c. quanta mala inferant, quantùmque caſtigentur? 372. t. & ſeq. Vide *Punctura*. *Calumnia*.

Maledicentia Aulicorum. 117. t. Religioſorum. 128. t. & plebis. 129. t.

Maledictio parentum abrumpit filijs vitam. 466. t. varia ejus exempla. ib.

Malitiæ & virtutis emolumenta ex adulteri circumſtantijs declarata. 77. t.

Malos cur Deus permittat prodire, & feliciter vivere cum bonis? 88. c. 90. & ſeq. & præſertim. 97. c. ſunt in Mundo ad exercitium bonorum. 90. t. tolerantur à Deo ad probationem & manifeſtationem bonorũ. 92. t. 93. t. ex malo hæreſis permiſſo multa bona efficit Deus. 95. t. maturè adhibenda cautela malia ex malo proſilientibus. 96. t. malus faciliter de alijs malum opinatur. 165. a. nemo repentè fit peſſimus, ſed paulatim. 209. c. docetur hoc exemplo Petri. ib. malitioſis applicantur aliquot perdicis proprietates. 351. t. malis anguſtiæ mortis intolerabiles. 412. a. b. malum nihil eſt. 362. b.

Manſuetudinis & clementiæ diſtinctio. 186. a. docentur à Chriſto. 185. b. c. 186. t.

Mare. Ejus ſalſedo unde proveniat? 217. c. comparatur eidem amaritudo lachrymantis Petri. 217. c.

Margarita pretioſa eſt charitas. 483. a. margarita incomparabilis, & omnis infortunij impatiens. 483. a. b. margaritæ Euchariſtia comparatur. 541. t.

Maritorum cruces & tribuli ingentes. 68. t. uxorem etiam pauperem æſtiment. 83. c.

Martyrium carnis. 66. a. in matrimonio conjuges acerbum trahunt martyrium. 64. c. juge martyrium aulicorum. 517. b. c.

Mater. Ob matris imprecationem filia à dæmonibus poſſeſſa. 466. b.

Matrimonium repudiat Democritus, cur? 66. a. in matrimonio conjuges acerbum trahunt martyrium. 64. c. & ſeq. Vide *Conjugium*. *Conjugale*. *Maritus*. *Uxor*.

Maximi-

Maximiliani Bavariæ Electoris emblema. 169. b.

Mechlini exorto momentaneo incendio cæteris conſumptis mirabiliter materfamilias è cellario cerevisiam allatura ſervatur, 106. b.c.

Meduſa carnem ſymbolizat, 448. b.c. tota Meduſæ à Perſeo interfectæ fabula ad carnis mortificationem refertur, 448. b. c.

Medium, ſeu mediocritas commendatur, 442. b.c. medium Salvator ſemper dilexit, hujúſque declaratio. 442. c. 443. c. medius locus præfertur extremis. 443. t.

Mediocritas virtutis à Philoſophis commendatur. 444. t. & in quo conſiſtat? 445. t. mediocritas in utriuſque fortunæ bonis aurea. 449. t. mediocritas varijs experientijs commendatur, extremitas reijcitur. 450. t.

Medicinam, & pharmacorum ſpecies invenerunt variæ aves. 4. c.

Mel dulcis eloquij Concionatori competit. 432. t. per mel tria Prædicatoris officia repræſentátur. 432. c.

Melanchthon. Phil. Melanchthonis hæreſis, 51. c. eſt author Auguſtanæ Confeſſionis ib.

Meletius. S. Meletij imago añulis inſculpta. 42. c.

Mendaciũ. Ad mendacia munera inducunt. 151. a. b

Mendica otioſitas corrigitur. 115. t.

Menecratis medici arrogans ſtultitia. 417. c.

Mens humana proditur vultu. 23. t. mentis feneſtræ ſunt oculi, 168. t.

Menſa humilis Agatoclis Regis, 37. b. menſalis diſciplina ſtatuitur, 377. c. & ſeq. menſæ apparatus lautè inſtructus deſcribitur, 380. t. quàm ſit iniquus. 380 t. 381. t. circa menſalem diſciplinam rigor S. Corbiniani Ep. 381. c. menſam præcedat, & ſequatur oratio, 383. t. id etiam Ethnici & Turcæ obſervant. 383. a.b. idipſum aves nos docent, 383. c. menſæ ſtudioſitas inordinata reijcitur. 384. t. menſalis lectio & diſcurſus ſuadetur. 385. c. menſa Chriſti Regis adſtruitur, 516. a. Vide *Cibus, Convivia.*

Meretrix eſt cloaca ſordium & ſtercorum. 259. b.c.

Mergorum natura. 434. a. mergus eſt ſymbolum dæmonis, peccatoris, & viatoris. 435. t. mergi cicurati quamplurimos piſces domino ſuo cæperunt. 435. a.

Merita noſtra ſe ſolis nihil ſunt. 364. c.

Meropes hamo capiuntur. 499. a.

Merula in manibus S. Keivvini nidificans, pullos excluſit, 278. a. ejus proprietates explicatæ. 279. a. 280. a 281. a. 282. a. 283. a. 284. a. 285. a. merula & paſſer ſolitarius videntur coincidere, 279. a. merula communiter nigra, 281. a. 282. a. dantur etiam albæ. 282. a. merula novem notas concordantiæ muſicalis diſtinctè exprimens. 286. a.

Metus pervertit judicia humana tribunalium. 144. c. 181. a.

Milites ſaltando olim hoſtem aggreſſi, 142. a.

Militia hominis Vide *Pugna.*

Milvus. Eius proprietates variæ, 39. t. furatur marſupium cuidam œnopolæ, 39. a. cur inter ſidera relatus? 39. b. Miluo debetur ars nautica. 3. c.

Miſericordiam & juſtitiam ſemper Deus conjungit, 187. t. declaratur hoc varijs exemplis, 188. t. hæc mixtio figurabatur in iride thronum Dei cingente, 187. a, b. miſericordia Dei colore multiplex, quomodo? 187. b. miſericordia divina ſunt arcus & arma noſtra ad Deum quodammodo vincendum, 87. b.c. miſericordia & juſtitia ſunt duo brachia Imperatoris, 188. a. miſericordia ſemper adſtat divino Tribunali, ut mitiget juſtitiæ rigorem, 188. c. miſericordiæ & juſtitiæ mixtio eſt Regibus decora, & neceſſaria, 189. t. miſericordia *Soli*, juſtitia Lunæ comparatur. 189. b. miſericordia à puero comico expreſſa, 190. a. ſtudiũ miſericordiæ præfertur juſtitiæ, 191. t. miſericordia Dei major eſt, quàm noſtra iniquitas, 41t. c.

Miſo omnibus hominibus invidens, 473. a.

Miſſæ Sacrificium, & ſacra Communio, ſunt nuptiæ cum Chriſto, 496. t. Miſſæ ſacrificium quotidie ritè celebratur 497. t. ſemel, aut ſæpiùs miſſam quotidie celebrandi, ratio exemplis comprobatur, 498. t. tres miſſas cur celebrent Sacerdotes in Nativit. Dñi? 498. b. Sanctorum devotio in frequentando Miſſæ ſacrificio, 498. b.c. fructus ſacrificij Miſſæ dulces frequẽter applicandi, 499. t. per Miſſam quomodo nobis applicetur ſacrificium Crucis? 500. b.c. ſub Miſſa offertur Deo ſacrificium laudis ſummè acceptabile. 501 t. hujus exemplum in Henrico III. Imp. & Alphonſo Rege Aragonum victoribus. 501. c. Miſſæ ſacrificium propitiatorium eſt, & Euchariſticum. 502. t ejus effectus varij ex opere operato, & operantis, 503. t. 504. a. an ſint infallibiles? 504. a. Miſſæ auditio quantùm præſtet. 504. t. ſub ejus auditione S. Eduardus Rex vidit Chriſtum ſibi benedicentem. 504. b. quantùm duobus militibus quotidiana auditio Miſſæ profuerit. ib. liberatur dives à morte, cũ alius pro ipſo quotidie miſſam audijſſet. ib. ob applicatum ſibi miſſæ auditæ fructum liberatur adoleſcens à morte deſperabunda, 504. c.

Momẽti ultimi horror emphaticè deſcriptus. 400. t.

Monachus trecentos annos aviculæ cantu demulſus. 224. c. Vide *Anachoreta, Religioſus.*

Monaſterium. Ad id non admiſſi, qui haud inſtructi eſſent aliquo opificio. 120 c. in Clauſtris ſeu Monaſterijs dantur etiam muſcæ contentioſæ. 25. b.

Monedulæ quondam hyeme pullos eduxerunt. 280. a.

Monſtroſitas quoad ſtaturæ proceritatem quando incurratur? 232. a.

Montani virunculi dæmones ſunt. 233. b.

Morbi ſunt mortis prodromus 407 t. morborum infinita genera ab intemperantia cibi & potûs inducuntur. 407. t.

Moribundus Chriſtum ad ſe invitet, & benè omnia diſponat. 505. t. Matthæi Cardinalis Albanenſis morituri proteſtatio, 504. b. de corpore & anima ſua benè diſponat. 507. t. varij affectus animi tunc eliciendi. 507. c. Sacrum Viaticum ſibi afferri religioſè petat. 508 t. morituro pergendum Chriſto duce ad littus æternitatis 509. t. eidem Crux Chriſti ſit molle pulvinar. 510 t. eſt ungendus extremâ Vnctione. 511. t. gravis impietas eſt, moriturum ſe deſtituere Sacramentis Eccleſiæ ad imitandam derelictionem Chriſti. 512. t. Vide *Agonizans.*

Mors terræ glebâ, ſub qua perdix ſe occultat, pulchrè ſymbolizatur. 351. b. mortis memoriam reverà qui habet, peccare non poteſt; & memorabile circa hoc factum. 398. b. mortis ſymbolizatio à

Circo ſeu accipitre. 404. t. exactiùs ſymbolizatio ejus à circo adumbratur. 406. t. mortis prodromus, & ſtratagemata, ſunt varij morbi. 407. t. ejus in hominem irruptio valida per varios accipitres ſymbolizata. 408. t. & ſeq. mortis terror & anguſtiæ. 408. c. varia mortis epitheta. ib. mortis dolores, quanti? 409 c. anguſtiæ morientis. 410. t. & tentationes eidem à dæmonibus in ſpecie objectæ. 415. t. mortis anguſtiæ malis intolerabiles, bonis mellificatæ. 412. t. amicorum in morte importunitas, & circumſtantia. 413. t. mors omnes facit æquales. 422. t. lapillo mirabili ſymbolizatur. 422. c. mortis ſpectaculo Sanctus Franciſcus Borgias, & Sanctus Auguſtinus converſi. 423. t. mors juvenibus æquè ac ſenibus imminet. 440. c. eſt inſidioſa & fatalis juventuti. 461. t. æquè ſuccidit adoleſcentes ac ſenes. 462. t. mortis varij ictus explicantur. 463. t. & ſeq. mors quorundam prælmatura ex prædeſtinatione Dei. 463. t. item ex diſpoſitione divinæ providentiæ ad impedienda damna futura. 464. t. ex inobedientia parentibus præſtita. 464. b. c. ex continuata in filijs parentum malitia. 465. t. per maledictionem & imprecationem parentum. 466. t. per ignem concupiſcentiæ, & iracundiæ. 467. t. ob temulentiam, malam ſocietatem, contumaciam, & otium, 468. t. mortis omnia abſorbentis ſpecimen, Iarus. 506. t. inſtar piratæ incautos invadit. 506. a. b. nullus locus à morte ſecurus. 506. b. ne quidem locus convivij, & varia hujus exempla. 506. b. c.

Mortificatio corporis cauta ſit inter copiam & inopiam, 48. t.

Motus concupiſcentiæ primi & involuntarij non ſunt peccatum veniale. 392. t.

Motus corporum triplex, à centro, ad centrum, circa centrum. 292. a. motus à centro moraliter optimus. 292. t.

Moyſi cur Deus virgam prodigioſam concrediderit, non Aaroni? 177. a. negavit, ſe eſſe filium filiæ Pharaonis. 177. a.

Mulier bona difficilè invenitur. 68. c. varia S. Scripturæ & SS. Patrum teſtimonia de muliere mala. 68. t. mulier eſt ſub viri poteſtate, tametſi fortunis & ſanguine ipſi præſtet 83. t. mulieris bonæ encomia. 84. a. quanta ex bonis mulieribus bona plurimis Provincijs emerſerint, 84. b. c. nomina plurium talium mulierum. 84. b. c. malæ mulieres graviſſima mala quibuſdam regnis attulerunt. 84. c. mulier fatua & pulchra, quid? 88. b. Romaldæ mulieris ambitioſæ & malæ ſupplicium. 97. a. mulieres ſint ſubditæ viris. 143. t. per mulierem plures decepti, ac præſertim Petrus. 208. b. c. mulieres cavendæ docentur ex lapſu Petri. 210. b. Vide *Fæmina. Virgo.*

Multiloquium valde pernitioſum. 528. t. Vide *Garrulitas.*

Mundus juxta aliquos ſex mille annis ſtabit. 11. a. aliorum circa hoc opiniones referuntur. 12. & ſeq. ejus finis quando venturus? 12. & ſeq. quamdiu ſit duraturus poſt mortem Antichriſti? 15. t. quidquid lyret mundus, ſaltandum eſt. 142. b. mundum hunc ex ovo reſultaſſe, inepta quorundam opinio, 220. a. mundi gaudia nunquam pura & ſolida, 226. a. Mundi inanitas, ovo inani & vacuo comparatur, 227. a. mundi gaudia ſunt laquei, viſcus, & ſtercus, 257. t. mundi aucupium. 257. a. mundus immundus. 258. b. ejus illecebræ, quæ? 258. t. de eo Sancti Auguſtini, & Aurelij Imperatoris ſententia. 258. b. c. mundi illecebræ, nimirum concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, ſtercoribus & excrementis ſimiles, 259. t. 261. t. 266. t. ejus voluptates ſunt etiam excrementum mortiferum. 260. t. remedium huic malo mortifero. 260. c. mundus more turdorum malum ſibi excreat per illecebras. 258. a. 259. a. 260. a. 261. a. 266. a. mundum eſſe punctum, Seneca aſtruit, 289. c. mundi vanitates & delicias qui ſectantur, ſunt inſtar araneæ muſcas capientis, 362. c. mundi fallacia & inconſtantia. 387. t. ejus fallacia à varijs avibus adumbratur. 388. t. non debet diligi, nec reputari. 389. t. ejus varia & digna encomia. 389. b. c. mundi ſapientes à noctua ſymbolizantur. 388. b. c. mundi vanitas ab ave tranſvolante, & navi transfretante ſymbolizatur. 454. c. aſſimilatúrque aucupijs, 455. t. mundi vanitas tranſitoria multis argumentis ventilata. 455. t.

Munus. Munera pervertunt humana judicia Tribunalium, 144 c. 158. b. c. excæcant oculos judicum, 147. t. 149. b. c. 158. a. b. & mutas faciunt linguas diſertas, 149. b. 154. t. 158. b. ob munera Samſon hoſtibus traditus, 149. b. c. nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia & muneribus poſſit, 149. c. munera etiam invictiſſimos vincunt judices, 150. t. Ipſum etiam Davidem, 150. b. c. & Giezi, 151. t. & Aaron. 155. b. c. inducunt ad mendacium, 151. a. b. rejecta admirationem cauſant, 151 c. etiam Angeli formidant munera, ne ab ipſis depraventur, 152. t. munerum ſitis torret, & obmuteſcere facit cauſidicos, 154. t. curioſa exempla talis obmuteſcentiæ judicum, 155. t. munera refrigeſcere faciunt judices in Zelo juſtitiæ. 154. t. In quibus caſibus liceat judici, vel eorum famulis, accipere munera, 156. t. quæ dantur ad movendum animum judicis in alteram partem, graviter jure divino & humano prohibentur, 156. c. & etiam jure naturæ, ib. Dictum illud, *neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus*, expenditur. 156. c. judiciorum corruptelam per munera Deus ſibi reſervat judicandam, 157. a. corrupti muneribus etiam à principibus ſeverè puniti; & varia hujus exempla. 157. b. c. qui munera non accipit, in monte Dei transfigurari dignus erit, 158. t. ei verò, qui munera accipit, impoſſibile erit aſcendere in montem Dei. 158. b.

Muſcæ, triplex humanæ vitæ bonum extrinſecum inveſtantes, flabello repelluntur. 122. & ſeqq. muſcæ tentationum, ſuggeſtionum, diſtractionum conculcantes Verbum Dei abiguntur. 122. t. & ſeq. muſcarum contentiones, & pugnacitas. 124. t. habent memoriam ſenſitivam. 124. c. comparantur cum Dialecticis. 124. b. muſcæ contentioſæ in aulis, caulis, & clauſtris. 125. t.

muſ-

muſcis comparantur detractores, & maledici. 126. t. muſcis luxurioſi comparati. 130. t. hæc analogia quomodo ſubſiſtat? 131. t. *muſcæ Pulchritudinis* in fœminis perſtringuntur. 132. t. meliùs dicuntur *muſcæ libidinis*, vel *Diaboli*. 132. b. pro repellendis muſcis flabellum. 133. t.

Muſicam debemus philomelæ. 3. b.

Muſicas notas quis invenerit, & quando? 286. a. exprimebantur diſtinctè à Merula. ib. per ſcalam muſicalem varij affectus orationis exprimuntur. 286. t.

Muſtellæ cũ ſerpentibus pognant, quomodo? 215. c.

Mutabilitas mira hominis. 22. t. 23. t. ac præſertim Aulicorum. 24. t.

N.

Nautica ars ab avibus deriuatur. 3. c.

Neceſſitas. *Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala*, eſt Maxima pravorũ ad inferẽdas malas conſequentias. 91. c.

Neronis matris dictum: *occidat, modò imperet*. 55 a.

Nicodemus viriliter ſe opponit iniquo Judæorum Proceſſui contra Chriſtum. 177. b.

Nigredo humilitatem ſignificat. 281. a.

Nihil in prædam aucupij cedit. 359. t. 360. a mirè conditum Auditorio in Eccleſiæ Dedicatione offertur. 359. c. & ſeq. nihil quid ſignificet? 360. a. *Nihili* ratio inveſtigatur. 362. t. malum nihil eſt. 362. b. nihil ſunt in ſe & coram Deo, quæ nobis æſtimabilia videntur. 363. c. 364. t. ut homo, vita, divitiæ, honores, &c. ib. Ludovicus Caruli magni filius cognomento *Nihil*, cur? 364. c. nihilum peccatorum graphicè exemplificatur. 365. t. nihilum juſtorum pretioſum, & meritorium. 366. t. ſuper nihilum lui, ſeu humilitatis fundamentum, acceptiſſimum Chriſto præparatur cœnaculum. 366. c.

Nilus. In Nili inſula audaciſſimi homines degunt. 434. a. Nilus quando frugalitatem, famem aut ſterilitatem conferat. 449. a.

Niſorum pietas erga parentes, 54. c. 56. t. inſigne gratitudinis exemplum in Niſo. 56. c.

Nobiles ſuperbi ineptè ſe decipiunt. 419. t. nobilium proſapia ſæpè fallitur titulo colorato parentum. 36. t. nobilem fieri ex ignobili, glorioſum. 37. t. præſertim dum priſtinam ignobilitatem quis non erubeſcit. 37. t. varia hujus exempla. 37. b. c. nobiles inter proximos ſuos, non conſanguineos, ſed ruſticos recenſeant. 437. t nobilium Genealogiæ quomo progredi ſolcant? 437. b.

Nobilitas. Nobilitatem ſpirantes quàm turpiter ſubinde de ſe præſumant. 35. t. redarguuntur. 35. b. c. 36. t. ob generis nobilitatem non ſuperbiendum. 419. t. quam nobilitatem S. Ludovicus Rex præcipuam habuerit. 419. b. c. nobilitatis ſignum quale apud Romanos, & Hebræos? 438. c.

Noctàbulones à nycticorace ſymbolizantor. 395. b.

Noctua. Ejus deſcriptio. 9. b. portendit luctum, ib. ejus clamor portentoſus. 9. c. 19. c portendit, & ſymbolizat diem extremi judicij. 9. t. 10. t. noctua mundi ſapientes ſymbolizat. 388. b. c. & hæreticos 395. b.

Nomen bonum diutiùs manet, quàm mille theſauri, cur? 531. c. *Vide Fama*.

Noſce teipſum. 30. & ſeq. è cælo deſcendit. 30. a. commendatur. 34. c.

Novitas, ſeu renovatio ſpiritûs præcipitur. 241. b. novitas confertur cum vetuſtate. 241. c. & ſeq. eſt in genere naturæ, ac morum gratiſſima. 243. t. ejus ſymbolum *Pſittacus*. 243. a. novitas ex varijs motivis Chriſto propria. 244. t. per ipſum nova omnia facta. ib. novum ſub ſole nihil. 245. a. novitatis vitioſæ variæ origines. 245. t. oritur præſertim ex *Philautia*, 245. a. ex ſingolaritate. 245. b. ex ſuperbia. ib. & ex judicij imbecillitate. 245. c. alia novitatum vitioſarum impellentium motiva. 246. t. nimirum plauſus, 246. a. & cupiditas placendi. 246. b. hæreſes ſunt puræ putæ novitates. 246. c. novitatum varia ratio ſuadetur, ac commendatur. 248. t. multa incuſantur novitatis, quæ ſunt antiqua. 248. b. novitas, Chriſti imago. 248. c.

Novitij, ac noviter profeſſi in caſtris Religioſis ſunt ad Orientem, cur? 139. c.

Nubere pari, omnium optimè juvat. 82. t. *ſi vis nubere, nube pari*, cæcus cæcè nubens aptè reponit. 82. c. an præſtet citò vel tardè nubere. 85. t. & ſeq. nupturis virginibus apud Lacedæmones nulla dabatur dos, cur? 83. c.

Nuptiæ avium, 79. t. quo die celebrentur? 79. a. nuptiæ diſpares inter hirundinem & turturem, 82. b. nuptiæ æquiparant diſpares. 83. t. in nuptijs celebrãdis quanti habenda ſit virtus 84. t. nuptiæ tardæ an magis expediant, quam præproperæ, problema, 85. a & ſeq antiqui *Patres* tardè nupſerunt. 85. c. nuptiæ cũ Chriſto ſunt Miſſæ ſacrificiũ, & SS. Cõmunio. 490. t

Nycticorax, & clamor ejus portentoſos. 5. t. 19. c. eſt Gentilium & hæreticorum ſymbolum. 395. b. ac noctambulonum. ib.

O.

Obedientia parentibus præſtanda. 57. t. obedientes filios habere, dulce eſt genitoribus. 56. b. obedientia Chriſti uſque ad mortem prodigioſa. 57. t. obedientiæ exemplum præclarum in Cariolano. 58. t.

Oblivio ſui propoſiti, fuit cauſa lapsûs Petri. 217. c.

Occaſio diſcernit inter fideles & infideles. 93. t.

Oculorum in quibuſdam hominibus acies exotica. 17. c. oculorum ſublevatio in Chriſto, quid notet? 167. a. 174. a. quid notet in Gallo & Judice? 167 b. c. oculi ſunt feneſtræ mentis, & nuntij cordis. 168. t. mutantur juxta animi motuum varietatem. 168. a. juxta Plinium habet anima in oculis manſionem. 168. b. oculus impudicus impudici cordis nuntius. 168. c. oculus obliquus Judicis perſtringitur. 167. c. 168. c. 171. t. & ſeq. oculus Domini quàm potens ad convertendum? 213. t. oculi ſtruthionum fabuloſè dicuntur ova in arena fovare, pullóſque excludere. 213. c. oculi ſunt feneſtræ mentis. 261. a. oculorum concupiſcentia conſiſtit in divitijs ſtercori aſſimilatis. 261. t. oculos quot habeant araneæ? 362. a. oculorum cum corde nobilis comparatio. 370. a. oculi in animalibus Ezechielis myſticè explicati. 535. b. c.

Odio pervertuntur judicia humana Tribunalium. 144. c. 165. c. 170. t. odij affectione ſolet affectus noſter à recto mutari. 165. b. c. contra judicem, ni odium deponat, excipiendum. 171. t. odium Judæorum ex Chriſti aſpectu acuitur uſque ad judicij crudelitatem. 172. t. *odia reſtringi, favores convenit ampliari*, declaratur. 173. t. odia recludunt januam divinæ miſericordiæ. 173. b.

Odoacer in cella *S.* Severini ſeſe inclinans, ſe attollendum ab eo audivit. 230. b.

Officiorum Religioſorum diſtributio inter volucres. 47. t.

Oleum, charitatis ſymbolum, 121. c.

Olorum & hirundinum de taciturnitate controverſia. 122. t.

Onocrotali deſcriptio, voracitas, & ingluvies. 381. a. eſt ſymbolum ingluviei. ib.

Onus. Alter alterius onera portet. 274. c. idque exemplo gruum, & cervorum. ib.

Opera noſtra bona ſine condignificatione meritorum Chriſti, nihil ſunt. 364. c. opera noſtra per charitatem ad Deum elevanda. 484. t.

Orationis proprietates merula nos docet. 278. t. & ſeq. oratio merè & ſolitariè fundenda. 279. t. debet eſſe fervens. 280. t. oraturi quale cubiculum intrare debeamus? 279. c. oratio debet eſſe fervens. 280. t. tepida, timida, & temeraria nihil obtinent; cur? 280. c. oratio ſit humilis. 281. t. pura & mera. 282. t. compoſita, attenta & religioſa. 283. t. in oratione vocali mens & lingua conſentiant. 283. t. ſit etiam reverentialis. 284. t. ubi quorundam irreverentia redarguitur. 284. c. fiat perſeveranter. 285. t. varij modi orandi. 285. b. c. orationis effectus varij per ſcalam muſicalem exprimuntur. 286. t. oratio peccatoris non exauditur. 282. t. quorundam inepta & diſtracta oratio. 283. b. diſtracta oratio cui ſimilis? 283. c. quando ſit peccatum. ib. modus attentam orationem perſolvendi. ib. gentilium eximia obſervantia in exorandis Idolis. 284. b. *oportet ſemper orare*, quomodo? 285. a. cùm oras, clama non voce, ſed mente. 28 . c. oratio & jejunium ſunt duæ alæ volandi in cælum. 295. c. oratio menſam comitetur. 383. t. eam frequenter poſt menſam ſolere omittere, quidam cenſet eſſe mortale. 383. c.

Orbis terrarum an ſignificetur per *P*omum imperatorium? 44. b. orbis novi inventio appoſito facto demonſtratur fuiſſe difficilior. 228. a.

Ordo in caſtris Religioſorum. 139. t. ordo datur in omnibus dempto inferno. 139. a.

Ornithoboſcium magnum apetitur ad noſtram inſtructionem. 1. b. c. 2. t. 8. c.

Orthographiam grues nos docent. 3. a.

Otioſitates variæ adducuntur, ac reijciuntur. 109. & ſeq. otioſitas per Pſittacum figurata. 109. t. & ſeq. ejus effectus varij perſtringuntur. 110. t. otium radix omnium malorum, in ſpecie expreſſorum. 110. c. ac præſertim Veneris incentivum. 111. c. otioſitas ſaginata Chriſtianorum pernicioſa. 111. t. perdidit olim Iſraëlitas, *P*entapolim, Davidem. 111. b. & Salomonem 111 c. compta otioſitas deſcribitur. 112. a. ac diſſuadetur. 112. t. facunda otioſitas, quæ? 11 . a. impingit multipliciter. 114. t. otioſitas mendica in Chriſtianis corrigitur. 115. t. ſolitaria Anachoretarum defenditur. 116. t. religioſa taxatur ab æmulis, ſed defenditur. 117. t. otium ſanctum commendatur. 118. t. otium ſanctum eſt negotium negotiorum. 118. b. operoſum affectuosè ſuadetur. 1 9. t. 120. t. otioſis non datur æterna requies. 121. t. otium pernicioſum, & labor juventutis, quis? 462. b. otium multis vitam abripit. 468. c. eſt vivi hominis ſepulchrum. ib.

Ovis perditæ pericula, ratio & reparatio. 356. t. ad ovem perditam, ut reducatur, muſicum drama. 356. c. eam perditam quanto amore & ſtudio Chriſtus reducat? 355. t. paſtoris gaudium de ove reperta. 358. t. ovem perditam & inventam Carolomanus humeris imponit, 358. a.

Ova paſchalia cur benedicantur? 219. c. 220. t. cur fideles ſibi invicem ova paſchalia offerant? 220. t. quid ſymbolizent? ib. ſignificant præſertim duplicem hominis regenerationem, unam in Baptiſmo, alteram in Reſurrectione, 220. b. c. ex ovo reſultâſſe mundum iſtum, inepta quorundam opinio. 220. a. ab ovis cœnam incipiendi, lex Athenæi. 220. b. ovi vitellus puriſſimus. 226. a. ovi firmitate cæleſtis Beatitudinis firma perpetuitas declaratur. 227. t. ovo inani & vacuo mundi conditio explicatur. 227. a. ovum aceto maceratum ad juſtorum varias tribulationes moraliter applicatur. 227. b. c. ovum in caput erigendi ars; & caſus circa hoc. 228. a. ovum evacuatum, & rore impletum, à ſole elevatur; & hujus applicatio, 228. c. ova grandia & puſilla exponuntur. 229. t. Merula depoſuit ova in manibus S. Kevvini, & pullos excluſit, 278. a.

P.

Pachomius ob eximiam Chriſtianorum charitatem ſibi exhibitam converſus. 486. c.

Palmæ aſſimilatur ſtatura *S*ponſæ, 231. c.

*P*alumbis caſtimonia, & fides conjugalis. 81. t. eſt ſymbolū ſocialis converſationis inter conjuges. 81. b. monſtrat annulū ſponſalitiū nupturis. 80. a. 81. a. amat unam ſolam conſortē, eâque moriente vivit ſolitaria. 81. a. eſt amoris conjugalis, & caſtitatis vidualis præclarum argumentum. 81. a. *P*alumbes adulterium graviſſimè vindicant. 81. b. c.

Panis apud quaſdam nationes non comeditur, 248. a. Pani notam trilateram imprimendi uſus antiquiſſimus, 336. a.

Panthera excrementorum hominis avidiſſima. 259. c. ei comparantur impudici. ib.

Papinianus recuſat Imperatoris parricidium excuſare, 166. a.

*P*apirij divinæ providentiæ ſe committentis inſigne exemplum. 107. c.

Paradiſi via eſt humilitas, 422. c.

Parentes non amare, impietas; non agnoſcere, inſania eſt, 35. c. erga parentes pietatem nos docent aves, 5. b. ac præſertim ciconiæ, 54. t. & 56. t. & Niſi. 54. c. 56. t. ac filia lactans matrem inediâ conficiendam. 55. b. parentum amorem erga filios inſigni exemplo docent ciconiæ. 5. b. 54. a. ac niſus. 56. c. parentibus an præſtet habere liberos, nec ne? 55. t. dulce eſt, Parentibus habere Filios obtemperantes. 55. b. parentibus præſtanda eſt obedientia. 57. t. idque exemplo Chriſti. ib. talis obedientiæ exemplum præclarum in Carinlano, 58. t. parentum obſervantia etiam temerarios liberos à malis coercuit. 57. b. eis reverentia debita. 59. t. inſignia talis reverentiæ exempla. 59. b. c. ly *honora Patrem tuum*, &c. quid comprehendat. 59. a. 60. a. pietas erga parêtes debita. 60. t.

im-

impietas erga parentes, ejúsque exaggeratio. 61. t. graviſſimè punita. 62. t. parentibus amara liberorum voluptas. 55 b. c. 69. t. ijs liberorum ærumnæ maximæ. 7 . t. horrendum hujus exemplum. 70. t. erga parentes decrepitos gratitudo filij. 346. c. 347. a. parentum peccata, an & quomodo Deus puniat in filijs? 465. t. parentum maledictio abrumpit filijs vitam. 466. t.

Parus, avis, in ſuo giraculo fruſtra aſcendens, mundanæ felicitatis ludum ſymbolizat. 388. a.

*P*arvorum corporum varia commendatio. 234. t. 235. t. 236. t. 237. t. 238. t. in parvis ſpectatius Dei artificium, quàm in magnis. 235. a. corpora quædam parva longè præſtant magnis. 238. c. Vide *Statura.*

*P*aſchatis die Chriſtus venturus putatur ad judicium. 15. c. Paſchalia ova. Vide *Ova paſchalia.*

*P*aſſer ſolitarius & merula videntur coincidere. 279. a.

*P*aſſionis Chriſti epitome. 196. t. & ſeq. *P*aſſio Chriſti in Euchariſtia dulciter anticipata. 344. t. ad eam pulchrè refertur factum Davidis, mutantis vultum ſuum coram Rege Achis. 344. t. eâ charitate, qua mortuus eſt pro omnibus, mortuus eſt pro ſingulis; ídque pulchrè ex Apoſtolo probatur. 355. b. c. imminente Chriſti paſſione, cur Chriſtus diſcipulos dormire, & requieſcere juſſerit. 510. b. Vide *Chriſtus.*

*P*aſtoris Abbatis nolentis conſobrinum à morte liberare, inſigne factum. 166. b. c.

Paſtor varijs modis oves ad ſe trahit. 249 a. paſtor bonus Chriſtus. ib. paſtor requirens ovem perditam eſt Chriſtus. 357. t. paſtoris gaudium de ove reperta. 358. t. imponit eam humeris. 358. a. b.

Pater noſter divitis & lupi ineptum. 283. b.

Paterfamilias ſit leo, gallus, aries, & rex in ſua domo, quando? 135. b. c.

Patres antiqui tardè nupſerunt. 85. c

Patientia & humilitas duæ alæ Sanctorum. 295. b. patientiæ ſymbolum, adamas. 429. c.

S. Paulæ Viduæ pœnitentia. 316. c.

*P*aulus Eremita paſcitur à corvo. 101. a.

S. Paulus Jeſu Chriſti Servum ſe appellare mavult. 117. c. operabatur labore manuum. 120. a. fuit corpore brevis. 236. b. *P*auli denominatio unde proveniat? 236. b. S. Paulus omnia terrena arbitrabatur ut ſtercora. 363. t. quantùm ei bona fama profuerit ad converſionem Gentium. 633. 388. b. c.

Pavo mundi delicias luctu permixtas ſymbolizat. 388. b.

Pauperes à divitibus pro ſuis proximis habendi, 436. b. c. ſunt neceſſarij divitibus ad ſalutem, ib.

Peccatores in vitijs antiquati, deplorabiles. 247. b. peccatores graves gratiâ divinâ converſi. 251. b. etiam obſtinatiſſimis non denegatur gratia ſufficiens ad ſalutem. 254. t quamvis tales difficiliùs reſipiſcant. 254. a. mira graviſſimi cujuſdam peccatoris converſio. 254. b. c aliud exemplum converſionis graviſſimæ cujuſdam peccatricis. 255. t. peccatoris oratio non exauditur. 282. t. hinc antea de peccatis dolendum. 282. c. peccatores perditos Chriſtus clamore ſuo revocat. 353. t. Vide *ovis perdita.* Peccatores ſunt inſtar araneæ, quæ laborat in texenda tela, ut capiat muſcas. 362. c. peccatorum nihilum graphicè exemplificatur. 365. t. peccatoribus anguſtiæ mortis intolerabiles. 412. a. b. ſymbolizantur à mergis. 435. b. c. ſunt à Sanctis pro proximis ſuis ſuſcipiendi. 439. t. peccatores maximos quomodo ſe Sancti agnoverint. 439. c.

Peccatum. *P*eccati commiſſi memoria amariſſima. 217. c. nullum in vita humanâ ſcelus, quod non ob amorem pecuniarum perpetretur. 263. c. peccatum cum gratia non conſiſtit. 325. t. confert amaritudinem, aliáque damna. 326. c. peccata in Spiritum ſanctum, quomodo intelligantur? 331. t. peccatum nihil eſt. 362. b. c. 364. b. c. ſolet peccans illud quodammodo pro nihilo reputare. 364. c. peccatis noſtris major eſt miſericordia Dei. 411. c. peccata parentum, an & quomodo Deus puniat in filijs? 365. t. peccatum maximum an ſit blaſphemia? 490. a.

Pecunia. Vide *Divitia.*

Pelicani natura, ejúsque amor erga pullos. 339. a. b. eſt ſymbolum amoris Chriſti erga Fideles. 339. b. c. & ſeq. ejus amor ignitus, & cruentus erga pullos. 340. t. ejuſdem pulli unde occidantur? 340. b. c. 341. b. pullos occiſos vivificat, quomodo? 340. b. c. quomodo capiatur ab aucupe. 340. a. ei Chriſtus multâ ratione ſimilis. 341. t. pelicanus ſolitudinis quomodo fuerit Chriſtus? 341. a. pelicani filij gratitudo erga parentes. 346. c. 347. a.

Pellicium ex carduelium capitellis ſuffultum. 7. b.

Pennarum utilitas & pulchritudo. 8. a. ſunt onus leve. 296. b. pennæ nobis non deſunt, quibus ad cæleſtia evolemus. 480. c Vide *Ala, Pluma.*

Perdicis fabula Sathanæ applicata. 3, o. t. perdicis natura & proprietates applicantur malitioſis. 351. t. 357. t. perdix dæmonem ſymbolizat. 351. a. 352. b. 354. a. ſolum caput occultat, totum corpus abſconſum credens. 351. c. *perdix fovet, qua non parit,* litteraliter & tropologicè explicatur. 352. t.

Peregrinatio eſt vita noſtra. 269. t. peregrinationis noſtræ terminus, quis? 270. t. peregrinationis noſtræ via eſt Chriſtus. 273. t. peregrinatio vitæ noſtræ perpetua colluctatio. 276. t.

Perſecutiones diſcernunt fideles ab infidelibus. 93. b. c.

Perſona una Divina poteſt ſpecialiter coli ſine altera. 330. t. poteſt etiam ſpecialiter peccari in Perſonas divinas. 331. t. blaſphemus jocus hæreticorum circa cultum ſpecialem unius *P*erſonæ Divinæ. 330. b.

Perſonarum acceptatio à *P*atribus rejecta, & energicè deſcripta. 162. t. exempla inſignia non acceptantium perſonas. 166. t.

*P*erſpicilia magnifica invidiæ. 474. a. b.

Pertica viſcoſa pro capiendis aviculis, moraliter. 249. b.

Perverſi homines. Vide *Mali.*

Peſtifero bubone ruſticus a ſerpente liberatur. 26. c.

Petra eſt Chriſtus. 313. b. c.

Petri negantis lamentabilis caſus exponitur. 206. c. & ſeq. à longè ſequi Chriſtum quàm periculoſum ſit, exemplo Petri docetur. 07. t. Petrus diverſo

modo ingreſſus aulam Pontificis, quàm Joannes. 207. t. ejus trina negatio circumſtantionatè diſquiritur. 208. t. Petrus ad modum grandinis congelatus. 208. a. c. à duplici ancilla perterrefactus. 288. a. c. ejus negatio quoad circumſtantias graviter agitatur? 209. t. hæc ſucceſſivè gravior facta eſt. 209. c. 211. c. lapſus Petri multiplex doctrina Juſtorum eſt. 210. b. ejus lapſus cur à Deo permiſſus? 210. t. oblivio propoſiti ſui fuit cauſa lapſûs ipſius. 217. b. Petrus undique inquietus. 211. a. galli canticum novum, quod nemo præter Petrum intellexit. 212. a. Galli cantu excitatur ad reſipiſcentiam. 211. t. cur potiùs galli cantu, quàm alio ſigno ad reſipiſcentiam ſit excitatus. 212. t. Petrus Domino ipſum reſpiciente converſus. 213. t. mitiſſimè à Domino reprehenſus. 213. c. recordatio verbi Domini quàm fuerit Petro laborioſa & difficilis. 214. t. Petri de ſuo errore emergentis ſymbolum. 214. b. Petrus cur potiùs fleverit, quàm negationem revocaverit. 215. t. perennitas lachrymarum excavat genas ejus. 217. b. Vide *Lachrymæ. Pœnitentia.*

S *P*etrus de Alcantara. Ejus præſentia per ſtellam demonſtratur. 225. c. per eum mirabili Dei auxilio ſuccuba diaboli converſa. 255. t. ad obſervandum ſilentium gerebat lapillum ſub lingua. 277. a. mente & corpore elevabatur. 294. c.

*P*etro Caniſio avicula in cibum advolat. 6. c.

*P*hariſæorum Chriſtum occidentium deſperata mors. 205. c. Phariſæi, de quo in Evangelio, ſuperbia exagitator. 416. t. *P*hariſæi & Scribæ olim canes muti & rabidi. 426. b.

Pharmacorum varias ſpecies invenerunt aves. 4. c.

Phaſiani origo & natura. 414. a. b. eſt ſuperbi etymon. 414. t. ejus ſtultitia, dum inſequentibus venatoribus ſolum caput abſcondit. 414. b. c.

Philautia ad novitates vitioſas impellit. 245. a.

Philippi Macedoniæ Regis vigilantia commendatur. 275. b.

*P*hiloſophiæ moralis omnes partes norunt aves. 5. a. *P*hiloſophiæ moralis liber eſt natura. 5. a. *P*hiloſophia optima, eſt ſuiipſius cognitio. 30. a. hæc *P*hiloſophia è cælo delapſa. ib.

*P*hœnicis & verſpertilionis comparatio oppoſita. 318. t. *P*hœnix an detur in rerum natura? 319. t. eſt unicus, ac quamdiu vivat? 319. a. quomodo producatur. 319 a. b. 320. a. ejus exiſtentia & ſymbolizatio adſtruitur. 320. t. phœnix hieroglyphicòn ſolis. 319. c. phœnici ſimilis eſt anima ſanctificata. 321. t.

*P*hyſicam mirabiliter exercent corvi. 2. a.

*P*icæ experti ſunt grammatices. 3. b. œconomiam tenent. 5. a. varias voces imitantur. 297. a. ſymbolizant frivolam loquacitatem. 297. t. pica mirè loquax ſeverè caſtigatur. 301. a. b. pica loquax quandoque obmuteſcit in ſtudioſitate addiſcendæ cujuſdam propoſitionis. 302. a. notabilis circa hoc caſus. 302. a. b. picæ ſic obmuteſcenti quinam aſſimilentur. 302. b. c. pica inſidias aliorum ſuo clamore manifeſtat, tacitè ipſamet inſidiatur. 303. a. eis ſimiles ſunt, qui alienos exceſſus propalant, proprios occultant. 303. b. c. picarum forma ſagis familiaris. 303. a. picæ Braſilicæ roſtro oblongo præditæ. 303. c. picæ tacere non poſſunt, ſed latentia quæque produnt. 304. a. quomodo nidum ſuum conſtruant, & quandoque aliò ova transferant? 305. a. picæ aſſentatores & ſuſurrones ſimiles ſunt. 305. t. pica Braſilica piperivora, quæ? 379. a.

*P*ictorem ſolertem agit inordinata affectio. 164. t. pulchra hujus declaratio. 164. b. Aurelij pictoris prototypon. 164. c.

*P*ictoria ars avium plumis debetur. 3. c.

Picus, avis eſt ſymbolum mortis. 461. t. ejus natura, & feriendi ars. 461. a. ſerpentem nido ſuo inſidiantem occidit. 463. a. picus Cælio præſidi inſidens, victoriam ominatur. 464. a. picus unà cum Lupa Romulum & Remum nutriebat. 465. a. *P*icus Rex in avem mutatus. 467. c. pici comitantur coturnices migraturas ad calidas regiones. 468. b.

*P*ieridum cum Muſis fabuloſum certamen. 298. a. eſt in gratiam muliebris loquacitatis confictum. 298 b.

*P*ietatis donum. Vide *Dona Spiritûs ſancti.*

*P*ietatem erga ſeniculos parentes nos docent merops, aſtur, ciconia. 5. b. ac præſertim ciconiæ. 54. t. 56. t. & Niſi. 54. c. 56. t. inſignis pietas filiæ lactantis matrem conficiendam per inediam. 55. b. pietatis erga parentes ſymbolum ciconia. 56. a. pietas parentibus debita. 60. t. inſignia ejus exempla. ib. impietas erga parentes exaggeratur. 61. t. graviſſimè punitur. 62. t.

*P*ij *P*apæ IV. inſignia. 188. b.

*P*ilato gallus de *pilatus* energicè applicatur. 194. a. contra Pilatum fit appellatio ad Tiberium Cæſarem. 194. c. 195. t. ejus proceſſus, judicium, & ſententia iniquiſſima contra Chriſtum lata gravi oratione perſtringitur. 194. & ſeq. ejus ficti conatus pro liberando Chriſto. 200. t. convincitur condemnaſſe Jeſum pro poteſtate, non pro æquitate. 205. t. lavit manus, ſed fruſtra. 200. c. 201. b. interrogat Jeſum, quid eſt veritas? 201. b. iniquiſſimam ſententiam contra Chriſtum tulit; & quæ ejus forma. 201. c. Pilati graves errores contra jura exagitantur. 202. t. variorum jurium violatio ab eo facta in condemnatione Chriſti. 203. t. fatetur Chriſtum Regem Judæorum titulo Cruci affixo. 203. b. Pilatus Romam accerſitur ad Tiberium. 205. a. tunicâ Chriſti indutus placat Tiberium. 205. b. mittitur ab eodem in exilium. 205. c. ejus mors deſperata. 205. c.

*P*ilulis ſit ſimile verbum DEI prædicatum. 432. b.

*P*innaculum unde ſic dictum? 144. a. ſuper pinnaculum gallus poſitus varia exercet officia. 144. t.

*P*ipinus, Francorum Rex, ſtaturâ puſillus. 234. b.

*P*iſces plurimi à mergis cicutatis domino ſuo capti. 435. a.

*P*iſcina in Heſebon eſt Eccleſia. 516. c.

*P*iſum parvum ſemen, ſed altum excludit germen. 237. b.

Pix & ſuperbia aſſimilantur. 266. c.

Plauſus ad vitioſas novitates impellit. 246. a.

Pluma-

Plumarum utilitas varia. 7. b. deſerviunt pro veſtitu Barbaris, & pro pelliceo cuidam Germaniæ Principi. 7. b. Vide *Penna*.

Pœnæ à Deo immiſſæ benignitate plenæ ſunt. 188. a. b. pœnæ juſtiſſimæ, quæ? 193. a.

Pœnitentiam hirundo nos docet. 5. c. poſt biennalem pœnitentiam reperitur annulus in flumen projectus, in ſignum remiſſionis peccatorũ. 42. c. pœnitentia animæ aſſimilatur viti lachrymas expellenti. 218. b. pœnitentia felix. 226. b. pœnitentia Petri auſtera. 217. b. c. Vide *Lachryma*.

Pomum. In pomis juxta legem Athenæi cœna finienda. 220. b.

Pomum imperatorium. Vide *Imperatorius globus*

Pompeij triumphus luxuriæ. 515. b. c.

Pontifices Romani quot futuri adhuc? 14. a.

Porta. In portis cur olim judices ſedebant. 148. t.

Portio ſuperior & inferior, juxta Doctorem Subtilem, quid? 72. c.

Potentes per ſuperbiam ſtulteſcunt. 418. a.

Potentiæ animæ ad ejus imperium obſequentes. 72. t.

Prædeſtinati poſt lapſum facilè reſipiſcunt. 354. t. ex ſpeciali prædeſtinationis decreto multi præmaturè moriuntur. 453. t.

Prædicator. Vide *Concionator*.

Prælati in caſtris religioſis ſunt ad Meridiem, cur? 139. c. prælatorum vigilantia ſuper gregem ſuadetur. 275. t. etiam exemplo gruum. 275. a. b. terribilis contra Prælatos ſententia. 275. c. prælatis ſex alæ Seraphim accommodatæ, & quæ? 293. a. prælati Eccleſiæ lenitate potiùs, quàm ſeveritate animi vulneribus medeantur, ad inſtar boni chirurgi. 313. c. prælatus, ſeu paſtor in ove perditâ reducendâ, quomodo ſe gerat? 358. c. prælatorum peccata quomodo à Concionatore reprehendenda. 429. b. fama eis ſine gravi peccato non prodigenda. 535. t.

Præſumptionem noſtram bruta confundunt. 32. t. nobilitatem ſpirantes quàm turpiter ſubinde de ſe præſumant? 35. t. inter præſumptionem & deſperationem via ad cælum media quantùm conferat? 446. t.

Primiſlai Poloniæ regis humilitas. 37. b.

Principes potentiſſimi cur filios filiáſque ſuas honeſtis laboribus & artibus applicent. 112. t. regula pro principibus benè adminiſtrandi Magiſtratum. 189. b. c. 192. t. eorum felicitas & magnitudo, unde? 189. c. principes quomodo dij fiant. 189. a. Deóque ſimiles. 192. b. Vide *Rex*.

Proceritas monſtroſa, quæ, ejúſque exempla. 232. a. Vide *Statura*.

Proceſſus Dei per miſericordiam & judicium exemplificatur. 188. t. proceſſus violentus &c. judicij, ictus fluvij appellatur, cur? 193. b.

Prodigalitas in convivijs quàm iniqua? 380. t. 381. t. Vide *Convivium*.

Propitiatorium quid olim fuerit? 179. b. cur ex utraque parte ejus duo Cherubin, non autem Seraphin collocati. 179. b.

Propoſiti ſui oblivio fuit cauſa lapsûs Petri. 217. c.

Proſapia nobilium ſæpè fallitur. 36. t.

S. Prothaſij corpus miræ magnitudinis fuit. 210. c.

Providentia Dei relucet ex avibus. 99. t. ejus præco ſingularis eſt corvus. 98. c. & ſeq. providentia divina in pullis corvorum derelictis, & tamen paſtis demonſtratur. 100. t. præclariſſimum iſtius ſymbolum. 100. b. 101. b. ejuſdem inſtrumenta ſunt corvi. 101. t. providentia Dei & fatum quâ ratione coincidant. 104. t. nihil fit fortuitò, quod non per divinam providentiam diſponatur. 105. t. mirabiles in elementis eventus divinæ providentiæ adſcripti. 106. t. ei omnia adſcribenda, nihil Fato & Fortunæ. 108. t.

Proximus inquiritur per apodidraſcindam. 434. t. 436. & ſeq proximus divitum. 436. t. nobilium. 437. t. fortunatorum. 438. t. Sanctorum. 439. t. juvenum. 440. t. Doctorum, qui? 441. t. à proximo ſuo unuſquiſque ſe cuſtodiat. 436. a. 437. a. 438. a. 439. a. 440. a. 441. a. proximo fama noſtra ſervanda ad ædificationem. 533. t.

Prudentiæ effigies in gruibus. 5. a. prudentia practica in judicijs adhibenda. 180. t.

Pſittaci experti ſunt Grammatices. 3. b. pſittacus novit recitare Symbolum Apoſtolorum; alius, *Salve Regina*. 3. b. & alia hujusmodi. 113. t. pſittacus præfigurat otioſitatem. 109. t. ejus opera per totum diem. 109. t. 111. a. 112. a. 113. a. imitatur loquacitatem hominis; & curioſa hujus exempla. 113. t. & 121. a. pſittacorum albicantium mira natura. 113. a. pſittacus novitatis ſymbolum. 243. a.

Publicani, qui? 281. b.

Puer occiditur, eò quòd vivæ cornici oculos eruiſſet, cur? 464. b. puer quinquennis blaſphemus à diabolo abreptus. 495. a. puer barbarus tempore ſacrificij ignem brachio excepit imotus. 527. b. Vide *Infans*.

Pugna humanæ vitæ multiplex. 138. t. pugna Chriſtianorum multiplex & continua, fortiter ſuſtinenda. 140. t. in eâ nunquam quies. 378. b.

Pullus. Erga pullos ſuos fervens gallinæ amor 219. a. b. pulli ex ovo prodeuntes reſurrectionem noſtram indicant. 219. c. 220. c. ex pulli in ovo maturitate aſtruitur animæ inclinatio ad beatitudinem? 222. t.

Pulvinar molle agonizantis fit Crux Chriſti. 510. t.

Puncturæ cordis quàm doloroſæ. 369. c. 370. t. leves puncturæ quibus comparentur? 372. a. puncturarum caſtigatio ſevera. 372. t. quinque doloroſiſſimas puncturas Semei fugitivo David improperavit, quas? 373. b. c. eas David etiam poſt mortem ſuam vindicandas cenſuit. 373. c. puncturas ampliùs Chriſtus ferre non potuit. 374. t. eas graviùs ſenſit, quàm vulnera doloroſa. 374. a. b. puncturis per puncturas obviatur. 375. t. ingenioſæ quædam puncturarum retorſiones. 375. b. c.

Puſillorum hominum ſtatura contemptibilis. 233. t. commendatur tamen in pulchritudine & continentia. 235. t. Vide *Statura*.

Pythagoricum y ſymbolicè explicatum. 271. t.

Pythagoras diſcipulos ſuos tacere docuit, quomodo? 523. b.

Q.

Q.

Quabacondonus, Japoniæ Primas, ſolemniſſimum aucupium, atque ex avibus triumphum inſtituit. 1. a. 455. c.

R.

Rana, calamita, ori canis injecta, eundem mutum efficit. 154. b. ranæ oſſiculum bullienti ollæ injectum, eandem refrigerat. 154. c. ranarum murmura ad Sacerdotis præceptum tacent. 527. b.

Rapaces Harpyis ſimiles, in cælum non evolant. 291. c.

Rationalis lapides in varios colores mutati, quid portenderint Judæis? 537. a.

Reformatio Religionis non eſt vitioſa novitas. 248. b.

Regeneratio hominis duplex; una in Baptiſmo, altera in Reſurrectione. 220. b. c.

Regimen triplex reipublicæ in avibus reperitur. 5. a.

Regio. In regione ſecunda aëris congelati vapores condenſantur in grandinem. 208. b. ſimile quid factum in *P*etri negatione. ib.

Regnum mundi, & regnum Chriſti quàm diſparia. 510. b.

Religionis actus alauda docet. 5. b.

Religioſi olim deſidiæ ac otioſitatis inſimulati. 117. a. eorum religioſa otioſitas defenditur. 116. t. 117. b. c. Religioſus *ſervitute clarior*. 117. c. ad religioſi ſepta Monaſterij non admiſſi, qui haud inſtructi eſſent aliquo opificio. 120. b. religioſorum maledicentia pudenda. 128. c. religioſorum caſtra. 138. c. ornatè ſtatuuntur. 139. t. pulchrè comparantur caſtris filiorum Iſraël. 139. b. c. in ijs quinam ad Orientem, Occidentem, Aquilonem, & Meridiem ſint? 139. c. Religioſis Aulæ pericula cavenda. 207. b. unâ tantùm de causâ tutò ſunt in Aula. 207. c. Religioſorum officia inter volucres diſtributa. 457. t. Religioſi mirè opitulantur Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. 518. b. abſque diſpendio perfectionis poſſunt reſiſtere ijs, qui in ipſorum famam involant, 536. a. Vide *Anachoreta. Monachus.*

S. Remacli morituri monitum. 460. c.

Remiſſio. *S*i parva fratribus non dimittimus, magna à Deo nobis non dimittentur. 173. c.

Renovatio Spiritûs præcipitur. 241. t. Vide *Novitas ſpiritûs.*

Reprobi electis contrapoſiti, illuſtriorem reddunt eorum nitorem. 92. c.

Res. Rebus externis quomodo glorificemus Deum. 336. t.

Reſpublica. Ejus triplex regimen nos aves docent. 5. a.

Reſpectus humanus plurimùm officit judiciorum integritati. 181. a. reſpectu partiali perſonarum Judicis æquitas depravatur. 159. & ſeq.

Reſurrectio noſtra, quâ olim ad gloriam cæleſtem regenerari ſperamus, ovo Paſchali ſignificatur. 220. c. ad hanc qui aſpirant, pullo ſunt ſimiles intra corticem ovi concluſo. 220. c. reſurectionis univerſalis veritas probatur. 221. t. præ cæteris ſalutis noſtræ myſterijs clariùs in S. *S*criptura explicatur. 221. a. omnis natura eandem meditatur. 221. b. proponuntur, & ſolvuntur quorundam objectiones contra eam. 221. c. ante reſurectionem corporum Beati Deum in cælis ſemper vident. 224. t. reſurrectio mortuorum ſoli Chriſto reſurgenti tribuenda. 228. t. ea ex *P*hœnicis reviviſcentia aſtruitur. 310. a. Beati omnes reſurgent in menſura ætatis plenitudinis Chriſti. 233. c.

Reverentia parentibus debita. 59. t. inſignia ejus exempla. ib.

Reus. Rei defenſio & abſolutio an plùs Judicibus cordi debeat eſſe, quàm ejuſdem accuſatio & condemnatio. 191. t. 192 t. Reo maximè exhibenda clementia, tum audiendo, tum legitimè defendendo. 193. t.

Rex. Fidelitatem in regem docent nos apes. 5. c. reges ſuorum fidelitatem cognoſcunt tempore defectionum, rebellionum, &c. 93. a. rex in ſua domo ſit Paterfamilias, quomodo? 135. b. c. rex bonus eſt veluti centrum regni ſui. 174. b. de vultu Dei prodeat Regis Juſtitia. 174. b. regibus miſericordiæ & juſtitiæ mixtio neceſſaria, & decora. 189. t. quando reges beati ſint numerandi. 189. c. quomodo Dij fiant. 189. a. b. Deóque ſimiles. 192. b. regum Sinenſium thronus, quâ ratione cultus? 190. a. nemo regum non ex ſervis oriundus. 437. b. rex volucrum Trochilus, duplici ex titulo. 513. t. rex gloriæ Chriſtus. 514. t. Vide *Chriſtus.* *S*umptuoſis ædificijs plurimi regum ſuam prodiderunt gloriam. 516. b. bonus rex eſt ſervus omnium. 519. c. reges ſunt ſervi Chriſti. 520. t. Vide *Princeps.*

Romaldæ reginæ, mulieris ambitioſæ, & malæ ſupplicium. 97. a.

Romulus & Remus à lupa & pico enutriti. 465. a.

Ros. Rore ſi ovum evacuatum impleatur, id à Sole elevatur, moraliter. 228. c.

Rota carpenti eſt inſigne Archiepiſcopi Moguntini, cur? 37. b.

Rubicilla malorum ſodalium ſymbolum. 395. c. ejus proprietates *S*acerdotibus applicatæ. 497. a.

Ruch, avis immanis, & ſola elephantem dilacerans ac deglutiens. 369. a.

Ruffini avariſſimi miſerabilis interitus. 157. b.

Ruſticulæ natura. 363. a. ejus excrementum delicioſum moraliter explicatum. 363. t. & tam malis, quàm bonis, moraliter appoſitum. 365. t. & ſeq.

S.

*S*acerdos rectè quotidie celebrat. 497. t. & ſeq. per rubicillas ſignificatur. 497. a.

Sacramentis Eccleſiæ in morte ſe deſtituere ad imitandam derelictionem Chriſti, gravis impietas eſt. 512. t.

*S*acrificium Crucis fuit veluti cauſa univerſalis noſtræ ſalutis, & omnium mediorum ad Illam, &c. 499. b. c. ſacrificium cruentum crucis quomodo differat à ſacrificio incruento Miſſæ. 499. b. quâ intentione offerebatur à Chriſto. 499. c. ſacrificium Crucis triplici medio nobis applicatur, quomodo? 300. t. ſacrificium laudis ſub miſſa Deo ſummè accepta-

ceptabile. 501. t. ſacrificium incruentum quomodo ſe habeat ad Sacramenta, vel opera noſtra bona. 500. c. Vide *Miſſa.*

Sale diſcretionis condienda eſt concio. 429. t. 430. t.

Salomon otioſus exiſteos, depravatur. 111. c. quando regnare incœperit. 182. c. petit à Deo ſapientiam ad judicandum populum ſuum. 182. c.

Saltando benè graditur gallus. 141. a. ad ſaltandum variam ſymphoniam præcioit Deus. 142. t. eſt ad omnem ſymphoniam ſaltandum, & quomodo? 141. c. 142. t. ſaltando antiquitùs auſpicabantur prælium. 142. a. ſaltatoriam artem inter graves diſciplinas numerat Socrates. 142. a. virgo artificioſè ſaltans. 143. b.

Saluthius. Vide *Bartholomæus Saluthius.*

Samſon ob munera hoſtibus traditur. 149. b. c.

Sancti ſub aquilis intelliguntur. 293. c. 538. b. Sanctorum deſiderium patiendi. 409. b pro proximis ſuis non hypocritas, ſed peccatores ſuſcipiant. 439. t. ex eorum conſideratione ſe humilient. 439. b. c. Vide *Juſtus.*

Sanguis. Ob ſanguinis copiam vel inopiam calor in corde minor efficitur. 448. a.

Sapiens A ſapiente nihil ſpernendum. 236 c. ſapientes mundi noctuis ſimiles. 388. b. c. ſtulteſcunt per ſuperbiam 418. b. c. ſapiens ut quis ſit, ſtultus fiat in hoc ſæculo, quomodo? 441. b. c.

Sapientia quid, & quod maximum ejus officium? 21. c. ſapientia Dei ex avibus relucet. 99. t.

Sapientiæ donum. Vide *Dona Spiritûs ſancti.*

Sardonix incomparabilis, & omnis infortunij impatiens. 483. a.

Sathanas. Vide *Dæmon.*

Saturni imago, quæ? 452. a. eſt temporis ſymbolum. 452. t.

Scabioſo detractor comparatur. 129. b.

Scala muſicalis. Vide *Muſica.*

Sceptrum Chriſti, Crux. 515. c.

Sciendi omnia alia extra ſe, deſiderium periculoſum. 33. t. 34. a.

Scientia inflata quot dementarit. 418. b. c. an ad ſcientiam Nani ſeu parvi meliùs ſint diſpoſiti, quàm Gigantes ſeu magni. 229. c. & ſeq.

Scientia inflans damnoſa. 441. a. b.

Scientiæ donum. Vide *Dona Spiritûs ſancti.*

Scorpij factâ letali catenâ vulnerant hominem; quomodo? 537. c.

Scripturæ ſacræ mala uſurpatio per caprimulgos explicata. 47. t. vetus & novum Teſtamentum Sanctæ Scripturæ per duo ubera Sponſæ in Canticis ſignificatur. 47. b. c.

Secretum, quid? 304. a. ſecreta revelare eſt deteſtabile. 304. t. pœna eadem revelantium 304. b. à fœminis ſecretiſſima quæque propalantur. 304. b. c. qui ſecretum mulieri commiſit, vulgari voluit. 304. c.

Sedendo cur in Tribunalibus ferenda ſit ſententia. 159. t.

Sedulitatis ſymbolum, gallina. 219. a.

Semei quinque doloroſiſſimas punctutas fugitivo David improperavit, quas? 373. b. c.

Semenda triſiſtularis, qualis avicula? 329. a. b. ea ad ſanctiſſimam Triadem relata. 329. t.

Senecæ pudicitia 391 b.

Senes ſint proximi juvenum. 440. c. ſenes æquè ac juvenes mors ſuccidit. 462. t. 440 c

Sententia nova cautè proponenda. 248. b.

Seraphio alæ moraliter cuilibet Fideli, & Prælatis accommodatæ. 293. a.

Serinus, avis, qualis? 387. a. adumbrat fallaciam & inconſtantiam mundi. 387. t.

Sermo moderatus & ſobrius, ſunt arma hominis chalybe penetrabiliora. 524. c.

Serpens orbicularis quid ſignificet? 452. a. ſerpens inſidians à pico occiditur, moraliter. 463. a. b. ſerpens antequam bibat, extra fontem evomit venenum. 546. c.

Servitute Chriſti eſt quis clarior. 117. c. ſervitus magna Aulicorum. 519. t. magnæ dignitates ſunt magnæ ſervitutes. 519. b. c.

Servus omnium eſt princeps bonus. 519. c. ſervi Chriſti ſunt reges. 520. t. ſervire Deo, regnare eſt. ib. Vide *Famulus.*

Severitati lenitas præferenda in medendis animæ vulneribus, ad inſtar boni chirurgi. 315. c.

Sichimorum civitas de tribus gloriabatur decoris, quibus. 315. b.

Silentium quaſi mediâ horâ factum in cælo, quid? 224. b. c. ſilentij emolumenta. 277. a. ad illud obſervandum Sanctus *Petrus* de Alcantara lapillum ſub lingua gerebat. 277. a. ſilentio vitam ſervant anſeres lapide roſtris impoſito. 426. c. ſilentij virtus, potentia, & ſecuritas variâ authoritate adſtruitur. 524. t. ſilentij religioſi & clauſtralis violati periculum. 525. t. hoc pulchrè ſymbolizatur per cancrũ oſtreo inſidiantem. 525. b. recenſentur varij ſilentium mirè colentes. 525. c. ſilentium Deo laus in Sion. 526. t. ſilentium ſub Sacro Officio in templo omninò ſervandum. 527. t. Vide *Taciturnitas. Loquacitas.*

Silex ſignificat populares. 178. b. ejus & adamantis comparatio, & connexio. 178. b. c. utriuſque connexio in Concionatore. 429. c.

Siloe aquis lachrymæ *Petri* comparatæ 217. b.

Sinapis arbor magnificatur pro corvis. 98. t.

Sinenſium regum thronus, qua ratione cultus? 190. a.

Singularitas malorum ingentium ſcaturigo. 245. b. Impellit ad vitioſas novitates. 245. b.

Sitis munerum torret, & obmuteſcere facit cauſidicos. 154. t.

Smaragdus ſpei ſymbolum. 187. a.

Societas mala multis vitam abripit. 468. b. lepidum circa hoc exemplum de ſturno. ib. à multa & mala ſocietate cavendum, docemur à ſturno. 271. c. 468. b.

Socrates artem ſaltatoriam inter graves diſciplinas numerat, atque exercet. 142. a.

Sol. Circa Solem tres circuli ſub Chriſti ortum viſi, quid ſignificent? 41. c. ſolis mira virtus in herbam, Lutum dictam. 214. b. ſol ſufficientiæ gratiæ ſymbolum. 251. a. ſolem Juſtitiæ, Chriſtum ſequi oportet in via. 272. t. idque exemplo gruum ſolem

in ſuis migrationibus ſequentium. 272. a. ſol ille, quem impij errantes à via veritatis non viderunt, Chriſtus eſt. 172. c. ſolis hieroglyphicon phœnix. 319. c

Solicitudinis ſymbolum, gallina. 219. a.

Solitudo commendatur. 279. t. eſt Paradiſus S. Hieronymo. 279. a.

S. Solij corpus admodum procerum. 230. c.

Spectacula gallorum compugnantium antiquitùs inſtituta, cur? 137. a. b.

Spernere. A ſapiente nihil ſpernendum. 236. c.

Spes Eam erga Deum tenent aves. 6. a. ſpei affectione ſolet affectus noſter à recto mutari. 165. c. ſpei ſymbolum ſmaragdus. 187. a.

Spiritus ſanctus quando deſcenderit ſuper Apoſtolos? 173. c. ſæpiùs apparuit in columbæ ſpecie. 307. a. b. 317. t. varia hujus exempla. ib. eum columba ſymbolizat. 307. t. cur ipſi columbæ & ignis ſpecies ſint propriæ? 308. t. cur in Chriſtum baptizatum ſub ſpecie columbæ, in Apoſtolos verò ſub ſpecie ignearum linguarum deſcenderit? 308. t. ejus munera primaria duo ſunt, protegere ſcilicet & accendere. 308. b. inſtar columbæ amat candida tecta, innocentiam cordium. 308. c. Spiritûs ſancti dona quomodo nobis manifeſtêtur in Chriſto? 309. t. Spiritum ſanctum quomodo contriſtemus. 331. b. c. peccata in Spiritum ſanctum quomodo intelligantur? 331. t. blaſphemus jocus hæreticorum circa cultum Spiritûs ſancti. 495. b. c.

Spiritûs renovatio præcipitur. 241. t. ſpiritûs novitas commendatur. 243. c. ad ejus renovationem ac fervorem exhortatur ſuos Fratres S. P. N. Franciſcus. 248. c. quatuor ſpiritus in refocillationem animæ propinantur. 367. t. nempe ſpiritus extaticus. 367. a. ſpiritus ſapientiæ. 367. b. ſpiritus Seraphicus. 367. c. & ſpiritus contritionis ib.

Sponſalium contrahendorum ratio obſervanda nupturis 79. t. & ſeq. ſponſalia avium. 79. t.

Sportulæ, quid? 156. a. an licitè à judicibus, & eorum famulis accipiantur. 156. t.

Staturæ proceritas in viris eximiè commendatur. 230. t. viri ſtaturâ proceri, inſignisſimi enumerantur. 230. t. ſtatura procera in fœminis pulcherrima. 231. t. ſtatura Sponſæ in Canticis aſſimilatur palmæ. 231. c. ſtatura procera ad operationes virtutum congrua oſtenditur. 232. t. monſtroſa ſtaturæ proceritas in virgine quadam. 232. a. quando incurratur monſtroſitas quoad ſtaturam. 232. a. ſtatura Imperatoria, quæ? 232. b. ſtatura puſillorum hominum contemptibilis. 233. t. hæc tamen commendatur eximiè à fortitudine. 234. t. item à pulchritudine & concinnitate. 235. t. eſt etiam aptior ad ingenij & ſcientiæ gloriam. 236. t. ſtaturæ puſillitas commendatur in Sanctis. 237. t. econtra ſtatura procera argutè cavillatur. 238. t. ſtaturâ ſuâ quiſque utatur ad virtutem 239. t. grandis ſtatura indiget magnâ circumſpectione, ne caput illidatur. 234. b. appoſitum circa hoc exemplum. 234. c immanis ſtatura gigantum olim in pœnam peccati permiſſa. 235. c. natura in puſillis corporibus quidquid magnitudini detrahit, illud vi, aut aliâ utilitate compenſat. 234. c.

Stellis aptiſſimè Beati comparantur. 225. b. c. ſtellam in fronte gerere viſus S. Dominicus. 225. c. ſtella matutina vincentibus promiſſa, quid? 225. c.

S. Stephanus Eremita exhorruit imminens judicium Dei. 403. a.

Stercus & viſcus ſunt gaudia mundi. 257. c. ſtercoribus comparantur voluptates mundi, & divitiæ. 259. t. 260. t. 261. t. & ſeq terrena omnia à D. Paulo habentur ut ſtercora. 363. t. ſtercus ruſticulæ ſapidum, moraliter explicatum, ib.

Stolæ albæ ſingulis BB. datæ, declarantur. 225. a.

Struthioonum oculi perperam dicuntur fovere ova, pullóſque excludere. 213. c. ſtruthio ardenter omnia deglutit. 383. a.

Studioſitas quæ maximè ſit adhibenda menſæ. 384. t.

Stultitiâ plenus eſt ſuperbus. 414. c. 415. c. ſtultitiæ ſuperborum indignamur. 417. t. Vide *Superbia.*

Stultorum plena ſunt omnia. 415. t. ſtultus in hoc ſæculo quomodo aliquis fiat? 441. c.

Sturni grammaticæ ſunt experti. 3. b. obſervant Democratiam 5. a. Sturnorum Capitulum à S. P. N. Franciſco celebratum. 451. b. c. ſturnus malam ſocietatem cavendam ſuadens, à morte liberatur. 271. c. 468. b. ſturnorum grex virtutum apparatum ſymbolizat. 479. t. ſunt dociles humano ſermone. 479. a. b. cur catervatim volent? 479. b. ſunt ſymbolum concordiæ. ib. ſturnos capiendi varij modi. 480. a. tredecim millia ſimul capta. ib.

Subordinatio politica, & charitativa tenenda. 274. t.

Succuba diaboli mirabili auxilio Dei per Sanctum Petrum de Alcantara liberata. 255. t.

Suggeſtionum muſcæ. 122. t. flabello abigendæ. 133. t. idque exemplo Abrahæ. 133. c.

Superbia, ac inepta ſui æſtimatio ridetur. 31. a. ſuperbia impellit ad novitates vitioſas. 245. c. adumbratur per Auram, avem. 266. t. ſuperbia pici ſimilis. 266. c. ſuperbia omnis mali cauſa. 267. t. ſuperbia Phariſæi exagitatur. 416. t. ſtultos facit potentes & ſapientes. 418. t. ac nobiles. 419. t. atque honoratos. 420. t. & divites. 421. t. ſuperbia invidiam in promptu nutrit. 469. b.

Superbus appellatur *ſingularis ferus*. 31. a. b. in cælum non evolat, 291. a. ejus etymon phaſianus. 414. t. ſuperbus ſtultitiâ plenus eſt. 414. c. & ſeq. ſuperborum ſtultitiæ indignamur. 417 t.

Suſurratio cavenda. 305. t. ſuſurrones picæ ſimiles. 305. a. ſuſurratio & aſſentatio rarò ab invicem ſeparantur. 305. b.

Symbolum Friderici Tertij concernens obſervantiam legum. 26. c. Octavij Farneſij. ib. ſymbolum conſtantiæ, Botaurus. 20. b. conſtantis inæqualitatis, arundo vento agitata. 21. b. inconſtantiæ, facies humana. 22. t. virtuoſi hominis, circulus. 41. a. ſymbolum carnis paſſibilis à Verbo aſſumptæ, eſt diadema. 43. b. pietatis erga parentes, ciconia. 56. a. fidei conjugalis, palumbes. 81. b. ſymbolum præclariſſimum Divinæ Providentiæ 100. b. 101. b. charitatis, oleum & caſſia. 125. c. pugnacitatis, gallus. 136. t. vigilantiæ, gallus. 144. b. ſymbolum ingenioſum tranquilli ac ſereni animi. 169. b. ſymbolum ſpei, ſmaragdus. 187. a. fœderis & clementiæ, iris.

Iris. 187. b. c. clementiæ, flumen in mare ſe exonerans. 193. b. c. ſymbolum Petri de ſuo errore reſurgentis. 214. b. ſolitudinis ac ſedulitatis, gallina. 219. a. vetuſtatis, Vultur. 242. a. novitatis, pſittacus. 243. a. ſymbolum ſufficientiæ gratiæ eſt Sol. 251. a. ingluviei, onocrotalus. 381. a. fortitudinis & patientiæ, adamas. 429 c. temporis, imago Saturni. 452. t. & concordiæ Aulicorum cum ſuo Domino ſymbolum, grex ſturnorum. 479. b.

Sympathia potentiarum animæ ad imperium obſequentium. 72. t.

Symphoniam variam præcinit Deus ad ſaltandum. 142. t. ad omnem hujuſmodi ſymphoniam ſaltandum, & quomodo? 141. c. 142. t.

T.

Tabernaculum. In tabernaculo Dei habitare quiſnam ſit dignus? 158. t. Tabernaculum Fœderis ad Chriſtum relatum. 509. b. c.

Taciturnitas decora oloribus. 522. b. de ea hirundinum cum oloribus controverſia. 522. t. tacere primò ſuos diſcipulos docuit Pythagoras, quomodo? 523. b. c. Vide *Silentium.*

Temperantia in ſumendis cibis quinque potiſſimùm modis violatur, quibus. 377. c. Vide *Temulentia. Gula. Menſa.*

Templum. In templis Gentilium expuere, nefas erat. 527. c.

Temporis jactura deploratur. 114. b. c. temporis ſymbolum accuratè expoſitum. 452. t. temporum viciſſitudines quàm miré dignoſcant aves? 452. b. c. tempus alatum & volucre. 451. c. 452. b. temporis præteriti velocitas, & vanitas reſpicientibus apparet. 454. t. ejus velocitas eſt infinita. 454. a. & ſuperat velocitatem avium transvolantium. 454. c. tranſierunt in præteritum quæque mundi. 456. t. tempus præſens officiosè & utiliter applicandum. 458. t. ob ejus jacturam longiora colloquia fugienda. 4 8. c. temporis optimè impendendi ſtudioſiſſimus erat Aldus Manutius. 458. c. ejus benè impenſi delectabilitas. 459. t. futurum tempus homini formidabile. 460. t. temporis pretium pauci æſtimant. 459. c. ejus jacturam præ omnibus acerbè deplorant damnati. 460. a.

Temulentia multis vitam abripit. 468. a. pereunt ob eam quadraginta duo juvenes. ib. Vide *Gula.*

Tenebrarum nocturnarum periculum. 325. a.

Tentationum muſcæ. 122. t. ſunt flabello abigendæ. 133. t. idque exemplo Abrahæ. 133. c. tentationes dæmonum in ſpecie, agonizanti objectæ. 311. t.

Terminus noſtræ peregrinationis. 270. t.

Terræ motus terribilis factâ glorificatione SS. Triadis ſtatim reſedit. 334. b. Terra fluens lacte & melle Chriſto nato accommodatur. 345. a.

Terrena omnia à D. Paulo habentur ut ſtercora. 363. t. quæ nobis videntur æſtimabilia, coram Deo & in ſe ſunt nihil. 363. c. 364. t.

Thebani choreizantes invadunt, & vincunt hoſtem. 142. a.

Themiſtocles exemplo galli ad fortiter pugnandum ſuos excitat. 237. a.

Theophili Raynaudi encomium. 40. a. 330. a.

Theſautis diutiùs manet nomen boni, cur? 531. c.

S. Thomas à Pſittaco appellatus eundem liberat à morte. 113. b.

Thomas Morus, velut ſtultus increpatus, quid reſponderit. 415. c.

Thronus Regum Sinenſium qua ratione adornatus. 190. a. Thronus Chriſti, quis? 515. c.

Timonis arbor. 473. b.

Timore judicia humana pervertuntur, quomodo? 144. c. 181. a. timoris affectione ſolet affectus noſter à recto mutari. 165. c. Timor Dei judicibus ſummè neceſſarius. 181. t. 182. a. eo muniti plures uſq; ad mortem reſtiterunt iniquitati. 181. b. reddit nos etiam hominibus charos. 181. c. timor & amor ſunt duæ alæ volandi in cælum. 295. a. timor Dei gemebundus eſt. 316. t. commendatur. 366. b. Timoris Domini Donum. Vide *Dona Spiritûs ſancti.*

Tinnunculus famæ ſymbolū. 530. b. c. inſeparabilis eſt à ſua conſorte. 532. a. Tinnunculus obſeratus in olla columbas retinet in columbario. 533. a. tinnunculus eſt litterarium bajulus. 533. c. ova ponit rubentia. .37. a.

Titus Imperator diem ſe perdidiſſe dixit, quòd nihil boni eâ feciſſet. 114. c. Titi Manlij contra proprium filium ſententia. 166. a.

B. Torellus trino galli in ejus humeros evolantis cantu miré converſus. 206. c.

Tranquillæ converſationis humanæ bonum à contentioſis deſtruitur. 123. t.

Transfiguratio tribunalium, ac juſtitiæ obumbratio per quid fiat. 153. & ſeq. in monte & tabernaculo Dei transfiguratus habitare, quiſnā dign⁹ ſit? 158. t.

Tribulatio carnis inter conjuges expenditur. 66. t. tribulationes juſtorum per ovum aceto maceratum moraliter explicantur. 22 . b. c.

Tribunal. Quidam ad Dei tribunal vocati, determinato die extincti comparent. 183. c. tribunal Regum Sinenſium qualiter adornatum? 190. a. Vide *Index, Judicium.*

Trinitatis Sanctiſſimæ Perſonæ ſub quibus ſpeciebus ſeſe manifeſtârint hominibus. 307. a. b. quomodo veniant, & manſionem faciant apud hominem juſtum. 307. c. ad eam Semenda tritona relata. 329. t. violatores SS. Trinitatis caſtigati. 332. t. ac præſertim B. Annon ob omiſſam per ſuum Diaconum in fine Pſalmorum Filij glorificationem. 332. a. & Græci negantes Proceſſionem Spiritûs S. à Filio. 332. a. b. SS. Triadis harmonia in ſeipſa reſonans. 333. t. ejus glorificatio per Angelos. 334. t. & celebris circa hoc hiſtoria. ib. glorificatio ejuſdem per verſum, *Gloria Patri*, &c. 337. t. & plura circa hunc verſum notatu digna. ib. imagines SS. Trinitatis quænam admittendæ? 337. t. Trinitatis impia imago poſita à Rege Coſroa. 336. c. varia exercitia Religionis erga SS. Triadem. 338. t. præſertim ea, quæ habuit Franciſcus Follianus, Soc. Jeſu, erga tantum Myſterium. ib. & ſanctæ pietatis remuneratio. 3 . 8. c. alia prodigia tanti Myſterij manifeſtativa. 338. Vide *Perſonæ Divinæ.*

Triumphus & apparatus ſolemniſſimus è volatilibus. 1. a.

Trochilus excellit fortitudine. 5. a. rex volucrū proclamatur duplici titulo. 513. t. trochilus aſſatus ſponte convertitur cum veru, ut etiam ex altera parte torreatur. 51 . b.

Tunicâ Chriſti induto Pilato placatur Tiberius Cæſar. 205. b.

Turcæ quo tempore & die cœperint Conſtantinopolim. 332.a b. Turcarum in ſuis Moſchæis munditieѕ, taciturnitas, &c. 527. c. ſchedam ſcriptam in terra jacentem, quomodo & cur venerentur? ib.

Turdus quomodo capiatur? 257. a. ipſa ſibi malum excreat. 257.c. non eſt ſtolidior avis turdo. 257. c. ſunt turdis ſtolidiores animæ Mundi delicijs fruentes. 257.t. more turdi mundus per illecebras malũ ſibi exereat. 258. a. 259. a. 261. a. 266. a.

Turtures adulterium ſeverè vindicant. 81. c. turturis & hirundinis diſpares nuptiæ. 82. b.

V.

Vanelli natura, & proprietates. 88. a. applicantur ad geninm perverſorum. 88. & ſeq. vanelli, zizaniæ, & inimici comparatio. 89. t. 97. t. cum vanellis hæretici comparantur. 91. t.

Vanitas mundi. Vide *Mundus*.

Ubera duo Sponſæ in Canticis vetus & novum Teſtamentum ſignificant. 47. b. c.

Udo *P*ræſus Magdeburgenſis ob fœdiſſimam vitam à S. Michaële decollatus. 398. a.

Ventris accuſ.tio apud Ægyptios nobiles. 378. b. c. venter, vitæ charybdis eſt. 379. c.

Verbi Incarnati & vocis humanæ pulcherrima analogia. 40. t. ſymbolizatur per varios circulos. 40. & ſeq. nempe per annulum. 42. t. per armillam, diadema, & coronam. 43. t. & globum imperatorium. 44 t. Vide *Incarnatio*.

Verbum otioſum, quid? 301. c. ejus mala. ib. verba vana, quæ? 301. c. verba graviter penſanda, antequam exprimantur. 306. b. verbum Dei prædicatum ſit ſimile pillulis melle obductis, 432. b. verba punctoria. Vide *Punctura*.

Veritas in judicijs oppreſſa. 146. b. veritas graphicè deſcripta. 184. a. & varia ejus encomia, ib. eâ in Aula ſua eget Ludovicus Rex Galliarum. 184. a. eſt à judice inveſtiganda. 184. b.

Veſpertilionis deſcriptio, ejuſq; proprietates. 45. t. trahit nomen à veſpere. 45. b. 50. a. ejus natura applicatur ad Evangelium. 45. & ſeq. veſpertilio propriè nec avis, nec beſtia. 48. a. ei hæretici comparantur. 48. t. juxta *P*oëtas unde oriunda? 50. a. veſpertilionis & *P*hœnicis comparatio oppoſita. 318. t.

Veſtimentum Chriſti Regis gloriæ magnificentiſſimum. 515. a.

Vetuſtas confertur cum novitate. 241. c. & ſeq. varijs argumentis commendatur. 242. t. ejus ſymbolum vultur. 242. a. omnis vetuſtas à Chriſto quàm longiſſimè abfuit. 244. b. vetuſtas corruptiva perſtringitur. 247. t. eam quivis à ſe removere ſatagit. 247. c. vetuſtas in corde, in ore, in corpore, quæ? 248. c. eſt renovanda. ib.

Via duplex, una ad vitam, altera ad perditionem, &c. 271. b. c. viam ad vitã pauci ſunt, qui intrant per eam. ib. via peregrinationis noſtræ eſt Chriſtus. 273. t. idq; loquendo de multiplici via. 273. a. in via hac ſubordinatio politica & charitativa tenenda. 274. t. id; exemplo gruum. ib. via aquilæ in cælo, & via colubri ſuper terram, quid? 287. a. via ad cælũ media inter deſperationẽ & præſumptionem, quantũ conferat. 446. t. via ad cælũ arcta, ſed media & tutiſſima. 446. b. c. viæ Domini rectæ, pulchræ, planæ, plenæ, quomodo? 446. c. via inter Scyllam & Charybdim moraliter applicatur. 450. a. b.

Viaticũ Sacrũ à moribundo petendũ. 508. miraculosè pluribus SS. allatum. 512. c. Vide *Eucharistia*.

Victus humanus. Ob hujus penuriam alicubi aves manibus ſe capi permittunt. 7. a.

Vigiliæ avium pro nobis. 7. c.

Vigilantiæ ſymbolũ, Gallus. 144 b. vigiliæ galli. 145. t. & unde proveniant? 145. c. vigilantiã miram tenent grues. 268. b. 275. a. b. eam imitentur Prælati. 275. a. b. vigilantia Prælatorũ ſuper gregem tenenda. 275. t. eſt ponderoſa. 275. c. cõmendatur. 275. b.

Vinea Domini *S*abaoth, &c. eſt Eccleſia. 516. c.

Vir. Ei in opprobrium accipitur prædicatum muliebre. 176. a. in viris ſtaturæ proceritas eximiè commendatur. 230. t. viri potentes à ſæculo quidam enumerantur. 532. a. b.

Viriliter pro juſtitiæ veritate agendum Judicibus. 175. & ſeq. viriliter agentes à Deo honorati. 177. t.

Virgam prodigioſam cur Deus ſoli Moyſi concrediderit. 177. a.

Virtus. In omnibus virtutibus moralibus aves nos inſtruunt. 5. t. virtutes Theologicas etiam videntur aves exercere. 6. t. virtutis & malitiæ emolumenta ex adulteri circumſtantijs expreſſa. 77. t. an ad virtutem Nani ſeu parvi meliùs ſint diſpoſiti, quàm Gigantes, ſeu magni. 229. & ſeq. virtutis mediũ commendatur. 442. b. c. virtus moralis, quid? 444. a. conſiſtit in medio. 444. t. ejus mediocritas in quo cõſiſtat? 445. t. virtutum apparatus à ſturnorum grege ſymbolizatur. 471. t. virtutes ſequuntur alas ignitas Charitatis. 481. t. quomodo nulla poſſit ſine Charitate ſubſiſtere? 487. t. virtuti ſocialis eſt bona fama. 531. t.

Viſcus Chriſti animas capientis, quid? 249. b. 251. b. viſcus mundi, quid? 257. t. vita noſtra eſt peregrinatio. 261. t. vitæ noſtræ in hac peregrinatione inſtituendæ rationẽ nos docent grues migrantes. 268. t. & ſeq. vitæ cæleſtis encomiũ. 270. c. vitæ noſtræ peregrinatio perpètua colluctatio. 276. t. dies vitæ noſtræ parvi & mali. 276. c. militia eſt vita hominis ſuper terram. 138. t. eſt vapor, ſpuma, imò nihil. 364. a. b. vitæ charybdis eſt venter. 379. c. vita noſtra, quæ? 387 c. vitæ noſtræ celerrime anteactæ periodus. 454. a. b.

Vitellius Imperator infamiter tractatur. 537. b.

Viti lachrymas ſtillanti peccator pœnitens comparatur. 218. b.

Vitiorum plurimorum fomentum eſt varietas epularum. 378. t. Vide *Peccata*.

Vitia. Nihil ita odit Deus, quàm hominem ultionis avidum. 173. b.

Unctione extremâ ungendus moribundus. 511. t. 512. t. & ejus effectus. 511. c.

Univerſitas iniquitatis eſt lingua mala per omnes ſcholas, quomodo? 528. t.

Vulturi annoſa vetuſtas comparatur. 141. b. vultur vetuſtatis ſymbolum. 242. a.

Volatilia ſeu volucres. Vide *Aves*.

Voluptates mundi. Vide *Mundus*.

Voracitas præpropera diſſuadetur. 379. t. ejus ſymbolum onocrotalus. 381. a. voracitas lanij. 381. b. voracitas nimia deteſtabilis. 382. t.

Upu-

Upupa ſtercoribus paſcitur. 259. t. ei ſimiles, qui inceſcantur delicijs mundi. 259. a. ei comparantur luxurioſi. 291. a. b. 390. t.

Vox humana Verbo Divino ſimilis, & utriuſq; pulcherrima analogia. 40. t. vocis prolatio circularis, & figuræ O. ſimilis. 40. a. vox muſica ovalis. 40. c.

Vrſus noxium ſanguinem emiſſurus, immergit caput alvearibus. 90. c.

Vulpina cauda improbo joco à Paſtore acatholico in communione data. 545. c.

Vultus. De vultu Dei *Præſidum* judicia promanant. 174. t.

Vxorum tribulationes & cruces. 64. & ſeq. enumerantur plures in ſpecie. 67. t. uxor quamvis ſanguine & fortunis præſtantior, ſit ſubjecta viro. 83. b. uxor pauper adhuc placeat viro. 83. c. Vide *Coniugium. Coniugati. Matrimonium. Mulier.*

X.

Xenia, quid? 156. a. an licitè à judicibus, & eorum famulis accipiantur. 156. t.

Z.

Zelcuci Locrenſis memorabile factum. 266. a.

Zizaniæ, vanelli, & inimici comparatio. 8 .t. quare creſcat in medio tritici. 89. c. & ſeq. præſertim. 97. c.

ELENCHUS
LEMMATVM NOTABILIORVM.

A.

Æqua ſi immota. Lemma bilancis. 159.

A facie perſequentis. Perdici ſub terræ glebâ ſe occultanti conveniens. 351.

Aggravat, & allevat. Alis avium adſcriptum. 296.

Alterna procedunt. De gruibus vetificatur. 274.

Aſcendens fertur ad imum. Attribuitur *P*aro in ſuo giraculo fruſtra aſcendenti, ad ſymbolizandum mundanæ felicitatis ludum. 388.

Aut pendent, aut jacent. Intellige, apodes pro ſymbolo mundanorum hominum. 388.

Aut unam, aut nullam. Convenit *P*alumbo in ſymbolum amoris conjugalis, & caſtitatis vidualis. 81. a.

B.

Bene graditur. De Gallo pronuntiatur. 143.

Buſtúmque, partúmque. Phœnicis vivicomburio ſubſcriptum. 320.

C.

Candidos æther alit. Inſcribitur pullis corvorum à cælo mirabiliter paſtis, ad ſymbolizandam ſingularem Dei erga Juſtos aſſiſtentiam. 101.

Cantator funeris ipſe ſui Cygno convenit. 396.

Capiant ne Xenia. 144. 1..

Celeres revolant ex æquore mergi, 434.

Cæcis fidit in augurijs. 386.

Criſtati rupère ſilentia galli. 124.

Clamoſior nocte profunda. Gallo proprium. 211.

Cæleſti lumine languet. Dicitur de nive. 216.

D.

Deprehenſa latent. Convenit perdicibus, ſub terræ gleba occultatis. 551.

Digito compeſce labellum. 511.

Diſcindunt magna. Araneæ telis per graviora diſruptis appoſitum. 361.

Domini facunda voluptas. Lemma otioſi pſittaci. 109.

Dum ferit, perit. Api inſcribitur. 371.

E.

Emergo lucente Sole. Luto, herbæ, ſubjectum. 214.

Et aſpicit crebrò. Gallo plerumque alterum oculum ſurſum elevanti appoſitum. 167. 174.

Et vigil, & pugil. Gallo ſubſcribitur ob ejus vigilantiam & pugnacitatem. 137.

Ex calore gelu. Vapori propter antiperiſtaſin congelato ſubjectum, in ſymbolum lapſûs *Petri.* 208.

Exiguis prodeſt annoſa vetuſtas. Vulturi appoſitum. 221.

Exſpectant retia turdos. 257.

F.

Felix monoculus in terra cæcorum. 155.

Fida conjunctio. Duobus palumbis ſocialem converſationem inter conjuges ſymbolizantibus attribuitur. 81.

Frangi poteſt, flecti non poteſt. De Cypreſſo dicitur. 21.

Fruſtrà conturbatur. Gallinaceo proprium imaginem in ſpecillo relucentem percutienti convenit. 169.

H.

Hic regit, ille tuetur. Hoc eſt, ſcientia dirigit, ferrum tuetur. Lemma Friderici III. Imperatoris. 26.

His artibus. Symbolo ad induſtriam & fortitudinem in hoſtes teſtandam aſſumpto ſubſcriptum. 26.

O hominum ſententia fallax! 414.

I.

Illudentes illudit. De noctua dictum. 388.

Infirmiora prædatur. Araneis non niſi muſcas capientibus convenit. 361.
In amaro dulcis. Fluvio dulci in maris ſalſedinem ſe exoneranti ſubjectum. 193.
In luce caligat. De noctua verificatur. 388.
Infra feruntur. Ingenioſum ſymbolum tranquillæ inter varias turbulentias ſereni animi. 169.
In lachrymis feracior. Viti inciſæ & lachrymanti attributum. 218.
In minimo grande. 237.
Inſigni pietate. Attribuitur ciconiæ pietatis ſymbolo. 54. 56.
Intus & extra. Dicitur de columba internam tranquillitatem cum externo candore conjungente. 315.
In ſpem ventura ſobolis. Ouo inſcriptum. 219.
Invocantibus eſcam. Lemma pullis corvorum appoſitum in ſymbolum Divinæ Providentiæ. 100.
Iterùm parturio. Merulæ proprium, cujus prima ova Martiali pruinâ interierunt. 280.
In parvo cernuntur magna. Verificatur in mappa geographica. 237.

L.

Laſſura deſerit. Hirundini apponitur. 261.
Levi rumpitur aurâ. Aranearum telæ proprium. 361.
Ludendo capimur. Dictum à volucribus ab aucupe captis, & ad carnalem amorem applicatum. 251.
Lugubre dabat per littora carmen. Alcedoni convenit. 71. & ſeq.

M.

Mali corvi, malum ovum. 491
Maxima de minimis. Fluvio ſubſcribitur. 237.
Medio tutiſſimus ibis. 442.
Me ſtante nihil timendum. De grue cæteris dormientibus excubante dictum. 275.
Medijs pax fulget in armis. Subſcribitur iridi in rorida nube poſt procellas apparenti. 187.
Meritis venit in aſtra ſuis. Dicitur de miluo. 39. & ſeq.
Metuit ſublimia caſus. 349.
Moveor, non dimoveor. Arundini vento agitatæ adſcriptum, tanquam conſtantis inæqualitatis ſymbolo. 21.
Mox eadem. Phœnicis vivicomburio ad ſymbolizandam glorioſam Chriſti Reſurrectionem apponitur. 320.

N.

Necat ante vulnus. Convenit Baſiliſco. 470.
Ne derelictis deficit eſca. In ſymbolum Divinæ Providentiæ pullis corvorum adſcriptum. 100.
Ne cede. Bruder weich nit. Botauri teſſera. 20. 23.
Nec ſpes ulla fuga. 255.
Ne impingat. Gallo ſub ingreſſum januæ ſeſe inclinanti appoſitum. 175.
Nemini parcit. De morte verificatur. 408.
Ne quidpia ſacra moretur. 496.
Nigreſcendo volabunt. Pullis corvorum ſubſcribitur. 101.
Nobilis in portis & hortis. Galbalo attributum. 30.
Non decipit ſomnus. Additur gallo vigilantiæ ſymbolo. 144.
Non ſufficit una. Dicitur de alis, quarum una ad volandum non ſufficit. 292.
Non ſine pondere ſonus. Horologio ſonanti ſubſcriptum. 306.
Non gravat iſte labor. Pelicano decrepitos parentes nutrienti apponitur. 346.
Non recuſo pugnare. Additur Gallo. 137.
Noſce te ipſum. γνῶθι σεαυτόν. Supra templi Delphici portam inſcriptum. 30.
Nullo flectitur obſequio. Morti proprium. 408.

O.

Obliquo lumine cernens. Gallo attribuitur. 187.
Obſcurâ nocte per umbram. 9.
Occidat, modo imperet. Matris Neronis dictum. 53.
Omnes excitat unus. 249. 250.
Onus leve. Aliſavium inſcriptum. 296.

P.

Par putat eſſe nihil. Symbolum Ferri Abbatis. 363.
Parit & reparat. Convenit Pelicano. 341.
Parvus non ſufficit amnis. Onocrotalo in ſymbolum ingluviei appictum. 381.
Parva, ſed non ſegnia. Apibus, formicis, & hujuſmodi applicabile. 237. c.
Pietas auguſta. Ciconijs in nummis Adriani Imperatoris ſculptis ſubſcriptum. 56.
Plenâ pluviam vocat improba voce. De cornice dicitur. 488.
Pulſat clangoribus urbem. 434.
Pulchra & fatua. Vanello in gnomam attributum, & ſexui fœmineo applicatum. 88.

Q.

Quæque latent, meliora puta. 538.
Quid non cogit amor? Pelicano additur. 339.
Quis tam grandia ponit ova? 219.
Quò altiùs, eò ſuavius. Alaudæ cantando ſeſe elevanti adjectum. 379.
Quocunque ierit. De gallina pullos gregatim adunatos, & ſe inſequentes ducente dictum. 126.
Quot habet volucres agitabilis aër. 1.

R.

Redeunt auditâ matre. Genuinis pullis appoſitum. 354.

Reſi-

Reficit, cùm deficit. Pullis corvorum adſcribitur. 101.

Reſonant & acanthida dumi. Ad juges conjugij tribulos applicatum. 63.

Regni Clementia cuſtos. Elephanti magno inter parva pecora placidè paſcenti convenit. 189.

Repetito ſæpiùs ictu. Subintellige, ſternitur arbor vel à pico. 461.

S.

Secura nidificat. Columbæ in foraminibus petræ nidificanti attribuitur. 313.

Secùs viam. Auf den Füſſen. De gallo dictum, ferocis & pugnacis animi ſymbolo. 134.

Semper vomit omina. Corvo appropriatur. 98.

Servat immunes. Gallina pullos ſub alis congregans. 219.

Servitute clarior. De Religioſis dictum. 119.

Sic his, quos diligo. Pelicano ſauciato, ad ſymbolizandum Chriſti in Cruce occiſi amorem inſcribitur. 341.

Silentio tuta. De gruum caterva Taurum montem aquilis infeſtum tranſvolante, & lapides in roſtris ferente pronuntiatum. 277.

Si vis nubere, nube pari. 82. 84.

Simul & ſemel. Gregi ſturnorum ſubſcriptum. 479.

Sollicitum timor anxius urget. Gallo januam ingredienti ſeſeque profunde inclinanti appoſitum. 175.

Solvit, dum vidit. Attribuitur Soli orienti, & nebulam ſuo aſpectu diſſipanti. 213.

Sorbet hians. Laro eſurienti ceu mortis ſpecimini ſubſcriptum. 505.

Stant niſi vota ſuper. 359.

Stridula contriſtat. De muſca dicitur. 122.

Strimonia dant ſigna grues. 268.

T.

Tantùm ſitis herrida torret. 154.

Tueor, dum teger. Perdici ſub terræ gleba à facie perſequentis ſe occultanti convenit. 351.

V.

Vel umbram cavet. Columbæ ex aquæ ſpeculo Æſali inſidias advertenti ſubſcriptum. 310.

Veſpere qua tantùm velitat. Dicitur de veſpertilione. 45.

Viciſſim agmina ducunt. De gruibus pronuntiatur. 274.

Vires acquirit eundo. 330.

Viſcera felle carent. Columbæ proprium. 313.

Viſcera pro muſcis. Araneæ ad capiendas muſcas ſeſe eviſceranti inſcriptum. 362.

Viſcera viſceribus. Pelicano pullos ſuos propriò cruore paſcenti attribuitur. 345.

Vive cruore meo. Pelicano prolem occiſam proprio ſanguine ad vitam reſuſcitanti apponitur, ad demonſtrandum Chriſti erga nos amorem. 339.

Unum de triplici Carmine nomen habet. Semendæ, avi proprium. 329.

Volat ambiguis mobilis alis. Dicitur de tempore. 451.

Vorat, ne pharmaca præſtet. De Tarantula alteram devorante pronuntiatur. 476.

Ut alij dormiant. In ſymbolum paſtoralis vigilantiæ, uni ex gruibus vigilanti, & pede lapidem tenenti ſubſcriptum. 275.

Ut fugentur deſides. Subjungitur flabello, vel unicæ alæ ad abigendas ſolùm muſcas utili. 192.

Ut reſpexit, erexit. Soli orienti appoſitum, mirabiliter Lutum herbam erigenti. 214.

Utriuſque auxilio. Phœnici ad ſolares radios agitatione alarum flammam aromaticam excitanti inſcriptum, pro ſymbolo noſtræ cooperationis ad gratiam cæleſtem. 321.

Utroque indice concors. Horologio ritè compoſito proprium. 306.

Vulnerat aſpectu, luminibúſque necat. De Baſiliſco dicitur. 469.

F I N I S.

Menda ſic emenda.

Fol. 2. col. 1. lin. 22. manſuelæ. *lege* manſuetæ. *f.* 61. *c.* 1. *l.* 30. Siracides. *l.* Salomon. *f.* 146. *c.* 2. *l.* 2. & *f.* 148. *c.* 1. *l.* 13. Ferè. *l.* Verè. *f.* 161. *c.* 1. *l.* 52. DEI *l.* Deorum. *f.* 221. *c.* 2. *l.* 44. temporis. *l.* operis. *f.* 305. *c.* 1. *l.* 36. ſuo. *l.* quo. *f.* 322. *c.* 1. *l.* 53. ex legibus *l.* Ex legibus *f.* 412. *c.* 2. *l.* 30. annis *l.* alis. *f.* 432. *c.* 2. *l.* 30. clarus. *l.* altaius. 451. *f.* *c.* 2. *l.* 10. nomen. *l.* nomen Domini.

Cætera (pauca ſanè) benevolus Lector corriget.

ANT 1712754

Digitized by Google

Digitized by Google

5746

G.7.